Opera universa, cùm medicinae, ac philosophiae, tùm cultioris literaturae studiosis apprimè utilia : suprema manu recognita.

Contributors

Stefani, Giovanni, active 1624-1653

Publication/Creation

Venetiis : Apud Juntas, 1653.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/azjyuuz6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


STEPH
MEDIC
OPERA





EPB 49639/C

1450.

I.

IV. L.

IOANNIS

STEPHANI

MEDICI

ATQVE PHILOSOPHI

OPERA OMNIA

IOANNIS

STEPHANI

MEDICI,

ATQVE PHILOSOPHI

OPERA OMNIA.

IOANNIS

STEPHANI

MEDICI

ATQVE PHILOSOPHI

OPERA OMNIA.

IOANNIS
STEPHANI
MEDICI,
ATQVE PHILOSOPHI
CLARISSIMI

Ciuis Veneti, Patritijque Cenetensis

OPERA VNIVERSA,

Cùm Medicinæ, ac Philosophiæ, tùm Cultioris literaturæ studiosis apprimè vtilia:

SVPREMA MANV RECOGNITA.

Ad Illustrissimum Virum

D. PETRVM FOSCARENVM.



VENETIIS, *Apud Iuntas.* M. DC. LIII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

EPC 49639/D Wellcome Library

IOANNIS

STEPHANI

MEDICI,

ATQVE PHILOSOPHI

CLARISSIMI

Cives Veneti, Patricijque Cenetenſis

OPERA VNIVERSA.

Cum Medicina, ac Philoſophia, tum Oratoria, & literaria

ſtudioſis apprime vtilia.

SVPREMA MANV RECOGNITA.

A PETRVM FOSCARENVM.

VENETIIS, M DC LIII

ELENCHVS LIBRORVM.

Nempe

COmmentarius in libellum Hipp. de lege, in quo cùm ad Medicinam, tùm ad reliquas disciplinas adipiscendas præclara traduntur præcepta, multaq; diluuntur problemata scitu dignissima accuratissima manu exarata.

Commentarius in lib. Hipp. de Structura Hominis, in quo tùm principia, tùm passiones humani corporis dilucidè declarantur, quin plurimæ quæstiones Physiologicæ resoluuntur non sine physicis condimentis; Accedit deniq; viuendi norma, quam singulis anni quadris obseruandam Hipp. præscribit, cuius vnusquisq; studiosissimus esse debet, qui sanitati suæ consultum vult.

Commentarius in lib. Hipp. de Virginum morbis, in quo Mauritius Cordatus passim carpitur, multæ physicæ difficultates in medium allatæ diluuntur, multaq; curiosa interseruntur sesamo, atq; papauere respersa, deniq; qui Virginum morbi curentur, recta docetur methodo.

Diagoge ad incolumitatem diu seruandam, quà tum producendæ vitæ, tum seruandæ sanitatis methodus præscribitur non tàm medicis, quàm physicis theorematis stabilita, in qua multæ difficultates diluuntur, non sine curiosi animi iocunditate.

Commentarius in lib. Arist. de conseruatione sanitatis ad Alexandrum Magnum, in quo pulcherrima præcepta continentur ex Medico deprompta penu, quæ Hipp. doctrinam penitus sapiunt, & qua ratione vnusquisq; sospitem vitam degere discupiens agere debeat, dum cubitu surgit vsque ad vesperas, miro ordine docet.

Paraphrasis in nouem Fen. lib iij. Auicennę in quibus vniuersi cap. affectus cõtinentur, qui tam dilucidè declarantur, vt nihil desiderari possit, quin singulis capitibus additæ sunt definitiones ex præclarissimis quibusq; Auctoribus promptæ, & innexæ etiam annotationes, prout occasio tulerit. Quare qui caput sartum tectum cupit, huc adeat.

Pyrine, siue de natura feb. Dialogus, in quo tùm febris natura dilucidissimè declaratur, tùm differentiæ ex rei natura promptæ afferuntur, sed potissimùm innumeræ diluuntur difficultates, quæ mentes legentium inuoluunt. Deniq; methodica curatio generatim instituitur.

Paraphrasis in primam Fen. lib. iiij. de Feb. Auic. in qua tam explicatè singula declarantur supposita etiam ratione, vt vnicuiq; quod in Auic. est salebrosum, fiat obuium, & explanatum.

Consiliorum Medicorum Decem Decades, in quibus vniuersi ferè affectus, qui humanam exercent naturam, tam præclara exponuntur methodo, tam lectis præsidijs curantur, vt nihil possit desiderari: Accedat, eos non barbara, vt fieri consueuit, sed latina, purioreq; lingua explicari.

Cænologia, siue de Vertigine Dialogus, in quo Vertiginis natura philo-

sophicis rationibus suffulta adstruitur aduersùs vulgarem opinionem, quæ tam presè exprimitur, vt elisa concidat.

De contagionis natura libellus, in quo expresè contagij natura declaratur, multaq; & probata præsidia apponuntur, quorum Auctor sæpe periculum fecit. libellus sanè aureus.

Symmixis, seu miscellanea Physicarum, Iactricarumq; Quæstionum, in qua varia, & recondita differuntur, & dilucidantur, non solùm Medicis, verùm etiam singulis, qui cultiore litteratura non indelectantur apprimè vtilia.

Cosmetice, qua singulis fœditatibus, & næuis, qui faciem maculant, probata apponuntur remedia ex præcipuis Authoribus desumpta.

Hippocratica Theologia, qua Hipp. in Deum pietas explanatur, & quãtum eius doctrina christianis congruat dogmatibus palam fit. Opus planè Metaphysicum vndecim capitibus contentum, quibus abditissima quæq; in medium feruntur non vulgari, sed singulari modo explanata. Huc accedunt duæ quæstiunculæ. Quod vna sit vera Religio nempe Christiana Catholica aduersùs Themistium. Altera de corporum Resurrectione.

Eudæmon, seu de humanæ mentis immortalitate Dialogus, in quo intellectus nostri tam solidis rationibus immortalitas astruitur, vt fatuus sit, qui aliter sentiat, quin Arist. in eam sententiam planè inducitur, & litteræ ad Alex. ea de re scriptæ à Philosopho deteguntur, vt posthac nulli sit dubitandum, quin eam concoxerit sententiam Aristoteles.

Libri tres Carminum, in quorum primo Tobiæ vita graphicè exprimitur; in secundo Contagis natura, & cautio explicatur: In tertio varia continentur ad medicam etiam facultatem attinentia æstuante pacta iuuenta nouissimè in lucem edita.



ILLVSTRISSIMO

PETRO FOSCARENO

VIRO OMNIVM

Scientiarum genere cumulatissimo,
Mecœnati suo optimè merito.

Ioannes Stephanus S.P.D.

Sapienter Pindarus, si quid aliud, virtutem Heroum Matrem appellauit, hæc enim sola Homines ad gloriam euehit, sola immortales reddit, propterea moralis Philosophiæ princeps Seneca, Hoc mihi maximè, *inquit,* Philosophia pollicetur, vt me Deo parem efficiat. *Quò spectauit & Athanagoras dicens.* Si rite philosopheris, euades in alterum Deum. *Sola siquidem sapientia est, qua Deo, qui sua, summaq; est intelligentia, comparamur. Hinc & Hippocrates.* Medicus Philosophus similis est Deo. *Sed pauci (proh dolor) pauci ad hanc gloriam adspirant, pauci insudant, sed potiùs cumulandis opibus operam sedulò nauant, Catonianum illud apophtegma ignorantes,*

Diuitiæ multis, animi Sapientia paucis.

Propter diuitias, *inquit Seneca,* neminem laudato, verùm maximè propter virtutem, *quæ sola in sua potestate est, ait Cicero, reliqua subiecta sunt fortunæ dominio. Hinc Boetius.*

Musas. Has ✣ saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Hac de causa factum est, vt vnusquisq; natura scire desideret, quòd scientia hominem perficiat, & super cæteros efferat, propterea ab Arist proditum fuit, intellectu vigentes natura esse reliquorum dominos. Quòd si quis Generis nobilitati sapientiam adiungat, si vtraque laude inter suos emineat, quis dubitet, eum dum in viuis agit, omni honore colendum, dum decesserit e viuis, statua decorandum? Tu verò Illustrissime Petre is es, qui Generis splendori sapientiæ decus adiungis, qui vtraque laude præfulges. Vt verò mittam Generis nobilitatem vtpote satis testatam (nemo enim est, qui non norit innumeram Senatorum seriem, quorum omnium vnus instar est, nempe Petrus Auus tuus, qui orando totam Remp. regebat, qui tot legationibus defunctus ad Turcarum Imperatorem, ad Summum Pontificem,

cem, tampræclara nobis opera reliquit, cuius vestigia adamussim sequebatur amplissimus Senator Pater tuus, qui mira cum laude tot magistratus obijt, quem vtinam nobis fata intempestiuè non sustulissent) quod tuum est Illustrissime, & clementissime Domine præcipuè attingam.

Nam genus, & Proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Tu ab ineunte ætate indolem præstetulisti, quam doctrina, moribus generosis, loco studijs apto, tempestiua institutione, industria, tempore denique perfeciſti, vt non sit mirum, si in eum virum euaseris, quem omnes præ virtute admirantur, obseruant, obsequuntur, & in hoc certè maiorum tuorum gloriam æmularis, qua ad Cœlum sibi viam muniuerunt. Sed hoc potissimùm seculo Excellentissimus Senator Hieronymus Foscarenus Patruus tuus floret, cuius affabilitas, & Sapientia admirabilis est, propterea Sapientis officio præclarè fungitur maiora quotidie adepturus, nam, vt docet Phil. sapientis est ordinare, & imperare cum sapientia, & potentia in idem tendant, vt ait Plato: Et sanè Corcyræ Supremi Prouisoris in hac temporum calamitate tam egregiè munus sustinuit, vt omnium cùm amorem, tùm admirationem conciliarit, quàm verò prudenter publicam rem tractarit, nemo est, qui nesciat. Verùm quid dicam de Illustrissimo, atq; Excellentissimo Senatore D. Joanne Foscareno Patruo tuo, qui in bello aduersùs Turcas tam strenuè se gessit, tam de Republ. benè meritus est, quàm quiuis alius? cuius mores, & clementiam omnes suspiciunt, propterea in nouos magistratus tanto cum applausu eligitur. Verùm quid quæris? me verba deficiant, si velim singula recensere. Ad te redeo Illustrissime Vir, qui Mineruam noscens à Poetis armis instructam effingi (scientiarum enim habitus concertationibus comparantur) elegantissimam instituisti Academiam, in qua præclarissimorum Virorum ingenia exercentur, in qua Pallas mirandum in modum excolitur, cui non modò præes multa dispendia præstans, verùm multò magis differendo, & orando Chorum exornas, & venerabili decoras aspectu

Non secus, ac Musis præstat præcentor Apollo.

Hi sunt porrò gradus, qui non modò ad summas dignitates, verùm ad Cœlum euehunt. Quum igitur nouerim, te magis scientiarum, quàm opum desiderio teneri, hunc librum inscribere, & nuncupare libitum est, in quo Variarum rerum momenta continentur, vt animus tuus, veluti oculus in Viridario, florum varietate capiatur. Accedat, labores meos tibi potissimùm deberi, non tam quòd me, meaque humanissimè semper tutatus sis, & promoueris, sed eo maximè nomine, quòd non sit cuiusq; lucubrationes meas iudicare, sed tui præsertim singularis ingenij. Suscipe igitur Clementissime Domine hoccę qualecumq; deuotionis monumentum, & perpetuæ obseruantiæ meæ mnemosynon, & me in ære tuo habere ne dedigneris. Vale. Idibus Februarij M. DC. LIII.

BENE-

BENEVOLO, ET SYNCERO LECTORI TYPOGRAPHVS.

ECce tibi, Candide Lector, Ioannis-Stephani Viri Clarissimi, & integerrimi opera omnia de integro impressa, quæ olim tamquam scopæ dissolutæ circumferebantur. In lucem prodeunt cultiore, & nitidiore specie compta, non vt seueris, & vultuosis Catonibus, & amusis probentur, sed vt vni, aut alteri Roscio arrideant, qui æquo animo imm ensos labores iuuandi studio susceptos admittet, atque laudabit, neque doctrinam ex intimo Philosophiæ, & Medicinæ penu promptam despectui habebit, quom maximè Veterum sententiam sapiat. Non ille arido, & barbaro, sed eleganti, & erudito styli modo lucubrationes suas edidit, vt Fernelium, & Riolanum prorsus æmulari videatur. Et sanè non iniuria ligneos Philosophos Hermolaus appellabat, qui doctrinæ succum eloquentia non condiunt. Huc accedunt decem Consiliorum Medicorum Decades, quæ fideli, & accurata methodo conscripta sunt, in quibus non tam remediorum copia, quàm singularis doctrina eluceſcit. Postremùm adiecta sunt carmina, quæ florente iuuenta non ea mente pepigit, vt inuulgarentur, sed vt genio satis suo faceret. In hoc autem imitari voluit Fracastorium Veronensem, qui Medicis, ac Philosophicis contemplationibus iocundiores Musas connexuit, veluti totius operis condimentum. Et quemadmodum ille Ifacidem Iosephum, ita Auctor noster Nephtalium Tobiam cecinit, vt ille Syphilidem, ita hic pestiferæ contagis Prophylacticen, denique vt ille Medicos, vt vocat Aristoteles, charientas, carmine prosequi, & exornare conatus est, sic iste carminum inscriptione Discipulis, & charioribus amicis meritum remetiri contendit, quibus non modò lepor, & venus, sed sua quoque subest vtilitas. Agnosce igitur, Lector integerrime, labores non fastus, non inanis gloriæ, sed tui iuuandi causſa susceptos: Applaude, & benè vale.

IOAN-

IOANNI STEPHANO

Philosophorum, & Medicorum Apici

Bernardus Colle S.P.D.

HOmo homini Deus, est paroemia ab antiquis admodum celebrata. Hinc Plinius inquit, Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac cælesti passu vadis Io. Stephane. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adscribant. Hinc Ouidius

Conueniens homini est hominem seruare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Et sanè qui mediocri beneficio iuuat, sit amicus, verum qui arte sua, singulariq; cura, atq; industria vitam iam fugientem retinet, ac restituit, id quod vtique facit Medicus, quid aliud est, quam Homini Deus? Nec sine ratione quidem inter maximos quondam habitus medicos Herophilus fertur dixisse medicamenta diuinum munus (seu potius opinor Deorum manus) esse: prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta vsu, experientiaq; probata. Immo Philo quidam Medicus pharmaca quædam summæ efficaciæ, quæ ipsemet concinnare solitus erat θεων χειρας appellabat, quòd non aliter ad sanitatem conferrent, quasi Dij ipsi manus suas ad curationem apposuissent: referente Pierio nostro in columba. Quinimmo idem asseruit in epistola ad Manardum Medici non modo cor, verum etiam manus ipsas eruditas esse oportere. Frustra enim esse disciplinam, & scientiam, nisi eam manus opere facto comprobaret. Magnum enim vt inquit Scribonius Largus, & supra hominis naturam duximus posse aliquem tueri, & recuperare suam, & vniuscuiusque bonam valetudinem. Quapropter Dijs, ait Plinius, inuentores suos assignauit, & cœlo dicauit Medicina. Nos verius Deo omnipotenti, & soli omnium authori, & conditori adscribimus, à quo omne donum optimum, perfectissimumq; velut patre luminum, & omnis gratiæ largissimo datore dimanauit. Sed suscepit vita hominum, & maiorum consuetudo, & communis æstimatio, vt eos fama, & voluntate in cælum tollerent, à quibus multa & splendida in homines beneficia extitissent. Ex quo fluxit Prouerbium, Homo homini Deus. Quod vel nunquam vel certe in Te locum habet maxime accõmodatum. Cum enim aliquando eò res erat deducta, vt ne ipsa quidem salus posset auxiliari; ibi tu ægris veluti præsens quoddam numen extitisti, & mira celeritate morbis depulsis in pristinum restituisti ipsos nec sperantes, neq; expectantes; nec satis est tibi quotidie malè valentibus medicinam facere, & seruare in inclita Venetiarum Vrbe, sed vis etiam externis vbiq; gentium, vbi latina excolitur lingua consilijs iuuare. Promis namq; & doces præsidia, quæ recto vsu corporis vitia propulsarunt, & scribis dignissima cedro, quæ non sentient cariem, sed inter æternas materias extabunt. Inde non solum viuentes, sed etiam posteri maximum fructum capient. Medici inquit Hipp. fama multi, sed opere valdè pauci. In paucorum numero ò Stephane sedes, quibus *de meliore luto finxit præcordia Titan*. Multi quidem Medici nostrorum temporum sunt, de quibus verè quis dixerit, multi thyrsigeri, pauci Bacchi, vel vt Varro de re rustica inquit, non omnes qui habent cytharam, sunt cytharœdi: & quod lepide scripsit Seneca quendam personam malle, quam faciem: faciem vocat, vbi quis talis videtur qualis est, personam, cum præferat aliquis quod non est, & ante ipsum Hippocrates huiusmodi Medicos assimilabat ijs, qui in tragœdijs introducuntur, quemadmodum illi figuram quidem, & habitum, & personam quas referunt, gerunt, illi ipsi autem reuera non sunt, sic &c. Huc alludit Adagium, Asinus apud Cumanos, de quo Themistius in oratione, qui exuuium gerebat. Et illud, *plures thrioboles, pauces est cernere vates.* Necnon istud, multi qui boues stimulant, pauci aratores: nam multi præseferunt, quod non sunt. Quid dicendum de illis, qui pangloſſia laborant? vnde eleganter Pindarus, vehementes garrulitate velut corui iusta clamant; verè Tibiæ Demadis, ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit. Hisce Menander sic respondet.

Garrulus ægroto Medicus si forte medetur,
Alter adest morbus, continuusq; dolor.

Vnde multi leuius esse ducunt ægrotare, quam Medicum perpeti impendio loquacem. Sunt enim quidam, quos nemo libenter adhibet conuiuio, qui nimium, & intempestiuitet Medici sint nihil habentes in ore, nisi paralyses apoplexias, epilepsias, totamque rationem Anatomiæ inter

pocula

pocula differunt, lautissimum etiam conuiuium vertentes in nauseam. Tu quidem eloquio præstas, non nugis languentes oneras, sed molli Suada, validisq; argumentis tibi homines obtemperantes reddis, vt quæ proponis auxilia, & iussa capessant. Pleriq; autem Medici eadem, quæ mali gubernatores in se admittunt, etenim illi cum in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiũt manifesti; cum verò deprehenderit ipsos ventus magnus, & tempestas, palam iam sunt conspicui omnibus, quòd ignorãtia, & culpa erroris sui nauim perdiderunt, inquit Hipp. lib. de Veteri Medicina. Tu autem velut prudens, & bonus gubernator celsa sedens in puppi clauum tenes, nauim humanæ valetudinis gubernas, atq; sicuti remigibus ille, sic Chirurgis, Pharmacopolis, alyptis, palæstritis, herbarijs, ophtalmicis, lithotomis, luxatorum repostoribus, odontagogis, & alijs medicinæ veluti Reginæ ministris imperas, officia partiris, pensa dictas, atq; assignas, & manu singula molientes animi diuinioris oculo dirigis, ac moderaris. Alios videas sordido, & humili loco natos, animo autem planè seruili bonorum fortunæ inopes, & egenos, sera iam & affecta ætate Medicinæ ludum ingressos, abblandientes lucri delitias (magna Artis ignominia) auidiùs captare, & quæstui cuicumque cupidiùs inhiare nimio pecuniæ studio illectos, & sui, & suæ professionis liberalissimę non parùm oblitos. In qua re admodum peccãt Paracelsistæ, genus hominum prauum & pernicioſum reliquo generi humano funestum, noui hæreses in medicina, qui dilacerant ægrorum opes, & suo illo celeberrime stybio plura hominũ millia quotannis perimunt, quàm olim Annibal ad Cannas, aut ad Trebiam, Thrasymenũ lacum contrucidauit. Tu morbos acerrimè propugnas, non mediusfidius tam pecuniæ, aut gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis scientia, & desiderio permotus adiuuandi indigentes, non ignorans nos non solùm nobis esse natos, sed patriæ, amicisq;. Neque enim, vt Satyricus ait, *vendis animam lucro*. Sed cum Seneca affirmas, diuitias maximas esse, non desiderare diuitias, cum ex oraculo, Is minimè egeat mortalis qui minimum cupit; & cum sit

Virtus illa quidem sibimet pulcherrima Merces.

Quis enim dubitet ex Cicerone in Paradoxis, quin in virtute diuitiæ positæ sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri, aut argenti pluris, quàm virtus (addo ex Socrate & Sapientiam) æstimanda est. Aliud est Medicorum genus, quod merito Gnathonicum potest appellari, assentatores scil. & serui, qui suauiter ægros ducunt ad Elisios mellitis verbis necem parant indulgentiores, quàm par sit, ita quidem vt quidquid hi expetant, ipsi præstent, damnantes, quod auersantur. arridentægrotanti dulcia, subscribunt. Acida placent, probant: Vocat quis, veniendum est. Eijcit, abeundum. Reuocat, redeundum, poscit, dandum. Minatur, extimescendum, Esurit, iusculum porrigendum. Sitit, poculum propinandum. Sudat, linteis detergendum: Micturit, matulam apponere oportet. Et alia faciunt, quæ dicere pudet. Ex huiusmodi officijs vberrimum quæstum aucupantur, quibus malè auguratur Vates.

Non habet euentus sordida præda bonos.

O vilia mancipia, ô seruum pecus siccine tractatis artem liberalem, ac planè diuinam, quæ Imperatoribus imperat? Me iudice essent ablegandi *vltra Garamantas, & Indos*. Istis quadrat illud Adagium, Homo homini lupus, & iure Galenus in Methodo, & ad Posthumum conqueritur, & vos pluribus conuitijs exagitat. Est *aliud genus hominum, qui esse se primos omnium rerum volunt, non sunt tamen*, ait Comicus, quos diuites, & opulenti viri minimè sapientes fouent, tutantur, gestant in sinu, ipsique adeo Hipp. Gal., aut Auic. anteponent rudes, & imperiti, rerum, & artium omnium ignari, sed & qui bonam sibi partem in eo iure arrogant Pharmacopolæ istos, & aleæ socios lucri forsan consortes, & participes suo præconio commendant, & reliquis omnibus Musarum alumnis, & Sapientiæ veris cultoribus præferendos pertinaciter contendunt, cum similes, vt aiunt, habeant labra lactucas: nec sane mirum, quia bonis illis, & peritis Asclepiadis rectè monentibus parere valetudinis causa, veluti vitæ præfectis, aut imperatoribus coguntur. At his mediculis fucatis, ineptis, vagulis audacter imperant ad nutus Dominorum paratissimis, atq; obsequentissimis. Nonnulli verò, si virtute duce, comite fortuna curatio benè cedat, tunc tanquam milites gloriosi se iactant (cupiditas honoris, gradus, ambitionis prædura est, imperiosaq; Domina quam vehemens) similes Menecrati illi Medico Syracusano, qui Æliano teste, nulla alia cum ægrotis mercede pacisci solebat, quàm vt huic se vitam debere profiterentur, & suum sibi Iouem sospitalem agnoscerent, salutarent, & venerarentur, & ipse tali se elogio prædicaret apud omnes Menecrates Iuppiter: cui haud illepidè Imperator resalutans ὑγιαίνειν optauit, quasi mente valere comprecatus. Istis D. Paulus Rom. 12. exprobrat. Quid habes, quod non acceperis? si autem accepisti, Quid gloriaris, quasi non acceperis? Quod tu sis, scias, te esse Dei gratia. Ea dixit ad remouendam omnem à nobis superbiam, aut arrogantiam, ad tollendum omnem personarum fastum deprimendamq; audaciam. Quidam autem, vt se constituant, extra omnem ingenij aleam eminentes animæ rationalis immortalitatem

talitatem negant, Dæmones non dari contra Euangelium affirmant, atq; ita in impium Atheismum incidunt. Gal. certè parum alioqui religiosè de Deo sentiens in exploranda humani corporis fabrica, vsq; adeò nihil temerè, aut fortuitò, sed singula prudenter, atq; artificiosè formata, atq; compacta animaduertens subinde subsistit, atq; hæret, diuinamq; Sapientiam, & prudentiam suspexit, admiratus est, atq; decantauit. Hipp. autem quàm multa fidei nostræ congruentia pronunciauit, Tu ò Stephane eleganter, & solidè ostendis in proprio tractatu. De animæ verò rationalis immortalitate disputationem olim edidisti, qua dubia penitus enodas, negantes exprobras, atq; confundis. Ecquis erit, qui istis Atheis suum corpus trucidandum exponat, animiq; domicilium diruendum, offerat? Si Deo non credunt, minus medicinæ. Nam vt ille ait.

Ni Deus adfuerit, vireſq; infuderit herbis,
Quid rogo, Dictamnus, quid Panacea iuuat?

A page ista infanda scelera, istos perditos homines, monstra execranda, quibus conuenit inuersa paræmia. Homo homini lupus. Tu pietatem exerces, quæ Dei noctio quædam existit, vt Trismegistus, ceu ter maximus Hermes definiebat, ex illa verò cognitione cultus demum consurgit, quem quidem ignorant planè omnes, qui veræ religionis sensum non habent, & iustitiæ solem non cernunt, sed vmbram potiùs inanem sectantur, quàm verum, & solidum corpus teneant. Quid enim ais, tam iustum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quàm Deum cognoscere vt parentem, venerari vt Dominum, eiusq; legi, & præceptis obtemperare? Quinimò non solùm asseris Medicum oportere curationem adhibere, sed etiam cum Valesio Dominum deprecari, vt dirigat opera sua; nec alios imitaris, quibus neminem docere in auctoritatem Scientiæ est, ait Plinius, sed libenter Tyrones, & Alumnos instruis absq; ostentatione artis, & portentosa scientiæ venditatione, doctrinamq; communicas, quia bonum eò præstabilius, quò pluribus attribuitur. Quando autem fessus, vel in visendis ægrotis, vel in grauioribus studijs ad manuetiores litteras animi gratia diuertis, carmina ita affabrè, pangis, quæ cũ Antiquis Vatibus sunt conferenda, & iure tibi cum Marone ea potes vendicare, cum canit.

Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ,
Quarum Sacra fero, ingenti perculſus amore
Accipiunt, Cœliq; vias, & ſydera monſtrant.

Bina igitur corona dignus es, prior est Ciuica, qua tot Ciuium vitam seruasti, & seruas cœlesti arte.

Namq; malis certa morbis ratione mederi,
Vix hominum credi poſſe videtur opus.
Sæpe ope præſenti fugientem ſiſtere vitam
Diuinæ partem conditionis habet.

Et sanè tamquam Cœlo emissus aduenis, cum mœstum consolaris, læsum curas, ægrum sanas, morbo laterali afflictum liberas, doloribus fractum refocillas, iacentem erigis, debilem roboras fame, & inedia languentem pascis, & satias, sitientem potas, & sedas, moribundum, & grabato affixum vendicas, & à faucibus Erebi vocas in vitam. O singularem homini ab homine opem conferendam, sine qua genus hoc mortalium neutiquam subsistere queat, aut sanè non nisi in miseria perpetuò, atq; angore contabescat. Altera Corona est laurea non illa quidem doctoralis, sed Delphica, qua Poetarum tempora ornabantur imo aurea, si merita tua respiciantur, vt victoriæ signum, quam ex tempore retulisti ob scripta æternos mansura per annos, in quibus vtile dulci miscuisti plenus doctrinæ, & eruditionis, atq; ex eorumdem lectione vberrimum fructum percipient omnes litterati suspicientes diuinum ingenium, & eiusdem monimenta ære magis perennia: Quapropter. *Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq. manebunt.* Vale Patriæ, & Musarum grande decus. Dat. Venet. Idib. Feb. M. DC. LIII.

IN

In Librum de Lege Hipp.

Quisquis auet medicæ summum tetigisse cacumen
Artis,& optatos obtinuisse modos,
Hoc petat,Hippocratisq; sacram percurrere legem
Ne abnuat,& dignum laude IOANNIS opus.

In Lib. de Structura Hominis Hipp.

Nemo sapit,nisi qui studuit nouisse σκευὴν
Structuramq; sui corporis edidicit.
Ergo qui propero cursu pertingere metam
Discupit hæc STEPHANI dogmata clara legat.

In Librum Ioannis Stephani Medici de morbis Virginum.

Virginibus paria,atq; Rosis sunt fata,virenti
E caule assurgit,fragrat odore Rosa,
Purpureos panditque sinus,dum veris honores
Aurora enutrit candida rore leui;
Lenibus atq; auris obtundit spicula prima
Ictibus obliquis Solis adacta manu.
Ast idem subuectus equis cum dissipat vmbras,
Et toto rutilans æthere adurit humum,
Quæ prius innato fuerat spectabilis ostro,
Pallidulo languet tincta colore rosa,
Et sibi vix similis,quam despicit alma iuuentus,
Proxima ab exortu funera mœsta videt.
Haud aliter Virgo primęuæ gaudia vitæ
Integra si teneat sospes,& incolumis.
Illa genis roseis,roseis spectanda labellis
Vix pede tangit humum,plena lepore viget.
Risus & ex oculis hilaris instillat,in vnda
Non secus ac radius prosiliente micat.
Vernat in ore iocus,demulcent aera voces,
Contracta in globulos mellea verba cadunt,
Blandior è pulchra facie diffunditur aura,
Frontis & in vico ludit Amor,Charites.
Ast si febrilis pueram iactauerit æstus,
Siue alio morbo sollicitata siet,
Labra,genæ,roseo non sunt spectanda rubore,
Non agili carpit sedulitate viam.
Tetrica pallidulos telluri figit ocellos,
Liquitur in lacrimas,tœdia lenta gemit:
Lingua silet,veluti patiens incommoda Brumæ
Conticuit volucris,nullus in ore iocus.
Langueſcit vultus,formæ qui amisit honores,
Frontis & in scena mortis imago sedet.
Hæc damna,has clades monstrare,& tollere doctis
Est STEPHANO scriptis nunc opus,atq; labor.
Florida fœminei dicantur tempora sexus.
Hactenus indignis exogitata modis.
Gloria iam rosei labriq;e,genæq;e perennet,
Sit lepida,atque leuis compta puella diu.
Et veluti in nitida fulget Sol aureus vnda,
Illi itidem risu pupula læta micet.
Floridulo,atq; hilari vernet sermone,canori
Non habeantur olor,non philomela magis.
Pectora iucundi aspectus demulceat aura,
In vultu affideat Gratia,regnet Amor.
Pierides. Vobis,si quas inuenit Apollo,
Gratę sunt artes,atq; aliena salus,
Nectite iã STEPHANO decus immortale corollæ,
E ferto hanc ornet laurea Phœbe tuo.
Hic pulsare chelym,& studia exercere medendi,
Atque tuas poterit Phœbe tenere vices.

In Lib.de Incolumitate diu seruanda.

Quî possis longè fœlicem degere vitam
Hi teneas claues Artis,& ingenium?
Te docet arcanos sensus ratione IOANNES,
Queis tutò vitæ stamina longa trahas.

In Lib.de conseruatione sanitatis. Aristotelis.

Si quis te incolumem reddat,Deus alter habetur,
Et merito effertur inter honore Viros.
At verò liber iste docet,quo ducere vitam
Ordine conueniat,sospes vt esse queas.

In Paraphrasim in nouem Fen Lib.3.Auicennæ.

Qui caput,& studio procurat Palladis Arcem
Seruare,ac puram mentis habere aciem.
Commenta excurrat docti lucubrata Ioannis,
Fine quidem optato non cadet ipse suo.

In Tyrinen.

Quæ latuit,prisciq; fuit vix cognita sæclis
Nunc patet,& coram ponitur ante oculos.
Discitæ naturam,vires discrimina,caussas,
Ludere si cupitis sæua pericla febris.

In Paraphrasim in Lib.4.Auic.de Feb.

Febris adest,timidæ discrimina mortis adesse
Nemo est,qui ignoret,corda quòd igne flagrent.
Si quis tutus amat discrimina pellere lethi,
Percurrat Stephani grande laboris opus.

In decem Decades Consiliorum.

En tibi opum,Medicæq; Artis numerosa supellex,
Quam tibi consilijs præbet amica manus.
Si sapis,ò Lector,tibi cordi dona Mineruæ,
Et fortunatæ præbia sortis erunt.

In Canologiam.

Cedite Priscorum solemnia dogmata Patrum
Et Stephano palmam tradere ne pudeat.
Ille scotomîam ratione innixus aperta
Communi apposuit sensui,& obtinuit.

In Cosmeticen.

Turpibus,& varijs maculantur sordibus ora,
Quæ speciem delent,ingenitumq; decus.
At docet egregiè Stephanus propellere nævos;
Et quidquid coram turpiter ora rigat.

In Symmixin.

Qui cupit informare animum virtutibus amplis
Et vario cultu, condere serta sibi.
Accedat, Stephaniq; graues, varioſq; labores
Delibet larga quos sibi tradit ope.

In libellum de Contagione.
Ἀνάγνωσις.

Intentent morbi licèt, & contagia corpuS
Ominibus benè respondentibus ipse leuabiT
Artis Apollineæ cultor celeberrimus atquE
Nusquam non laudandus; hic auspicis instar IoſePH
Non nil paginæ linguæ perterritus, atrA
Et fractus rabie, collisum ad naufraga NomeN
Saxa feret, surget postremùm ad sydera vectVS.

In Hippocraticam Theologiam.

Si Dictatoris pietatem noscere cordi est,
Et cum Christicolis quàm benè conueniat.
Huc pete, & egregij recolas monumenta Ioannis
Cernere sic poteris relligionis opus.

In lib. de Immortalitate humanæ Mentis.

De se si quisquam dúbitat, si aqua protinus hæret,
An immortalis mens sit, & astra petat.
Attentis oculis Stephani viridaria lustret,
Noscet cum Diuis esse perenne genus.
Anonymi.
Amoris, & obseruantiæ studio.

In laudem Clarissimi Viri Ioannis Stephani Medicinæ Doctoris.

Canora Præses cum Patre luminis
Haud segnis adsis: pande biuerticem,
Assume neruos, ac Ioannis
Gesta lyra cane laureata.
Dic eia clatum sanguine, moribus,
Virtute; dignas adsere crinibus
Laudum coronas, multiforme
Tolle decus melioris æui.
Laus prima Musis. iam puer Attica
Ab vsque cunis præmia præcipit;
Idem triumphantis Suadæ
Gloria, deliciæque Pindi.
Parens adultum materies sinu
Complexa formas detinet, & graui
Cura fatigat vis perennans
Casibus, interitura numquam
Res vnde promat, quouè alat vbere
Natura adaugens, quoue cadentia.
Humana fatali resoluat
Puluere, nunc vegetante vita.
Nunc morte inerti cuncta reciprocans;
Causas, & omnes versat originem.
Discrimen in formis, notamue
Dissimilem, propriamq; cernens.
Tenet Cleantem, quidquid & Artium
De fonte fluxit Sacratico, ebibit.
Maiorque discendo, Mineruam
Totam habet, ac studio resorbet.
Satis Sophorum callidus omnia,
Edura discit fata refriugere,
Arteſque Phœbæas, salubri
Consilio catus elaborat.
At quid? peritus deficit Arbiter
Cum disciplinis, ac Epidaurius,
Excelsa cum sublimioris
Mens Stephani volitare tendit.
Quid pergis vltra? fat sophe nobilis
Non vsitatis viribus iugeni.
Nil Delio, nil & Lycæis,
Lector air, superest docendum.
Cedant vetustò cum Podalyrio
Fraterna clari sæcla Machaonis:
Extollat Orbis, Fama iactet:
Nunc Stephanum sonet axis vnum,
Quid? enitenti cum manus Annulo
Fulsere? zonamq; induit auream?
Cum Laurea conspectum ad Vrbis
Emicuit redimita Virtus?
Tum doctus ordo ad sydera plausibus
Fert laureatum, vocis inania
Pars ora gestat, tanta doctum
Ingenium iuuenile cernens.
Exercet artem: Tracibus adfuit
Quos Foscareno cum Patre perspicit;
Ad noxios defendit ægris
Auxilio potiore morbos,
Vitæ reseruant, ingluuiem, & famem
Frustratus orci corpora diripit,
Quæ destinarat furua nigris
Manibus, & Libitina Diti.
Frustrà laborat Mercurius gregi
Compellere atro, quem bonus expedit
Per damna Fati, nec sororum
Fila citò patitur recidi.
Cura minori nec fauet Acedo
Ibique ludit sæpè Proserpinam,
Iniqua morborumque tundit,
Pæonijs operosus herbis.
Ioannis ardet quælibet Vrbs ope;
Adesse cunctis ac nequit; hinc edit
Artis volumen, vt vel absens
Lethiferos fuget ille morbos.
Ergo salubres sumite paginas,
Præbete plausus, quos alias Sopho
Dedistis, extollant perennes
Hæc Medici monimenta linguæ.
Antonij Blanchi Discipulo obseruantiæ ergò

Fauete linguis, qui igne scientiæ
Cæletis benè feruidi;
Fauete, nec vos decipiat schola
Magni falsa Diogenis.
Abite in vmbras Cimmerias procul,
Quos liuor premit æmulus:
Abite; vobis ferre pedem inuidis
Ad hæc limina non licet.
Nouem Sororum cautior agmine
Ictus despuit irritos.

Scit

Scit cum dolosis, & rudibus sibi
Pugnam instare procacious,
Qui deuoratis pulchra pudoribus
Gaudent dente lacessere.
Mendaculi nunc ite, superbuli,
Praui subdoli, ineptuli
Oppedit Auctor, valde nec æstuat
Musis fretus amantibus.

AD AVCTOREM Epigramma.

Non olim inuito Heraclei declepsit honores,
Atque dedit Coo fama perenne decus:
Extulit immeritum per sydera summa Galenum
Non ea, quæ Medica gloria ab arte venit:
Græcia iure canit multos, Panchaia multos
Phæbigenas docta sedulitate viros.
Nemo tamen facili tecum certare Camæna
Audeat ingenti prædite vir genio:
Non tibi sola fores aperit Medicina Ioannes,
Physica res patuit, cælica res patuit;
Te Musæ coluere, pater dilexit Apollo,
Teque salutari qui latet angue Deus:
Concinit Archiatron sic te, magnumq; Sophorum,
Prædicat ingentem Theologumq; liber.

Liuij de Comitibus Medici Doct.
& Authoris alumni.

AD LIBRVM Ode.

Liber ætherijs Hyperionis æque quadrigis,
Liber, astra pete,
Quà madet Eoo tellus circunflua ponto,
Quà madet occiduo,
Excipiende manu Latia, excipiende Pelasga,
Excipiende Syra:
Tergeminam quando Sophiam complecteris vnus,
Quamlibet vnus habes;
Quando tu Coi reseras penetralia Phœbi,
Et reseras Arabis;
Per te Romano Auicennas differit ore;
Te pius Hippocrates;
Tu Medicam princeps ostendis Theologiam,
Numine & esse pathos;
Æternam accipiunt animæ te vindice mentem;
Teque Tobia cluit;
Sic dum Naturæ, & Iatricæ Metaphysica iungis
Numina, Numen habe.

Eiusdem Liuij de Comitibus Med. Doct.

In celeberrimam PER-ILLVSTRIS VIRI, & Excellentissimi Medici Physici D. IOANNIS STEPHANI Gloriam apud Venetos opera mirè exercita notissimam toto Orbe Operibus in lucem editis peruagantem & ad Posteros plausibili Fama Peruenturam.

Antonij Blachi Medicinæ D. Discipuli Hypiriticum Carmen.

Nostra tibi celebres contexunt secla corollas;
ò Stephani, vt meritò nomen & acta petunt.
Doctrinæ quas spargis opes albestica *Merces*
Semper erunt, rodent tempora nulla Typos.
Quas deiu exerces curas, languentia curans
Corpora, num laudis *Præmia* habere decet?
Virtuti & sacrandus *Honos*, meritisq; parandi
Applausus, hominum queis benegesta micent.
Ast vbi qui digno fragilem conamine vitam
Fulserunt *Fastum* non habuere suum?
Mentibus imprimitur Beneagentum *Gloria*, eorũ
Fama solo claret conuolitura Polo.
Macte igitur, Stephani, viues per secula, viuent
Ingenij partus, mentis & altus honor
Pluribus equid opus? Te *Merces*, *Præmia*, *Honores*,
Applausus, *Fastus*, *Gloria*, *Fama* manent.

In Eiusdem EXCELLENTISSIMI VIRI Laudem Ode Tricolos Tetrastrophos Iscaleptica ad Musas Prædicti A.B.

Herois vnquam Fama superbiens
Si mouit almos Pieridum choros,
Vt texerent serta, & corollas,
Emeritas canerentq; laudes.
Illos coercet nunc Stephani nitor,
Vt digna spargant præmia gloriæ,
His nomen ornent, quòq; sparsit
Sol radios volet alta Virtus.
Huc & cieris Pindi colùm Pater,
Princepsq; Apollo nonne sequacium
Cura est tuorum, nonne Alumni
Tam celebris faueas honori?
Hortare Musas, vt modulamina
Insueta texant Sertaq; regia
Promptè eligant, ex his adaptent
Et capiti Stephani trophæum
Sublime cantet Calliope Decus
Vndq; dotes efferat ingeni
Virtute partas, hic Thalia
Famam operum modulis perornet.
Atque ad salutem corpoream Virùm
Impressit æri, tu venerabilis
Clio, graui pompa per Orbem
Fac volitent, referantq; Lauros.
Dum colligetis semina gloriæ,
Collecta deinceps exuperantia
Cœptum canendi tot triumphos,
Ne maculem, venerans relinquam.

ELOGIVM.

Resonant vndique,
Typis Edenda
Ioannis Stephani Excellentissimi Opera varia.
Perlege Lector
Insuper dicta.
Quæ Sparsa inuenies Medica Præsidia
Ad vsum serua.
Laborem operis noli contemnere.
Persæpe lege.
Inuenies etiam,
Pegasi riuulum in Latio fluere:
Criticus absit:
Consilia expende, hæc tibi proderunt.
Reliqua sileo.
Sed conor dicere
Hippocratis forsan quæris, Speculumq; Galeni?
In promptu lector Stephanus ecce tibi.

Humili, sed breui calami cursu. Mauritius Tiefchi Venetus Adolesc. Artium & Medicinæ Doctor; Deuotus nominis tanti Viri, quæ suprà sunt. D. D. D.

INDEX

INDEX CAPITVM

in Libro de Incolumitate.

De Aere. cap. 1. pag. 58
De cibo. 2. 59
de potu. 3. 62
de somno, & vigil. 4. 65
de motu, & quiete. 5. 67
de excretis, & retentis. 6. 69
de turbidis animi motibus. 7. 71

Index Capitum in Paraphrasi super nouem Fen Libri tertij Auic.

In Fen prima Tractatu primo.

de vtilitate capitis, & partibus eius. 1. 88

In Tractatu secundo.

De dolore cap. in vniuersali. 1. 89
de dolore cap. ex mala temperie. 2. ibid.
de speciebus doloris cap. ex solutione vnitatis. 3. 90
de speciebus doloris ex apostemate. 4. 91
de dolore cap. ex intemperie cum materia proueniente. 5. 91
de dolore cap. per consensum. 6. 91
de signis vniuersalibus ostendentibus speciem, & modos doloris. 7. 92
de signis affuturi doloris in aegritudinibus. 8. 93
Generalia praecepta in cap. dolore obseruanda. 9. 93
de dolore cap. Chronico. 10. 93
de calidi doloris citra materiam, & vnà cum materia curatione. 11. 94
de curatione doloris à frigore sincero, nec non ex materia phlegmatica, & melancholica. 12. 95
de administrandi ratione linimenta frigidae cephalalgiae conuenientia. 13. 96
de herbis, quae cap. à frigore laboranti succurrunt. 14. 96
de oleis, quibus cap. dolentes vti conuenit. 15. 96
de sicca Cephalalgiae curatione. 16. 96
de cap. cruciatu ex apostemate. 17. 97
de curatione Cephalalgiae ex obstructione. 18. 97
de Cephalalgiae curatione, quae statuum, vaporumque soboles est intestinorum, qui tum in cap. localem generationem habent, tùm ex stomacho in cap. efferuntur. 19. 97
De Cephalalgia ex ventis. 20. 97
de Cephalalgiae curatione ex nequissimis vaporibus extrinsecùs in caput elatis progenitae. 21. 98
De Cephalalgiae curatione ex gratis odoribus. 22. 98
de cephalalgiae curatione ex foedis odoribus. 23. 98
de Cephalalgiae curatione ex temeto. 24. 98
De Cephalalgiae curatione ex nimio coitu. 25. 99
de cephalalgiae curatione ex ictu, aut collisione, atque de ratione curandi eos, quibus alienatio, aut vulnus contigit. 26. 99
de Cephalalgiae curatione ex cap. promptissima aptitudine. 27. 100
de Cephalalgiae curatione ex acerrimo cerebri sensu. 28. 100
de Cephalalgiae curatione, quae feb. acutisq; passionibus accidit. 29. 100
de criticae Cephalalgiae curatione. 30. 100
de Cephalalgia ex vermibus. 31. 101
De Cephalalgia ex diuturno sopore. 32. 101
Methodus curandarum cephalalgiarum per sympathiam. 33. 101
de grauitate cap. curanda. 34. 102
de Cephalaea. 35. 102
de Cephalaeae cur. 36. 102
de Hemicrania. 37. 103
de Hemicraniae cur. 38. 103

Tractatus tertius.

De phrenitide generatim. 1. 104
de signis phrenitidis communibus. 2. 105
de specierum phrenitidis curatione. 3. 107
de cerebri phlegmone, seu sphacello. 4. 109
de cerebri erysipelate sacro. 5. 109
de serina phrenitide. 6. 109
de lethargo. 7. 109
de signis lethargi. 8. 110
de curatione lethargi. 9. 110
de Aq. intra cranium latitantibus. 10. 111
de apostematibus, & tumoribus extra caluam atq; de Hydrocephalo. 11. 111
de comate. 12. 112
de curatione comatis. 13. 112
de plaga, & incisione. 14. 113

Tractatus quartus.

De caro, & sopore. 1. 113
de signis Carotici affectus. 2. 115
de curatione subethiae, & alti soporis in feb. 3. 115
de vigilia, & pernigilio. 4. 116
de signis. 5. 116
de curatione. 6. 117
de internorum sensuum laesione. 7. 117
de sensus, & mentis alienatione. 8. 118
de signis mentis emotae. 9. ibid.
de curatione. 10. ibid.
de stoliditate, & amentia. 11. 119
de vitiata memoria. 12. ibid.
de signis. 13. 120
de curatione. 14. ibid.
de corrupta imaginatione. 15. ibid.
de mania. 16. 121
de vniuersalibus maniae signis, & de eius speciebus. 17. ibidem.
de maniae curatione. 18. 122
de melancholia morbo. 19. ibid.
de signis specierum. 20. 124
de melancholiae curatione. 21. 125
de lycantropia. 22. 127

de cu-

Index Capitum.

de curatione. 23. 128
de amore insano. 24. ibid.
de insani amoris curatione. 25. 129

Tractatus Quintus.

De vertigine. 1. 129
de signis. 2. 130
de vertiginis curatione. 3. 131
de vexitatione, & pandiculatione. 4. 132
de incubo. 5. ibid.
de signis. 6. ibid.
de curatione. 7. ibid.
de epilepsia. 8. ibid.
de signis specierum epilepsiæ. 9. 135
de caussis epilepsiam mouentibus. 10. 137
de curatione epilepsiæ. 11. ibid.
de apoplexia. 12. 140
de signis. 13. 141
de curatione. 14. ibid.

De Ægritudinibus neruorum. Tractatus Primus. Cap. 1. pag. 142

De paralysi. 2. 143
de signis. 3. 144
de curatione. 4. 145
de conuulsione. 5. 146
de signis. 6. 147
de curatione. 7. 148
de Tetano. 8. 150
de signis. 9. 151
de curatione. 10. ibid.
de tremore, & differentiarum signis. 11. 152
de curatione. 12. ibid.
de stupore. 13. ibid.
de signis, & curatione. 14. 153
de tortura faciei. 15. 153
de signis. 6. ibid.
de curatione. 17. 154
de subsultu, & palpitatione. 18. ibid.
de curatione. 19. 155

Fen Tertia de Dispositionibus oculorum.

Tractatus Primus.

De Anatome oculi. 1. 155
de cognitione dispositionum oculi, & eius temper. & sermone vniuersali de ægritudinibus eius. 2. 156
de signis dispositionum oculi. 3. 156
de Canonibus vniuersalibus curationum oculi. 4. 157
de his, quæ totum oculi conseruant, vel euertunt. 5. ibi.
de ophtalmia, & conturbatione. 6. 158
de signis. 7. 159
de curatione conturbationis. 8. ibid.
de communi ophtalmiæ differentiarum curatione, & cessione fluxuum ad oculum. 9. 160
de curatione ophtalmiæ calidæ colericæ, sanguineæ, erysipelaceæ. 10. 162
de frigidæ ophtalmiæ curatione. 11. ibid.
de clauo ωσι, seu magna lippitudine. 12. 163
de flatuosæ ophtalmiæ curatione. 13. ibid.
compendiosa medicaminum ophtalmicorum vsitatorum recensio. 14. ibid.

Tractatus secundus.

De phlictenis. 1. ibid.
de curatione. 2. 164
de vlceribus oculi, & corneæ. 3. ibid.
de signis. 4. ibid.
de curatione. 5. ibid.
de ruptura corneæ. 6. 165
de curatione. 7. ibid.
de pustula in oculo. 8. 166
de Hypopio. 9. ibid.
de cancro in oculo. 10. ibid.
de Ægylope, & lachrymalium apostemate, anchylopeue. 11. ibid.
de curatione. 12. ibid.
de enchantide, & Rhyade. 13. 167
de albugine. 14. 168
de sebel. 15. ibid.
de signis. 16. ibid.
de curatione. 17. ibid.
de pterygio, seu vngula. 18. 169
de curatione. 19. ibid.
de hypospbagmate, seu sugillatione. 20. 170
de curatione. 21. ibid.
de epiphora. 22. ibid.
de curatione. 23. ibid.
de strabismo. 24. 171
de curatione. 25. ibid.
de ecpiesmo, seu oculi exitu. 26. ibid.
de signis. 27. ibid.
de curatione. 28. 172
de oculorum profunditate, seu atrophia. 29. ibid.
de oculorum glaucedine. 30. ibid.
de curatione. 31. 173

Tractatus Tertius.

De pediculatione palpebrarum. 1. ibid.
de curatione. 2. ibid.
de silac, seu ptilωsi. 3. ibid.
de curatione. 4. ibid.
de sclerophtalmia, & xerophtalmia. 5. 174
de curatione. 6. ibid.
de palpebrarum crassitie. 7. ibid.
de palpebrarum inflatione, seu emphisemate. 8. ibid.
de palpebrarum grauitate. 9. ibid.
de ancyloblepharo, seu palpebrarum coalitu. 10. ibid.
de μυωσι. 11. ibid.
de lagophtalmo. 12. 175
de grandine, seu chalatio. 13. ibid.
de hordeolo. 4. ibid.
de curatione. 15. 175
de superiore palpebra morbosè impinguata Arbibus Asarnae dicta. 16. ibid.
de curatione. 17. ibid.
de Moro Arabib. Alchute. 18. 176
de palpebrarum lapidosa duritie. 19. ibid.
de palpebrarum vlceribus, & rupturis. 20. ibid.
de scabie, & pruritu, seu trachomate. 21. ibid.
de curatione. 22. ibid.
de palpebris tumentibus Arab. Alintisar. 23. 177
de signis. 24. ibid.
de curatione. 25. ibid.
de crebra palpitatione, nictationeq;. 26. ibid.

de Sa-

Index Capitum.

de Salycio, mylphosiue, seu pilorum decidentia. 27. ibidem.
de curatione. 28. ibid.
de pilis inuersis, & additis, tende distichiasi, & phalangosi. 29. 178
de trichiasi, seu pilis additis. 30. ibid.
de curatione. 31. ibid.
de palpebris vicissim hærentibus. 32. ibid.

Tractatus Quartus.

De debilitate visus, & eius noxa, seu ambliopia. cap. 1. 178
de signis. 2. 179
de curatione. 3. 180
de his, quæ visui sunt noxia. 4. 181
de Nyctalopia. 5. ibid.
de curatione. 6. ibid.
de Myopisi. 7. 182
de imaginibus. 8. ibid.
de signis. 9. ibid.
de curatione. 10. 183
de mydriasi. 11. 184
de curatione. 12. ibid.
de constrictione pupillæ. 13. 184
de curatione. 14. ibid.
de suffusione. 15. 185
de signis. 16. ibid.
de curatione. 17. 186
de abolita visione. 18. 187
de signis. 19. ibid.
de oculis splendorem refugientibus. 20. ibid.
de oculis nimio lumine læsis. 21. ibid.
de curatione. 22. 188

Fen Quarta.

Tractatus Vnicus.

De Auris Anatome. 1. 188
De conservanda aurium incolumitate. 2. ibid.
De auditus noxijs. 3. ibid.
De signis. 4. 189
de curatione. 5. ibid.
de auris acerbissimo sensu. 6. 190
de signis. 7. 191
de curatione. 8. ibid.
de tinnitu, sonitu, sibilo. 9. 192
de signis. 10. 193
de curatione. 11. ibid.
de curatione saniei, & vlcerum. 12. 194
de sanguinis eruptione. 13. ibid.
de curatione. 14. ibid.
de curatione surdium aures obturantium. 15. 195
de aurium obturamento. 16. ibid.
de curatione. 17. ibid.
de attritione, & percussione auris. 18. 196
de auris pruritu. 19. ibid.
de Aqua in aurem illapsa. 20. ibid.
de curatione. 21. ibid.
de ingressu Animalculorum in Aures, & de vermium in eisdem generatione. 22. ibid.
de curatione. 23. ibid.
de Parotidibus. 24. ibid.
de curatione. 25. 197
de Aure magnis exterrita vocibus. 26. ibid.

Fen Quinta.

De Nasi Anatome. 1. ibid.
de nasi ægritudinibus. 2. 198
de multiformi qualitate medicaminum, quæ in nasi passionibus vsurpantur. 3. ibid.
de noxijs odoratus. 4. ibid.
de signis. 5. ibid.
de curatione. 6. 199
de Hæmorrhagia narium. 7. ibid.
de curationibus. 8. ibid.
de curatione Hæmorrhagiæ. 9. 200
de prouocandæ hæmorrhagiæ studio. 10. 201
de coryza, & catarrho. 11. ibid.
de signis. 12. 202
de curatione. 13. ibid.

Tractatus Secundus.

De fœtore nasi. 1. 204
de curatione. 2. ibid.
de vlceribus nasi, quæ ozænæ dicuntur. 3. ibid.
de curatione ozenarum. 4. 205
de curatione vlcerum, quæ Paulus glycea vocat. 5. ibidem.
de interna ossium nasi obstructione. 6. ibid.
de signis. 7. ibid.
de curatione. 8. ibid.
de curatione morbi Chauan Arabibus dicti, quo & Equi sæpe tentantur. 9. 206
de contusione nasi. 10. ibid.
de polypis, & cancere nasi. 11. ibid.
de curatione. 12. ibid.
de sternutatione. 13. 207
de medicinis sternutamenta vetantibus. 14. 208
de sternutatorijs. 15. ibid.
de molestia, quam res in nares immissæ pariunt. 16. ibidem.
de nasi ariditate. 17. ibid.
de nasi pruritu. 18. ibid.

Fen Sexta.

De Anatome oris, & linguæ. 1. 208
de ægritudinibus linguæ. 2. 209
de curationibus linguæ. 3. ibid.
de vitiato gustu. 4. ibid.
de curatione. 5. 210
de linguæ resolutione grauitate locutionis impedimento. 6. ibid.
de curatione 7. ibid.
de linguæ conuulsione. 8. 211
de curatione. 9. ibid.
de magnitudine linguæ. 10. ibid.
de curatione. 11. ibid.
de linguæ breuitate. 12. ibid.
de curatione. 13. ibid.
de apostemate linguæ. 14. ibid.
de curatione. 15. ibid.
de Balbutie, &c. 16. 212
de ranula, seu batrachio. 17. ibid.

de cu-

Index Capitum.

de curatione.18. ibid.
de ariditate linguæ.19. ibid.
de linguæ scissurarum curatione.20. 213
de linguæ emissione.21. ibid.
de oris pustulis.22. ibid.
de aphtis,& malignis oris vlceribus.23. ibid.
de curatione.24. ibid.
de ptyelismo,& multitudine sputi.25. 214
de curatione.26. ibid.
de remouendo abominabili odore a pastu.27. ibid.
de sanguinis sereatu ex ore.28. ibid.
De oris fœtore.29. ibid.
de curatione.30. 215
de oris hiatu.31. ibid.

Fen Septima.

Tractatus Vnicus.

De Dentibus.1. 215
de conseruatione dentium.2. 216
de dentibus generatim.3. ibid.
de dolore dentium.4. 217
de signis.5. ibid.
de curatione.6. 218
de medicamentis resoluentibus.7. ibid.
de stupefacientibus.8. 219
de mobilitate dentium.9. ibid.
de curatione.10. ibid.
de perforatis dentibus.11. 220
de dentium fractura.12. ibid.
de curatione.13. ibid.
de mutato dentium colore.14. ibid.
de curatione.15. ibid.
de facilitanda dentium origine.16. 221
de ratione dentium euellendorum.17. ibid.
de corrosi dentis fractura.18. ibid.
de vermibus dentium.19. ibid.
de causis stridoris dentium.20. ibid.
de curatione.21. 222
de dente exorbitante.22. ibid.
de emodia,siue dentium stupore.23. ibid.
de curatione.24. ibid.
de Ebet,seu infirmitate dentium.25. ibid.
de imbecillitatis dentium curat.26. ibid.

Fen Octaua.

De ægritudinibus gingiuarum.1. ibid.
de curatione.2. ibid.
de cruenta gingiua.3. 223
de gingiuarum fissuris.4. 223
de corrosione, vlceribus, ac fistulis gingiuarum.5. ibidem.
de curatione.6. ibid.
de fœtore gingiuæ,& eius curat.7. ibid.
de gingiuæ diminutione,atque curatione.8. ibid.
de curatione flaccidæ,mollisq; gingiuæ.9. 224
de epulidæ.10. ibid.
de labijs,eorumque ægritudinis.11. ibid.
de fissuris labiorum.12. ibid.
de curatione.13. ibid.
de Apostemate,& vlcere labiorum.14. ibid.
de labijs sanguine manantibus.15. ibid.
de tremore labiorum.16. ibid.

Fen Nona.

De gutturis anatome.1. 225
de affectibus gutturis membrorum.2. ibid.
de spinis congeneisque acutulis gutturi infixis.3. ibid.
de hyrundinibus gutturi hærentibus.4. ibid.
de signis.5. ibid.
de curatione.6. ibid.
de suffocante angina.7. 226
De signis.8. 227
de catholicis curationibus apostematum, quæ partes faucium angunt.9. 228
de præfocationum ex quacumque causa methodica curatione.10. 229
de Vua,& ambabus amygdalis.11. 231
de columella,seu de relaxata,deciduaq; vua.12. 232
de curatione.13. ibid.
Sermo particularis de incisione vuæ, & amygdalarum.14. ibid.
Noxæ sectionem sequentes.15. 233
de curatione hæmorrhagiæ.16. ibid.

INDEX CAPITVLORVM in Paraphrasi super Fen Primam lib. Quarti Auic. de Febribus.

De Definitione,& generibus feb.1. 242
de corporibus dispositis ad feb.2. 243
de feb.temporibus.3. ibid.
de dignoscendis generatim morborum temporibus, maximè verò statu.4. 244
Generatim de feb.Ephemeris.5. 245
de signis Ephemerarum proprijs.6. ibid.
de Ephemerarum permutatione.7. 246
de signis Ephemeræ in alias species iam permutate.8. ibid.
de generali feb.Ephemerarum curatione.9. ibid.
de speciebus Ephemeræ.10. 247
de ephemera ex animi ægritudine.11. ibid.
de ephemera ex ira.12. ibid.
de ephemera ex vigilijs.13. ibid.
de ephem.ex somno,& otio.14. ibid.
de ephem.ex gaudio.15. ibid.
de ephem.ex timore.16. ibid.
de ephem.ex labore.17. ibid.
de ephem.ex euacuatione.18. 248
de ephem.ex dolore.19. ibid.
de ephemera ex syncope.20. ibid.
de ephem.ex fame,& siti.21. ibid.
de ephem.ex oppilatione.22. ibid.
de ephem.ex repletione,& saturitate vsque ad nauseam.23. 249
de ephem.ex apostemate.24. 250
de ephem.ex siccitate,& asperitate.25. ibid.
de ephem.ex æstu.26. ibid.
de ephem.ex cutis densitate à frigoris, aut gelidæ aquæ occursu.27. 251
de ephem.ex vino.28. ibid.
de ephem.ex alimentis calfacientibus.29. ibid.

Index Capitum.

Tractatus Secundus.

De feb.putridis in vniuersum. 1. 251
de signis feb.putridarum in genere. 2. 253
de signis feb.continuæ. 3. 254
de consensu,& dissensu febrium inter se.4. ibid.
de significationibus sympt.febrium. 5. ibid.
de rigore,horrore,frigore,lassitudine.6. 255
de generalibus feb.putridæ curandæ scopis.7. ibid.
de victu febricitantium generatim.8. 259
de methodo propinandi Aquam, & ptisanam hordei, & syrupum acetosum.9. 261
de curationibus feb.acutarum. 10. 262
de symptomatum censu,quæ languentes in feb. incessere consueuerunt.11. 263
de rigoris, & horroris immodestia compescenda.12. ibid.
de oleo mirum in modum laudando aduersùs rigorem, & frigus. 13. ibid.
de superuacuo sudore compescendo.14. 264
de hæmorrhagia compescenda.15. ibid.
de immodica vomitione temperanda. 16. ibid.
de regendo alui fluxu immodico.17. ibid.
de siti leniendæ. 18. ibid.
ce sopore alto.19. ibid.
de cap.grauitate.20. 265
de vigilijs exeedentibus. 21. ibid.
de dolore ventris.22. ibid.
de linguæ asperitate,& viseiditate.23. ibid.
de molestia,indesinentiq; sternutatione. 24. ibid.
de dolore cap.25. ibid.
de tussi febricitantium. 26. ibid.
de Anorexia.27. ibid.
de bulimia notha.28. 266
de nigredine linguæ.29. ibid.
de appetitu canino. 30. ibid.
de syncope.31. ibid.
de Anhelitus difficultate.32. ibid.
de vehementi anxietate.33. ibid.
de deglutitionis difficultate.34. ibid.
de extremorum artuum frigore.35. ibid.
de febribus cholericis.36. 267
de tertiana absolutè,quæ dicitur Tritæus. 37. ibid.
de discrimine puræ,impuræq; tertianæ. 38. ibid.
de tertianæ perenni.39. 268
de curatione tertianæ puræ.40. ibid.
de curatione tertianæ nothæ.41. 269
de causone feb.42. 270
de signis.43. ibid.
de curatione.44. ibid.
de feb.sanguineæ.45. 271
de signis. 46. 272
de curatione.47. ibid.
de feb.phlegmatica.48. 273
de signis phlegmaticæ periodicæ.49. ibid.
de signis phlegmaticæ continuæ,quæ latica dicitur. 50. 274
de feb.Epiala.51. ibid.
de feb lypiria.52. ibid.
de implexu Epialæ,& lypiriæ.53. 275
de feb.syncopali humorosa.54. ibid.
de feb.syncopali minuta.55. ibid.
de feb.diurna,& nocturna phlegmaticis. 56. 276
de feb.phlegmaticæ curatione.57. 276
de feb.laticæ curatione.58. 278
de Epialæ,& lypiriæ curatione.59. ibid.
de feb.syncopalis humoristicæ curatione.60. ibid.
de feb.syncopalis minutæ curatione.61. 279
de Quartana periodica.62. ibid.
de signis quartanæ feb.63. ibid.
de curatione Quartanæ.64. 280
de cibo Quartana laborantibus conuenienti. 65. 282
de Quartanæ continuæ curatione.66. ibid.
de feb.sextana,septimana,& similibus. 67. ibid.
de curatione.68. 283

Tractatus Tertius.

De feb.hectica.1. 283
de signis hecticæ.2. 284
de signis Marasmi.3. ibid.
de curatione feb.hecticæ.4. ibid.
repetuntur refrigerantia, quæ Hecticis conueniunt. 5. 285
repetuntur quædam humectantia. 6. ibid.
de cibo Hecticorum.7. 286
de summouendis symptomatis,quæ hecticæ occurrũt.8. 286
de hectica senectutis.9. ibid.
de curatione hecticæ senectutis. 10. 287

Tractatus Quartus.

De febribus pestilentibus.1. 287
de signis feb.pestil.2. ibid.
de signis pestilentiæ.3. 288
de feb.pestilentium curatione.4. ibid.
de pestis curatione.5. 289
de Variolis.6. ibid.
de futurarum variolarum indicijs.7. 290
de morbillis.8. ibid.
de signis salutis,aut mortis.9. ibid.
de curatione Variolarum.10. ibid.
vt membra quædam ab insultu Variolarum, & morbillorum præseruentur. 11. 292
de Variolarum extirpandis vestigijs, vibicibusq; 12. ibid.
de febribus apostemata sequentibus. 13. 293
de signis, & iudicijs Apostematicarum feb. 14. ibid.
de curatione feb.Apostematicarum.15. 294
de dispositionibus feb.compositarum. 16. ibid.
de Hemitritæo.17. ibid.
de signis hemitritæi. 18. 295
de curatione Hemitritæi.19. ibid.
de recidiua.20. 296

Index Consiliorum.

DECAS PRIMA Consiliorum.

Consilium Primum.

Pro Maniaco hemianthropo Acedicola. 297
consilium 2. pro Vestali Virgine è melancholia in maniam incidente. 299
consilium 3. pro Reuerendissimo Præsule atra bile correpto. 301
consilium 4. pro Virgine Vestali varijs symptomatis correpta. 302
consilium 5. pro muliere melancholica. 303
consilium 6. pro Mercatore funiuendulo fatuitate implicato. 304
consilium 7. pro Illustrissimo Præsule cap. dolore laborante. 305
consilium 8. pro eodem priuigilio laborante. ibid.
consilium 9. pro Piaculari Sacerdote paralysi secundum manus laborante. 306
consilium 10. pro viro paralysi correpto. ibid.

DECAS SECVNDA Consiliorum.

Consilium 1. pro Vincentio Mammareno Veteramentario paralysi correpto. 307
consilium 2. pro puero Cadubricola epileptico. 308
consilium 3. pro Viro quadragenario spasmo Cynico, & balbutie laborante. 309
consilium 4. pro Reuerendissimo Archipresbytero obtutu oculorum aere laborante. 310
consilium 5. pro muliere nobili oculorum lachrymatione, ectropio, & suffusione correpta. 311
consilium 6. pro Nobili Adolescente aurium vlcere laborante. 312
consilium 7. pro quodam vertiginoso, & spasmo non proportionato ad materiam in toto thorace laborante cum odoratus amissione, & pedum tumore. 314
consilium 8. pro Viro Acedicola catarrhis obnoxio. ibid.
consilium 9. pro quodam nobili Iuuene falsa destillatione, & Hypochondriaca melancholia implicato. 315
consilium 10. pro Viro Polono spirandi difficultate laborante. 317

DECAS TERTIA Consiliorum.

Consilium 1. pro Viro Illustrissimo vulpina tussi, & macie laborante. 319
consilium 2. pro quodam Ciue Veneto seniore catarrhis obnoxio. 320
consilium 3. pro quodam viro falsa destillatione correpto. ibid.
consilium 4. pro monacho lignipede archimandrita, rheumate laborante, & pedum tumore. 321
consilium 5. pro Viro nobili tabido ex catarrho. 322
consilium 6. pro Puella Hæmoptoica. 323
consilium 7. pro Aurifice pleuritico. 324
consilium 8. pro Canonico broncocele, & sputo sanguinis molestato. ibid.
consilium 9. pro Piacolari sacrificulo triparco ventriculi imbecillitate, & vigilijs infestato. 326
consilium 10. pro Illustrissimo Senatore ventriculi imbecillitate, & renum dolore affecto. 327

DECAS QVARTA Consiliorum.

Consilium 1. pro quodam nobili adolescenti Cardiogmo, & destillatione affecto. 328
consilium 2. pro Aurifice torminibus singulis diebus post digestionem correpto. 329
consilium 3. pro Illustrissimo Senatore arenulis infestato. 330
consilium 4. pro Illustrissimo, atque Excellentissimo Procuratore catarrho, hernia, & sterilitate laborante. 331
consilium 5. pro Eupatrida Veneto tenesmo, & stercoraria mictione laborante. 333
consilium 6. pro quodam Canonico verendum ganglio implicitum habente. 334
consilium 7. Pro Excellentissimo Senatore vrinæ stillicidio laborante ad Patauinos Doctores. 335
consilium 8. pro Sacerdote subtillo feb. putrida, arthritide, nephritideque, & cruenta laborante mictione. ibid.
consilium 9. pro Illustrissimo Viro gonyalgia, & tibiæ cruciatu laborante. 336
consilium 10. pro Petro Bortoia Acedicola legum Doctore pedis dextri tumore ex Parentum vitio laborante. 337

DECAS QVINTA Consiliorum.

Consilium 1. pro admodum R. Canonico Rubini, dolore renum, humeri stupore, ventriculi imbecillitate, hypochondriaca affectione cum hæmorrhoidum suppressione laborante. 338
consilium 2. pro Vestali Virgine Hydrope implicita. 339
pro quadam licnoso. 340
consilium 3. pro quodam Mercatore torminibus affecto. ibid.
consilium 4. pro Vestali Virgine doloribus, & feb. infestata. ibid.
consilium 5. pro muliere hystericis passionibus, & strāguriis opportuna. 342
consilium 6. Pro Heroina albo vteri fluore implicita. ibid.
consilium 7. pro Heroide ad hystericam passionem. 343 343
consilium 8. pro Muliere Belga vlcere matricis, lue gallica, feb. putrida, & hetica, & doloribus secundum totum corpus laborante. 344
consilium 9. pro Iuuene Scabioto. ibid.
consilium 10. pro Viro studiosissimo Acedicola atrabile correpto. 345

DE-

Index Consiliorum.

DECAS SEXTA Consiliorum.

Consilium 1. pro Illustrissimo Senatore flatulenta melancholia detento cum siti, vigilijs, & lassitudine 347
Consilium 2. pro Virgine hystericis passionibus obnoxia. ibid.
Consilium 3. pro R. Monacho lignipede religione spectatissimo ad pigram aluum. ibid.
Consilium 4. pro Viro melancholico. 348
Consilium 5. pro Illustrissimo, & Excellentissimo Senatore Zacharia Sagredo suffusione laborante. 348
Consilium 6. pro egregio, & spectatæ virtutis Medico Antonio Blanco Discipulo studiosissimo feb. duplici tertiana maligna implicito. 351
Consilium 7. ad Excellentissimum Senatorem iter per mare acturum. ibid.
Consilium 8. pro Illustrissima fœmina sexagenaria torminibus molestata. ibid.
Consilium 9. pro Vestali Virgine sexagenaria, nephriticis doloribus, hystericisq; passionibus identidem vexata. 352
Consilium 10. pro quodam fabro variis symptomatis affecto. 353

DECAS SEPTIMA Consiliorum.

Consilium 1. pro Illustrissima fœmina anhelandi difficultate, hypochondriaca melancholia, & articulari dolore infestata. 355
consilium 2. pro nobili Viro gallicano dolore lacessito. ibidem.
consilium 3. pro nobili Viro Scipione Doleonio lienis tumore, pedum œdemate, lenta feb. orthopnœaq; laborante. 356
Consilium 4. pro Puella quinquenni cuiusdam Aurificis filia apud eadem D. Pantaleonis tabescente. 359
Consilium 5. pro muliere gallica ophtalmia correpta. ibidem.
consilium 6. pro Viro quadragenario malo habitu detento. 360
consilium 7. pro Illustrissima Virgine sacra hystericis affectibus obnoxia. ibid.
consilium 8. pro Senatore strangurijs affecto. 361
consilium 9. pro eodem præclarissimo Senatore. 362
consilium 10. pro Virgine phtysica ex destillatione. 363

DECAS OCTAVA Consiliorum.

Consilium 1. pro muliere tabida ex catarrho cum feb. putrida. 364
consilium 2. pro Vetula nobili gibbera lenta feb. cum renum dolore correpta. 365
consilium 3. Excellentissimis, atq; Præclarissimis Medicinæ Professoribus Ioanni Collæ, & Ioanni Præuotio Ioannes Stephanus Cenetæ Archiater fælicitatem. Historia feb. quæ anno M. DC. XXIX. Cenetenses populariter infestabant. 366
consilium 4. pro mystagogo feb. malè morigerata, & Cardialgia laborante. 367
consilium 5. pro Viro præclaro Tarusino maligna feb. laborante. 369
consilium 6. pro Illustrissimo Episcopo Quartana feb. laborante. 370
consilium 7. pro Vestali Virgine pleuritide correpta. 371
consilium 8. pro quodam Iurisperito Bellunensi vlcere recrudescente infestato. 372
consilium 9. pro Fabro librario morbo regio laborante. ibid.
consilium 10. pro quodam picatæ mercis ministro tenesmo molestato. 373

DECAS NONA Consiliorum.

Consilium 1. pro Illustrissima Virgine inchoante dysenteria cum feb. implicita. 374
consilium 2. pro Gallo quadragenario melancholia flatulenta tentato. 375
consilium 3. pro Nobili quadam iuuene icteritis insigni obstructione lienis duritie non sine dolore, pedum tumore œdematoso vteri frigida, humidaq; intemperie laborante cum plurima seri copia. 376
consilium 4. pro scorto vteri dolore, tumore, & feb. continua lacessito. 377
consilium 5. pro muliere quinquagenaria cruenta mictione laborante. 378
consilium 6. pro viro Nauta Gallo feb. malè morigerata cum exanthematis correpto. ibid.
consilium 7. pro quodam Monacho Inquisitore Pleuritide maligna laborante. 379
consilium 8. pro Viro Comitiali, Sonticoque morbo laborante. 380
consilium 9. pro Paulo Veneto in Nosocomio SS. Petri, & Pauli Priore asthmate, œdematode pedum tumore, queis supervenit Erysipelas putre, & feb. laborante. 381
consilium 10. pro Patritio Veneto febricitante somnolento torpore delirio, & memoriæ defectu correpto. 382
ad vteri pruritum. ibid.

DECAS DECIMA. Consiliorum.

Consilium 1. pro Illustrissimo Comite Lue Gallica infecto. 383
consilium 2. pro Comite feb. continua, & molestissimo catarrho laborante. 384
consilium 3. pro formosa Heroide hypochondriaca melancholia laborante. 386
consilium 4. pro Monacho lignipede graui auditu, seu surdipne laborante. 387
consilium 5. pro Viro quinquagenario epileptico ad egregium Philosophum, & Medicum Soterà Danielem Maccarinum optimis moribus ornatum. 388
consilium 6. pro Sutore quodam lenta feb. necnon præcordiorum multigenis oppressionibus laborante, cum multa flatuum copia, & anhelitus difficultate. 391
consilium 7. pro quodam Viro quartana laborante

eum lienis, & pedum tumore. 392
consilium 8. pro puero Ischiadico dolore laborante. 393
consilium 9. pro Puero biliosa diarrhœa correpto. 394
consilium 10. pro Muliere abortiente ad excellentissimum Cæsarem Brunellum Chyum. 395

INDEX CAPITVM quæ in Symmixi continentur.

Epist. 1. ad Hippolytum Obicium. Reijcitur Sanctorij, atque Obicij de amore sententia. 411
epist. 2. Obicius opinionem suam de amore validis rationibus tuetur. 412
epist. 3. Obicij sententia de Amore penitus reijcitur. 413
epist. 4. Laurens Ragozius captata occasione ad mutuæ scriptionis exercitium inuitat. 415
epist. 5. Ragozius probat sententiam de amore, suamq; de Philtris reponit. ibid.
epist. 6. Quæritur, num Dæmonis vi fœmina cogi possit in alicuius amorem. 416
epist. 7. respondetur dubijs. ibid.
epist. 8. dubijs, quæ desiderantur. Ragozius respondet. &c. 417
epist. 9. Ragozius difficultates proponit diluendas. 419
epist. 10. Ragozius diluit quosdam propositas difficultates. 420
epist. 11. multæ difficultates à Ragozio soluuntur.
epist. 12. Proponuntur difficultates de pestilente feb. 423
epist. 13. difficultates diluuntur. ibid.
epist. 14. respondetur à Ragozio feb. verè pestilentes ab interna causa sine aere fieri non posse. 423
epist. 15. Paradoxon de Rhacomate proponitur à Ragozio. 424
epist. 16. afferuntur dubitationes de recensione dierum criticorum in recidiuis, & numquid purgans pharmacum si fine suo frustretur, in humorem purgandum facessat. ibid.
epist. 17. Respondetur à Ragozio propositis difficultatibus. 425
epist. 18. Reijciuntur responsa. 426
epist. 19. Dubia eadem soluuntur. ibid.
epist. 20. Ragozius proponit difficultates circa Aphor. 56. sect. 7. 427
epist. 21. Dubia exponuntur. ibid.
epist. 22. Ad Laurentium Ragozium. An Arthenicum pestis tempore tutum sit sub alis gerere. Quonam argentum viuum sit temperamento præditum materia in feb. putridarũ statu concoqui, non esse omnino concoctam, symptomatum, & coctionis tempore non coincidere. 428.
Epist. 23. Respondetur à Ragozio argumentis propositis superiore epistola. 429
epist. 24. Proponuntur difficultates de actione Pharmacorum in humanum corpus. 430
epist. 25. Nouæ difficultates in medium feruntur. Cur Augundi Aq. clara, illimis, calida hyeme frigida, æstate collecta in vrceo sequihoræ spatio turbida, euadat & putris. 431
epist. 26. Conciliatur sibi Hipp. sanguinem modò prudentiæ modò stoliditatis authorem esse asserens. Quomodo suffusione laborantes videant spectra intra oculos, declaratur. 431
epist. 27. Ragozius hortatur, vt Musis placidioribus operam det Auctor. 432
epist. 28. Ad Vincentium Vonigum. Dubia proponuntur de deliriorum speciebus: Non posse phantasiam deprauari incolumi ratione, neq; hanc vitiari illæsa imaginatione. 433
epist. 29. Ad Franciscum Mistrucium. Dubijs quibusdam quæ continentur in lib. de structura Hominis, respondetur, & veritas retegitur nouis argumentorum momentis. 434
epist. 30. ad Franciscum Mistrucium. Redargutiones rationum pondere recuduntur, refelluntur que. 435
epist. 31. ad Bernardum Colle. Quod contrarium agat in subiectum contrarij aduersùs Sanctorum. 437
epist. 32. ad Michaelem Angelum Rotam. Diluuntur quædam dubia aduersùs tractatum de Vertigine obiecta, statuitque Vertiginem non oculorum, sed communis sensus esse passionem. 438
epist. 33. ad Ioannem Stephanum. Dubia proponuntur varia de Purgatione, nec minùs de sanguinis missione in feb. pestiferis. ibid.
epist. 34. ad Hieronymum Cortæum. Dubia obiter diluuntur. Citra orgasmum aliquando minuens pharmacum in principio morborum esse necessarium. Sanguinem in feb. pestiferis esse mittendum, si communes scopi præsto sint. 439
De mittendi sanguinis loco in mensium suppressione decernitur præsente plethora. Saluatella aliquando basylicæ sufficitur. 440
epist. 35. ad Hieronymum Cortæum. De Veris temperamento Quæstiuncula diluitur. 441
epist. 36. ad Io: Stephanum. 442
epist. 37. ad Hieronymum Cortæum. ibid.
epist. 38. ad Io: Stephanum. ibid.
epist. 39. ad Hieronymum Marchium. Remedium aduersùs veneficia proponitur efficax. 443
epist. 40. ad Hippolytum Pelliciam. De attractione Pharmacorum Quæstiuncula. 444
epist. 41. ad Io. Stephanum. Dubijs quibusdam propositis respondetur, scil. de attractione pharmacorum peculiari. ibid.
epist. 42. ad Hippolytum Pelliciam. Responsa improbantur argumentis. 445
epist. 43. ad Ioannem Stephanum. Dubia de recensione dierum criticorum in Puerpera. 446
epist. 44. ad Hyacinthum Casonum in Zumellensi Comitatu Vicarium. ibid.
epist. 45. ad Franciscum Rhodiæum. 447
epist. 46. ad Io: Stephanum. 448
epist. 47. ad Bernardum Colle. De quodam signo mortifero. 449
epist. 48. ad Io. Colle. 450
epist. 49. ad Valerium Martinium. Fieri non posse, vt mulier fœtum Felis capite præditum ediderit. ibid.
epist. 50. ad Bernardum Colle. Cur Palmæ Vespiliones quidam inter humandum cadauer repentè diem obierunt. ibid.
epist. 51. ad Bernardum Colle. Quæritur, numquid cadauera peste infecta tutum sit attrectare. 451

epist.

Index Capitum.

epist.52.ad Io: Baptistam Marchinum. Quomodo Farmacorum vires in Aq.olea,& cineres distribuantur. ibidem.
epist.53.ad Io:Baptistam Rotam. De Vesicantibus, & Hydroticis. 452
epist.54. ad Michaelem Angelum Rotam. Dari occultas proprietates, probatur calculi, & conuulsionum aliam esse causam ob ea,quæ vulgo putatur. 453
epist.55.ad Io: Stephanum. 454
epist.56.ad Bartholomæum Stephanum. Chymicæ Artis professores nulla hæreseos suspicione teneri. 455
epist.57. ad Michaelem Angelum Rotam. Quòd Guaiacina decoctio syncera sit propinanda ad luem veneream extirpandam. 456
epist.58.ad Bernardum Colle. Quòd morbus prior sit sanitate. 457
epist.59. ad Antonium Piccolum. De Thermis Cenetensibus. ibid.
epist.60. ad Io: Baptistam Rotam. Cur partus octimestris non sit vitalis. 458
epist.61. ad Io: Baptistam Rotam. Quòd Facultates principes in cerebro,non in corde resideant. ibid.
epist.62. ad Nicolaum Stephanum Filium. Præcepta ad memoriam. 459

INDEX CAPITVM in Cosmetice.

Ad Caniciem retardandam. 459
ad tollendam canitudinem,ex metu,mœrore,cutis ægris erumpentem. ibid.
ad Alopecias,& capillorum defluuium. 460
ad Alopeciam ex lue gallica. ibid.
ad barbam segniùs erumpentem. ibid.
ad lentigines. ibid.
Ad vniuersas faciei maculas delendas, & decorem conciliandam. ibid.
ad varos,seu ionthos. ibid.
ad faciem flammeam,sicis conspersam. ibid.
ad rubram vitiliginem. ibid.
ad faciei rubedinem. 461
ad ephelidas. ibid.
ad vitiliginem. ibid.
ad pustulas. ibid.
ad impetiginem,siue lichena. ibid.
ad feram impetiginem. ibid.
ad verrucas. ibid.
ad ambustos. ibid.
ad delenda variolarum vestigia. ibid.
ad cicatrices delendas,& dealbandas. 462
ad obesitatem tollendam. ibid.
ad labiorum asperitatem,& fissuram. ibid.
ad palpebrarum inflationem. ibid.
ad salicium. ibid.
ad vngues leprosos. ibid.
ad dentes dealbandos. ibid.
ad dentes mobiles. ibid.
ad dentium corrosionem. ibid.

INDEX CAPITVM, quæ in Theologia Hippocratica continentur.

Quòd Deus humanæ princeps sit caussa naturæ.1. 463
Quòd spiritus omnia replet.2. 465
Quòd humana anima cœlitus infundatur in corpus. 3. 468
Quòd naturalia media non sint abdicanda ægrotantibus. 4. 471
Quòd in profligandis morbis diuinum auxilium sit inuocandum.5. 472
Quòd quidam morbi diuinitùs immittantur.6. 476
Quòd Deus seruat,& purificat homines. 7. 478
Quòd fortuna magnam partem conferat ad benè, fœliciterq; medendum.8. 480
Quòd vna sit vera Religio, nempe Christiana catholica aduersùs Themistium. 9. 482
An fides sine operibus sufficiat.10. 484
Responsio.12. 485
Dubitatur, an animæ ab obitu corpora eadem numero resumere possint. 13. 486
Scholium in superiorem epistolam.14. 487
Responsio ad priora argumenta.15. 488
Anastaseos Periphrasis sex veterum de corporum resurrectione damnantur opiniones. 16. 489

INDEX CARMINVM inscriptorum.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Episcopum D. Albertum Baduarium Pestiferæ contagionis Prophylactice. 513
Ad Michaelem Angelum Rotam. 516
Ad Reuerendissimum Abbatem Persicinum. Deflet merulam, eiusq; vires enarrans docet, qui volucris rediuiua fieri possit. ibid.
Ad clarissimum, ac generosissimum Equitem Nicolaum Rudium Virum omni cultiore literatura perpolitum,& in foro Iulio ditionem exercentem. 517
Ad præclarissimum Medicum Hieronymum Colle. De gemmarum viribus. 519
Ad doctissimum Medicum D. Linium de Comitibus, temporum calamitatem deplorat. ibid.
Ad Bernardum Colle. 520
Ad pulcherrimum Æsclepiadam Marinonum. Graphice describit labacidum oram, curq; frequens eò secedat, insinuat. ibid.
Ad Georgium Gratianum. Si fato Venetias migrasse maiorum suorum Patriam, inuitum Ceneta cessisse eius caussa, quòd se & à vulgi calumnijs vindicarit, & optimis instruxerit consilijs, dum grassante pestè Sanitatis Magistratum gereret. 521
Ad Michaelem Angelum Rotam. ibid.
Ad Bernardum Colle. Ænigma ex Auic. lib. de Viribus cordis, quo significatur ab assuetis admirationem non asserri. 522
Ad Laurentium Squadronum genere, & doctrina insignem. ibid.
Ad illustrissimum, atque Reuerendissimum Albertum Baduarium Cremensium Antistitem. Qua ratione intercipi possit Quartanæ accessio. 523
Ad Michaelem Angelum Rotam. De Thermis Cenetensibus. 524
Ad Laurentium Ragozium. ibid.
Ad Ioannem Stephanum. ibid.
Ad Illustrissimum, atque Reuerendissimum Marcum Iustinianum Acrostichis. 525

Ad

Index Carminum.

Ad Antonium Blancum. De Medici officio. ibid.
Ad eundem. Quòd venenum quatuor modis eluincitur ex Mesue, & Conciliatore. ibid.
Ad eundem. Sanguinis mittendi decem conditiones obseruandæ ex Auic. tertia parte Canticorum. ibid.
Ad eundem. Quæ medendi methodum fraugunt. ibid.
Ad eundem de compositi Medicamenti ratione. ibid.
Ad eundem. Luis Venereæ descriptio. ibid.
Ad eundem singulorum humorum descriptio motus ex Serapione. 526
Ad eundem feb. acutæ periphrasis. ibid.
Ad eundem de Ephemera febre. ibid.
Ad eundem de putredine ex Argenterio. ibid.
Ad eundem. De affectibus cutaneis ex Fracastorio. ibi.
Ad Medicum Benzonum. De signis, quæ Marem vtero latentem significant. 527
Ventorum descriptio ex D. Thoma. ibid.
Terræmotuum genera ex Arist. ibid.
Prognosis ex iride ex Arist. ibid.
Prognosis de futura tempestate. ibid.
Dierum quorundam periphrasis, in quibus pharmaco, aut sanguinis missione vsi nefas est. ibid.
Quòd tertiana feb. sex de caussis pernicioſa efficitur ex Mercato. 528
Ad Franciscum Bertoldum ossium articulorum paraphrasis. ibid.
In obitu Gregorij Maluoltì Elegus. ibid.
De Virtute. ibid.
De Homine. ibid.
De eodem. ibid.
Ad Leonardum Marinonum. 529
In abitu Nyllæ, Viro nuptæ. Adonidis querimonia. ibid.
Ad Bernardum Colle. ibid.
Ad Io: Baptistam Grimanum Acrostichis. ibid.
Ad Franciscum Erizo. Acrostichis. ibid.
Ad Iacobum Riuam. Acrostichis. 530
Ad Benedictum Lauzerum. Acrostichis. ibid.
Ad R. Andream Clauenam Anpasinus. ibid.
Ad Ioseph Melsium Acrostichis. ibid.
Ad Ioannem Dom. Maresium. ibid.
Ad Georgium Moralem. ibid.
In Olores, quibus foliorum plurimum inest, sed Radicis minimum, quod de Galeno dixit Auic. lib. 9. de Animalium natura cap. 6. in calce. Ex Io: Huarte. ibid.
Ad Albertum Baduarium. ibid.
Ad R. Franciscum Guerrinum. ibid.
Ad Benedictum Lauzerum. ibid.
Ad eundem. ibid.
Ad Hieronymum Melchiorum in Fano D. Fuscæ dicato Parochum. De D. Fusca. ibid.
Ad D. Rochum apud Cenetenses. ibid.
Ad Beatissimam Virginem Mariam. De Salutatione Angelica. ibid.
In Natiuitate Domini nostri Iesu Christi. 533
In Assumptione Mariæ Virginis. ibid.
Oratio ad Beatissimam Virginem. ibid.

FINIS.

Tam prona, & multiplex est ad errandum via, vt non sit mirum, si absente Auctore, conniuente Mastyge, & Typographi incuria plurima irrepserint monstra, quæ opus fœdarūt, & sensum auertere potuerunt. Nonnullis eundum obuiam curauimus, vt est videre, ne tantus labor irritus foret. Tu Lector boni consule.

Errores	Castigati.
Pagina Columna. designantur	p. c.
P. 7 c. 1. cussis	caussis
p. 10 c. 1. cur	cor
p. 11 c. 2. sanguins	sanguinis
P. 12. c. 2. medius filius	medius fidius
p. 21 c. 2. in inanimantibus	in animantibus
diuersæ	diuersè
p. 33 c. 1. vt segnius	ne segnius
P. 34 c. 2. feruor permouentem	feruorem promouent
P. 37 c. 2. identitem	identidem
P. 47 c. 1. sacietatem	societatem
substantiæ	substantiæ
p. 48 c. 1. ab vniuersalissima	ab vniuersalissimis
p. 66 c. 1. ad hoc	ad hæc
p. 70 c. 2. has fines	hos fines
P. 79 c. 2. conueniat	conueniant
P. 95 c. 1. humoris	humeris
p. 97 c. 2. ex venis	ex ventis
p. 112 c. 2. quo nomina	quo nomine
P. 117 c. 1. minuatur	muniatur
P. 119. c. 1. scyllimo	scyllino
P. 122 c. 2. affectio, in quo	affectio, in qua
P. 124 c. 2. quæ	qua
P. 126 c. 2. rixanda	fixandi
P. 138. c. 2. accissione	accessione
P. 144 c. 2. metustasi	metastasi
P. 149 c. 1. sucuris	futuris
P. 151 c. 2. perfunduntur	perfunditur
P. 152 c. 1. initio	intrò
P. 156 c. 2. crassius	crassus
P. 162 c. 2. cathaticum	catharticum
P. 168 c. 1. quapiam	quæpiam
P. 191 c. 2. grana &	grana cum
P. 194 c. 2. ephemera	ephemeram
P. 243 c. 1. balneatum	balnearum
P. 246 c. 1. ephemera	ephemeram
P. 302 c. 2. quo	quem
diluendorum	diluendarum
P. 304 c. 1. allioticica	allioticæ
P. 309 c. 1. ceratorum	cerasorum
P. 320 c. 2. posuisse	potuisse
P. 331 c. 1. essent	censet
ac iusculum	acriusculum
p. 326 c. 1. Z ij.	Z ij.
P. 333 c. 2. hac	hue
P. 334 c. 1. munus	manus
P. 345 c. 1. Rhei	Rhei
c. 2. medium	Medicum
p. 320 c. 1. ab intestina	ad intestina
P. 348 c. 2. negligendi	negligendum
c. 1. commendarus	commendancus
P. 353 c. 2. adest	abest
P. 363 c. 1. ciendarum	cicadarum
P. 365 c. 1. maius	mauis
P. 371 c. 2. icis	filicis
P. 378 c. 2. excrementum	excrementorum
P. 370 c. 1. habitibus	halitibus
P. 400 positionem	positione
æquiuocam	æquiuocum
ibiram	obitum
P. 418 c. 1. modicorum	Medicorum
P. 441 c. 1. esse	ex
P. 445 c. 2. audio	studio
redolet	reddas
directas	deiectas
non fit	non præit
eueniant	præueniunt
caussa	caussæ
c. 2. formam	formæ
quidem	equidem

Errores	Correcti
positam	positum
quoddam	quædam
cuæ	quæ
saltem	saltem
sunt actiones	cuius sunt actiones
cuius	***
Hic.	Nicol.
P. 446 c. 1. similes qualitates	similis qualitatis
doctime	doctissime
ab hac	ab hoc
P. 452 c. 2. laxari	laxari
P. 455 c. 2. diaphoreticæ	diaphoretica
P. 458 c. 1. proficiam	conficiam
c. 2. menſe circa	menſe vicis
noxius	Naxius
per adagio	pro adagio
P. 459 c. 1. fidem	quidem
rebus	Res
obſeruandam	obſeruandæ
P. 466 c. 2. iuna	lunæ
vitaq;	vitæq;
P. 468 c. 1. indigent	indigeant
c. 2. deluxit	deduxit
oculis viz	occulit
c. 2. pullus	puluis
P. 474 c. 2. imò res	imò si res
P. 482 c. 2. nec Christianos audit	nec. (Christianos audit)
P. 484 c. 1. Esperantissime	exuperantissime
P. 485 c. 1. conseruatis	conseruatio
in huiusmodi	in humido
dicuntur vita	dicuntur. ita
P. 498 c. 1. Tria	Via
P. 503 c. 1. cum dicat	cum dicaci
cuius	cuinis
Versus corrupti	atque emendati.
P. 505 Ode prima	
euomit furiale virus	euomuit furiale virus
P. 506 Ode secunda	
Illic tum studiosa caussas.	Illicium fuziosa caussa.
P. 511 lib. secundo.	
Et valet procul imbelles	Et valeat procul imbelles
P. 508 c. 2. & amaror omnis	& amaror omnis
P. 509 albergatur	ablegatur
P. 512 solle	felle
P. 513 frustaberis	frustraberis
P. 514 Mitra præcedant	Mitia præcedant
P. 516 Quis non defletat alitem	Quis non defleat Alitem
P. 519 Ecce virore nitet saturato	Ecce virote nitet saturo
P. 522 Veste	Vestæ
P. 523 Ne symptomata malum sed	Ne symptoma malum, sed
P. 520 Nicensique	nitensque
P. 526 Atq; talis ineſt rerum &	Atqui talis ineſt rerum atque
Supremumque in cinerem,	Supremum in cinerem,
P. 527 c. 1. carpitur omen	tibi carpitur omen
P. 529 Herculemq;	Herculeumque
Perdentis (tamen aereo concurrente	Perdētis, (tamē aereo comitāte
P. 530 Iacet	Iaclet
Turgida promeritum ad sydera tolleq.	Turgida, promeritumq. ad Sy- (dera tollere
P. 530 antupelargiam	antipelargiam
in oleres	in olores
arte solens	arte silens
p. 531 Medicum	medium
p. 532 Rochs.	Rochus
vel vbi	vel vdi
c. 2. dicenti	decenti
P. 533 c. 1. latetur	fatetur
c. 2. alme	alma
P. 529 cor allij	corallij

Corripuit Auctor, aut produxit aliquot voculas aduersùs metricæ Artis regulas non inscitia, sed quodam poetico luxu incitus, puta, energiam, ficus, piceam, enthusiasmum, &c.

IN HIPPOCRATIS COI LEGEM Commentarius.

IOANNIS STEPHANI IATROPHYSICI VENETI.

MEDICINA *Artium omnium præclarissima est: Verùm propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis iudicat, & habet, iam eò res deuenit, vt omnium Artium longè vilissima censeatur.*

Lex Liber ille inscribitur, quòd in eo recti præceptio, prauique existit depulsio.

Finis. Institutio. Huiusce libelli finis est institutio, quæ, cum sit perfectio quædam, ad aliud refertur, hoc autem est Medicus, qui suo consociatus fini subiectum huius considerationis constituit. Scitè enim Ammonius, in omni scientia speculatiua, & practica, proponi, statuique finem, ait, ad quem collineantes vniuersas actiones, & speculatus dirigimus, neque enim sine certo fine agere, contemplarive potis est intellectus. Forma porrò methodus est, ordoque præceptorum, quæ ad Medici absolutam, numerosque omnes continentem perfectionem præscribuntur. Hipp. igitur summus medicinæ Dictator Artem medicam quotidie vilescere animaduertens, & malorum medicorum prouentum augescere, & in dies crementum suscipere, vt hæc mala auertantur, & pristinus decor, quâ fieri potest tenùs, Arti restituatur, necessaria quædam præscribit, quæ sint veluti rationales regulæ, ad quas mentis aciem dirigat. oportet, qui perfectus, verusque Medicus euadere vult: verùm autem Medicum definit, non solùm qui composito, artificioso: sermone, sed & opere prudentiam, sapientiamque, vbi fuerit opus, depromit, solam enim sermonis elegantiam lubens quidem audit, sed arcet ab opere, vtpote quæ ad expellendos morbos nihil conferat.

Subiectum Medici institutio.

Forma.

Libello de Elegantia.

Lib. de Præceptionibus.

Inquit igitur Medicinam artium omnium præclarissimam esse. Quod vt ampliùs constet, ex Physicis repetendum, Artium omnium perfectionem, nobilitatemque tribus notis censeri, atque æstimari: Subiecti nempè honestate, acribia, subtilitateve docendi, & potiore vsu.

Prima quidem nota Mathematicum quantitates spectantem scrutator substantiæ Physicus antecellit, (quibusuis enim accidentibus præstat substantia:) At secunda vicissim Physicus à Mathematico exceditur, certior enim, & constantior est illa apodixis, quæ materiæ circumstantijs, motu, loco, tempore solutior, minùsque delibuta est, quia ex illis, si qua rebus inest fallacia, emergit, abstrahit autem à sensili materia, auellitque formas ingeniosa Matheseis. Tertia cæteris præstat, & anteit Politicus, est enim Ciuilis Societatis seruator, & custos. Miratur Arist. cur Pythij Apollinis oraculo Socrates Græcorum omnium Sapientissimus diiudicatus fuerit, quum moralia duntaxat tractarit, & præceperit. Sed enim si ad communem hominum commoditatem benè viuere, quàm speculari, magis expedire animaduertisset, admirationem prorsus abdicasset.

Sola Medicina vniuersis hisce dotibus compta præfulget: Homo enim est proprium, & adæquatum subiectum Medicinæ, subiectum inquam reductionis, in cuius gratiam de Mineralibus, Plantis, Animalibus, & eorum partibus in artis progressu edisseritur, quo nil habet præstantius Mundus sublunaris, est summum naturæ opificium, animal consilij, & rationis plenum, Angelis paulò Minor: solus ratiocinatur, & vnum ex alio colligit, solus numerat, solus habet manus sapientiæ instrumenta, solus Cœlos, & Cœlorum Motorem contemplatur.

Os homini sublime dedit, Cœlumque tueri Ouidius.
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Subtilitate docendi pollet, nam per syllogistũ epistemonicum ad concludendum progreditur, multisq; constat theorematis, quæ per se ipsa scientia continentur: Et licèt cõmunissimi finis caussa sit Ars, (Practicus enim Intellectus eo à speculante differt, quòd ille bonum, hic veritatem respicit) verè nihilominùs Medicinæ habitus per demonstrationes acquiritur. Nec est, quòd potissimæ demonstrationes desiderentur, satis enim

sunt, quæ ab euidentibus, nobisque expositis effectibus prætexuntur: Id quod & in Physica historia est frequentissimum; hinc naturales conclusiones fiunt Medicinæ primordia; etenim, quòd contrarijs contraria curentur, ex eo sumpsit originem, quòd duo contraria simul in eodem subiecto esse non possunt, quod Physicus demonstrat. Affinitas ergo, quæ inter Medicam, & physicam facultatem intercedit, Authores in varias sententias discerpsit, atque diduxit.

Cœlistor. Differentia tertia.

Non defuerunt, qui medicinam in diuortia trahentes facilè initam litem ex more composuere; qua scilicet Theoricam, scientiam esse, qua practicam, esse artem.

Comes Mótanus.

Alij in mentis penu spectatam scientiam esse, e foriculis intellectus in externum obiectum prodeuntem in artem deficere, affirmare non sunt veriti.

Arpent. Cõm. in Art. Parumæ.

Vnùs omnium argutissimus mediam inter artem, & scientiam statuit, peritiamque indigitat; neque enim eam facultatem, cuius finis est sanitas, scientiæ nomine audet dignari, neque inter Artes numerare, quum scientiarum ornatus, cæteræque conditiones præsto sint, quæ eam super artes euehunt.

Mercatus.

Sunt, qui sanitatem quidem Artificis finem esse non diffitentur, Artis autem veritatem, quo discrimine ictus omnes excipiunt, & euadunt. Nos, quid quid sit, seni nostro adscribimus, Medicinam artium omnium præclarissimam esse, artemque Medicinam posthac appellabimus, quum scientia, & Ars identidem viciſſim nomina mutuentur, dum acribologiam negligimus.

Beda super illud 6. Eth. scientia, & Ars distinguuntur, benè distinguit.

Denique potiore vsu, vt enim Magistratus ciuilis societatis, sic Medicus sanitatis ciuium omnium, cuiuscunque sint ordinis, sexus, ætatis, est seruator, & custos, qua detracta quid potest esse gratum, aut iucundum in hac vita? Emoriar, ni βιὸς ἄβιὸς sine illa sit, h. e. vita sine vita. Sanitatem, qui negat rem esse pretiosissimam, non sapit, inquit Hipp. Sed hactenus.

Cur verò Medicina artium omnium longè vilissima censetur? Duplicem causam agnoscit Hippocrates, ignorantiam eorum, qui eam exercent, & vulgi ruditatem; & rectè sanè, nam, vt sacræ testantur paginæ, vbi non est scientia, ibi non est bonum, scientia enim determinat, stabilitque intellectum ad alteram partem cum certitudine; ignorantia à contrario temerè circumuagatur, imò efficit, ne Medicus conueniencer agat ad finem suum adipiscendum, quare quod Artificis culpa committitur in artem ipsam deriuatur, hinc vilescit.

Boetius.

Eheu quam miseros tramite deuio
Abducit ignorantia.

Aristot. lib. Post.

In Sophista.

Sciendum verò duum generum esse ignorantiam, puræ scilicet negationis, & praua dispositionis, puta cum quis falsorum principiorum, & prauarum opinionum callet habitum; Hanc audiuit Hipp. quam Plato scitè animæ dementiam appellauit. D. Thomas duplicem ignorantiam constituit Comm. supra Boetium de consol. Philosophica. Altera naturalis est, quæ in iuuenibus, & decrepitis inest, & dicitur ignorantia interna. Alia est quæ ex hominis negligentia prouenit, quando sollicitatur circa exteriora, & dicitur externa; prima non est vitiosa, cum sit naturalis, hæc autem est vitiosa, quum per negligentiam fiat.

Præclarè Arist. inscitiam vino comparauit, vt enim vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues, alios loquaculos efficit pro corporum habitu, ita stultitia, & ignorantia veri quosdam incitat ad studia pecuniæ, quosdam ad voluptates, &c.

Ecce ergo, cur ignorantia decus suum atri surripit, deuios enim, & à scopo aberrantes efficit Medicos, copias, aut voluptates sectantes, similes Æsopico Cani, vmbram rei præferentes.

Altera causa est vulgi ruditas, quod pro Medicis iudicat, qui reuera non sunt. Qui enim de Artifice sententiam ferat imperitus, nisi stultè? Quare rudis plebs ignauos Medicos vtpote sui simillimos fouet, colit, prosequitur, & gnaris etiam, si Dijs placet, præponit; sicque artem vilitat: Sed ea etiam est decipulæ causa, quòd sapientes Medici non inani verborum lenocinio se credulæ turbæ venditant, at modestiam suam vbique præseferunt, opere magis, quàm profatu conspicui. Ignari verò mira garrulitate se se iactant, & parua pyxide se conclusa tenere morborum omnium remedia ambitiosè profitentur, & cultiore ornatu explendescunt; hinc capitur misera plebecula haud animaduertens plurima verba egestatem significare (in omni enim copia subest inopia ait Hipp.) & curiosum illum vestitum fraudis esse prætextam. Vtinam hac tempestate genus hoc hominum non vigeret, qui inscitiam ceu serpentem in sinu fouent: sed cum Venusino

Primo Eth. Arist. Atqui inquit vnusquisque bene iudicat ea, quæ cognoscit, & ipsorum bonus est iudex.

Odi Profanum vulgus, & arceo.

Si bonus vir de me benè sentiat, eodem loco sum, ac si omnes de me benè sentirent, par enim illis, & æquale iudicium. Vulgus, inquit Plato, nec te prudentem, nec imprudentem efficere potest: Valeat ergo; & suos sequatur latraliptas.

Seneca.

In Cratillo.

At verò hoc peccatum ob hanc potissimùm causam mihi committi videtur soli namque Medicinæ nulla pœna in Rebus publicis statuta est præterquàm ignominiæ, verùm hæc ipsa non afficit, neque conturbat eos, qui ex composito personam ipsius induerunt. Similium enim horum modi Medici personis sunt, quæ in tragœdijs introducuntur, quemadmodum illi figuram quidem, & habitum, & personam, quos referunt, gerunt, illi ipsi autem reuera non sunt, sic & Medici fama quidem, & nomine multi, re autem, & opere valde pauci, &c.

Vna præcipua causa decernitur, cur plurimi Medici titulo passim insolescant, quòd nimirum in Reb. publicis nulla mulcta statuta sit iis, qui ministrè medentur, faciuntque per mortes experimenta, præter infamiam, & ignominiam, quam ipsi negligunt, & parui faciunt: Felices hosce Medicos appellabat Neocles, quoniam successus quidem eorum sol intuetur, errores autem tellus operit. Admittit quidem Hipp. Medicum leuiter delinquentem, quia exactè absolutum rarò videre contingit, sed plerosque gubernatoribus æquat, comparatque, nam quemadmodum, dum hi gu-

Lib. de Vet. med.

hi gubernacula tenentes in tranquillitate errant, non omnibus deprehensa est eorum ignoratio, dum verò eos inuaserit validus ventus, & vehemens procella maris, conspicuum tunc est cunctis hominibus, quod ignorantia, & eorum errore naufragium euenerit, sic profectò mali plurimique Medici, dum Medicinam leuiculis malis implicitis hominibus faciunt, in quorum commoda si quis vel grauiter peccauerit, non magnum tamen incommodum affert (sunt enim plurimi tales morbi, & multò frequentiores, quàm hi, qui cum periculo inuadunt) in talibus inquam peccantes incommoda ægrorum non deprehenduntur ab idiotis. Vbi verò euenerit, hominem implicari magno morbo, ac periculi pleno, tunc cunctis eorum delicta, & ars conspicua redditur, &c.

Plinius lib. 29. Nulla est lex, quæ puniat inscitiã capitalẽ Medicorũ nullum exemplum vindictæ. Discunt periculo nostro, & mortes per experimenta agunt. Medicoque tantùm hominem occidisse tũma impunitas est: quando hercules in hac artium sola eueniat vtvnicuique Medicum se profiteri statim creda-tur.

Atque licèt calamitosa ignominia ijs, qui sic medentur impendeat, nihil tamen morantur, nihil afficiuntur, sed intrepidi quoduis morborum genus aggrediuntur, & sponte aduentantem sanitatem sinistra medicaminum vsurpatione exturbant. excutiuntque, ô scelus. Et adhuc feret Magistratus inalescentem hanc perniciem? Vtinam ferat rogationem, ne quis priùs medicinam facere audeat quàm Philologiæ, & Philosophiæ præceptis optimè informatus Hipp. & Galeni libros diurna, nocturnaque manu euoluerit, & vniuersalibus theorematis mediocrem experientiam adiunxerit, & probatæ inter sapientes doctrinæ diplomata, & signa prodiderit. Agyrtæ, inquam, extra pomœria exigendi, & nugiuenduli Chymiatri, qui omni ex mercurio, & sulphure sua parant remedia, quæ ipsi ad ægros deferunt multo pretio coemenda.

Simillimi enim huiusmodi Medici sunt ijs, &c.

Bellè ab Hipp. huiusmodi Medici ijs conferuntur, qui tragœdias agunt, vt enim hi ludiones figuram, stolam, faciemque referunt eius, cuius personam agunt, ipsi verò reuera non sunt illi, ita & Medici fama sunt quamplurimi, opere verò rarissimi. Interim tamquam personati pœnium in morem amicti obambulant, & miseræ plebeculæ mille modis imponunt, & ludificant, dum loculos exhauriunt.

Quisquis enim Medicinæ scientiam sibi verè comparare volet, eum his ducibus voti sui compotem fieri oportet. Natura, doctrina, moribus generosis: loco studijs apto, Institutione à puero, Industria, & tempore. Primùm quidem igitur omnium natura opus est: natura enim repugnante irrita omnia fiunt, si verò natura ad optima viam demonstret, artis doctrina facilè contingit, quam sanè cum prudentia sibi comparare oportet, ita vt à puero institutio accedat, atque id in loco à natura ad disciplinam apto. Amplius autem & industriam adhibere oportet, eamque ad multũ omnino tẽpus: quo disciplina ipsa insita fœliciter, & cum profectu fructus suos producat, &c.

Ad Medicæ scientiæ notitiam perfectè adipiscendam septem necessaria videntur, quorum singula si desiderentur, luditur opera: Sed natura in primis est opus, quia

Tu nihil inuita dices, faciesve Minerua,

Verùm quoniam naturæ nomen apud Medicos plures sortitur significatus, euoluenda primùm homonymia. Natura interdum vires, & robur significat, vt cum dicitur. *Qualis natura fecit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit, &c.* Aliquando excretricem corporis facultatem significat: Quo sensu scripsit Hipp. *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca confercutia, eò ducere conuenit, &c.* Nonnunqnam pro vi alteratrice accipitur. *Non satietas, non fames, nec aliud quidquam, quod modum naturæ excedat, &c.* Sæpè verò temperamentum indicat. Hinc Hippocr. *Naturarum hæ quidem ad æstatem illæ ad hyemem meliùs, peiùsve se habent, &c.* Huc etiam spectat Aphorismus ille. *In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ magis congruit morbus, &c.*

Lib. 1. Aph. 3.
Lib. 1. Aph. 21.
Lib. 2. Aph. 1.
Lib. 3. Aph. 2.
Lib. 2. Aph. 24.
Vide Argẽterium in comm. li. P. ad Glauconem.

Apud sapientiæ amatores substantiua quælibet forma naturæ nomine donatur. Quamobrem rationalis Anima in homine natura appellari poterit, vtpotè, quæ summa eius est perfectio, & entelechia (neque enim illos moramur, qui naturam ab Anima disterminant, quum illa ad vnam dumtaxat motus differentiam, hæc ad vtramque partem contradictionis peræquè sit affecta,) sed cum suus singulis adsit intellectus similiter perfectus, non potest vtique hoc loco mẽti naturæ nomen accommodari, nec certè ingenium ei ritè respondere, & vocis vim referre potest, hoc enim insitam animi vim definimus, perquam facilè discimus, reminiscimur, iudicamus, atqui Animæ vires primò non afficiuntur, quum sint aptitudines quædam ad agendum. Scitum est illud. *Seni si præsto esset oculus iuuenis, fore, vt peræquè conspicaretur.* Quare cum vis illa insita, & inconcussa omnibus insit, eleganrissimum Caiemum falsum esse oportet, dum conficere conatur, naturam hic ab Hippocr. pro ingenio vsurpari. Malim, dixisset genium. Appositè mihi sentire videtur solertissimus Huartes, dum naturam interpretatur temperamẽtũ, corporisq; habitudinem. Et ne quis nouitate rei lacessitus ægrè ferat, Authorem Galenum appellat, & annuẽtem sibi Aristotelem citat. Quis tam pinguis est Mineruæ, qui nesciat, ex varia corporis dispositione tùm moris, tum indolis discrimina peti? Emoriar, si emunctæ naris quispiam inficiari audeat, mentis bonitatem ex phantasiæ præstantia non colligi: Hæc autem certo quodam cerebri temperamento gaudet, non quidem impensè ficco, vt quidam rentur, hinc enim calliditas, & carnis prudentia emergit, quæ inimica est Deo Platone teste, Sed symmetro: Reminisci namque, ait Hipp. & esse sapientia præditum ex cerebro inter calidum, & frigidum temperato proficiscitur. Non est ergo necessum, vniuersas corporis particulas huiusmodi temperie insigniri, sed cerebrum ita temperatum esse decet. Nec est, quod obijcem, & reclamantem quispiam sistat Aristotelem, & cor commune sensorium ponentem; quare huius potiùs, quam capitis optanda crasis: Non est, inquam, nam eidem reponam Arist. quærentem, cur ijs, quibus cap. superiora sunt uasta, ut pomilionibus, lubrica est memoria? Taleque subdentem responsum Cæterùm maximè illi immemores esse deprehensi sunt, quibus superiora proportione

Caiumi tamen elegantiæ studens naturam ingenium vertit, &c. Lib de Examin. ingeniorum. Lib. de scrutinio ingeniorum.

Li. de struct. hom.

Lib. de Memoria, & Rem. reliqui corporis sunt vasta, vt Pomilionibus; ratione quòd vis sensus primatis grauata in ijs, oppressaque pondere est, quòd in tam obesa, crassaque materia designari, exprimiue formæ rerum non possunt, sed quasi frustrantur, & diffiliunt plagæ, nec initis modò imaginibus præduri, & spissi sensus resistunt, sed si quas ob insignem earum pulsum admiserint, hauserintue, non ita videntur admittere, vt cum reminisci volunt, facilè ad imperium subeant, aut recto itinere ad condictum sequantur, &c.

Hic Hercules palam fatetur Philosophus ad sensus præstantiam, quem in cap. collocat, atque adeò intelligendi vim, non modò certam temperiem, sed etiam concinnam capitis structuram, & compositionem desiderari. Galenus eam cap. figuram commendat, quæ sit instar sphæræ cereæ leniter vtrinque depressæ, quæ ab hac recedunt, Lib. de Arte P. vituperat. Quòd si substantiæ cerebri mollitudo, læuisque subtilitas accesserit, & cap. magnitudo nec vasta, nec iusto pusillior, ad perfectionem nihil deesse videbitur. Galenus tamen maiusculum præfert paruo capiti. In Arte Parua. In Probl. Arist. à contrario sentit, dum animalium omnium prudentissimum hominem censet, quòd præ cæteris caput habet paruum.

Obseruatum est, quibus caput est pusillum, facilè incandescere, non sanè quòd cerebri exiguitate cordis caliditas temperari non possit, quod Zimara. quidam comminiscuntur Philosophi, sed quia inferiores actus superiorum facultatum actibus subsunt, & auscultant, tantum enim, vt hoc exempli loco dicam, quispiam æstuauerit ira, vlciscique concupiuerit, quanti æstimauerit iniuriam. Iudicium autem in capite fit, circa cor sanguis inferuescit, & subsilit, & viribus it subsidio. Quare si quis obliqua ducatur intelligentia, & perperam dijudicarit, sine ratione incandescet, & iracundia consilijs maior euadet; Quod accidit pusillo capite præditis. At πυθῖον ὑπερῶν. Ad rem. Constans, & in confessio sit, Naturam hic pro temperamento ab Hipp. vsurpari, quemadmodum & libro de Natura hominis. Veruntamen subtilius philosophanti temperies, cum sit qualitas, natura verò substantia, non erit primum principium motus, sed natura quædam prior concipienda est, quæ permiscet, & contemperat elementa ad generationem mixtorum, φύσις enim à φύω dicitur, estque forma illa non exterior, aut assistens, sed interior totum perficiens, quam vix scias, an Fernelius spiritum, an calidum innatum, an animam ipsam appellet. Medicis definitur vis, quæ per se nostri est opifex, & conseruatrix. Quidquid sit, temperamentum non substantiam facultatum, vt vult Galenus, aut mixti formam, vt Auenrhois, sed euidens functionum principium statuimus, non πρώτως, sed ὑστερῶς.

Lib. 2. de An. Aristoteles temperamenti vim, atque efficientiam egregio probauit exemplo.

Sed dicet aliquis, si organicæ particulæ actionum ratio accepta fertur, frustrà tot, tantaque adstruuntur argumenta. Respondeo, duplicem esse actionem, similarem vnam, alteram organicam, illa à sola fit temperie, hæc à toto organo obitur, & licèt ita se res habeat, facultates tamen, à quibus actiones primò emanant, temperamenti ratione membris insunt, non compositionis caussa, quare à similari particula semper inchoatur actio, perficitur ab organica, si modò organica sit, nam simplex, & similaris actio à sola perficitur temperie. Sed iam monet tempus, vt receptui canamus, & naturam temperamenti sigillo subsignemus. Instat, vt doctrinæ voculam interpretemur.

Doctrinam finit' Philoponus actionem docentis in discipulum, & quia hæc actio perficit, addit scitè Ammonius perfectiuam: non distinguitur hæc reuera à scientia, & disciplina. Per doctrinam verò Hipp. hic audit humaniores litteras, Dialecticam, Arithmeticam, Astrologiam, sed præcipuè naturalem Philosophiam, quibus Philiater priùs imbutus, & informatus esse debet, quàm Medicinæ sacris initietur. Quare vt Plato olim præ foribus suæ scholæ inscribebat: *Nemo huc ingrediatur Geometriæ ignarus*. Ita Hipp. edicto caueri potest, ne quis Philologiæ, & Philosophiæ imperitus ad Medicinam gradum faciat; Vbi enim definit Physicus, incipit Medicus, vbi verò Medicus, funereus Sacerdos.

Ad mores accedamus, quibus ni se se consociarit doctrina, pessum it. Mores hic non approbatam consuetudinem, quæ habetur pro lege, non vitæ institutum consuetudine firmatum significant, sed alteram virtutis partem, quæ in perfecta actione consistit, indicant.

Generosum verò dici consueuit, quod ex præclaro genere ortum est. Generosis moribus ergo decet esse ornatos iatrophysicos, hi. e. qui sui generis virtutem redoleant, solis enim Principibus apud Græcos ius, & exercitium medicinæ concedebatur, præsertim ijs qui ab Hercule originem traxerunt. Apud Homerum Dynastæ duntaxat medicinam exercent. Vlisses Diomedi sagittam extrahit, Polypus Sarpedoni, Patroclus Eurypilo. In Ægypto verò Reges omnes erant Medici. Generosum præterea catachristicῶς, & per translationem Munificem significat, decet enim Medicum, si quid aliud, liberalitas, quæ non tam effusa largitate, quàm splendida lucri despicientia æstimari solet. Egregiæ verò generositatis, & intaminati animi symbolum præbuit Hipp. apud Artaxersem, cui multam auri vim, & honores, pollicitanti, si ad eum accederet, rescripsit, maiorem esse apud se sapientiæ, quàm auri rationem. Idem Senatui, populoque Abderitarum palam fecit, qui ad sanandum Democritum plurima mercede promissa accersiuere, quibus ille. * Argentum autem mihi venienti neque natura, neque Deus promittere potest. Quare neque vos viri Abderitæ cogatis, sed liberæ artis etiam libera opera esse finatis. Qui verò mercedem capiunt, hi scientias seruire cogunt, veluti captiuas facientes ipsas ex priore libertate. * An non æquale peccatum esse putatis hostes seruare, & amicos mercede sanare? At non hoc modo res nostræ se habent viri Abderitæ. Non cupio fructum ex morbis, &c.

Cæterùm in hanc rem nihil pulchrius, quàm

quod

quod lib. de Præceptionibus. At verò, ait, remunerationem ne exigito absque cupiditate præparante ad disciplinam. Quin hortor etiam, ne inhumana quadam seueritate vtaris, sed vt collinees ad ægri copias, & opes, nonnunquam & gratis cures vel ob gratitudinis memoriam, vel ob præsentem existimationem. Quod si occasio exercendæ liberalitatis se se obtulerit vel peregrino, vel egeno, hisce talibus maximè succurras. Si enim adfuerit benignitas, aderit etiam artificio comparatus arti amor: Adeò vt quidam ægri, etiamsi sentiant morbum suum esse calamitosum, tamen propter Medici benignitatem sibi persuadent, se ad sanitatem redire posse. Rectè autem, & conuenienter ægrotum cura sanitatis causa suscipitur, &c. Sed quando in mores medicorum incidimus, ex ipso Hipp. qualis esse debeat Medicus, describere libet.

Lib. de Med. Ex dignitate Medici esse existimamus, vt aspectus eius viuido colore fulgeat, ac habitu corporis sit succi pleno, quantum peculiaris eius natura id ferat, putant enim plerique hominum, si qui minùs fœliciter corpus dispositum habeant, eos neque alijs rectè consulere posse. Præterea studeat externæ munditiei, vestitu vtatur decoro, vnguentis odoratis securum odorem ad omnia gerentibus, inde enim ægros recreari contingit. Deinanimi cultus ita illi curæ sit, vt omnia ad modestiam comparata sint, non solùm in silentio, sed etiam in toto vitæ curriculo vt rectè compositus sit, præclarè enim id facit, ad veram auctoritatem. Decet etiam moribus honestis elegantem esse, & cum talem se præstiterit erga omnes insuper & grauis, & humanus esto. Promptitudo enim medendi effusè oblata ab ægris contemnitur, quamuis alioqui summæ humanitatis officium illud sit. Meram itaque officium oblatum habeat in auctoritate; nam eadem officia ab ijsdem parciùs reddita boni consuluntur. Figuram faciei habeat meditabundam citra amarulentiam, ne intractabilis videatur, & Misanthropos. Qui autem in risum se soluit, illepidus habetur. Quare magna cautione illud vitandum. Iusium autem ad omnem conuersationem esse conuenit; opus enim est summopere in omni vita iustitia, quæ plurimum præsidij afferre solet. Non minima enim commercia ægris cum Medicis sunt: Nam se in potestatem Medicorum tradunt, & omni tempore, quo medicinam faciunt, occurrunt vxoribus, virginibus, & supellectili pretiosæ, temperanter itaque ad hæc omnia se gerere debent, & animo quidem, & corpore sic comparatum esse oportet, &c. hactenus optimus senex.

Potuitne Theologus diuino spiritu afflatus his admonitionibus quicquam magis pium, quicquam præscribere sanctius? Et erit aliquis posthac, qui Hippocratem non diligat, non colat? Emoriar, si nostrates ipsi φιλοσοφιστοι κατ' ἐξοχην modestiorem expromant. Mitto iam quæ appositè in hanc rem ab Hipp. alibi præscribuntur, quum Hippocraticam Theologiam iam sub capita redegerim. Proximum est, vt discursum loco sistamus.

Libello de Eleg.

Locus propriè definitur vltima, & immobilis superficies corporis continentis, contento corpori æqualis: huic loco conseruatrix vis adscribitur. Verùm Hipp. hic non tam aerem nos ambientem, quàm solum, situmque, quem habemus, & colimus, audiuit, vtrumque enim magnam vim habet ad corpus afficiendum: Propterea scripsit, Vrbes Orientem spectantes Septentrionalibus, & Meridionalibus salubriores esse, & fœliciora ingenia producere. Plato verò in Timæo apertè fassus est, locum ad præstantissimos viros gignendos mirandum in modum conducere. Platoni & Hippocrati applausit Arist., qui locis calidis homines sapientiores, quàm frigidis, fieri asseruit, hostiliterque incessit Germanos, Celtas, Gallos Britannos, & quotquot sub gelida stabulantur Vrsa, temulentisque comparat, quibus quidem corporis validæ vires ob caloris incendium insunt, sed mentis vigore destituuntur. Fallitur tamen Philosophus, nam quantum loci conditio moribus detrahit, tantumdem cultura, laborque resarcit, vt hac tempestate & mores, & bonæ litteræ in Germaniam migrasse videantur. Sed ad rem.

4. Phys.

In Proble. sect. 14.

Ad mores efformandos loci natura plurimùm confert, tum quia terræ fructus, & Aquarum conditio vehementer nos afficiunt, tum quia, qui nos ambit, aer corporum nostrorum temperamenta ad sui similitudinem effingit, & exprimit. Hac loci commoditate commotus Cicero filium suum Athenas miserat, vbi pænè omnes Philosophi videbantur: vbi nihil crepabat, quod sapientiam non redoleret. Qui ergo ad Artis fastigium peruenire vult, eò se conferat, vbi bonæ litteræ tamquam merces venduntur, vbi aperiuntur Gymnasia, ad quæ omnibus patet aditus, in quibus Thaumantis filiæ, & Pæanis mysteria coram exponuntur, vbi nil est in pretio præter sapientiam. Hoc studio è paternis ædibus excussit Abrahamum Deus, eòque impulit, vbi virtus morisque, mentisque vigebat. Athenis modò non inuidet Patauium, Vrbs Antenoris amplissima, vbi Cœli clementia solo vberrimam fœcunditatem, aquis salubritatem cumulatissimè largitur, vbi hæc omnia incolis, accolisque acuunt ad scrutandam veritatem ingenia. Vrbs fortunatissima, ad quam vera metempsycosi Arist. Platonis, & Hipp. manes commigrarunt. Ecquis eat inficias, quis oppedat viuo Syluatico, in quo ceu Geryone eorum explendescit imago, & idæa? Tu Apollineæ artis decus, tu Lycei splendidissimum columen, tu es, quem suspiciunt indigenæ, admirantur Aduenæ ob mirabilem morum, & doctrinæ præstantiam. Ipse ego sub tuis auspicijs Medicinæ sacris initiatus eò perueni cognitionis, vt hanc animi gratitudinem in loco dissimulare non potuerim, & meritum quadantenus antipelargia non remetiri. Vtinam è suggestu docentem te quàm diutissimè exaudiat ingeniosa pubes, & præceptorum tuorum semina alta mente recondat, vt bonæ frugis tuæ fœcunditas latiùs propagetur. Sed manum de tabula, & opportunitatem studiorum attingamus.

Ab incunte ætate ad studia animus appellen-

dus est ei, qui perfectè Medicam scientiam comparare studet, nam vita brevis est, Ars verò longa, quod habitus ille rectè medendi sive per theoremata, & vniuersalia præcepta à libris, & Magistris hausta, sive per exercitationem, & experimēta comparetur, longo omninò temporis curriculo perficitur, quandoquidem ex plurimis memorijs conflatur experientia, quæ subinde, & identidem collata parit iudicium tantopere difficile. Accedit, Pueritiam ad quasuis disciplinas capessendas aptissimam esse, propterea Arist. scripsit, In Probl. Senes amplius mente valere, Iuuenes ocyus addiscere. hoc autem ob memoriæ mollitiem accidit, Lib. de Memoria, & Rem. qua caussa Plato Mnemosynen Musarum matrem appellauit. Et licèt Arist. in paruulo fragilem, & desultoriam agnoscat memoriam, quòd in motu iugi à cremento est, quare figi nequeunt formæ, quemadmodum nec annulus in profugum torrentem defixus non figillat: nihil tamen nos agit transuersos, aut à suscepta sententia reuellit, nam & nos damus, Pueros in perpetuo agitatu ob fluxum ætatis esse, vnde aliquid incommodi animæ prouenit, quia sedendo, & quiescendo prudentior euadit; nihilominus quia Pueri nouitate rerum capti vehementer admirantur, diuque visis inhiant, & inhærent, diligenterque animaduertunt, fit hinc ex euentu, vt quemadmodum nouas species, & imagines rerum promptè admittunt, ita tenaciter retineant. Quare à Puero institui debet, qui cumulatè artis præceptis informari desiderat, tum quia disciplinæ idonea est ætas ea, tum quia multum suppetit temporis.

Nec minùs necessaria videtur industria, quæ frequens est exercitium circa rem honestam, Dij nanique sapientiam labore vendiderunt, quem peruigilem instituere custodem, quocum prius negotium esset habendum, quàm ad eam pateret aditus.

Hesiodus. *Virtutem posuere Dei sudore parandam.*

Apud Platonem elegantissima meretrix Theodata Socrati obiecit, se plurimos eius auditores, cum vellet ad se allicere posse, eum autem è suis neminem. Cui scitè Socrates. Non mirum hoc est, inquit, tu siquidem ad deorum tramitem omnes rapis, ego autem ad virtutem cogo, ad quam arduus, & laboriosus est ascensus. Prudenter quidam virtutem Pythagoricæ litteræ compararunt, Virgilius in Opusculis. nam vt hæc ingredientibus ardua est, & amaram radicem habet, pergentibus in planitiem desinit, & commodat, ita virtus à principio difficillimos quidem habet progressus, in fine explanatis iam difficultatibus, acquisitoque habitu miram profert alacritatem, & vberrimos fructus. Manum igitur cum Minerua moueamus, neque enim fit vrceus, ni tundatur lutum, vt est in adagio.

Tempore denique opus est, nam vt ait Menander, tempus in lucem ducit veritatem, scientia verò est eorum, quæ sunt, veritatis comprehensio. Et vt summum dicam quilibet mentis habitus tempore comparatur succedente, & hoc est, Lib. Ethic. Boetius de Disciplina Scholarium quod volebat Arist. virtutes scilicet intellectiuas indigere tempore, & experientia, habitus enim generantur ex repetitis actibus, quorum priores aliquid positiuum, & permanés in potestate producunt, nempè ad habitum dispositionem, quæ tametsi ab habitu re non distinguitur, nondum tamen habitus vim, & naturam prorsus indepta est, donec in subiecta facultate firmas egerit radices, adeo vt viribus ad agendum lenitatem, facilitatemque præbeat. Quare vt à primo actu inchoatur habitus, per medios sumit incrementum, ita à supremo absoluitur. Et licèt nonnunquam per vnius apodixeos actum scientia parari videatur, non tamen perfecta, & constans; multò minùs vnus vehemens, intentusque actus (heroicum dicunt) moralem habitum parit, ni Charites Iouis filiæ affulserint, quibus fautricibus scorto titione fugato continentiæ firmum, stabilemque habitum contraxit quidam.

Qualis eorum, quæ terra producit consideratio exsistit; eiusmodi etiam disciplinæ Medicæ: Natura enim nostra veluti Ager est, dogmata verò docentium veluti semina sunt: Institutio à puero respondet opportuno tempori, quo semina terræ committi debent: locus verò, in quo docetur, est veluti nutricatus, quo Plantæ fruuntur ex ambiente aere: Studium autem cultura est: Tempus tandem hæc cuncta firmat, quò perfectè enutriantur, &c.

Lib. 1. cap. 3. Cum autem Discipulus ad perfectionem tendere teneatur, effectuam causam perfectionis, vt potè continuitatis constantiā, prout facultas supperit, mēte dignoscat imprimere. Quod enim in dilectionis opusculo locutus sum constantia? Quid non constantia nequam? Prima parit, secunda parta dissoluit. Prima procedit. Secunda retrocedit. Prima colligit. secunda collecta dispergit, &c.

Accommodato præfata confert exēplo: Natura enim nostra instar agri est, qui si senticosus, aut sterilis sit, frustra foditur, & seminatur hordeo, ita si naturam tuo consilio reluctantem studio excolas, oleum, & operam perdis, natura enim repugnante irrita omnia fiunt, quam Hippocr. præcipuum cunctorum ducem appellat, hæc si affuerit Lib. de Elegantia. ijs, qui animum artibus applicant, omnia peruadere poterunt.

Hæc habilem reddit, facilem Ars, vsusque potentem.

Doctrinæ, & dogmatibus respondent semina, quæ si inania, aut marcida fuerint, nequicquam terræ mandantur, nam intus condita aut rabo, situque confecta mucescunt, aut zizania proferunt, sic propemodum falsa paragelmata, & futilia præcepta, licèt secundum animum nanciscantur, non solidæ scientiæ frugem pariunt, sed opinionum inanitatem insculpunt animis. Cum semel disserendo contumaces quosdam Medicos palam Galenus conuicisset erroris, & supplantasset eluctando, anhelantes illi, & anxii conqueri, & plorare; scisciranti autem Pergameno, cur flerent, & lamentarentur, se sortem caussari, & deplorare suam, quæ tam imperitos Præceptores obiecerit, à quibus prauta dogmata hauserunt, intenta voce responderunt. 8. Meth.

Institutioni à Puero respondet opportunitas, nam si sementem hyberno tempore facias sub Ioue frigido, aut dum Syrius ardet, semina nulla telluris ope fota necrosim syderata patientur, aut Sole exusta tabescent, ita si animum ad studia appellas summa senectute dum effetæ languent in corpore vires, aut dum turbidis pathematū procellis agitatus sanguis inæstuat, aut proficies nihil, aut frugis modicum demetes.

Loco respondet aer ambiens, qui multum facit ad naturam nostram permutandam, vt alibi monstrauimus. Mirabantur antiqui, cur Bœoti Lib. De incolum. & li. de struct. Hom.

omnes

omnes ingenio hebeti nascerentur, quos perstrinxit Pindarus. *Dicta suos genus Bœotia vecors*. Athenis vniuersi euaderent Philosophi. At Plato quanti loci naturam æstimaret, his palam effecit. Deus quasi belli, & sapientiæ studiosus, locum, qui ipsi simillimos viros productur us esset, electum in primis incolendum præbuit.

Dial. de Nat. In capo Damascenō primum hominē plasmasse Deum, ratus est Io. Huartes.

Poterat Deus suæ omnipotentiæ vi repugnante etiamnum loci natura sapientem creare virum, se se tamen & ipse causis accommodat secundis, quæ tamen solæ non efficiunt, quod voluit Albertus, quin Deus vna cooperatur: Ratio, quòd in agentibus natura ordinatim dispositis inferius pendet in agendo à superiori, ita vt superius simul concurrat ad ipsum efficiendi actum. Imo causa prior, vt innuit Arist. & Author libri de causis, plùs, efficaciùsque mouet, quam posterior. Quare nullum agens vllam edere potest actionem, quin Deus in eam maximè influat argumento sic ignis Babylonicæ fornacis, cui quia Deus præsentiam suam denegauit, propriæ virtutis oblitus Pueros non combussit, (alioquin contrarij obiectu opus fuisset, quod diuinæ derogat potentiæ.) Quare si Deus naturalia media, quæ ipse à principio instituit, non negligit Platonis testimonio, multò minùs ijs, qui sui voti compotes fieri desiderant, huius erunt habenda. eligatur igitur locus studijs, & disciplinæ aptus, vbi aer syncerior sit, hunc enim Hipp. cerebro prudentiæ, & sapientiæ internuncium appellat.

Lib. de 37. Artic.

8. Phys. c. 5. tex. 41. propos. 1.

11. Sapientiæ.

Li. de Morbo sacro.

Industriæ respondet cultura, & labor, qui omnia vel durissima frangit.

Claudianus.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat fauos,
Si fronti caueat, si timeat rubos,
Armat spina rosas, mella legunt Apes,
Herculem duri celebrant labores, &c.

Nihil igitur est reformidandum, sed labores strenuè ineundi, Authorumque euoluenda volumina nam vt aurum, aut gemmas quærentes non summam terræ cutem leniter stringunt, sed in viscera penetrant, sic qui veram, mansuramque doctrinam quærunt, altiùs sese in scriptorum loca, & sensa immittant, necessum est.

Quæsitum est, an natura magis, quàm cura ad ingenij fœlicitatem, & doctrinam sit opus. Ego tamquam πραγματικον μέλος, Venusini sententiam apponam.

Natura fieret Medicus laudatus, an arte
Quæsitum est. Ego nec studiis sine mente sagaci,
Nec, rude quid valeat, video, ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & conspirat amicè.

Sunt tamen, qui culturæ primas deferũt, quum naturæ bonitatem ignauia corrumpat, vitia, & defectus minùs felicium ingeniorum cura rependat, atque resarciat, nam & tellus vepribus, lapidibusque obsita æquo adhibito cultu præclaros edit fructus, optima cessante cultura sterilescit. Nos his manus damus, & præfatis honoribus ab Hipp. cui pluris est natura, recedimus. Nam, vt cecinit Epicuræus Vates,

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurē.
Tempus porrò omnia corroborat.

Hoc absonum videtur, nam demoliri tempus, & destruere omnia creditur.

Ouidius.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Hinc Philosophus subsānat, & sugillat eos, qui tēpus Sapientissimum appellarunt, Pythagoricúque Paronem commendat, qui rudissimum esse dixit, quia in ipso etiam obliuiscimur. Mutatio, inquit, per se quidem dimotiua est, generationis autem, & vt quippiam fit, per accidens causa est. Id iudicatur ex eo satis, quod nihil quidem fit, ni moueatur aliquo modo, atque quippiam agat. Corrumpitur autem aliquid, etiam si non moueatur, atque hanc corruptionem à tempore fieri maximè dicere consueuimus.

4. Phys.

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt.

At verò, cum tempus quantitas quædam sit, per quam horum inferiorum motus metimur, per se nec generationis, nec interitus causa esse videtur, cum omni efficiendi vi destituatur, interuenit tamen ceu symbolum quoddam, & tecmirium, per quod occasui citima, aut remota internoscimus, hinc vegetiora, & viuaciora dici cōsueuerunt, quæ à cunabulis abscessere parum, caduca, capuloque propinqua, quæ longè abierunt. Quia igitur tempus à carceribus ad calcem res vniuersas abducit, senectæ, & interitionis causa censetur. Tempus, ait Nyphus, est numerus motus, motus autem fecit distare mobile à dispositione, in qua ptiùs erat, & sic dicitur causa corruptionis, &c.

Non est negandum tamen, quin ad parandam perfectionem certa diuturnitas, dierumque numerus exigatur, nam & si ad habitus allioſis, & motus pertinere non videtur, quum ad aliud referantur, sintque boni ad optimum dispositiones, vt ait Arist. h. e. ad laudabile opus, alios tamen motus sequuntur, frequentes nimirum, & repetitos actus, qui non nisi diuturno tempore obeuntur. In Antiquis est sapientia, & in tempore multo prudentia. Iob. cap. 12.

7. Phys.

Longa dies homini docuit parere Leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus vuas
Annus agit certa lucida signa vice.

His igitur ad artem medicam allatis, & vera ipsius cognitione comparata tandem per vrbem obambulando non sermone tantum, sed & opere Medicos haberi conuenit, &c.

Qui Hippocraticam legem sanctè obseruarit, veram artis cognitionem adipiscetur, ea verò indepta fieri vix potest, quin eum se cunctis exhibeat Medicum, qui possit

Virus ab infectis abscindere partibus ægri,
Mitiaque affectis imponere pharmaca mēbris.

Sola enim opera perfectum, & verum Medicum arguunt; sermonis verò elegantia sola suspecta est, quia, vt ait Celsus, ingenium, & facundia vincit quidem, sed morbi non eloquentia, sed remedijs curantur, quæ si quis elinguis vsu discreta benè norit, hunc aliquanto maiorem Medicum futurum, quàm si sine vsu linguam suam excoluerit. Partæ itaque cognitionis verum indicium

Lib. 1.

opus

opus est laudabile, hoc autem veti Medici. Cæteri verò Medici vel hinc dignoscuntur, inquit Hipp. quòd fora venalitia ornant, cultiore vestitu explendescunt, garrulitate sua decipiunt, per vrbem circumuagantur, cum idiotis confabulantur, & nunquam incompositos mores non patefaciunt.

L. de Eleg. de Medico de Præcep. de vet. medicina.

Imperitia verò malus est thesaurus, & infelices opes ijs, qui eam repositam habent, & insomnium, aut potiùs somnium diurnum, & maximè verum, alarritatis, fiduciæque, ac veræ exultationis exors. timiditatisque & audaciæ nutrix.

In Gorgia.

Sapienter, si quid aliud, Plato notauit, peritiam efficere, vt per artes vita nostra incedat, imperitiam, vt per fortunam temerè circumuagetur; Solus enim habitus nos expeditos, & alacres ad agendum efficit. Malus ergo Thesaurus imperitia, tum quia reapse defectus quidam est, tum quia impedit, ne Medicus conuenienter ad sanitatem operetur. Sciendum interim malitiæ bonum subijci, nec quicquam summè malum esse, quum nihil natura malum sit (malum dicimus debitæ perfectionis priuationem) Quare & si vnũ oppositorum non subijcitur alteri, bonum tamen malo snbsternitur, subiacetque: ratione, quòd determinati generis sunt cætera opposita, atqui bonum, & malum communia. Cęterùm non bonum quoduis malitiæ subiectum esse potest, at illud dumtaxat, quod orbari, priuatique ea perfectione aptum est. Imperitia ergo ceu malus quidam thesaurus in anima veluti in scrinio reposita est.

At verò non modo malus est thesaurus imperitia, sed & insomnium, aut potiùs somnium diurnum. Hoc autem interest authore Macrobio inter somnium, & insomnium, quòd hoc penitus ludicrum, & phantasticum est, illud verò tegitur figuris, & velatur ambagibus nonnisi interpretatione intelligendis. Quare imperiti Medici similes sunt somnia diurna videntibus, quibus multiformia spectra obuersantur, quæ animum miris modis ludificant. Ad hæc nullam sentiunt in agendo voluptatem, quòd habitum non callent, vnde securi nunquam, facilesque nituntur, delectatio enim, ceu corpus vmbra, habitum sequitur. Hinc Arist. vnicuique, inquit, proprium opus est delectatio. Cæterùm meticulosos efficit apyria, & inertia, nam vt experientia confidentes, & fortes in agendo reddit, vt docet Arist. ita inexperientia formidolosos. Audaculos verò efficit imprudentia, quæ insciticæ & Αωγίας it comes. Quare vnius imperitiæ diuerso modo affectæ cõtrarij effectus esse possunt.

6. Eth. Signũ habetis habitum est delectatio.
2. De cælo.
* Atechnia. In Procem. Metaph.

Timiditas quidem impotẽtiam, audacia verò ignorantiam artis sequitur.

Scitum est illud Platonis. Ad illa quisque bonus est, ad quæ est sapiens, ad illa malus, ad quæ ignorans. Ignorantia siquidem ad pauca respiciens erroribus facilè implicatur, parit audaciã, quæ securitas quædam est, qua quis malum neque futurum expectat, nec præsens perhorrescit, quoniam contraria non cernit. Et quemadmodum timiditas sequitur impotentiam, & imbecillitatem, ita hæc ex eo traxit originem, quòd nullus vsus, nulla subsit ars, vnde communiatur, viresque acquirat agendi, contrariorum enim contraria sunt consequentia vsus autem potentem reddit, nam vt ait Hipp. lib. de Flat. manuum vsus maximus est doctor.

Verus proverbium Insciti audaciam prudẽtia cunctationem facit.

Duo enim sunt, scientia, & opinio, quorum altera scire facit, altera verò ignorare. Cæterùm res sacræ sacris hominibus demonstrantur, prophanis id fas non est, priùs quàm scientiæ orgijs initientur.

In Epist. ad Damagetũ.

Opinio ab Hipp. audacior; & concitatior fœmina fingitur, est tamen reuera vacillans, &, vt ait Albertus, tremens habitus, quòd nulla firma, solidaque suffulciatur ratione. Scientia verò firmus, constansque est habitus per demonstrationes acquisitus: Illa ignorare facit, quia nutat, verasque rationes nullas possidet; hæc scire, quia constans est, causasque agnoscit potissimas. Cæterùm opinio ignoratione melior censetur à Platone, mediaque statuitur inter scientiam, atque ignorantiam, & hercules percontanti melius est opinionem proferre, quàm subticendo, premendoque promere puerilem insciti'am, & prodere. Sed altiùs progressus Hippocrates canit iam receptui, animaduertens res sacras non esse ignaris offerendas, priùs quàm scientiæ orgijs initientur, nam vt genus id Alitum, quod verrendo, scalpendoque sibi quæritat victum, emergentes vniones, & pretiosa quæque neglectui habet præ vermiculo, ita ignari recondita scientiarum mysteria non capientes aspernantur, voluptatibus, aut quæstui inhiantes. Quòd si veram fœlicitatem in vita sapientia nossent esse repositam, reliquis dicerent vale.

Lib. de Repub.

IN HIPPOCRATIS COI LIBELLVM DE HOMINIS STRVCTVRA Commentarius.

IOANNIS STEPHANI IATROPHYSICI VENETI.

CVM Perdiccas Macedonum Rex tabido Marcore laborare putaretur, accersitus Hipp. vnà cum Euriphonte, qui ætate maior erat, certis notis Regis animũ affici deprehẽdit, ab obitu enim Alexãdri parentis vnam ex pellicum eius numero Philam nomine Perdiccas miserè deperibat, ad quam cum Hipp. summa prudentia ductus rem ipsam porrò detulisset, Regis conspectum subire iussit, quem cum ex mulieris aspectu omninò permutari satis animaduertisset, ita morbum propulsauit, & Regem seruauit. Quare inita à Rege gratia, & summa comparata auctoritate hunc ei libellum nuncupare voluit quò hominis constructionem à carceribus vsque ad calcem dignosceret, & quibusdam obseruatis artis præceptis innoxiam per singulas anni quadras duceret vitam. Nec est, quod quisquam ambigat esse Hipp. genuinum hunc lib. cum omnifariam senis doctrinam vbique sapiat, & redoleat, & meliorisnotæ viri ita sentiant, quidquid alij ad pauca respicientes scripserint.

Mercurialis.

Hoc est igitur diuini Hipp. consilium, vt in hoc libello de homine agat, prout ex elementis, propioribusque primordijs constituitur, atque coalescit, quæcumque enim hic traduntur sunt hominis vel principia, vel affectiones, quamobrem quiuis animo asseuerare possit coagmentabilem hominem huic contemplationi subijci. Reliqua, quæ de anni temporibus, ac de conseruanda valetudine egregia præcepta subnexuit, epigenimatica sunt. In ipsa verò Phisiologia obiter & Pathologiam attigit, nec hercules abs re, quando maximè Regi multa paucis expetenti obtemperandum erat, cui summa rerum fastigia satis sint, dummodo ad tuendam sanitatem aliquid pro re conferant.

Mundus quatuor ex elementis consistit, Igne, Aere, Terra, & Aquâ, calido videlicet, humido, frigido, sicco.

Ad rem igitur aggressus Hipp. ponit pro confesso mundi quatuor esse elementa, quod Arist. in postremis lib. de cœlo ex situ, & diuersa materiæ affectione demonstrauit præterea in secundo de ortu ex combinatione primarum qualitatum idẽ confecit. Verumtamen libro primo de cœlo quintum addidit elementum, quod ipse elementorum primum appellat, nempè Cœlum. Cur autem dicet quispiam Hipp. quatuor dũtaxat esse elementa, scriptis tradidit, si quinque sunt? Cui sic oportet respondeo. Arist. in lib. Cœli elementa animo cogitationeque complexum fuisse, vt mundum constituunt, vtpote illius partes, in quo censu cœlum quoque est, cum totum nil sit aliud, quàm suæ partes simul sumptæ, mundus autem est cœli, elementorumque compages: Cæterùm Hipp. hic, vt alibi Arist. ad mixtum referendo animo, rationeque lustrasse elementa, palam, planumque fiet omnibus, qui sequentia reputabunt verba, nam etsi cœlum ad mixti generationem conueniat (nã Sol, & homo generant hominem) est tamen assymbliton, concurritque tantùm vt efficiens, & externum principium, quærit autem Hipp. materiata, & formalia mixti primordia. Porrò, vt ait Auic. Medicus fidem adhibere debet Philosopho, atque vti demonstrata multa ab illo mutuari, vt puta an sint elementa, & quot sint, & quomodo sint, de quibus si acriùs, & subtiliùs edisserat Medicus, Philosophi potiùs, quàm Medici munus sustinere videtur. Laborant quidam, vt hoc obiter adijciam, in constituenda mundi forma, quàm

facilius

faciliùs sit Academicæ, quàm Eleaticæ scholæ inuenire. Sunt, qui cœlum, quod continens sit, & conseruans, sunt, qui Deum faciunt. Veruntamen In lib. Cœli. Philosophi sententia forma mundi ea est, cui non repugnat in plura dirimi, atque multiplicari, Deus verò vt est purissimus actus, ita omninò indiuisibilis. Dicendum ergo sphæricam figuram esse mundi formam, vt posthac sic finiri possit. Mundus est corpus compositum ex vniuersis naturalibus corporibus sphærica figura contentum. Quærimus autem nos accidentariam formam, haud substantialem, quum mundus non sit vnus essentiæ vnitate, verùm aggregationis, & ordinis. Cæterùm nil referre putat Hipp. ignem dixeris, an primum calidum, (vnicum enim est in quoque rerum genere primum) Aerem, an primum humidum, Aquam, an primum frigidum, Terram, an Lib. 1. de tuenda, sanit. primum siccum, quod & Galeno visum est; elementa, inquit, vel per sua nomina, vel per qualitates nomines, nihil refert.

Sit verò ignis calidissimus simul & siccissimus, non quæro, cum non sit nostri instituti singula minutis punctis colligere, sed summa sequi fastigia rerum. Neque me transuersum agit illorum sententia, qui terram primum frigidum, aquam primum humidum constituunt, non perturbant, inquam, nam vel naturalem dispositionem negligunt à fonte caloris Sole scilicet solius distantiæ solliciti, vel accidentarij effectus rationem habẽt, quum aqua vberiùs humectare videatur ob solidiorem, densioremque materiam, atque adeò pertinaciorem applicationem. Illud me in admirationem dedit potiùs, cur non magis ex semine, & menstruo sanguine, proximis nostræ generationis initijs auspicandum duxerit, quàm ex elementis communibus mixtorum omnium primordijs? Scire tamen licet, hominem sanitati, aut ægritudini opportunum Medico considerandum offerri, fontes verò, & scaturigines sanitatis, aut morborum esse elementa, quare consultò, ac scitè senex ab elementis auspicatur.

Iisdem ex elementis quatuor, totidemque humoribus & homo constitit, sanguine scilicet, pituita, flaua, & atra bile, & sanguis quidem aeri, pituita aquæ, flaua autem bilis igni, atra verò terræ similatur. Sanguis enim gustu dulcis est, pituita salsa, flaua bilis amara, & flauescens, atra verò acetosa, & flauescens.

Eisdem igitur ex elementis constat homo, qui Lib. de nat. hum. microcosmos perhibetur, nam vt alibi probauit, si homo vno tantùm constaret elemento, non doleret; Quidni? dices. Quia dolor est affectio sensorij ab obiecto improportionato, sensorium autem constitutum oportet ex harmonia primarum qualitatum, quo sanè argumento plura esse elementa probauit, non tamen quatuor.

Probauit tamen Aristot. qui imperfectè etiamnum mixta ex quatuor elementis constari asseruit, & si vnum manifestè dominetur, nefas autem sit quatuor elementorum concursum ad hominis constitutionem negare, cum sit mixtorum omnium perfectissimum, cæterorumque veluti critirion. Sed enim cum duo sint proxima generationi nostræ principia, semen, & sanguis, illud que igni, & aeri, hic terræ, & áquæ respondeat, non est diffitendum ex quatuor elementis constare humana corpora, id quod eo probauit argumento Auic. quòd dissoluta in totidem elementa resoluantur. Aristot. tamen duo reuera statuit ele- 5. Metaph. menta materiam, & formam, quatuor vocata elementa, verùm Hipp. sensibilia, prout decet Medicum, principia, & propiora spectauit. Illa sunt principia generationis, hęc mixtionis. Confectum Mesuan. igitur sit, hominem ex igne, aere, aqua, & terra constare, totidemque humoribus analogia respondentibus quatuor elementis, sunt enim, vt ait Constantinus, elemẽtorũ filij: Bilis enim igni, sanguis aeri, pituita aquę, terræ melancholia respondet, comparaturq; ,quod sanè consentaneũ est, siquidem humores sunt solidarum partium proximum alimentum, tale autem potestate esse decet alimentum, quale id, quod alitur. Non est prætereundum humores esse conseruantia principia, quæ in locum, viceſque facessentis, & dilapsæ substantiæ subrogantur: Negat tamen Arist. præter sanguinem in venis vllum alimentarium humorem contineri, illum vocat vltimum alimentum, quum solum calidis, humidis, dulcibusque nutriantur.

Fernelius vnà cum sanguine cæteros humores actu subesse inficiatur, sed sanguinem duntaxat diuersis partibus constitutum, argumento, quòd si quis sano catharticum exhibuerit, si non subsit, quod trahat, corpus colliquat. Idem putauit pernitiosissimus Paracelsus, qui reliquos medicos vocat humoristas. Diffiteri tamen nequeunt, quin bilis, pituita, melancholia præter naturam dentur, atqui posito vno contrariorum & alterũ concedendum est, volunt dari bilem præter naturam, negant naturalem, cum hæc priùs potiùsque exi- Lib. 2. Cæ. lius. 4. stat. Id, quod est, inquit Aristot. præter naturam, posterius est eo, quod secundum naturam est. Qui dixit, ait Arabum princeps, humorem naturalem Auic. Aristo tele insimulat errorẽ esse modo sanguinem, reliquosque humores superuacuos, quibus nihil opus est, in veritate caligat, veluti noctua ad Solem, enim verò si vno sãguine membra irrigata nutrirentur, vniuersa temperiei, & essentiæ similitudine conuenirent. Atqui os carne durius ideò existit, quod sanguis, cui substantia dura, & melancholica commixta subest, alimoniam præbuit. Hipp. cæterorum humorum tantam necessitatem ponit, vt vno sublato, animal è medio tollatur. Equidem existimo vnà cum sanguine cæteros humores contineri potentia, non actu, quemadmodum in mixto quatuor elementa, in temperamento primæ qualitates, cum interim à prædominante qualitate temperamentum nomen, & rationem mutuetur. Illud actu est alicubi, quod secundùm suæ formæ integritatem operatur: Bilis proin, quæ è cysti decidit in Ecphysim, dum intestina ad excretionem proritat, peculiare exerçet opus. Pituita, quæ internodia labore, & exercitio exsiccata oblinit, & humectat, proprio fungitur munere. Melancholia, quæ ad imum ventriculum illabitur, vt illum contrahat ad meliorem coctionem, aut quæ ad os stomachi ad famem excitandam, suo præsto est officio. Præterea, actu contineri, est separatim & definitè

finitè esse, sed nullus humorum in venis est huiusmodi, mancipantur enim sanguini, à quo habent, vt nutriant congeneres particulas, ad quas appulerint, & hoc est, quod volebat Aristot. solum sanguinem nutrire.

Sanguis primis qualitatibus calidus, humidus, secundis ruber, & dulcis, quæcunque enim moderato calore constant, & aereo humore, ac prædigesto, dulcia esse consueuerunt.

Lib. de corde de part. An. 1. de tempe. Arist. 4. Meteor. cap. 11. Auic. lib. Canticorũ.

Verùm quid Hipp. & Arist. respondeas sanguinem frigidum statuentibus? Quibus adscriptorem se se præbuisse videtur Galenus, inquit enim sanguinem suum ex corde calorem assumere. Sed obiter, si spectes materiam, sanguis frigidus est, si formam, & generationem calidus.

Pituita frigida, humida primis, secundis alba, & insipida, pituita enim naturalis est semicoctus sanguis, quare miror, Hipp. dixisse, salsam esse pituitam, quum humorum meminerit naturalium. Salsa fit bilis, aut salsi ichoris mixtione, siue putrefactione. Mendum igitur in codice subesse arbitrandum est.

Bilis calida, ficca primis, flaua, & amara secundis, quæcunque enim impensè calida terrestri sicco iunguntur, amarescunt.

Auer. cap. de modo cognoscendi virt. Med. Libel. de venen. cap. 9. Quod & Nis inn. fenfu li. 2. c. de ferc.

Atqui duplex amarus sapor, vnus subtilium terrenarum partium exustionem excipit, alius validioris frigoris soboles est, vt est cernere in opio, inquit Auerr. cui resistit Capiuacceus, qui calidas particulas ascisci opio, quarum ratione amarescit.

Melancholia frigida, ficca primis, nigra, & acida secundis, acescunt enim quæcunque terrenæ siccitati sociata calore destituuntur.

Sanguinis autem locus, & spiritus in corde est, à dextris quidem eius sanguis, à sinistris verò spiritus consistit.

Cum retrò statuisset Hipp. humanum corpus ex quatuor humorum concursu constare, nunc singulos peculiaribus destinat locis, atque definit: Sanguini, & spiritibus cor; bili iecur; Pituitæ caput; Melancholiæ locum præstat Lien. Cur verò sanguini cur? An quia deuoratus, & ingestus per os cibus, indè que in locos suos, idest intestina, & ventriculum collatus euaporatur, & sursum respirat per venas, per quas deinde permanat, ad iecur, in iecinore mutatur, & natura sanguinis tingitur, à iecinore influit & subit in cor, in corde vincitur, & conficitur pleniſſimè, inibique in sanguinem perfectè conuertitur? An quia nullibi extra venam, præter quàm in corde collocatus seruatur? An quia venis nondum distinctis, cor sanguinem habere cernitur? Et sanè nobis aliquo imminente discrimine percelli, concutique persentiscimus cor, sanguinemque eò, veluti in fontes, lareſque vbertim confluere, quo formidat idẽtidem: Vnumquodque autem sua repetit loca, vbi seruatur. Verumtamen Hipp. sanguinis & spiritus nexu, & copulatione arteriosum sanguinem innuere videtur, qui proculdubio in corde collectus perficitur, vt eius postea syncerior halitus pleniſſimè elaboratus facessat in vitalem spiritum; qui in sinistro, arterioque cordis thalamo collocatur; tum quia locus ille calidior est, quidquid

Themist. li. de somnis & vigil. c. 13.

Arist. li. 3. de part. An. c. 5. Lib. de Respir. c. 8.

Creauit Deus ait Auic. in concauitatib. cordis sinistrâ, vt esset armariũ spiritus, & minera generationis il-

scripserit Aristot. tunc quia tutior ob loci angustiam, & crassiora sepimenta, & parietes, quibus obuallatur. Sanguis in dextero phlebodeque sinu continetur, vnde per porosum, foramulentumq; parietem interiectum traijcit in sinistrum, vt materiam continenter vitaljum spirituum suppediret: Amplior hic est sinus ob sanguinem, quem vena caua assatim in cor euomit, & eructat; Animalibus, quæ pulmone sunt vacua, desideratur, vt eius potissimum causſa effectus esse videatur.

lius, lib. de virt. cordis in pra.

Flauæ bilis in iecinore, atræ in liene, pituitæ quidem in cerebro locus, &c.

Subdit flauæ bilis locum esse iecur, aut quia reuera ibi gignitur, cum sit vniuersæ chymoseos initium, aut quia eius simæ parti subest cystis bilis conceptaculũ: Hinc Hipp. li. 4. de morbis, sanguinis, inquit, fons est cor, pituitæ caput, aquæ splen, & bili locus folliculus in hepate. Fit bilis (siquidem de naturali verba fiant) ex iginea chyli portione, materiæ, enim potiùs accepta ferenda est humorum diuersitas, quàm efficienti, quamquam aliter sensisse videtur Galenus mellis exemplo.

Melancholiæ sedes lien est, quia ab eo attrahitur limus per venæ portæ hamum, cuius benignior pars coctione prolecta lienem nutrit, deterior ablegatur in ventriculum, & intestina. Equidem admiror Aristot. qui cùm cystim, tum splenem ad sanguinem defęcandum condita esse percallebat, non erubuerit tamen, splenem per accidens adiectum esse proferre. Quidam vitalium spirituum præparationi præesse volunt. Quidam hæmatoseos organum constituunt, tantùm abest, vt frustra factum esse arbitrentur. singulis subsunt suæ rationes, sed fallaces. In eos vsus procreatus est, vt limum à massa sanguinea secernat, quem cum multo sanguine attractum, & noua coctione depuratum in nutritionem vertit, vt multo magis tenui alescat lien, quàm iecur sanguine, quod ex Galeno notauit Amatus. Vidit tamen Hollerius hominem, qui dissectus repertus est sine splene.

3. de Part. An. c. 7.

Vlmus.

Aretæus.

Cent. 4. cur 43. libello obseru.

Pituita duplicis est generis, quædam enim naturalis & alimentaria est, cuius efficiens, vt ait Auicennas, est caliditas heparis attenuata, materialis causſa nutrimentum crassum, humidum, viscidum, frigidum, formalis causſa coctio diminuta, finalis, vt phlegmaticas particulas enutriat. Quędam excrementitia, quæ in ventriculo, & capite coaceruatur siue per externum errorem, siue per facultatis impotentiam. Hipp. caput statuit pituitæ locum, quod alibi phlegmatis metropolim nuncupat, quia colligitur in capite, quod cucurbitulæ Medicæ comparatur, ad quod totius corporis elati vapores per cerebri frigiditatem concrescunt, & in pituitam degenerant. Agit ergo de excrementitia, quia naturalis, & alumna nullam sedem obtinet, vtpotè, quæ famis tempore facilè elaborari possit in sanguinem, & confici, vt ait Arabum Archiater. Hinc constare puto, loqui potius Hipp. de collectionis loco, quàm geneseos, quum iecur sit commune principium.

Lib. 1. F. 1. D. 4.

Arteriæ quidem purum sanguinem recipiunt, & spiritum. Venæ autem & ipsæ à corde sanguinem summunt, per quas corpori distribuitur: Sed iecur cordi

li. 4. de morbis lib. 2. de morbis.

sangui-

sanguinem non præter veri fidem affatim suppeditat, nam ignis absque materia diu permanere non potest.

Arterias è corde veluti è scaturigine emanare, & ab eodem purum, lautumque sanguinem haurire liquidò constat, venas autem ab eodem sanguinem resumere, haud constat: Huc tamen spectare videtur Hippoc. qui & Aristoteli erroris ansam præbuit (neque enim iniuria quidam Aristot. ingratitudinis insimulant, quòd solidioris Philosophiæ primordia ab Hippocrate mutuatus, eius nunquam nisi obiter, & exempli loco meminerit) cor namque venarum, sanguinisque vniuersi fontem, principiumque esse, mordicus tuetur, cui applaudens elegantissimus Themistius, venæ, ait, aliæ cor adeunt, aliæ à corde proueniunt. Venæ, quæ adeunt cor, tamquam ministræ, ac getulæ sunt, vt quæ à iecinore incoctum, & imperfectum sanguinem conuehunt, quem cor susceptum sua vi meracum, & absolutum reddit. At venæ, quæ à corde pertinent, comparatæ ad alium vsum sunt, videlicet, vt succus per eas concoctus iam, perfectusque in totum corpus distribuatur, atque dedatur.

In Polit.

Fauet Philosophis ea ratio, vnum multitudini esse præferendum, ne frustra quædam facta videantur: Porrò quando agentia duo ad vnum opus absoluendum conueniunt, alterum vt afficiens, & disponens, alterum vt effector primarius, huic potiùs effectus acceptus ferendus, quàm præmunienti præparantique, quale iecur esse volunt, quod materiam conficiendi sanguinis cordi præparat. Quæ sanè omnia vnica distinctiuncula diluuntur difflaturque. Omnium functionum vnum esse formale principium, nempè cor esse volumus, non tamen proximum, nisi quarundam, vt vitalium, cæterarum verò vt synæction, & adiutricem causam, plura esse peculiaria, & proxima asseuerauimus. Profectò plures statuit Aristot. animæ facultates, hasque vniuersas in corde collocauit, vt enim in megacosmo vnicum est principium, ita in microcosmo vnicum adesse debet, aliàs homo reuera vnus non esset, hoc autem principium est anima, quæ cum in corde, ceu in fonte resideat; sic vnà communissimam animæ facultatem constituere, iussum est; Quamobrem cor communissimæ, non priuatæ facultatis domicilium perhibetur, quæ sanè catholica animæ potestas in præcipuis machinamentis, & organis, temperamenti, proportionisque ratione contracta euadit singularis, vt in hepate naturalis, & hæmatopoietice fiat; Rectè igitur scripsit Auic. non esse curandum Medico, an à corde sensoria facultas procedat, an à cerebro, & an nutritoria à iecinore, vel à corde, quùm eo etiam admisso, quod Arist. sensit, constet tamen cerebrum facultatum animalium, & iecur nutritoriæ potentiæ esse principium, euidentius, inquam, & in quo hæ facultates se se magis exerant; manifestæque fiant; vt enim Deus in Sole tabernaculum suum posuisse dicitur à prophetico spiritu, quia in eo manifestiùs apparet diuina virtus, ita fortè & cerebrum animalium, & iecur naturalium virium principium esse feruntur, quòd in his præclarnis eluceſcunt.

Arist. lib. de sensu & sensili.

Venosus itaque sanguis speciem, summamque perfectionem ab hepate indipiscitur, qui tamen rudimentum quoddam videatur ad arteriosum, qui in corde nouam subit alterationem, vt pulmonum congruus fiat alumnus, & vitalium spirituum procreationi materiam suppeditet.

In quam sententiam inuitus etiam Philosophus incidit, vbi scripsit, cor, & iecur omnibus Animalibus necessaria esse, alterum propter caloris originem, quòd locum adesse oporteat aliquem, quasi lares, focumque quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur, conseruenturque, & eundem esse tutum, veluti arcem corporis totius: Alterum, iecur dico, cibi concoquendi gratia adest, & quidem nullum sanguine præditum ijs duobus carere potest: Cui argutissimus filius Rhois adscripsit: Iecur, ait, cibum permutat, conficitque in sanguinem, subinde in vniuersa corporis membra distribuit; quod medius filius penitus cõsentaneum est, siquidem in iecinore fiunt sanguinis excrementa, ibi vero quippiam absoluitur, vbi amandantur, digeruntur que aliena. Faceſlat igitur posthac bonus Zimara, qui nobis conniuentibus imponere conatur, fierique non posse, quod astruximus, deierat. Venæ igitur & ipsæ sanguinem à corde sumunt energiticos per communem caloris, & spiritus effluxum, sed iecur cordi non præter veri fidem antipelargia meritum remetitur; dum per venam cauam sanguinem in dextrum cordis thalamum affatim eructat in eosdem, quos antea commemorauimus: Nec est, cur cuipiam propter Hipp. hæreat aqua, nam ille sui semper similis voluit iecur sanguinis opifex, quam mentem Democritus per epistolium significauit, dum scripsit. Quod verò sanguinem suppeditat, & in sanguinem transmutat eum apicibus sæpè vena cauæ circumfluum hepar est, concupiscentiæ causa.

3. de part. Anim.

2. collect. c. de Hip. iuuam.

Cor sanguini thymalem communicat per quam sanguis formaliter est sanguis.

Galenus multis argumentis hæmatoseos iecur principium esse confirmauit, tum ex parenchymate sanguini concolore, tum quòd venæ vmbilicales, per quas fœtus alimentum trahit, iecori, non cordi inseruntur.

Accedat venæ portæ cum corde nullam videri communionem, & pisces, cum affluant sanguine, nullam venam cordi attiguam obtinere, ad hæc cordis valuas foris intrò patere ad excipiendum, non ad effundendum, & emittendum, quod autopsia confirmatur. Quidquid tamen sit, formale principium à corde deriuari putandum est, cum illud sit animæ sedes, & vitæ, ac omnium adeò vitalium munerum auctor. Mercatus ideò cor sanguinis principium statuit, quòd inde nouam perfectionem nanciscatur, quod de arterioso audiendum est sanguine.

Arist. lib. de sensu Anima est in corde sicut aranea, in tua tela: hoc tamen intelligi eminẽter, prout in corde supersunt communia vitæ instrumenta.

Quo fit nonnulli hominum quasi semper rideant, quidam verò tristentur: Huius rei causam ex elementis esse dicimus. Qui enim puri sanguinis non inexpertes sunt, hi vsque quaque rident, & aspectu, & corpore floridi, necnon perspicui coloris existunt. Qui verò flauæ bilis participes sunt, defides, pusillanimes, pauidi, imbellesque esse solent: Pituitosi verò inertes, & frigidi sunt.

Siue aliud nitatur Hipp. siue ab effectu quodam-

dammodo probet, hominem ex quatuor elementis, totidemque humoribus conflari quòd quidam semper rideant, quidam perpetuo tristentur, iustè in elementa, & humores reijcit, habitudo enim ad varia opera, & affectus ex varia corporis dispositione, seu temperamento proficiscitur, quod duplex statuunt Astrologi referente Nipho, cæleste, ac humorosum, hoc ex elementorum mutua mixtione, illud dum in lucem edimur, ex vario astrorum aspectu, & conspiratione inducitur. Hinc fit, vt sanguinei auari sint, & illiberales, bilioſi, mansueti, placidi, segnes, melancholici hilares, festiui præpollente cælesti temperie, quam & Mesuæus agnoscit, dum vnamquamque rem duplici virtute donari scriptis tradidit, cælesti, ac elementari, à quibus non defecit Falloppius duplex statuens temperamentum manifestum, & formale. Risus igitur causſam à puri sanguinis affluentia repetit, quæ spirituum opulentia animo splendorem obijcit, quò fit, vt iucundè omnia, & accommodatè accidant; sanguinea enim dispositio, h. e. calida, & humida optimè sensus omnes afficit, vt nulla ferè sint absimilia obiecta: Quod verò caliditas lætitiam, risumque pariat, demonstrat Arist. exemplo senum, & puerorum, quorum illi ob natiui caloris penuriam tristes semper, & morosi, hi ob vbertatem lætabundi, & festiui.

1. de Anim. comm.

Prin. suorum canon.

Duo, inquit Fracastorius in risu sunt, admiratio subita rei nouæ, & ludricæ, & delectatio: Qui igitur facillimè admirantur, ij ex causſa hac promptiores sunt ad ridendum; propter quod Pueri maximè, & mulierculæ, & plebs facillimè ridere solent, grauiores autem & seueriores, & viri, & hi quidē Philosophi minus in risum ducuntur. Porrò qui læti sunt, aut ex accidenti aliquo facilius in risum incidunt, facillimè enim lætis propter dispositionem afficiuntur, quare per naturam iuuenes & optimè sani, & qui sanguinem plurimum habent, & eum dulcem, non bilioſum, non melancholicum, maximè ridere solent. Ex accidenti verò dispositi sunt ad risum, qui in lætitia consistunt, vt ebrij, & quibus multa eorum adsunt, quæ læta dicuntur, si noua sint. Quare & qui in conuiuijs sunt, inter familiares, & amicos quàm plurimùm ridere consueuerunt, imò sæpè adeò effusè rident, vt se continere non possint, & incontinentiæ notentur. Causſa est, vt ait Aristot. quòd ipsa lætitia quasi risus quidam est, & ij in motu quodammodo sunt semper, res autem in motu adeò promptè pellitur, vt contineri non possit.

Lib. de sympath. & antipath.

Ioannes Huartes reiectis aliorum sententijs risus causſam in phantasiam deriuat. Non est, inquit, alia risus causſa, quàm approbatio, & assensus, quem præstat imaginatrix facultas, cum quippiam accommodatè dictum, vel factum offertur, quoniam verò hæc in cerebro residet, fit, vt ob huiusmodi oblectamenta, & titillatus commoueatur, ac adeò omnes corporis musculi, ceu illius administri, argumento sit capitis inclinatio ad probanda dicteria, & apophtegmata.

Lib. de ſerut. ingen. Hipp. lib. de morboſacro. Porrò expedit homines noſſe, quod ex alia nobis parte voluptates nō contingūt & lætitiæ, & risus & luſus, quā ex cerebro.

Scire tamen licet, sales omnes, lepores, & veneres inauditæ sint, oportere, alioquin nec admirari nos, nec oblectari. Sanguinis autem affluentia sic phantasiæ organum malè afficit, vt de suæ perfectionis gradu per talem dispositionem deiecta quæuis etiam inconcinnè dicta probet, ijsdemque non indelectetur.

Quærit Alexander, cur risum multi è liene oriri putent, asserentes non similiter risu videri affectos, quibus lien vitiatus, vt quibus integer sit, imò illos magnopere tristes esse? Respondet ex euentu, non propriè risus causſam in liene existere, nam si valeat, trahit ex iecore fœcosum omnem, & melancholicum humorem, quò fit, vt cum purus, defęcatusque sanguis per vniuersum corpus, tum in cerebrum commeet naturam, simul animamque oblectet, atque instar vini eas exhilaret, atque in tranquillum ducat, & ita risus ab ea moueatur.

Lib. Probl. 35.

Sunt, qui diaphragma risus sedem statuant Homeri, & Arist. auctoritate freti, quod eo affecto visi sint in risum dediti.

2. de part. An. c. 10.

Sed mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quæ miseris permiscent gaudia fatis.

Non modò autem in risum proni sunt, qui puro sanguine diffluunt, verùm etiam eusarchi florido colore nitent, purum dico, non modò qui non est vitiatus per temperiei excessum, vel per extranei permixtionem, vel per degenerationem in alterutram bilem, verùm qui naturalem obseruat proportionem, vt nimirum huius in venis plurimum sit, dein pituitæ, minimum bilis, dein melancholiæ, talis enim foris efflorescit color, qualis fuerit intus humor, ni retrocesserit. Non est igitur mirum si in iusta humorum proportione prædominante sanguine corporis viuidus colot, & iocundus aspectus appareat.

Quærit Aphrodisæus, cur gaudentes rubent? Respondetque naturam sponte sua delectanti sese occurrere, qui extrinsecus sit, vt nos amico, liberisque solemus, eam verò & sanguinem assectari, qui subindè roseam suo colore cutem efficit.

probl. 69.

Mœrent autem, ac tristantur, qui contrario se se habent modo, enim vero quæ ad lętitiam maximè præmunit, & inclinat, illa dispositio est, quæ sensus bene afficit, bene porrò affecti sunt, benèq; cum ijs agitur, quum indipisci finem suū possunt, qui est recta, decensque functio, & delectatio, sua verò munera tractant per calidum, quo consistūt, conseruantur, & pollent, cum nil sit sensitiuum sine calore. Igitur qui natura præcalidi sunt, ij similiter ad lætitiam parati sunt, cæterùm cum calore illo nihil acre, nihil austerum coniunctum esse oportet, quare humidum maximè conuenit, quale ineſt sanguini.

Sanguis autē abundans inquit Auic. & clarus, & temperatus, quoniam ex eo gignitur copia spiritus clari, & subtilis laudabilis & temperatæ complexionis dispont ad gaudium. Sanguis autem grossus & turbidus, & additæ caliditatis dispont ad tristitiā, & ad iram etiam perdurātem.

Qui verò multum habet choleræ, aut melancholiæ ineptus ad lætitiam uidetur: Cholera quidem etsi calida est, acris tamen, & amarulenta, melancholia cum austera est, tum rigida, quare maximè contraria est lætitiæ, hinc fit ut maxima melancholicorum pars tristis sit, & displicentiæ plena, qua causſa etiam solitarij sunt melancholici, & consortia uitant, qualem fuisse Bellerophontem ex Homero commemorat Aristoteles.

Aſt hic quando etiam grauior Dijs omnib. errat
In campos solus latos, inque auia rura.
Ipse suum cor edens, hominū vestigia vitans.

Sanguis a iutem grossus & additę frigiditatis, & turbidus facit hominę desolabilę, & tristibilę, & lentæ iræ nisi ex forti causa. Odiũ enim est per seuerantia formæ nocui in ipsa phantasia. 30. sect. Probl. 1. Hor. Lib. Quod An-mor.

Cur ita, dices? Quia vnà ridere, & respondere, & aduertere opus est, ipsi verò taciturnitate gaudent, mœrorem fouent. & visis, idolisque suis toti vacant, inhiantque.

Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi

Melancholicorum accidentium reuera incomprehensibilem esse caussam, arbitratur Serapio. Alij tenebrosum phantasma causantur, alij frigidam, siccamque intemp. alij cachoetes. Scitè Aristot. melancholiam vino comparat.

Lib. de flat. num. 20.

Segnitiei, & inertiæ caussam esse pituitam rectè existimat senex, nam frigiditas omnibus animæ operibus apertè incommodat, inquit Galenus, qui animi dexteritatem, & prudentiam ab humore bilioso deriuat, integritatis, & constantiæ auctorem facit humorem melancholicum, sanguinem simplicitatis, & stoliditatis caussam, pituitã autem ad nomen cultum nihil facere arbitratus est. At obijciat quispiam, Hipp. prudentiam reposuisse in sanguine. Inter omnia, inquit, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam confert, quam sanguis, hic ergo cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia. At lib. de morbis. Sanguis, ait, qui est in homine maximam partem ad prudentiam confert. Quò spectauit etiam Philosophus, quando protulit, esse quidem efficaciorem sanguinem, qui calidior, & crassior, vim autem intelligendi potiorem obtinere, qui frigidior

4. sect. Probl.

Item Gal. 2. de diff. feb.

est, & magis tenuis. Conciliari tamen possit Hip. Haly distinctione. Sanguinem vel syncerum, secretumq; spectas, vel commixtum, simulq; aggregatum, ille simplicitatis caussa perhibetur, hic si rectè sit constitutus, prudentiæ author censetur, si modò mores animi temper. corporis sequuntur.

Arist. verò non absolutè frigidum sanguinem ad intelligentiam facere, sed qui sit minus calidus, ratus est, frigus enim primò non ingreditur naturæ actiones, quidquid cõminiscatur Per. Apponus.

Quod verò flauæ bilis participes sint desides, & pauidi, quod velle videtur Hipp. haud capio, nisi, vt retro scripsimus præpollente cœlesti temperie hoc fiat; bilioſi enim solertes sunt, intrepidi, magni, elatique animi. Fortè atram bilem intellexit quam & superiùs flauescẽtem appellauit, vt propterea de mendo magna mihi inijciatur suspicio. Ni bilioſos audiat iracundos præ animi impotentia, quales sunt fœminæ, huiusmodi enim solent esse imbelles.

Reminisci autem, & esse prudentia praditum ex cerebro inter calidũ, & frigidum valde tẽperato prouenit: Obliuio verò ex cerebri frigiditate procedit, &c.

Progressus Hipp. ab elemẽtis, & humoribus gradum facit ad tẽperamẽtum, ex illorum enim harmonia consurgit, dicitq; prudentiam, quæ animi habitus est recta cum ratione actiuus, quæque ad practicum spectat intellectum ex cerebro admodũ temperato proficisci, nam & si mẽs nulli sit organo implicita, opus tamẽ habet phantasia veluti comite, ac pedisequa indiuidua, quæ cum sit corpori annexa qualitatum excessu vim pati videtur, vt propterea haud ritè phãtasmata proferat, quare machinalis caussæ ratione peruersitatis sit intellectus particeps. Hinc quidam rectè inquiunt. Cũ omnes animæ rationis participes non modò secũdum speciem, verùm etiam penes indiuiduas differentias æqualem habeãt naturæ perfectionem, consequens est, vt intelligendi facultas, quę ab anima profluit, eidemque in omnibus inhæret, parem obtineat dignitatem, similiterque aliæ immateriales potentiæ.

Verùm quia ad primam specierum intelligibilium productionem cum intellectu agẽte oportet phãtasiam concurrere; Item quia dum postea intellectus capax in opus incumbit vnà cum eo cooperatur phantasia, oportet enim intelligentem phantasmata speculari, vt docet Philosophus, fit, vt dexteritas ingenij, & acumen in apprehendendo per intellectũ, in componendo, discurrendo, iudicando, & alijs huiusmodi functionibus obeũdis à phantasiæ prestantia magnopere depẽdeat. Rursus verò, quia phantasiæ excellentia pendet à sensorio, & corpore, in quo est, fit hinc, vt ad ingenij præstantiam multũ cõferant ea, quæ corpus qualitatibus bene afficiunt, & in contrariam partem, quæ malè. Scitum tamen illud Heraclyti.

Li. 3. de An. c. 8. t. 40.

Splendor siccus, mens prudentissima. Cui sic respõdeas, temperatum cerebrũ ad functiones vniuersim obeundas maximè cõducere, ad quasdam verò vtpote ad prudentiam siccius quadam tenus, humoreque vacans, humor enim omnem intelligendi vim obtundit; propterea scripsit Arist. iuniores ocyùs addiscere, seniores verò ampliùs mente valere, quòd tunc cerebrum sit siccius.

In Probl. Hinc præmia tantum quærenda stoliditatis habere quãtum humiditatis.

Verùm ad pensum. Reminisci, & meminisse differunt Arist. sententia, quòd soli homines cum discursu recordentur, belluæ rei anteactæ cũ imaginatione meminere. Finiri autem potest memoria phãtasmatis habitus, seu rei absentis per imaginis inspectionem cum temporis præteriti cognitione præsentatio facta à memoratrice facultate stimulata ab aduersata imagine.

Reminisci autem est ex aliquo vestigio reseruato, & incolumi referre se in cognitionẽ eius, quod ex memoria deciderat. Reminisci igitur est renouatio collapsæ memoriæ: collabitur autem potissimum tribus de caussis, aut quia non affiguntur, imprimũturq; spectra, aut quia suscepta intereũt, & abolentur neutiquam adductis ad memoratricem idolis propter spirituum torporem, aut denique quia rerũ imagines non commouent phantasiam, nec excitant, memorãdi enim actus tribus medijs absoluitur, primum spirituum motu ad signandam, imprimendamq; speciem, deinde retentione, & custodia, postremum phantasiæ visorum oblatione; Prius, & extremum frigore oblædũtur, dum spiritus densantur, atque obtorpescunt, immobilesque euadunt. Calor ex euentu eosdem vitiat actus, dum spiritus dissipat dissoluitque cæterum medius actus, vt siccitate perficitur, ita humoris affluentia deletur, & obliteratur. In vniuersum verò tolluntur natiui caloris priuatione, & στέρησει, quod in febribus malignis vsu venit.

Qua in re habendum animo, frigiditatem solam, quã ponit Hipp. memoriam abolere, & obliuionem inducere, humiditatem verò, & madorem memoriã imminuere. Propterea libello de insania sic scriptũ reliquit senex. Tristatur, & angitur homo, & præter tẽporis rationẽ obliuiosus fit, dum

cere-

cerebrum à pituita refrigeratur, concrescunt, & immobiles manent spiritus.

Passio autem, quæ phrenitis nuncupatur ex perurentibus feb. fit, vaporibus enim ex visceribus per dorsum ad cerebrum emissis eius humidum arescit, & homo mente captus efficitur; & cerebrum oleo quocumque frigidæ qualitatis per aures, vomitusque humectare oportet.

Quid hoc est rei? Hominis structuram meditatur Hipp. tum morbos, & curationem aggreditur? Præceptum est in Analyticis. In disciplinis omnia syngenea sunto. Verumtamen, cum paulò ante temperati cerebri meminerit, vnde prudentia proficiscitur, nunc veluti ex aduerso quę ex intemperato cerebro affectiones proueniant, iustum est, subdat, contraria enim speculari vnius est scientiæ, cum sint eiusdem generis. Docet itaque Hipp. qua ratione oriatur phrenitis, & quo pacto percuretur.

Phrenitis Græcis παντὸς φρενῶν dicitur, quo vocabulo, vt notat Pergamenus, Διανοιας præcipuè significatur, inflammatio namque indicatur, per quam delirium cietur. Verùm affectus is bifariam perpendi, spectarique potest, nempe vt morbus, inflammatio scilicet męnyngum, vel vt symptoma, seu prauus, & vitiosa actio facultatum principum, vnde hæc colligitur finitio, vt sit nimirum depravatio functionum principum perpetua stipante febre à membranarum cerebri inflammatione profecta.

Sunt, qui salua imaginatione intellectus functiones vitiari posse contendunt, sunt, qui secus pertinacissimè sentiunt, & lædi rationem sine phantasiæ vitio planè pernegant, quòd hæc sit veluti instrumentaria caussa, quæ intellectui idola, & visa omnia præsentat, & offert, quo circa communi offensionis nexu prauari, peruertique has facultates volunt Mercatus, & Rudius aduersus Galeni dogmata, quem etiam facilè in suam sententiam pertrahunt eo ipso exemplo Theophili, & Lanifici, quibus vtraque facultas decepta subesset, & aberrans, licèt alterutrius erroneus fuerit euidentior lapsus. Visa enim non modò ad comparandam rerum scientiam desiderantur, verum etiam ad ea, quorum habemus, callemusque habitum, quod negabat Sennæ filius. Hinc dicebat Philosophus, oportere intelligentem phantasmata speculari, quia mens suum vniuersale molitur ex ijs, quæ imaginoso genere continentur. Inter hos tamen pacem conciliare conatur Saxonia. Imaginatio duplex, inquit, sensitiua, & deliberans, quam Auerr. cogitatiuam vocat; in omnibus Phreniticis deliberans imaginatio vitiatur, non necessariò sensitiua, quæ est quædam perceptio speciei sensibilis receptæ in sensu communi, & oblatæ imaginatrici. Duo porrò sunt in feb. & Phrenit. quæ fallendi principium præbent, vitiata ratio, & occasio; occasionem voco, externam quampiam motiunculam, vtputa vapores in auribus, qui tinnitum eum pariant, vt tibicinem referant, cui non teclamans corrupta ratio imaginationi sic planè esse putanti ius, imperiumque relinquit. Verùm hæc parerga.

Auic. error.

Ca. de Phrenit. Arist. 3. de An. tex. 57.

Fracast. li. 2. de Intellig.

Proxima Phrenitidis caussa inflammatio est męnyngum, cum sanguis biliosior è venis emanans cerebri membranas occupat, & obsidet, ibiq; putrescit, & incenditur, seu potiùs cerebri, & spirituum calida intemperies à mænyngum inflammatione suborta, neq; enim ardor, & inflammatio cerebri delirium ciet, verùm tum demum, quum calida cerebro, & spiritibus intemperies communicatur, quum visum sit incensum, inflammatumq; cerebrum citra delirium, & mentis alienationem.

Varias subit Phrenitis differentias à forma, subiecto, & efficiente petitas. Videtur tamen Hipp. paraphrenitidem potiùs describere, quam ex perurentibus, & malignis febribus fieri scripsit elatis ad caput vaporibus, quo in affectu & si mens perturbatur, non diu tamen consistit error, sed desinit feruore febrium delitescente, ni sit pernitiosa, & pestilens febris: Fuit tamen in more positum apud Hippocr. quodcunque deliramentum phrenitidem appellitare. Aliud etiam Phrenitidis genus succrescit, cum diaphragma phlegmone tentatur, quæ pseudophrenitis nuncupatur, veteres enim φρενας mentem appellabãt, quod hac particula affecta mens alienetur.

Porrò quomodo huius affectus curatio iniri debeat, paucis docet Hipp. affuso frigidæ qualitatis oleo, vt cerebrum humectetur. Vomitus symptoma facultatis naturalis toto genere præter naturam, & si eorum, quæ continentur in ventre, commune sit præsidium, cerebrum tamen ciet, & vehementer replet, quare ni præcurrant ventriculi tædia, quæ cruditatem præmonstrent, parcendum putarim, periculum enim est, ne aucta vaporum copia ingraueścat affectio. In hoc phrenitidis genere præscripto oxyrhodino bregmati quàm mox admouendo omnia reuulsionum discrimina desiderantur priùs quàm localem admoueamus medelam, per vincula, frictiones, cucurbitulas, phlebotomum, phænigmos. Qui plura cupit, videat Hollerium, cæterosque auctores, quibus ea incubuit cura, vt singulorum affectuum generatim curationem præscriberent.

Gal. de Alim. fac & aduersus Erasis de vena sect.

Lethargus verò, & ipse cerebri affectio est, cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc passio, quæ lethargus appellatur, hominem occupat, & calefacientibus cerebro opitulari expedit.

Lethargus nomen accepit ab inerti obliuione, quoniam ijs, qui tali affectu implicantur, memoria vsque adeò læditur, vt præteritorum nullatenus meminerint, & adductis, clausisque oculis, atque in somnum procliuibus veluti ignauia sepulti, & obruti iacent. Lethargus ergo proprie est inexpugnabilis dormiendi necessitas cum memoriæ læsione, & perpetua, lentaque febre: siue magis, ingens principum functionum imminutio cum inexpugnabili dormiendi necessitate, & remissa, continuaque febre, malim enim functiones, & munera in lethargo minui, quàm deprauari, vt velle videtur Sennertus.

Causssam ponunt Antiqui pituitam lentam, & viscidam in cerebro redundantem, & putrescentem, ex cuius putredine excitati vapores cor continenter feriunt, vnde febris exoritur, spiritus interim, & cerebrum occupante pituita, qua obtorpescunt.

Quæri possit, an memoria prætuetur, cuius dubij autorem præbuit

Arabes proximam cauſſam ſtatuunt phlegmaticum apoſtema, quod ſcripſerit Galenus, lethargum phrenitidi quodammodo eſſe contrarium, quamquam vel loci, vel cauſſæ ratione id protuliſſe, certum eſt, non quòd ſub eodem genere collocentur. Capiuacceus inter verum, & nothum lethargum diſtinguit, illum, perpetuò ab inflammatorio affectu, hunc verò citrà, ſed per conſenſum aliarum partium, vt in febre quotidiana, & hemitritæo vſu venit.

Ariſt. qui li. de mem. ſcripſit memoriam errare & quaſi ſolœciſmũ commitere, quum quippiam pro altero offert. Hiſt. 31.

Carpit tamen Capiuacceum Epiphanius, contenditque ex putri potiùs pituita, quàm phlegmonoſo affectu proficiſci. Platerus putat, lethargum ſobolem eſſe lentæ, & pituitoſæ febris, cerebrumque ſemper per ſympathiam affici ſublatis eiuſdem naturæ vaporibus, quæ fuerit minera.

Præclarè videtur mihi Hipp. ſtatuiſſe, cum ex frigidis humoribus cerebri anfractus occupantibus proficiſci protulit.

Differentiæ à forma, ſi quæ ſunt, à ſubiecto, & ab efficiente repetantur. Eius curationem Hipp. calfacientibus abſoluit. Recentiores curationem partim ſymptomati, partim morbo deſtinant, ſymptomati opitulantur iis, quæ ſopitam facultatem excitant, doloriſicis vinculis, clamoribus, arte etiam ea, quàm inſtituit Hollerius Steempanus; morbo, & quidem febri, apozematis detergentibus, incidentibus, vena ſecta, & reliquis, quæ pituitoſæ febri debentur. Pituitam, quòd turgere quodammodo videatur, dum principem ſedem obſidet, etiam in ipſis morbi carceribus propinato phlegmagogo reuellunt, & educunt, acrioribus clyſmis ad inteſtina corriuant, aut glandibus ſuppoſitis. Præmiſſis generalibus (eadem enim ſunt & docendæ, & faciendæ medicinæ præcepta) ad ſubalterna gradum faciunt, caputque omni ſtudio repurgant cùm per palati iliius (neque enim gargarizatu vti queunt) & ſuffitus, tùm per errhina, & phtarmica, errhina inquam ſolida, neque enim liquidis opus eſt vti, cum per obliuionem ſuccos in nares adducere nequeant: Deueniunt etiam ad humidas cucurbitulas, ad phœnigmos, ad cauteria, quæ & ſcapulis, & inio, & bregmati inurunt. Demum ad topica ſe ſe conferunt, initio repellentia adhibent, his ſubinde digerentia miſcent, Solis denique diaphoreticis, & metaſyncriticis vtuntur; educta, proxima mali cauſſa alliotica, & corroborantia caput vſurpant, caſtoreum nunquam omittunt, ſicque totam perſtringunt curationem.

Cap. de lethargo.

Paralyſis fit à frigido, crudoque humore, qui à cerebro demiſſus in oculum, ſiue in aliquam labiorum partem, ſeu in totam, dimidiamue partem deſcendit. Per nares cerebrum purgantia adhibere oportet, & extrinſecùs ſobrium contuſum, (herba eſt, quæ maros, & origanus dicitur) ignis ſuffitu, & cauteria poſt aures applices, &c.

Aliam in præſentia paſſionem aggreditur Hipp. quæ dicitur paralyſis, Alexandro pareſis, quæ nihil eſt aliud, quàm motus, vel ſenſus etiam obliteratio ob animalium ſpirituum inopiam, & defectum, quò vniuerſæ aliæ cauſſæ referuntur, nam & ſi anima ſit vbique præſens, atque adeo ſuis facultatibus inſtructa (ſunt enim inſeparabiles) non mouet tamen, nec ſentit niſi per aptum organum, hoc autem ritè conſtituitur, & redditur idoneum ſpirituum animalium affluxu, neque ſunt poſthac illi audiendi, qui facultatem è cerebro in membra deriuant, hæc enim (ſi ſpectemus eſſentiam, & originem) vnà cum anima toto oberrat corpore, eadem verò per organi temperiem, & proprietatem ad hoc, vel illud obeundum munus, & perſoluendum penſum contrahitur.

Cæterùm tria morborum genera hunc præpedire affluxum queunt: Intemperies ſcilicet frigida ſimplex, aut compoſita cum materia, aut citra materiam: Anguſtia, cuius ſpecies obſtructio denſatio, compreſſio, ſoluta denique vnitas. Huc referunt quidam vim narcoticam, vt eſt videre in torpedine, quæ ſi non paralyſin, ſaltem ſtuporem inducit, quem benioin manu detentum arcet, Vinum quoque ad recenſum adducunt, & Mercurium, quamquam per ſiccitatem paralyſim vinum parere, ratus eſt Rondeletius, & ſuo calore, & partium tenuitate, excrementa ad neruos conuchere.

Euſtachius Rudius ciuis meus cauſatur acetoſitatem, quam in neruis nanciſcitur. Plateri ſententia Sennerto probabilior videtur in vim narcoticam ſpiritus, & ſenſus torpidos reddentem referentis. Hipp. potioris cauſſæ meminit, crudi ſcil. & pituitoſi humoris proin etiam iuxtà cauſſæ ideam curationem inſtituit, dum inquit, cerebrum per nares, purgandum eſſe, quamquam enim nares potiſſimùm aeris, & odorum inſpirationi ſeruiant, quas propterea Auenrhois odoris deferens inſtrumentum appellauit, luſtrationi tamen, & purgamento cerebri deſtinatæ ſunt: (errhina verò dicuntur, quæ per nares purgant,) dein affectæ particulæ apponendum eſſe contuſum origanum, eſt verò origanum herba calida, & ſicca tertio receſſu, extenuans, & incidens, vt ait Galenus, quam in aceto coctam naribus admouendam iubet in lethargo, demum poſtè aures affigenda cauteria, docet. Hæc verò duntaxat in medium affert Hipp., quæ ſunt peculiaria remedia, tum quod catholicam totius corporis euacuationem ſupponebat, tùm quòd eius ſit inſtituti, quod eſt in his curandis affectibus præcipuum, innuere, & ad ſontem digitum intendere.

2

8. de ſim. f. & 13. meth. med.

Curationem autem ſic auſpicantur Neoterici. Præſidia ſumunt à ſubiecto, & efficiente cauſſi: ſubiecti cauſſa ſeruanda eſt neruoſi corporis proportio; cauſſæ agentis ratione, ſi fiat exempli loco à frigiditate, excalefaciendum erit, ſi propter ſolutam vnitatem, adducendum, coniungendumque eſſe indicatur, ſi propter denſitatem cale oportet facere, ſi propter luxationem, aut tumorem comprimentem, os reponendum in ſuam ſedem, tumor diſcutiendus, ſi morbus ſit conſtipatio, & fiat à craſio excremento, euacuatione opus eſſe, ſignificatur, ſi ab alimento craſſo, extenuandi oritur indicatio. Sed eſto, fiat ab excremento, eoque phlegmatico, vt ſit frequentiùs teſte Galeno, aliquum primùm leniunt iuxtà cauſſæ ideam à quo ſanguinem ex ſano latere profundunt, ſi redundet in venis, quia & ſi non officiat vti præcipua cauſſa,

Methodus.

Li. de Anat. Viu.

cauſſa, ſaltem vt concomitans, & ſine qua tutò curatio iniri non poteſt; Tum præparantia Serapia propinant, quò fluidum corpus fiat, & exæquentur humores, vt ait Auic. mox excipit præparationem purgatio, quam iteratis validioribus propotiſmatis repetunt, deinde caput vndequaq; repurgant, tum affectam particulam exercent, linunt, rubificantia, vt vrticas Celſi more apponunt, cucurbitulas: Quo tempore etiam hydrotica adhibent, vt ligni Guaiaci, Saſſafraſſi, aut Salſæ decoctionem; Suffitus etiam ex digerentibus conſulunt, ægrum dolio includunt, vt ſolùm pateat quâ caput exponatur, ſupponũt cacabum, in quo cephalica, & nervalia ebullierint, aut ſupra ſilices candentes ægrum iubent vinum profundere decoctionis ſerpilli, origani, calamenthi, ſtechados, betonicæ, iuæ, chamædryos, herbæ paralyſeos, &c. vt calidis vaporibus perfuſum, percuſſumque corpus in ſudores ſoluatur, & affectæ particulæ humor incuneatus foras erumpat redditus ſubtilior. Demum corroborantia adhibent, quæque proprietatem reſpiciunt. Verùm ſcire licet, duplicem eſſe paralyſim, præcipuam vnam, & primigeneam, epigenematicam alteram, quæ præcedenti morbo ſuccedit, vt quæ Apoplexiam excipit. Priorem audiuit Hipp. qui ea de cauſſa cauteria conſulit ponè aures, quòd arbitratus ſit, paralyſin perpetuò malè affectum cerebrum ſequi; quamquam ex inferis partibus communicatur aliquando capiti materia, vt Meſuenſibus ex colica.

Quæcunque autem paſſiones in capite fiunt ex ſtomacho proficiſcuntur, exempli cauſſa vomicæ ſtrumæ, dentium dolores, tonſillæ, angina, ſuffocationes, anhelitus difficultates, & reliqua.

4. Phyſ. Non eſt ſatis, inquit Ariſt. ſcire, an ſit, & quid ſit, ſed quemadmodum etiam ſit callere oportet; quo circa cum Hipp. quoſdam capitis affectus (nil enim refert affectus, ægritudines, an paſſiones dixeris) percurriſſet, in præſentiarum quomodo fiant, ac conſiſtant, percenſet, adijciens quæ ſubibet capitis paſſiones ex ſtomacho oriri. Cur ita? An quia ventriculi confuſio, omnium confuſio; vt alibi ſcriptum eſt, vnde Serenus de ſtomacho verba faciens ſic cecinit.

Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra iſtius firmantur cuncta vigore.

An quia cerebrum Hipp. glandulam vocat, quia inſtar cucurbitulæ trunco corporis impoſita trahit ab inferis quidquid volatile eſt, nempè expirationes omnis generis, quarum aſſiduis hauſtibus cerebrum tanquam magna glandula inebriatur. An quia vitium primæ coctionis ſecunda non emendat, vt propterea etiam in tertia coctione eluceſcat? An quia caput, ceu vaporarium impendet ſtomacho, cui neruorum propagines à cerebro diſtribuuntur?

Non eſt tamen vſquaque verum, niſi in malè habitis corporibus, quorum flaccidior natura ſuppar eſt, & impotens integri muneris, patitur enim aliquando caput per idiopathiam, & protopathiam, nulla in reliquo corpore prælucente vitioſitatis nota, quod & ipſe ſenex non ſemel protulit. Cæterum non modò ſtomachus hoc præbet initium, verùm etiam ſæpè ſecùt, lien, vterus, totum denique corpus, vt Pergamenus notauit. In primum Proeth. comm. 3.

Affectus autem, quos exempli loco ponit, non ſunt capitis proprij, niſi catachriſticos, caput enim vocamus totum, quod ſupra collum eſt, quodque in glabram, & capillatam partem diuiditur, dicuntur tamen fieri in cap. quòd frequentiùs horum materiam ſuppeditet. Materia tenuis.

Eſt verò vomica cõtinuitatis ſolutio in carnoſa parte cum ſanguinisquadam in mediam regionem effuſione, id quod abſceſſui, & ſinui commune eſt, quòd enim pars ita affecta in exteriore ſummitate occluſa eſt, atque nulla ora pateſcunt, abſceſſiſſe quidem ipſa dicitur, affectio verò abſceſſus, id eſt apoſtema nuncupatur, at vbi aliqua ex parte hiat, vt qui continetur, humor excernatur, non amplius abſceſſus, ſed vomica appellati conſueuit.

Strumæ, quæ & ſcrophulæ, & charades, & epãrmata dicuntur, ſunt glandulæ induratæ; ſeu ſcyrrhoſus, duruſque tumor glandularum. Efficiens cauſſa eſt fluxio. Materialis cauſſa humor eſt pituitoſus, frigidus, viſcidus, & craſſus, nonnunquam melancholicus, propterea Auic. inter tumores ex melancholico ſucco enumerat etiam ſcrofas. Scire tamen licet, ſolam melancholiam non ſufficere, ſed vtriuſq; humoris coitum, concurſumq; deſiderari. Fors. Efficient. Materia.

Generantur, dum humor in glandulas deciduus, colligitur, refrigeratur, paulatimque ſicceſcit tunica contentus. Loca ijs obnoxia ſunt ceruix, alæ, inguina, tandem glandulоſæ omnes particulæ. Signa oculis obuia ſunt, vt propterea fruſtra adijciantur. Hæc verò notantur diſcrimina. Modus generat. Differentiæ.

Strumæ aliæ alijs maiuſculæ ſunt, aliæ alijs mitiores, & benigniores. Manſuetæ iudicantur, quæ non admodum obduruerunt citra dolorem, & inflammationem, quæque circumſcribuntur æquali, rotundoque tumore. Immites verò, & malignæ ſunt, quæ ſcyrrhi inſtar obdureſcunt, & inflammatione, pulſanteque dolore efferantur, tumor illis inæqualis prominet in quo emicant vaſa: Tales pharmaco, quin attactu ſolo irritantur, atque exacerbantur. Ad hæc aliæ ſunt ſub cute, & ſuperficie tenus, aliæ in profundo delitеſcunt, quæ magnis vaſis inſidere ſolent. Aliæ quouis digiti impulſu dimouentur, aliæ immotæ conſiſtunt. Aliæ vlceratæ, aliæ non, aliæ hæreditariæ, aliæ accidentariæ, vt quæ Pueris propter voracitatem eueniunt, quæ dieta, & ætatis mutatione aliquando euaneſcunt ſine vllo artis auxilio. Quædam venis, neruis, arterijs implicantur quædam verò neutiquam, quæ ſanè differentiæ à Medico conſiderari priùs debent, quàm ad curationem gradum faciat, enim verò malignæ, vt cancri remedijs efferantur, & ingraueſcunt, hæreditariæ uix, ac ne uix quidem ſaneſcunt, quæ uaſis implicantur, non ſine diſcrimine curantur.

Nec minùs animaduertere decet, quod Villanouanus notauit, uagantes ſtrumas, quæ totum corpus pererrãt, & modò hanc modò illam occupant particulam, aut nunquam curari, aut ſi qua ſit ſpes, eam in aſſumptis potiùs, quàm in admotis eſſe poſitam, ut thermis ſulphureis, nitroſis, aluminoſis, in eſu uiperarum, idem enim de ſtrumoſis,

Lib. 2. de morbis, n.2.

quod de elephanticis sentiendum est, priùs quàm in cute efflorescant, & emineant, interiora viscera esse labefactata, strumosæ enim sunt partes internæ, omnesque glandulæ illis indutuere. In vniuersum verò difficilis, longæque curationis sunt omnes. Quæsitum est, an strumæ sint contagiosæ? Responsum vlceratas, & malignas esse contagiosas, reliquas minimè.

Methodus curandi. Methodus hæc est, vt scilicet resoluas, si resolutioni obluctentur, ac resistant, vt matures, si maturari recusent, vt extirpes, vel exedas causticò. Mitiores, superficiariæ, recentes, etiam leuioribus remedijs disparent.

Hollerius auctor est, omnes abigi, abolerique posse vno hoc præsidio, quod ex cupressi folijs neque durioribus, neque tenerioribus concinnatur, folia conteruntur, vinum mulsum affunditur, donec ad strigmenti, cataplasmatisque normam rediguntur, admouentur strumis, tertio quoque die remouentur, nono die sublatæ videntur. Qui accuratiorem medendi methodum desiderat, adeat Falloppium.

Eo argumento confecerat Arist. vt nullum animal sit corpus simplex, sed ex omnium permixtione elementorum concretum, quòd vniuersis animantibus competat sensitiuum tactus, quod simplici elemento constare non potest, cum sit omnium tangibilium mediocritas, quę in compositis duntaxat visitur. Quocirca & Plantis, ait Peripateticus, graphicusque Paraphrastes, natura sêsum denegauit, quia corpora earum, quòd proxima simplicibus sint, crassiora erant, quàm vt possent sentiendi sublimitatem admittere. Nec item formæ in ijs sine materia recipi poterant, tum ob temperaturam earum immoderatam, tum ob plurimam portionem terrenam, quod elementum inter omnia ineptissimum, & alienissimum à cognitione est. Cuius rei periculum intra nos gerimus, nam in nobis, quæ partes terratiores sunt, easdem insensibiles, brutasque continemus vti capillos, vngues, ossa. Quod si verum est, vt est verissimum, cur Hipp. proposuit dentium dolores, qui eum inter ossa sint glebulentissimi, durissimique videntur omni sensu carere, atque omni adeò dolore, cum tactus affectio sit, seu molestia, quæ in ipsa percipitur sensione ex ijs, quæ continuum soluunt? Verumtamen non iniuria Hipp. dentium dolores in medium attulit, quia tametsi propria conditione bruti sint, & ineptissimi ad sentiendum, prout tamen nerui communione consortioque participant, sentiunt, & identidem immaniter indolescunt, quod quidem dentibus præcipuum est, propterea quod externis iniurijs expositi sunt. Hoc tamen interesse videtur, quod reliquæ particulæ naturæ commoditate, & aptitudine ad recipiendum sensificum spiritum intra propriam indolent substantiam, dentes verò propter ineptitudinem, neutiquam, & non secus, ac cætera ossa immoti sunt, & torpidi, qua causa etiam ab vnitatis solutione non afficiuntur, sed ab vna duntaxat intemperie, quæ fiat neruo communis.

Appellente igitur alicuius humoris aciditate, aut acrimonia ad dentem, cuius substantiam subit neruulus, dolor, acerbusque animi sensus excitatur, qui ad radicem est acutissimus, quòd si ad gingiuas fluxio pertingat, vtraque causa dens cõpatitur. Sed [illegible]. Remedia quæ ad debellandum dentium cruciatum commendantur; mittimus, cum sint extra consilij nostri cancellos.

Illud adiecisse non pigebit, cuius sæpè fecimus periculum, dolorem veluti miraculo consopiri, si os colluatur aceto decoctionis tartari. Apud Galenum commendatur succus hederæ terrenæ in aurem dolenti denti respondentem instillatus.

Curiosuli quidam ambigunt, an dentes inter ossa censeri debeant, quòd sentiunt, & renascuntur, quòd Hipp. scripsit, frigidem inimicum esse neruis, dentibus ossibus, qui sanè ea mente, vt ossa à dentibus distingueret. Nos tamen scimus, sciscimusque esse ossa, nam si neruus etiam reliquis ossibus inseratur, petæquè sensum afferet? Quod verò renascantur, accidit ob copiosius alimentum genis impertitum, & ossificæ virtutis præsentiam. Porrò dentium, atque ossium Hippocr. particulatim meminit, quia reliqua ossa patiendo duntaxat, dentes sentiendo etiam à frigido afficiuntur.

Respondet Capuaccus formatricẽ residia intra dicẽ dentiũ, quæ radix pars est dentis, & gemma est in vtero, vnde Galenus. 5. l. 2. sect in receptaculis dentiũ radices in gẽ ginis latẽt. Lib. de plãt. p. 26. num. 5. p. 65. nu. 11.

Quid sint tonsillæ, quis earum vsus, scripsit Hipp. sunt sub lingua glandulæ, vtrinque vna, quæ duobus malorum generibus laborare solent, inflammatione scilicet, & scyrrho. Cum inflammantur, paristhmia Paulus nuncupat, antyades verò cum scyrrhescunt. Curatio instituitur pro humoris, quo tumescunt specie, quamquam lib. 2. de morbis ex pituita tonsillas ægrotare scripsit. Tonsillæ inquit, & gingiuæ, & partes sub lingua, & quæcunque huiusmodi hoc loco consistunt, hæ omnes partes ex pituita ægrotant, curationem verò bellè præscribit eodem libro, Vna verò hæc cautio adhiberi debet, vt nunquam extrinsecus repellentia & apocrustica admoueantur. Num. 30.

Tonsillis finitima, sed multò deterior, angina, cuius tres species assignat Hippoc. anhelitus difficultate, doloris acrimonia, & tumoris magnitudine distinctas? Illa enim est grauissima, & eodem ferè die interficit, quæ summos affert cruciatus, spiritumque intercipiens nullo sese in conspectum tumore profert. Paulò mitior, quæ & si vehementi dolore stipetur, sese tamen manifesto tumore prodit. Omnium mitissima, quæ respirationis difficultatem adimens tuber promit, ac ruborem. Paulus maioris distinctionis gratia, quum interiores musculi afficiuntur, qui larynga mouent ad vocem efformandam, cynanchen, cum exteriores paracynanchen appellat, quemadmodum cum musculi interiores gulæ phlegmone tentantur synancheu, cum exteriores parasynanchen.

Discernuntur actionis offensione, nam inflammata gula (est enim angina faucium inflammatio) deglutitio aboletur, inflammato gutture vox, & respiratio vehementer læduntur, quò maior est deuorandi, aut respirandi difficultas, eò periculosior angina, quia inflammatio ad internas partes pertinet.

Quando anginosi spumant, non minus sunt desperati, quam spumantes apoplectici, suntque sine au-

né auxilijs deferendi: Mortem præ foribus esse, significandum.

In eodem discrimine versantur anginosi, cum depressa lingua nullus apparet tumor, ægri nihilominùs coguntur recti respirare.

Curatur misso sanguine ex cephalica per epicrasim, iniectis actibus clysmis, admotis dorso cucurbitulis, ranularum reclusione. Equidem anginosum animam iam agentem ab orci faucibus reducem feci iugularium scarificatu, quod meticulosis videbitur audax facinus. Succedente tempore propinatur pharmacum, quod bilem educat, gargarismis repellitur fluxio, litu foras euocatur humor, lactis gargarizatu cum plantaginis succo permixti mulcetur dolor; Cynanchica adhibentur, stercus canis, aut pueri lupinis nutriti, nidus hyrundineus cum melle subactus, aut pulli ipsi hyrundinum in cinerem rediguntur, & cum mulsa propinantur, eodem modo cancrorum, & limacium cinis adhibetur. Dioscorides vrit millepedes, puluerem immiscet melli pro colli illitu.

Quidam caput viperæ collo appendunt.

Suffocatio, inquit Galenus, animalibus contingit ob vtilis alicuius qualitatis penuriam, vtilis hæc qualitas est moderatum frigidum, quo calor euentatur, & veluti enutritur, vt ait Hipp. decumbente igitur ἀτρεμῶς, & confertim pituita in respirationis organa, beneficium ventilationis, refrigerationisque summouetur, atque ideò suffocationes contingunt, quæ etiam ab vtero malè affecto, vt testatur Hipp. eadem de causa & anhelitus difficultates suboriuntur. Harum verò curatio instituitur ea methodo, vt partis mandantis vitium, per quod excrementum colligitur, per contrarium emendetur, excrementum genitum euacuetur, partis verò recipientis imbecillitas roborantia postulat, præterea vt excrementum aliò auertatur, intercipiaturque.

Lib. de vtil. resp.

Lib. de nat. fœt. Li. de carn. Lib. de vet. med.

Li. de morb. mul.

Caput autem futuras habet tres, inuenitur & solidum absque futuris caput, & hoc quidem humidum est, &c.

Victurus genium deberet habere liber,

Inquit ingeniosus Vates, genium interpretantur methodum, & rectam præceptorum collocationem, quam vtinam paulò diligentiùs nunc obseruasset Hippoc. quò clarius nobis mens eius elucesceret, videtur enim nullo ordine progredi, & veluti tenebras ob oculos nobis offundere, dum vicissim è physiologia in pathologiam, & è pathologia iterum in Physiologiam relabitur, quam notam passim obijcit Veteribus Aristot. Quorsum enim nobis futuris confertum, consitumque, aut vacans caput obijcit? Videtur tamen hoc esse antecedentium consequens. Qui enim scias, quomodo quippiam ægrotet, ni prænotis, quomodo natura habeat? Rectum enim est iudex sui, & obliqui.

Caput Hipp. amplæ cucurbitulæ comparauit, ait Riolanus, quoniam ab inferis partibus vapores, & fuligines attrahit, quibus anfractuosum cerebrum imbuitur, cum autem sint præter naturam, & in cerebro detentæ lethiferos inducant affectus, ad eorum euacuationem varios efformauit natura meatus, vt liberior huiusmodi excrementis pateret exitus, superiorem capitis partem futuris distinxit ad fuliginum expirationem, & exclusionem, inferiorem manifestis ductibus ad humorum expiationem perforauit. Suturas autem effecit septem, quarum aliæ sunt propriæ ossa cranij inuicem secernentes, quæ sunt veræ, vel spuriæ, aliæ sunt communes, quæ caluam ab alijs ossibus ethmoidea, & sphœnoidea supernaque gena disterminant, atque dispescunt.

Lib. 1. de morb. Riol. lib. Anat.

Tres autem in cap. bene constituto futuræ describtæ sunt, quibus, inquit Ruffus, vetusta nomina desunt, sed nuper a quibusdam Medicis Græcam linguam malè doctis imposita sunt. Anterior vna, quæ coronalis dicitur, arcualis, & puppis futura, Græcis Stephanæa, quòd olim ea capitis parte coronæ gestari solerent.

Posterior altera Lambdoides à litteræ λ similitudine. Inter vtramque iacet sagittalis, quæ per capitis longitudinem exporrecta semper in pueruli usque ad septennium, interdum in viris, frequentius in fœminis inuito Vesalio vsque ad summas nares prorepit.

Lib. de ossibus.

Sed quis obijciat Hipp. futuras capitis modò tres modò quatuor ponentem, quod multis incongruum esse uidetur. Cui sic respondendum. Quando Hipp. quatuor futuras constituit, coronalem duplicem effecit, quia dirimitur à sagittali ad summas usque nares excurrente.

Sunt, qui futuras octo statuunt, tres ueras, quarum commeminimus, tres communes, quæ caluam cum cunei formi, cribrosoque osse, & maxilla superiore cõnectunt, & duas spurias, aliàs squãmosas, quod squammarum more committantur, aliàs temporales nuncupantur, quum temporum ossa committant cum syncipitis ossibus.

Adiecit reperiri solidum cranium, absque futuris, & tunc esse caput humidum, quod sanè cõsentaneum esse uidetur, si modò expurgandis fuliginibus futuræ pateant in capite. Hinc Hipp. caput, inquit, & splen maximè sunt morbis obnoxia, attamen caput sanum est, quod plures habet futuras. Quid igitur Celso respondeas contrarium scribenti caluam ratò sine futuris esse, locis tamen æstuosis facilè inueniri, & id caput firmissimum, & à dolore tutissimum esse, ex cæteris quò futuræ pauciores sint, eò capitis ualitudinem cõmodiorem esse? Facilè est tamen Celsum cũ Hippocr. componere, si dicamus, caput solidum, quibusque discretum futuris firmius esse, & externis iniurijs potentius resistere, sed propter fuliginum, & uaporum retentionem morbis internis opportunius redditur, hinc fit, ut quibus calua est εὐεμφυὴς, ideſt inconsutilis, i cephalęæ miserrimè torqueantur. Si quis obnitatur adijciens, caput solidum externis læsionibus magis esse obnoxium, quia uidetur natura capitis ossa per futuras distinxisse, ut fractura in læso osse desinat, ac terminetur, ac proin caput solidum, & continuum alicubi percussum in uniuersum findatur. Respondetur, collationem fieri inter res eiusdem speciei, internas intemperies cum externis esse comparandas: Quando igitur Celsus caput sine futuris esse firmissimum, durissimum, ac à dolore tutissimum, non intellexit à percussionibus securum,

Lib. 4. de morb.

Idem habetur lib. de locis, in hom.

& im-

& immune, qua de re uideas Rorarium libro contr. & paradox.

Crispos verò capillos habere calidioris capitis signum est. At recti crines ex supernacuo, qui in capite est, humore fiunt. Flauedo capillorum ex flaua bile, caluities verò ex caliditate prouenit.

Ad membri rectam constitutionem non modò egregia compositio desideratur, verùm etiam laudabilis temperies, quæ radix est naturalium munerum, hinc Hipp. signa à capillis petita subdit, quibus facilè capitis temperamentum dignosci possit. Inquit igitur, crispum capillitium calidioris capitis signum esse, quod Galenus confirmauit. Capilli quoque, ait, in his statim in lucem editis in capite ortum habent, & cum plurimùm à mediocri temperatura in caliditate recesserint, nigri, & robusti, & crispi fiunt. Quòd verò capillorum rectitudo, & planities capitis superuacuam humiditatem arguat, in hæc verba testatus est idem.

Lib. Microtecni.

Humidioris verò cerebri indicia capilli plani, & nequaquam calui fiunt, sensus autem turbulenti; & paulò post subdit, caluitio calidum, siccumque cerebrum notari.

De colore capillorum sic statuit Galenus, vt albus ex pituitoso humore, rufus, qui scilicet sit medius inter flauum, & album, ex limo pituitosæ, biliosæque materiæ fiat, niger verò ex vapore conuerso in exactam fuliginem, flauus ex vapore minus tosto.

Com. in art. Paru.

Verùm, inquit argutissimus Argenterius, si vnica est materia pilorum, vapor scilicet, quomodo pituita erit materia albi capilli? Qualem quaso fœcem imaginatur ex bile, & pituita fieri? Quomodo niger, & flauus fient ex solo vapore, rufus verò ex solidiore materia? Sicque cauillando, & argutando pergit vir acutus, donec suam subijciat opinionem. Quare, inquit, in ea persisto opinione, vt credam, pilos fieri ex terraceo illo excremento, quod ex tertia coctione in singulis partibus resultat, & postea cum pituitoso illo excremento cuti subdito permiscetur. Verùm nil aduersus Pergamenum conficit, ille enim duplicem materiam agnouit terrenam fuliginem, & humores, vnde effertur, quorum redolet naturam, illam proximam, hanc verò remotiusculam. Capillorum itaque colores ex humoris dominatu repeti sapienter cum Hippocrate statuit.

Cur autem crispi fiant, subdit. Exeunt in crispitudinem vel ob ambientis caliditatem, & siccitatem, vel arte concinnantur, quomodo mulierculæ calamistris capillos intorquent, pariuntque cincinnos, vel exhalationis impulsusque imbecillitate, vel denique ob cutis meatuum obliquitatem: Enim verò ab aere calido, & sicco cirri euadunt, ebibito, exhaustoque capillorum madore, perinde atque fidiculæ, ac tergora ignis accessu conuelluntur, ac torquentur, & ea de causa Æthiopum gens cirrata videtur. Cum verò meatus ob nimiam siccitatem, conniuent, obliquanturque, exhalatio nequit per illos recta prodire, sed per tortuosos sinus, & anfractus efferri cogitur, vnde ad radicem retorquentur pili, quod etiam vsu venire consueuit, vbi imbecillior fuerit exhalatio, vt enim eneruis flamma sursum agi prohibita in obliquum distendit, ita fortassis cum paucum est excrementum, vel cunctanter, torpideque motum, exturbatumque recta commeare non est pote, quare reliquum est, vt reflectatur in latus, qualem verò intus figuram induunt, talem foris retinent. Ex caussarum verò coitu, valentiaque aut dissolutione, infirmitateque cincinnati plus, minùs apparent. Hinc ad caluitium discurrit.

Cutis siccitas, duritiesque aliquid sanè confert in senibus ad caluitium, sed præcipua huius caussa tum in illis, tùm in alijs omnibus sumitur ex terraceo excremento egestate, vnde pili conflantur, vt Galenus palam profitetur inquiens. Siquidem ostensum in his est, quod ex succis, qui per cutem transpirant, quod limosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cætero veluti succrescendo auget. Hoc igitur vel quoties prorsus perijt, vel nitrosum euasit, toties pilos corrumpi est necessum, ac prorsus quidem delapso, amissoque eo, qui pilos nutrit, succo, caluitium oboritur. Penuria igitur terreni excrementi à calore absumpti proxima, & præcipua caluitiei caussa statuatur. Cæterùm quid respondeas Hipp. calu os esse pituitosos scribenti? Galenus eat obuiam, & suppetias præbeat. Phlegma hic vocat Hipp. quidquid in succis adustum est, vstionem, inquit, monstrat crusta alba, & veluti incinerata. Argenterius haud multi signa facit ex capillis desumpta ad dignoscendam cerebri temperiem, tum quòd ex alijs partibus efferantur fuliginosa illa excrementa, tum quòd ex cranio vix exiliant. In eostamen vsus cranium conditum esse ediximus, peruium, vt foras erumperent, quæ continenter tolluntur fuligines, ac vapores.

14. Meth. 18

Lib. de fœtus.

Articulatæ vocis species tres habentur, grauis, acuta, & media, hæc à spiritu procedunt.

Mirabitur quispiam, quòd hic vocum discrimina interserat Hipp. quæ ad musicen potius spectant, attamen quia facultatis animalis actio est, Hipp. qui nec certo ordine sua apophtegmata protulit, non sunt absre. Vox est sonus animantis per instrumenta vocalia factus ad quippiam significandum. Tria verò sunt, per quæ non omnis modo sonus, sed vox etiam gignitur, primum est id, quod plagam infert, dein id cui infertur, tertium id, in quo hæc aguntur.

Aerem sanè in vtroque necesse est, haberi, quamquam non eodem modo in vtroque, nam ad vocem elidendam non omnis aer requiritur, sed solùm spiritus is, quem alterno modo in anhelitu reddimus, & ducimus. Huius verò duplex officium, hoc ad calorem, qui intus est, refrigerandum, alterum quidem non necessarium, sed ad vocem formandam inuentum gratia melioris notæ. Vocis verò instrumentum præcipuum est larynx, siue caput asperæ arteriæ, quia hic primùm vox formatur, huic inseruiunt primò Pulmones aerem pro efformanda voce perpetuò continentes, vnde illæ animantes solum vocem edunt, quæ pulmones habent, ac respirant. Dein musculi pectoris, intercostalesque, quorum beneficio vehementius comprimitur aer, & è pulmonibus confert

tim ad laryngem eliditur.

Tandem nerui recurrentes à sexta cerebri coniugatione producti, quibus vis formandæ vocis laryngi communicatur, vnde his oblæsis animal redditur ἄφωνον. Prospicit, denique huic operationi Epigiottis lingula capiti laryngis apposita, quæ ad percussionem aeris in larynge plurimum confert.

Hoc modo inarticulata vox in inanimantibus conflatur, quæ materia in homine est sermoni, vbi loquela concinnatur, quando eadem vox in larynge nata beneficio linguæ, gargareonis, buccarum, labiorum ac dentium diuersę pro variis animi conceptibus significandis articulatur, exprimiturque. Quum ergo hoc pacto vox fiat, videndum, quomodo eius discrimina, vt cur alia acuta, alia grauis, alia media. Horum causſam rectè Philosophus in aeris copiam, aut inopiam, præterea in organi angustiam, aut amplitudinem reijcit, ita vt vox acuta fiat ex aeris percussi inopia, & meatuum angustia, grauis ex collisi aeris copia, & organi latitudine, media ex mediocri causſa: Argumento sint tibiæ, & fides, quæ vbi fuerint tentiores, acutiorem reddunt sonitum, & tinnulum, quia tunc paucum aerem percutiunt. Hipp. solius meminit spiritus ceu potioris causſæ.

Quidam non in aeris copiam, aut inopiam referunt, sed in motus celeritatem, aut tarditatem. Dicunt enim motuum alios esse celeriores, alios tardiores, eorundemque alios rariores, alios spissiores. Nam si quis in continuum motum respiciat, ibi aut velocitatem, aut tarditatem necessum est, comprehendat; Sin verò quis moueat manum, aut frequenti eam mouebit motu, aut raro, & si tardior quidem fuerit, & rarior motus graues, necesse est, motus effici ipsa tarditate, ac raritate pellendi, sin verò sint motus celeres, ac spissi, acutos, necesse est reddi sonos. Idcirco enim idem neruus ampliùs acutum sonat, si remittatur, graue.

Quando enim tentior est, velociorem pulsum reddit, celeriusque reuertitur, ac frequentiùs, ac spissius aerem ferit. Qui verò laxior est, solutos, ac laxos pulsus efficit imbecillitate feriendi, nec diutiùs tremit. Neque enim quoties pellitur chorda, vnus tantùm edi putandus est sonus, aut vnam esse in his percussionem, sed toties aer feritur, quoties eum chorda tremebunda percusserit, sed quoniam iunctæ sunt velocitates, sonorum nulla intercapedo auribus sentitur, & vnus sonus sensum pellit, vel grauis, vel acutus, quamuis vterque ex pluribus constet, grauis quidem ex tardioribus, & raris, acutus verò ex celerioribus, ac spissioribus.

Hæc verò & si, quàm quæ ad Sagram, veriora, ab ipsa tamen aeris copia, aut paucitate per motum comprehensa ceu adæquata causſa pendent vocum discrepantiæ, quæ hactenus relatæ sunt remotiusculæ.

Iecur autem ipsum alimentum triplici digestione in succum redigit, ex prima digestione cor alimenti qualitatem, saporem, scilicet suscipit, & puri sanguinis procreatio fit: secundam digestionem iecur defunit, & corporis partibus alimentum largitur, vnde flauæ bilis constitutio fit. Lien verò sanguinis fæce alitur, vnde & melancholicum humorem constitui, certum est. Cerebrum autem à stomaco humectatur, & pituitæ exuberantiam peragit. Tertia digestione superne in stomacho in succum vertitur, & tunc reseratur ianitor, qui ventriculus nuncupatur, quoniam transitus secundùm facultatem subministrat, inde alimentum in inferiorem ventrem demittitur. Aluus verò à pituita acerbitatis gratia obleſamentum sentit. Humidum verò excrementum per renes, ac seiunctos ipsius excrementi meatus in vesicam, ideſt in phuscam descendit, in ventrem enim aqua ingreditur.

Pepseos tres species statuunt Medici (quamquam sint, qui quatuor) chylosim, alimenti mutationem in chylum, hæmatosim chyli mutationem in sanguinem, omiosim sanguinis in substãtiæ partis assimilationem. Auic. Actuar.

Prima in ventriculo celebratur, secunda in iecinore, tertia in singulis partibus conficitur. Cuiusque sua est prouisio, & peculiaris præparatio. Cibus enim præmanditur, quod comminuta, diuisaque minus agenti calori reluctantur, ac resistunt, quàm integra, & compacta, agit nimirum secando, digerendoque discriminat per meatus peruadendo substantiam, quod in sudibus præustis ita esse, oculis conspicimus, porosa enim, quęque patentiores obtinent meatus citius ab igne deuorantur, quàm solida, & conniuentia, propterea dentium attritu primum comminuitur. Hinc cornigeræ animantes, quibus superna maxilla dentium beneficio priuatur (quorum materia in cornua facessiuit) duobus donantur ventribus, primum pro dentibus ad alimentum parandum, quem Græci prolobon, Latini ingluuiem appellant, alterum ad coquendum, conficiendumque cibum obtinent. Confert etiam, quæ in glandulis colligitur dulcis, temperataque pituita, cuius tepore perfusum molleſcit, caleſcitque iam pertritum alimentum. Tritum, mollitumque faciliùs deglutitur. Ventriculo exceptum se se in fundum præcipitat, ibique subsidet, ventriculus autem se se in arctum, angustumque cogit, colligitque, vt illud vndique amplexetur, & fruatur, nam si non subsisteret, verùm à flatibus innataret, aut si ingratum, abominabileque esset naturæ, ventriculus ad excretionem resupinaretur, aut effœta iam virtute laxaretur, sicque concoctio, aut penitus non fieret, aut certè perperam.

Mirum est, quàm arctè comprimantur, coeantque vnà cauitatum omnium extrema vacui metu. Dum hæc peraguntur, Pylorus clauditur, ne fluida, & liquidior portio effluat ante coctionis absoluta munera', cuius tempus quidam septem horarum spatio definiunt, coctionem enim quatuor, digestionem, distributionemque tribus absolui arbitrantur, ideò septem horas somno indulgendum esse iubent.

Simul atque ventriculus suo functus est officio, chylum in intestina deponit distribuendum hepati, non quòd illa chylum ad iecur amandẽt, quasi illi prospiciant, & sanguinis penuriam præsentiant, sed alliciente hepate distrahitur chylus per meseraicas venas, quomodo singulis partibus trahen-

12. sect. Probl. 17. Probl. 9. Aphrod. quærens cur spadones voce sint acuti respõdit, quod humiditatis copia implens asperam arteriam eam coarctat, hinc spiritus per angustũ meatu vocis acutiũ efficit, latum vt in viris grauitatẽ. Boet. lib. 1. Mus. c. 3.

trahentibus fit assimilatio. Quòd verò chylus in intestinis magis, ac magis perficiatur, duabus assequimur coniecturis, primò quòd constent eadem substantia, qua ventriculus, fiat autem chylosis ventriculi proprietate. Secundò quòd alimentarij clysteres, quales ex lacte, vino, iusculis concinnari solent, iij intestinis non secus, ac in ventriculo iecori præparentur, atque illic in chylum elaborentur.

Mesenterium est corpus membranosum innumeris conspersum venulis, quarum officia duo sunt, primum distribuere chylum hepati, alterum sanguinem deferre ad intestinorum nutritionem. Hinc fit, vt chylus post dissectionem ruber appareat, quam quam sint, qui chylum in venis meseraicis præparari, & vtcumque in sanguinem commutari velint ea vi, & proprietate, qua sanguis in venis spermaticis dealbatur.

Illectum chylum iecur sanguigena virtute sibi insita in sanguinem commutat, sanguinem cum dico, quatuor humores audio, neque enim refert, si secundam coctionem hæmatosim, an chymosim appellaris. Vt sanguis syncerus distribuatur, sagax natura hepati suppositit cystim, quæ fel sugat, & attrahat, ex aduerso lienem qui limo illum repurget, renes, qui serum emulgeant. lien & renes nonnihil alibilis sanguinis attrahunt, quem sibi ad nutritionem retinent, reliquum velut onus amandant. Hoc interest, quòd cum corpus renum fit densum non coctione, sed transfusione sola, & partium distractione sanguinem separant, lien verò rarus, & spongiosus, quem attraxit limosum, & fæculentum sanguinem paulatim coquit, coctione alibilem portionem ab excrementis secernit illam retinet in alimentum, hæc verò ablegat ad ventriculi fundum ad coctionem, & retentionem simul alimenti promouendam.

Addit Auic. tertiam vtilitatem, vt aciditate sua famem excitet naturalem. Vnde licet colligere, minimè falsum esse Aristot. melancholicos edaci voracitate laborare, quamquam falsò notarit Cardanus, esse famis patientissimos: Sanguis ergo eò modò illimis, ac defæcatus ad nutritionem partium omnium distribuitur, qui cum sit per coctionem incrassatus, ut segnius venas permeet, atque peruadat, sero diluitur, quod Hipp. propterea ὀχλωα τροφὴν nominat, cum sanguinem ad partem nutriendam perduxit, nisi in sudores dissipetur, in venam cauam refluit, vnde à renibus emulgetur, & in veficam refunditur suo defunctũ munere. In singulis autem partibus fit tertia concoctio, quam ὁμοίωσιν appellant, quum variè affectus sanguis tandem partium substantiæ assimilatur. Hic autem est naturę ordo in persoluendo coctionis penso altius à nobis repetitus, quem non ita dilucidè nobis apposuit Hipp. qui brachylogia tam enigmatodę suam tulit sententiam, *Iecur*, inquit, *ipsum alimentum triplici digestione in sucum redigit*. Qui fit hoc? Œdipum Pol, aut mihi ipsius Apollinis Genium augurer, vel potius Alexandrum, qui triplicem hanc digestionem, ceu nodum Gordianum cædat, ac dissoluat.

Lib. de som. & vigil. c. 3.

Sed enim satius sit cum doctissimo homine loqui, quàm oppedere. Martinellus existimat, hunc esse vsum hepatis vt tripliciter digerat, malim ego dixisse, post triplicem digestionem, segregationemque excrementorum, quæ tria sunt, limus, fel, serum, alimentariam portiunculam in succum, qui proprie alimentalem humorem significat, conuerti. *Ex prima digestione cor alimenti qualitatem saporem scilicet suscipit, & puri sanguinis fit procreatio.*

Quis ausit firmare, cor susceptum saporem ex prima digestione in purum sanguinem commutare? Scitum est, mille accidentia substantiam non constituere, sapor autem qualitas secunda ex primarum permixtione suborta, seu potius affectio in aqueo humido à terrestri sicco, & percoquente calore facta, gustatum, qui in potestate est, ad actum per alterationem deducens. Sanguis substantia est; cum nil igitur vltra suam speciẽ agat, dicendum, alimenti sapidiores, spirituosioresque particulas audiuisse Hipp. quæ per venam cauam cordi distributæ vitalium spirituum opulentiam augent, qui purus, illimisque sanguis dicuntur Hippocrati. Non præterit me, penes Medicorum coryphæos lasciuam quandam nutritionem per alimenti qualitatem, ac saporem dari, qua simul atque ingestus est cibus, animalis, non naturalis fames sedatur, quæ stomachi orificio, quod cor antiquis appellabatur, vnde cardialgia, & cardiogmos, ceu proprio subiecto insideat, sed hæc nostro instituto aptari, accommodarique nequeunt. *Secundam digestionem iecur defunit.* Quia est totius chymoseos initium. *In qua bilis fit constitutio.* Tum quia formam hinc indipiscitur, tum quia bilis locus folliculus in hepate, vt ait Hipp. 4. de Morbis.

Peracta hac secunda coctione, *iecur alimentum singulis partibus elargitur*. Non distributione, sed attractionis concessione, & licentia, singulæ enim partes ex hepate veluti ex fonte gratioso humoris proprium alimentum attrahunt, nisi quis malit ab hepate in proximas venas enomi, vnde postea allicitur à pulmone biliosus sanguis, à capite pituitosus, à liene, ossibus melancholicus, à carne syncetus, summùm à singulis suæ naturæ congener attrahitur. Neque enim putandum est, pituita simplici, aut bile, cerebrum, & pulmones alescere, enutririque, sed huiusmodi sanguine, & hoc est, quod volebat Aristot. solum sanguinem nutrire.

Lien ex sanguinis face alitur. Quia crassioris sanguinis partem prolectat suæ naturæ familiarem, ac vernaculam, vt noua coctione alimentalem sãguinem secernat ab excrementitia portione, lien enim, vt retrò sumus fati, licet atrum, & fecosum sanguinem attrahat, subtiliori tamen nutritur sãguine, quàm iecur, quia per nouam coctionem sanguinem secernendo attenuat, cui propterea natura tot arteriarum implexus concessit.

Cerebrum autem à stomacho humectatur.

Quia cum stomachus sit veluti focus, & culina, vbi prima coctio elaboratur, plurimos effundat vapores est necessum, qui caput, quod veluti glandula superstat, humectant, sunt enim actu humidi. Fit autem pituitæ exuberantia, quia huiusmodi vapores cerebri frigiditate densati pituitescunt,

scunt, neque enim auscultandum est Argenterio, vt quidam dicunt, magis arguto, quàm docto, quem inficiari non pudet.

Perinde, inquit Arist. vapores in caput sublati in pituitam degenerant, ac vapores è terra in secundam aeris regionem elati in pluuiam vertuntur.

Summa est sanè inter caput, & ventriculum consensio, vt dixerit Persius, ventrem dare intellectum. *Tertia digestione alimentum supernè in stomacho in succum vertitur, &c.* Non est mirum, si Hipp. hanc tulit sententiam, quia scripsit, cibum ingestum prima die in corpore obmanere, postea accedente nouo cibo coqui, & diffundi in corpus, posteà exiliorem, magisque tenuem redditum ad ventriculum accedere, & per omne tempus à recenti cibo expelli, vbi verò ad ventriculum peruenit, cibos in hoc loco coquere, & de se sanguinem in corpore facere. Lib. 4. de morb.

Chylosis tamen, quæ est propria ventriculi actio, non supernè, sed in fundo conficitur.

Reseratur autē ianitor perfecto chylo eo modo, quo vulua dehiscit absoluto fœtu, inseruit enim ventriculus toti, communeque obtinet officium, subinde in tenuia demittitur intestina, vbi nouam elaborationem suscipit, sunt enim eiusdem cum ventriculo naturæ. Aluus verò, seu inferior venter, intestinaque oblectamentum percipiunt, dum excrementa excipiunt, non secus, ac cystis, dum fel hospitatur, & susceptat, natura verò hoc fit, vt ait Aphrodisæus, vt propterea satagentis sit, & curiosi vltra quærere. Humidum autem excrementum h. e. Serum suo defunctum officio per renes, & vretheres in vesicam descendit, quæ est huiusce excrementi susceptaculum.

Sensus in homine quinque habentur, Visus, Olfactus, Auditus, Gustus, & tactus. Nam visus ex æthere, olfactus ex aere, auditus ex igne, gustus ex humido, tactus verò ex terra fit.

Mirificè me torquet Hipp. qui è capite ad iecur ceciderat, nunc iterum ad caput assurgit. Hoccine est methodo docere? Verumtamen quia hepar Alentis animæ sedes est, caput sentientis, illaque ad hanc gradus est, qui necessariò anteit, nō est absurdum de sensibus edisserere.

Quod quinque sint sensus sic ex Arist. demonstrauit Themistius. Sunt sanè sensus, qui plurimi habentur, & supra quos nullum adesse alium sui generis nouimus, numero quinque. Visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, quod ex his, quæ sequuntur facilè demonstratur. Tametsi enim supra quæsiuimus, essentne plures potestates, & vires in tactu, propterea quod plura esse subiecta vni ei sensui videbantur, non ideò valet, vt sensus aliquis à nobis prætermissus credatur, nam quamquam plura sint, quæ tanguntur, & contrarietates itidem plures, nulla tamen illarum est, quæ ambitum sensus huius effugiat. Nempe grauia, & leuia quamuis non protinus, nec occursu primo, nec eodem modo tangantur, quo calida, humida, frigida, ficca, non tamen se subducunt, nec euadunt, quin percipiātur à tactu. Inest enim quædam vis, & facultas etiam nobis discernendi, librandique ponderis. Eò nunc quærimus, non vtrum potestas ea inter tactorias, habenda, collocandaque sit, sed vtrum qualitas aliqua corporum habeatur, quæ à nobis comprehendi non possit. Et hercules videtur nulla. Omnium earum iudicium habemus, & sensum. Proin si sensu aliquo deficeremur, necessariò & nobis instrumentum deesset, ac omne quidem sentiendi instrumentum corpus est. Corpus omne vno, aut pluribus constat elementis. Ex instrumentis etiam alia in nobis simplicia, & sui generis sunt, alia ambigunt. Pupilla ex humore. Auditus ex aere. Olfactus in ancipiti ex alterutro. Gustus ex aqua: Cæterorum ex aere, nullum quod ex igne, aut terra conditum sit. Ex igne propterea quod omnibus instrumentis additus est, quia singulis sensibus portio sua caloris obtigit, nec potest animus parte vlla sine calore naturali sentire.

Ex terra ideo, quia elemētum id crassissimum, & ad cognitionem ineptissimum videbatur. Quā ob caussam membra ea, quæ terratiora sunt, vt ossa, vt vngues, vt pili, bruta quoque, & priuata sēsu habentur, sed tamen terra copiosior, & dominantior in tactu, quam vt cæteris sensibus est. Ergo nullum sensorium nobis deficit ex ijs, quæ simplicibus constant.

Sed ne id, quod ex pluribus constat, desideremus, quale caro est, aut quod pro carne aliquibus proportione inest si modò carnem appellare sensorium fas est. Quare si nullum machinamentum, instrumentumque abest, nulla quoque sentiendi vis abest, quæ instrumentis vtatur. Præterea quum sensus ita instituti, comparatique sint, vt interuentu medij corporis effigies rerum, & motus accipiant, necessum est, medium illud aut extraneum, aut coniunctum intelligi, primum habemus cōiunctum, quo vtuntur gustus, & tactus. Deinde & extranea, atque ea sunt aer, & aqua, quæ cæteris sensibus ad inuectum sensibilium famulantur, ancillanturque. Ac gressilibus quidem ad percipiendos colores, ac sonos aer satis est. Aquatilibus aqua, sed vtrumque est, & pro coloribus, & pro sonis simul idoneum. Item vtrumque seorsum pro singulis, h. e. aer, & aqua pro coloribus, & aer, & aqua pro sonis, nullum igitur intermedium, quo carere animalia videantur.

Quòd si præsto nobis omnia sint, & ea, per quæ simulachra rerum vehuntur, & ea, in quibus recipiuntur, nullus sensus potest vel fingi, qui deesse animalibus videatur, non quidem omnibus, sed perfectis, & quæ nec læsa lacessitaque habeantur, nec trunca,

Paucioribus ratiocinatur D. Thomas. Quicunque ait, aliquod sensus organum habet, per quod nata sint cognosci sensilia, hæc omnia cognoscit per illud organum, sed animalia perfecta habent omnia sensus organa, ergo cognoscunt omnia sensibilia. Cùm igitur non habeant nisi quinque organa, non erit alius (ratione propriorum sensibilium) præter quinque sensus. Numerus igitur externorum sensuum tum ex proprijs sensibilibus, tum ex organis certo numero constitutis colligitur. Hoc interesse videtur inter Arist. & Hippocr. quod hic visum ex æthere, ille ex aqua constituat, hic auditui ignem analogum faciat, ille aerem, hic olfa- 3. de An. com. 1.

olfactui aerem adscribat, ille in ambiguo ex aere, & aqua constare credidit. Verùm Hipp. sententia potior est, si visum spectemus, & Platonis placitis etiam consentanea, cum enim Platoni visus igneus fit, quod fit ratione spiritus, perspicuitatis, splendoris, irradiationis, quibus accedit ad lucis naturam, quæ materia cæli veteribus putabatur authoribus Platone, & Simplicio, lux autem est prima species ignis: ratione spiritus visus non absurdè dici potest cælestis. Hipp. & Plato ad spiritus, & internum lumen respexerunt, Aristot. ad humores, quum eum aqueum statuit.

Præterea auditum igneum facit Hipp. & Arist. aereum, quia ille ad internum spiritum, hic ad innatam auram collimauit, quæ intra membranulas extensi nervi ex quinto pari deducti cõtenta proprium auditus organum constituit. Odoratum quidam igni potius comparant, quòd odor quædam videatur exhalatio, hæc autem ignea, instrumentum verò tale sit potentia, quale obiectũ proprium, attamen quia aeris quoque soboles est, Hipp. videtur olfactus ad aerem potiùs attinere. Reliqua nullam includunt, involuuntque difficultatem, quamquam enim ignis sit communis omnibus sensorijs, quia nil sensitiuum sine calore, quibusdam tamen hunc vberiùs esse collatum, iustum est.

Sunt, qui superiorem doctrinam his conuellũt. Vt sese ad intelligibilia intellectus, ita ad sensibilia porrò habet sensus, atqui intellectus non multiplicatur per diuersas vires, respectu intelligibilium; Sed vna, eademque facultas omnia intelligibilia comprehendit, ergo & vnus sensus omnia sensibilia. Dein ex instrumentis probatur sensuum numerus, sed vnum tantùm est omnium sensuum instrumentum, nempè cerebrum, ergo vnus tantùm est externus sensus, sensibilium enim perceptio non nisi in cerebro fieri uidetur, quod in visione ex eo demonstratur, quod interdum sano, & integro oculo impeditur actio videndi propter solam obstructionem nerui optici, hoc autem fit, quia non datur transitus speciei visibilis ad cerebrum, sine qua facultas ibi residens visionem edere non potest. Quare non videtur actio intuendi fieri, nisi in ipso cerebro, quod similiter de externorum sensuum muneribus dicendum est.

Sunt, qui contrarium. Necessariò, inquiunt, danda est aliqua facultas sentiens, cui incumbat aduertere ad obiectum; in quod singuli sensus ferũtur, ergo datur alius sensus præter quinque vulgatos, id verò suadent, quòd sæpè oculi (exempli gratia) rei visibilis imagine obsignati sunt, & tamen non eliciunt visionem, nec alia de causa, nisi quia non aduertimus, quare aliquem dari oportet, sensum, ad quem aduertendi officium spectet, quòd verò hic non sit ipsa facultas videndi, hinc monstratur, actionem potentiæ videndi solam esse visionem, cum illam naturæ ordine antecedat. Facilè sit tamen cordato Medico, & Apollinea arte bene informato has argutiolas diluere, atque dissipare.

Dicamus igitur audenter, nequaquam peræquè sese ad sensibilia habere sensum, quemadmodum intellectus ad intelligibilia, nam intelligens facultas cum sit multò sublimioris ordinis, potest ea, quæ per plures sensus sparsa, & distributa sunt, in vnum colligere, amplectique. Secundæ rationis Author est Manardus, ille in eam sententiã abijt, vt crederet, omnium sensuum operationes in cerebro perfici, neque id esse alienum à Galeni mẽte. Verùm neque rectè sentit, neque id Galenus existimauit, qui affirmauit, singulorum sensuum functiones, & munera in singulis organis absolui, id ex eo confirmari potest, quòd quantumlibet cerebrum rectè sese habeat, læso organo sensus lęditur eius operatio, labefactatoque destruitur, hoc verò fit, quia sentiendi potentia in ipso residet organo, & hæc ratio etiam potest Numenii, Iamblicum, & Plotinum refellere, existimantes sensus, atque adeo eorum operationes inhærere in ipsa animæ substantia. Lib. 6. Epist. Lib. 1. de caus. sympt. c. 8.

Ideò autem obstructio nerui optici impedit visionem, quia intercipit transitum spirituum animalium è cerebro, quorum defectu torpet usus, licèt alioqui organi compositio sit integra, non uerò, quia traiectio specierum uisibilium ab oculo ad cerebrum intercipiatur.

Ad eos verò, qui uirtutem aliam animaduersoriam constituunt, sic respondemus. Interdum oculum rei præsentis imagine imbutum uisionem non elicere, id autem non accidere, quòd alterius uirtutis actio desideretur, cuius sit ad obiectum aduertere, sed quia ipsa cernendi uis in obiectum non tendit, quod tunc accidit, cum in rem aliam uehementi applicatione intenti sumus.

Itaque non aduertit oculus in obiectum per aliam actionem priorem haud distinctam ab ipso cernendi actu, sed aduertere dicitur, quoties anima non omnino ad alterius potentiæ functionem auocata impertit etiam se oculo, ita ut is quoque ritè suo munere fungatur.

Homo autem ex quatuordecim quibusdam consistit, nervis, venis, arterijs, sanguine, spiritu, carne, adipe, chartilagine, vnguibus, ossibus, medullis, capillis, membranis, humoribus. Horum autem excretiones, maribus quidem sicco, & humido excremento, vomitibus, oculis, naribus, sputis, sudoribus, venereis, incertis meatibus, capillis, & vnguibus fiunt. Fœminis verò adhuc duæ adduntur purgationes, lactis videlicet, & menstruorum. Lac autem, & eodem modo genitale semen hominis ex sanguine gignũtur, & hoc certum est, si enim homo plus æquo genitali vtatur, sanguinem pro semine emittet. Similiter & fœminæ si plus nimio lactare cogantur, sanguis elicitur.

Humanum corpus totum integrans est, cuius partes quærimus simpliciter, ut corpus est, aut quatenus est viuens.

Primò modo à Galeno in lib. Anatomicis consideratur, totum enim integrans in minimas usque particulas diuidit, cum interim humorum, aut spirituum nullam fecerit mentionem. Definit dissectio in similares particulas ueluti elementa ad sensum simplicissima, humores qui toto oberrant corpore inter partes non recensentur, multo minus palantes spiritus. Pars debet à se, non ab alio circumscribi, humidum omne aliena superficie

ſcie non ſua continetur, lac, medulla, ſanguis, adeps continentur ab alio: ſanè concretus adeps à ſe ipſo definitur, ſed mediocri calore ſolutus mox ab alio veluti termino continetur, cohibeturque. Sanguis tamen, & ſpiritus quia corpus viuens integrant, neque poteſt abſque illis viuere, ſapienter hic ab Hippocr. inter partes non corporis ſimpliciter, ſed viuentis corporis cenſentur, id enim ſine quo aut omninò non viuere, aut certè æquè commodè viuere non poſſumus, corporis viuentis partem nuncupamus. Fernelius partem definit, corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, & ad illius functionem, vſumve comparatum. Corporis nomine excluduntur ſpiritus, quia hic corpus ſolidum, & dimenſum requirit, cui Platonici opponunt pneumaticum, quo Dæmones eſſe corporeos defendunt. Humores corpora quidem ſunt dimenſa, nonnihilque habent eminentiæ, & ſoliditatis, ſed naturam habent fluentem, non cohærentem. Quæ toti adnaſcuntur, vt tophi, verrucæ, cohærent hercules, ſed vitæ conſortio non participant. Porrò partes quædam neceſſitatis, vt cor, hepar, pulmo ventriculus, quædam commoditatis, vt teſtes, oculi, illis enim exſectis viuere quidem poſſumus, non æquè commodè. Vngues inter partes commoditatis à Galeno recenſentur, quia id agunt, vt minutiſſima quæque comprehendamus. Præterea Galenus primo de vſu partium ſcribit, partes quaſdam datas eſſe ad ornatum, vt comam, & barbam, ita enim ipſe eiuſdem operis vndecimo. Mulieri ſapiens natura fecit corpus glabrum Puerorum inſtar, quia cum non habeat mores æquè venerandos, ac vir, neque forma opus erat illi æquè venerabili.

Pilos verò eſſe partes hoc præter cætera indicat, quòd Alopecia, & ophiaſis inter morbos partium à Medicis connumerentur. Obijciat aliquis, id modò, quod conſtituit, partis nomine dignandum, vngues, atque capilli rei iam conſtãti aduenium, atque accedunt.

Reſponſum hoc ferat à Galeno cum adiuncto non partes ſimpliciter, ſed poſtgenitas, vt criſtam galli, bouum cornua appellari, ſeu mauis, dicas, non eſſe partes corporis ſanabilis, quia ſpontè decidunt, tondentur, raduntur, quin eradicantur etiam ſine vlla corporis læſione. Verùm accretio, & nutritio ſunt motus animæ, quia calor, dum conatur ſeſe propagare, atque inoleſcere, nullo agendi modo coerceretur, niſi à meliore, & ordinatiore cauſa eius impetus ſiſteretur: At quidam ſunt fines accretionis in pilis, & vnguibus, vti in alijs partibus, anima igitur illis alimentum ſuggerit, præbetque incrementum, ac proin ſunt partes corporis viuentis.

Reſpondendum, illa per additamentum. collationemque nutriri, & augeſcere, non ſecus ac nouæ, & congeneris materiæ appulſu accreſcit aceruus', qui accrementi modus non eſt verior eo, qui per inflationem fit, quo vtres, mare, hydrops augentur. Genuina namq; accretio fit penes omnes dimenſiones ſimul nutritionemque excipit, educamur enim alimenti ſubſtantia, augemur eiuſdem quantitate, atqui humor excrementitius non eſt alimentarius. Quum ergo palam ſit, pilos, & vngues excrementis ali illos, nec propriè nutriri, nec augeri fatendum eſt.

Quæritur etiam de medulla, ſitne corporis pars? Non videtur, quia oſſibus eſt pro alimento, nil autem, quod in alimentum concedit, pars eſt eius, quod alitur, quia conſtare, permanereque partem oportet. Nutrimentum verò in nutriti ſubſtantiã conuertitur. De adipe eadem eſt controuerſia, cũ enim fiat ex meliori portione ſanguinis, vt placet Ariſt. h. e. ex oleoſa, & pingui, à nonnullis in partium album refertur, quia tamen cogitur frigore, pars autem caloris, & naturæ opera conſurgit, inde videtur expungenda. Enimverò ſi humor in venis reſtans, quia non cohæret, ſit indignus nomine partis quo iure adeps extra venas frigore concretus pars erit? Accedat id, quod in nutritionem faceſſit partem non eſſe, adipe autem, vt & medulla per eſuriem partem enutriri. Tum partes vniuerſas circumſcriptas eſſe, adipem, & medullam minimè. 2. & 3. 1. part. Anim.

Ad hæc ergo reſpiciens Hipp. ea, tũ quæ ſimpliciter neceſſaria, tũ quæ cõmodũ afferunt, & ornatum inter partes recenſuit, quorum vt dilucidior ſubſit doctrina, partiũ in primis præmittẽda diuiſio tũ ad ea, quæ verè corpus integrãt à ſimpliciotibus ad compoſitiora pergendum erit.

Corpus igitur ab Anatomicis diuiditur in caput, thoracem, ventrem, & artus. Caput ſubdiuiditur in cerebrum, nares, aures, oculos, & os. Thorax in pulmonem, cor, & diaphragma. Venter, in iecur, lienem, ventriculum, renes veſicam, & vterum; Brachium in manum, humerum, & propriè dictum brachium. Crus in pedem, tibiam, & femur. Hæc organa ſecundi generis ſubdiuidi quoque poſſunt in alia machinamenta, manus in digitos, oculus in muſculos, à quibus huc, illucque permouetur, ſeptem tunicas, tres humores, neruum opticum. Rurſus hæc inſtrumenta tertij generis ſunt diuidua in alia ſimpliciora, vt digiti in venas, neruos, & arterias, quæ ſunt ſimpliciſſima, atque indiuidua inſtrumenta, non ſunt tamen primæ, & ſimpliciſſimæ particulæ, ſimilares enim, & ſimplices non poſſunt in alias ſpecie differentes reſolui. Atqui venæ, & arteriæ conſtant fibris, & membranis partibus ſpecie differentibus. Itaque vt ſunt partes inſtrumentariæ (conformatio enim inſtrumentum facit) ita compoſitæ, & diſſimilares; Suntque verè ſimilares h. e. ſimplices, & informes octo duntaxat; oſſa, chartilago, fibra, membrana, ligamentum, tendo, caro ſimplex, & cutis. Nec obſtat, quod rudioribus primo obtutu venæ, & arteriæ ſimilares, ſimpliceſque particulæ videantur, quia rem, vt eſt, animo contemplanti cõſtabit eſſe partes diſſimilares, & compoſitas, quia vt paulò ante dictum eſt, ex partibus ſpecie differentibus conſtituuntur, vt puta fibris, & membranis.

Quemadmodũ, inquit Auic. cibi ex prima elementorũ cõmixtione procreantur, & humores ex prima ciborũ confuſione, ita mẽbra, ex prima humorum permixtione conflantur, quorũ inter ſimplicia primum os ſeſe offert, quod duriſſimum natura produxit, vti eſſet ſolidum totius corporis Lib. 1. F. D. V.

columen, ac fundamentum, motionumque omnium fulcimen.

Os consequitur chartilago tantò osse mollior, quantò durior ligamento, interuenit, vt ossium cum molliculis partibus decentior fiat connexio, ne extrema, molle scilicet, & durum exempto medio copularentur, coirentque, duro enim lene, & tenellum afficeretur, comprimereturque, quum porissimum per motum coarctantur.

Vt chartilago ossis, ita chartilaginis duritiem ligamentum æmulatur, hunc vsum præstat, vt coniungat, & contineat ossa, quæ alioquin dissilirent. Neruo quidem colore, & substantia simile est, durius tamen, & insensibile, paucis exceptis, quæ aut neruos excipiunt, aut ex membranis sentientibus ortum ducunt. Hinc Vesalius dicebat, commune esse ligamentis, vt obtuso admodum sensu participent, quem carpit Carpinaccus, sed immeritò. Accedat, neruos à cerebro, aut à spinæ medulla originem trahere, ligamenta ab osse ad os procedere, nerui omnes sensum, aut motum largiuntur, ligamenta neutrum.

Tendo est finis, & veluti cauda musculi, arbitrarij motus primum instrumentum, eo enim in partem mouendam inserto fit motus voluntarius. Dicitur à tendendo, quia membrum mouendum instar chordæ intendit, & versùs musculi caput contrahit. Substantia constat neruosa, quæ ex fibris neruorum, & ligamentorum per musculum dispersis, & vnà coeuntibus procedit. Tantò mollior ligamento, quantò durior neruo: sentit, & mouetur voluntario motu ratione neruorum, ex quibus cõstat, ligamentorum caussa musculos ossibus connectit.

Finitur membrum similare, genitũ ex fibris nerui, & ligamenti in musculo mixtis à facultate tendinigena, voluntarij, ac vehementis motus gratia.

Fibræ exilia quædam sunt, attamen firma, robustaque stabilimina singulis partibus insita, quorum ministerio naturales obeunt functiones, trahunt enim rectis fibris, expellunt transuersis, retinent obliquis adiutæ tamen mutuo auxilio, nam fibrarum omnium contentione, melius vnũquodque continetur; Præterea quędam, vt neruosæ sentiunt, quædam non, vt quæ à ligamentis procedunt. Sanguini quoque subsunt fibræ, quarum frigore concrescit.

Membrana, & tunica sola differunt ratione, nam membrana nomen est substantiæ, tunica nomen officij, quatenus enim membrana partem aliquam inuestit, tunica nuncupatur, in quibusdam partibus proprium habet nomen, quæ inuoluit ossa, periostium, quæ cranium pericranium, quæ cerebrum, męnynx: quæ costas tegit, & contentis partibus, vt cordi, pulmoni, asperæ arteriæ propriam tunicam largitur, succingens membrana, quæ partes naturales continet, datque singulis suam tunicam, peritonæos appellatur. Membranam finit Capiuacceus membrum similare ex semine genitum à vi membranifica superficiei partium custodiæ gratia, quam sanè supremam particulam meritò adiecit, nam ab his habent sensum, & ab externis iniurijs defensantur, nam si ossa à suo periostio denudaris, poterunt incidi, & secari sine dolore.

Nec obstat, quod Arist. scripserit, pericranium non sentire, sentit enim, verum obtusè, & cunctanter, propterea quod caret carne, quæ in contactu est medium.

Cutis est membranarum omnium maxima, totius corporis inuolucrum, ac etiam emissarium, per eam enim vniuersum corpus à fuligi nibus, vapidisque excrementis expiatur, sensu prædita est, quia neruea, nerui verò sensum mutuantur, qui per ipsius substantiam diffusi sunt, huius efflorescentia, summaque superficies, epidermis, cuticula nuncupatur. Tunicam intimarum partium non absurdè internam, intestinamque cutem dixeris, alioquin cutis non est omnium tractabilium criterion; nam quæ intrò assumuntur, aut per anum, vretramve injiciuntur, calidane sint, an frigida, non discerneremus. Esto, os detegatur, frigoris percipiet incommoda, & dura sentiet. Itaque cutis nomine non malè tunicas etiam interiores comprehenderis. Definitur membrum similare, genitum ex substantia sanguinea, & seminali à curifica virtute omnium partium conseruationis studio.

Caro Græcis σαρξ, est similaris particula sanguinea ad fibrarum, quibus circumjicitur, firmitudinem procreata. Simplex, syncetaque dispici potest in gingiuis, glande, & radicibus digitorum, cui adsimilis est, non tamen simplex, musculorum caro.

In mammis, & testibus cum adiuncto glandulosa caro dicitur. Substantia quoque visceris, vt cordis, & hepatis, caro, sed lata quadam nominis significatione. Erasistratus distinctius parenchyma nuncupauit. Inesse etiam reliquis partibus, quantumuis spermaticis, vt vẽtriculo, quin etiam ossibus suam carnem, notauit Galenus 10. Methodi. Eo enim sensu scriptum est ab eodem authore, partes omnes triplici substantia constare, solida, carnosa, & spirituosa, os, inquam, dicitur constare sua carne, generali, & impropric significatu.

Carnis, & pinguedinis eadem est materia, nempe sanguis, verum caro fit à calore per refocationem, pinguedo à frigore membranarum per modum congelationis.

Capiuacceus ad euitandã confusionem ob discrimen inter adipẽ, & pinguedinem, oleosũ corpus appellat, quod definit membrum similare ex sanguine genitum pinguis excrementi generandi gratia propter caloris naturalis custodiam, excrementum bonitate subst. salubre sint Arist.

Neruus est organu, per quod animalis spiritus, non facultas, in vniuersum corpus influit, pars est spermatica à cerebro, aut spinali medulla exorta, interiore parte medullaris, exteriore membranea, interior nerui substantia tota est syringodes, & spongiodes, sed sensilem cauitatem nullam habet. Diuiduntur nerui in sentientes, & motorios, isti à postica cerebri parte exoriuntur, illi ab antica. Dicuntur autem sensorij, quia organis inseruiunt ad sentiendum, motorij, quia ad mouendum vim conferunt, non sunt enim proxima motus organa, sed musculi. Sunt, qui illi non

acquie-

acquiescunt sectioni, quòd idem neruus & mouendi, & sentiendi facultate sit præditus, proin nouas statuunt differentias penes substantiam, magnitudinem, vsum, ortum, insertionem, texturam, ductum, de quibus non est nostri instituti agere.

Vena vt organum spectata est vas oblongum, rotundum fistulæ modo canum, simplici, prætenuique tunica omni villorum genere texta instructum ab hepate ortum, continendo, distribuendo, & conseruando sanguini à natura dicatum. Tunicarum simplicitate ab arteria distinguitur vena, quæ omnis generis fibras habet, rectas, obliquas, transuersas, non ad priuatam nutritionem, cui attratrix, retentrix, & expultrix ancillantur, sed communem quendam vsum, vt sanguinem naturæ thesaurum contineant, trahant à vicinis venis, & aliæ ex alijs transmittant ad alias, vt fiat distributio, purum ab impuro demum secernant.

Principium venarum in hac finitione iecur agnoscimus non quidem geneseos, ideſt originis, sed ριζοωσεως id est radicationis, & dispensationis, radicationis quidem, quia & portæ, & cauæ radices per vniuersum iecoris parenchyma dispergunter, vnde illud Hippocr. libello de alimento ριζοωσις φλεβῶν κωπας. Dispensationis verò, & officij, quia ab eo communis materia, nempe sanguis commune partium alimentum in venas corriuatur, idcirco Hippoc. dicitur gratiosi humoris fons, & origo. Multi sunt venarum vsus, primùm sanguinem conseruare, deinde eum distribuere, calorem, & spiritum deferre in singulas partes, spiritum dico naturalem, quem expungunt aliqui, demum sanguinem perficere.

Peculiares venarum vsus mittimus, vt emulgentium serosum humorem deducere, spermaticarum semini rudimentum conferre, &c. Venarum porrò innumeri, & infiniti sunt surculi, omnes tamen veluti à quinque caudicibus, & stipitibus manare dicuntur. Caua; vena portæ; Vena vmbilicalis; Vena arteriosa, & venosa arteria. Vena caua omnium amplissima ex gibbis hepatis prodiens in omnes ferè corporis partes ramos diffundit. Porta ex cauis emergens in ventriculum, lienem, intestina, epiploon tota diuaricatur.

Vmbilicalis embrij nutricula ab hepatis scissura ad vmbilicum fertur, & Puello adhuc in vtero latenti alimentum conuehit, edito autem animali tota vieta, & effœta degenerat in ligamentum.

Vena arteriosa venæ quidem nomẽ, & officium sortitur, sed reuera arteria est, totaque in pulmonem absumitur. Venosa autem arteria venæ tunicam habet, & structuram, veriusque venæ, quàm arteriæ nomen meretur, huius rami omnes multifariam scissi per totam pulmonum carnem spargunter.

Arteria est pars corporis similaris spermatica, longa, & caua, duplici, crassaque tunica, triplicique fibrarum genere intertexta, vt spirituosum sanguinem conseruandæ vitæ gratia reliquis partibus deferat.

Duplicem habet tunicam, quo nomine distinguitur à uena, tumne calor, & spiritus diffluant, & difflentur, tùm ne perpetuo motu disrumpantur. Interna tunica quintuplo crassior. Harum exortum è corde repetimus, hinc corde dilatato explicantur, eodem constricto adducuntur ab eadem facultate, qua corcietur, ideòque uice cordis in alijs partibus funguntur. Cùm verò omnes partes uita indigeant, ideó arteria magna à sinistro cordis sinu prodiens, & emergens statim in duos ramos ascendentem, & descendentem dirimitur. Ascendens primò basi cordis inserit coronariam arteriam in embryo, datque principium uenæ arteriosæ ad pulmones tendentis, dein intercostalem maiorem phreniticam, cæliacam, mesentericam inferiorem, lumbarem, & musculam emittit, postea in ramos iliacos diuiditur, quorum adhuc uterque in corpore quinque surculis abundat, nimirum sacro, hypogastrico, umbilicali, epigastrico, & pudendo.

Arteriarum usus triplex, primò arteriosum sãguinem in sinistro cordis sinu elaboratum continere, distribuere, transmittere tum ad perfectam singularum partium nutritionem (neque enim sufficit uenosus sanguis, nisi arteriosi splendor affulserit) tum ad animalis spiritus nutritionem, & generationem.

Alter arteriarum usus est influentem cordis calorem unà cum uitali spiritu in uniuersum corpus diffundere.

Tertius arteriarum usus est caloris natiui attemperatio, nutritio, expurgatio, quem perenni suo diastoles, ac systoles motu consequitur.

Sanguine, & spiritu.

Sanguis nomen homonymon, aliàs enim pro tota sanguinea massa, pituita utraqua bile, & propriè dicto sanguine constituta sumitur, aliàs pro quarto humore, qui est mixtum calidum, humidum, ut ait Hipp, colore rubrum, sapore dulce, quale uere in adolescentia redundat. Hic non est pars corporis integrans, neque enim toti cohæret, quæ verò sub unius formæ unione coalescere debent, non cohærere modò, uerùm etiam esse continua, par est, atqui sanguis uenis secretus ueluti quibusdam conceptaculis inclusus continetur; Sit tamen uiuentis corporis pars fusa quadam nominis significatione, ut nutrimentum corpori necessariò suppeditat. Lib. de nat. hum.

Spiritus corpus æthereum caloris, & facultatis sedes, & potissimùm animæ instrumentum: Hos uocat Hippocr. enormonta, impetum facientia, quòd sint omnis energiæ instrumenta. Tria spirituum discrimina nobis apponunt Medici, naturalem, qui ex puriore sanguinis portione in iecinore procreatur, & unà cum sero, quod Hippocrat. alimenti uehiculum appellat, diadosi ancillatur, & insitum excitat, instauratque spiritum: Vitalem, qui in sinistro cordis sinu ex subtiliori arteriosi sanguinis acumine, seu ex naturali spiritu, & attracti aeris substantia progignitur, & per arterias quoquo uersum delatus uitam partibus elargitur, uiuunt enim particulæ non solùm insito, sed influente etiam opus habent, quo excitentur, & foueantur, argumento sit syncope: Animalem, qui è uitali in plexu retiformi generatur ad motum, & sensum Subsistiam luminosam vocat Auic. spiritum, & sedem animæ.

Similiter, inquit Auic. spiritus generales, & si plures sint numero, nihilominus vnus ipsorũ generatione primus est, qui secundũ sententiam potiorẽ Physicorum generatur in corde, & inde manat, & penetrat in alia principalia membra, in quibus cum sufficienter permanent adipiscitur ibi complexionẽ particularem, & propriam, ita quod in cerebro complexionẽ acquirit, qua disponitur ad susceptionẽ virtutũ sensus, &c. In Prool.

singulis partibus deferendum; hic in vniuersum influit. Philosophi vnum spiritum constituunt vni formæ inseruientem, differentem modò perfectionis gradibus, sed vt quiete intercipitur eorum generatio acquisito fine, & noua parta forma, ita dist inguuntur essentiæ ratione.

Carne adipe, chartilagine, &c.

Quid caro, quid adeps, & chartilago sint, & in quos potissimùm vsus destinentur, retrò dictum est.

Vngues denique ex neruosarum partium excrementis in extremitatibus manuum, ac pedum exoriuntur, non quidem vt sint partes corporis, cum vita, ac adeò vera nutritione destituantur, sed vti sint vtile extremitatum pro illarũ partium actionibus firmandis munimentum. Plures Auic. agnouit vsus, vt sint veluti podium extremitatum digitorum, ne, cum premuntur, indoleſcant, & debilitentur, vt minima quæque possint apprehendere, vt scalptui, & munditiei inseruiant, & quandoque vt ira percitis sint armorum instar. Crescunt autem semper, inquit, quia & fricationem, & amputationem perpetiuntur. Quærit Aphrodisæus, cur qui in vnguibus affectus existunt, vehementer cruciant, vt est in paronychia intelligere?

Respondet, quoniam nerui per digitos tenduntur, & peculiaribus excrementis vngues gignunt, quemadmodum & dentes in gingiuis fiũt, cum igitur sensibilis neruorum virtus in extrema progreditur, inque ijs collecta veluti in conuallem profluens aqua congregatur, atque copiosior existit, proculdubio quò magis affectum sentit, magis etiam cruciatur, aliqui causantur humoris malitiam, quam palpitatio, & frequens animi deliquium arguunt.

Medulla (ni spinalem audiat) non est pars corporis, sed ossium potiùs peculiare alimentum, peculiare inquam, nam etsi sanguis commune statuatur alimentum, priùsquam tamen nutriat varias subire dicitur allioses. Proin Galenus 3. de nat. facult. ait, ossa, quò nutriantur, numerosa, quæ intercedat, mutatione egent, estque qualis carnibus sanguis, talis ossibus medulla, scilicet ijs, quæ parua sunt, sinusque expertia, cauernulis eorum insperſa, in magnis verò, & quibus sinus non desunt, vtique in ipsis collecta. Hinc Laurentius in ossibus duo reperiri statuit μύελον, ideſt medullam, & χύμον, id est succum, illa crassa, & alba substantia subsitat in ossium cauitatibus contenta, hic liquidior, ac rubicundior est in ossium quorundam cauernulis insidens. Cõmuniter vterque hic humor sub medullæ nomine exprimitur, ideò verùm est, omnia ossa medulla nutriri, quamuis enim omnia medullam conspicuam in ossibus non habeant, non destituuntur tamen eadem.

C.15.

Quid capilli, quid membranæ, & cui inseruiant vsui, satis, superque dictum est.

Humor, inquit Auic. est corpus humidum, liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur, nam cum natura ad animalium formationem varios meatus construxerit, quibus alimentum in singula membra perferatur, opus fuit, id quod per illas vias ad nutriendum transmittitur, humidum esse, ac fluidum, vt scribit Philosophus, hanc ergo materiam, quæ nutriendo animali apta est, humorem appellamus, estque in sanguineis animalibus sanguis, in alijs verò aliquid sanguini proportione respondens. 2. de par. Anim. c. 2. & 3

Et quamuis ingesta alimenta primo loco in chylum vertantur, chylus tamen humor non est, quum nutriendo corpori ineptus sit, neque priùs quam post eius in sanguinis conuersionem, corpus nutrire incipiat, humoris nomine dignandus est. Et licet præter sanguinem alia quoque in corpore sint liquida, humores tamen non sunt, sed excrementa, vt serum sanguinis, & sputa, & id genus alia.

Physici humorem appellant qualitatem primam aliena superficie, non sua terminatam, cuius dominatu liquida, & mollia cedunt tangenti. Medicis est nomen substantiæ, non qualitatis, quam sanè Hippocr. more suo inter partes reponit veterem corporis diuisionem assequens, ille enim corpus diuisit in continentia, contenta, & impetum facientia, quamobrem neque mirari subit, si errabundos spiritus huc appellarit, humores tamen intelligit reliquos à sanguine, cuius antea commeminit.

Cæterùm Hippocr. vbi partes, quibus constituitur corpus, pro consilio adnumerauit, narrat quomodo vnaquæque particula sua amandet excrementa, cum enim alimentum multis parasangis à partis natura dissideat, assimulari per coctionem nequit, ni digeratur, segregeturque, quod est contrarium. Inquit autem maribus duobus excrementorum generibus purgationes fieri, sicco nimirum, & humido, vt innuat singularum coctionum duplex esse excrementum, crassum, & tenue, vt alibi notauimus, si quidem præcordia vomitibus potissimùm repurgantur resupinato ventriculo, & eo, quod in cauitatibus continetur, amandato, vt ait Galenus. 7. Meth.

Per oculos, & nares cerebrum potissimũ purgatur, mucus enim è cerebro ad nares deriuatur, & stillat, aquosum, & tenue excrementũ ad oculos.

Sic enim alibi Hipp. Fluxiones porrò de capite vsque ad secretionem contingunt, per aures secũdum naturam, per oculos, per nares, atque hæ tres sunt, & aliæ per palatum, guttur, & gulam, & aliæ per venas in spinalem medullam, & in sanguinem, quæ omnes septem exiſtunt. Et lib. de locis in homine. Fluxiones de capite septem sunt in nares, in aures, in oculos, atque hæ ob oculos conspicuæ exiſtunt, &c. Li. de glãd. num. 3. & 8.

Sputatio ea maximè educit, quę in pectore continentur, & ideò sputa de pectoris affectibus magnam habent ad præsagiendum vim. Sic enim legitur hb. Progn. Sputum in omnibus doloribus, qui circa pulmones, & costas fiunt, citò, & facile expui conuenit, & flauum sputo valde permixtum apparere, si enim longè postea post principium doloris expuerit, quod flauum est, aut fuluũ, aut quod multum tussim inducit, & non valde permixtum est, deterius est, nam & flauum, & meracum periculosum est, & album, & viscosum, & rotundum inutile est, malum est, & quod viride valde, itemque pallidum, & quod spumosum,

si verò

si verò ita fuerit meracum, vt etiam appareat nigrum, hoc ipsum deterius est, quàm illud, malum etiam est, si nihil repurgetur, neque emittat pulmo, sed plenum ferueat in gutture, sputum autem flauum sanguine permixtum non multo si in Pulmonis inflammatione in principio morbi reijciatur, salutare est, & valde prodest, si verò septimo die, aut posteriùs, minùs, securum est, & ideo in Aphor. etiam legitur. In morbo laterali, si circa initia sputum appareat, morbum breuiat; Sputum ergo spiritualia membra mirificè lustrat, & depurgat. Nec minùs ventriculus degrauatur, per communem enim tunicam aliquando tenuis pituita è ventriculo in glandulas, & os redundat. vnde etiam ptyalismus committitur, quamquam non rarò eadem de capite fit decidua.

Per sudores tertia potissimùm corporis regio euacuatur, fit enim sudor, quum serosa humiditas redundat, patent meatus, & potens calor foras exigit, atque protrudit. Est autem sudor Auic. sententia sanguinis aquositas cholericæ permixta saniei, sudor enim habere debet bilis aliquid, quæ sit veluti irritamentum, & vehiculum. Propterea Conciliator tres præcipuas sudoris causas posuit, virtutis scilicet expultricis vim, cum fumoso spiritu, pororum amplitudinem, ac humidi vbertatem admixto pure bilioso. Hipp. cum flatus, ait, ingens, h. e. humiditas vaporosa & calida ad meatus corporis irruerit, sudores fiunt, siquidem spiritus compactus in aquam commutatur, & per meatus penetrans extra prorumpit eodem planè modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus, si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pingue fit, & condensatur, guttæque destillant ab his corporibus, quibus vapor ipse fuit impactus.

Gal. 10. de simpl. med. facult.

Lib. de Flat.

Contendit Diocles sanis non esse familiarem, secus tamen sentiunt alii. Qui plura cupit, percurrat Aristot. qui ab Hipp. vniuersa, quæ de sudore commentus est, hausit.

Per venerea solus fœtificus lentor, & genitale virus expurgatur, quod sola copia excrementum est. Fit ex pinguiori sanguinis portione, & in testibus summam indipiscitur, comparatque perfectionem, vbi enim coquitur, ibi & feminis formam suscipit, induitque, coquitur autem in testibus, si non per mathematicum, saltem per physicum attactum, frustra enim quidam contendunt à toto formaliter esse deciduum, cum materia dūtaxat illinc deriuetur in testes, hinc vocatur vltimi alimenti excrementum, nempe glutinis, ex eo enim, quod in singulis partibus redundat, & ad testes deducto natura semen elaborat, & efformat. In quam rem Hipp. appositè scripsit. Venæ, & nerui ab omni corpore in pudendum vergunt, quibus dum aliquantulum teruntur, & calescunt, ac implentur, veluti pruritus incidit, & ex hoc toti corpori voluptas, ac caliditas accidit. Cum verò pudendum teritur, ac homo mouetur, humidum in corpore calescit, ac diffunditur, & à motu conquassatur, ac spumescit id, quod robustissimum est, ac pinguissimum secernitur, & ad medullam spinalem venit. Tendunt enim in hanc ex omni corpore viæ, & diffundunt ex cerebro in lumbos, ac in totum corpus, & in medullam, & ex ipsa medulla procedunt viæ. Ad hanc postquam genitum peruenerit, procedit ad renes, hac enim via tendit per venas, & si renes fuerint exulcerati, aliquando simul sanguis defertur, à renibus autem transit per medios testes in pudendum. Procedit autem non quà vrina, verum alia ipsi via est contigua, &c.

Hinc patet, quod est pinguissimum in testes deduci, non ea tamen via, qua Hippocr. censuit, nam materia seminis à minoribus venis ad maiores tandem in cauam vndique confluit, vnde à testibus attrahitur, dextra enim spermatica haurit de magna vena veluti de fonte, sinistra ex emulgente tanquam de riuulo. Nemo autem existimet quippiam singulis partibus detrahi de consueto alimento, nisi fortè immodica venere, nam satiatis, quod superest, minores venæ veluti excrementum in maiores amandant. Cur castrata animalia pinguescunt? Boues enim sunt pinguiores tauris, gallis capi, arietibus oues: Quia vltimi alimenti reliquiæ abeunt in pinguedinem, cur ita? Quoniam à testibus non attrahuntur.

Duo porrò sunt seminis partes, corpulentia, seu crassities, & spiritus, cui veluti subiecto inest vis genitiua, ad quem collimabat Laertius, quum semen definiuit spiritum calidum, mobilem, tale generare potentem, quale id, vnde decidit. Tanta autem est huius excrementi nobilitas, vt si affatim euacuetur, plurimam iacturam corpus faciat. Pythagoras spumam sanguinis siniebat. Ad spiritus respexit Aristot. cum à solo mare semen emitti, scripsit.

In certos meatus demum vocat. Hippoc. corporis poros, totum enim corpus est difflabile, & transpirabile, per hos verò tenuis excrementorum portio halituum specie dissipatur.

Capillis terracea, & fuliginosa capitis, & totius corporis superfluitas educitur.

Vngues cum ex neruosarum partium retrimento producantur in primoribus digitis, harum purgationi inseruire videntur.

Fœminæ præterea duo excrementorum alia genera congerunt, lac nimirum, & sanguineum menstruum, illud quidem ad fœturæ nutritionem, hunc verò tum ad eiusdem in vtero constitutionem (est enim altera pars vuiodes) tum alimoniā, quòd eadem sint constitutionis, & nutritionis principia. Conficitur autem lac in glandulosa māmarū substantia proprietate quadam, neque sunt illi audiendi, qui mammis vim γαλακτοποιητικὴν denegant, quòd glandulis, quæ solis excipiendis excrementis sunt dicatæ actio nulla conueniat, enimuerò duplex ex Galeno glandularum genus statui debet, quędam enim sunt veluti stabilimentum vasorum nullis consitæ neruis, quædam verò ad succos animanti utiles generandos comparatæ fuerunt, hæ quemadmodum uenas, & arterias, ita etiam neruos obtinent, in quorum censu māmæ sunt potissimum.

10. de vſu Part. c. 2.

Sanguis porrò menstruus, ubi utero non gerunt, totus repurgatur, quia enim fœminæ frigidæ sunt naturæ, habitusque densioris, uitamque degunt sedentariam, multum congerunt crudioris san-

guinis, quem ſtatis temporibus per vterum excernunt.

Subdit, *lac, & genitale ſemen* ex ſanguine ortum ducere eo argumento, quòd ſi quis plus æquo venereis vtatur, pro ſemine ſanguinem effundit, quæ cum ſint, quàm quæ ad Sagram veriora, verbis non eſt opus.

Spina autem hominis habet vertebras vigintiquatuor, coſtas totidem, dentes cum maxillaribus duo ſupertriginta, ſunt autem anteriores diuidentes, qui & ſecantes appellantur. Stomachus palmos habet quinque, inteſtina cubitos tredecim. Nomina digitorum: Pollex, Index, Medius, annularis, auricularis. Vngues frigidi, ſiccique temperamenti ſunt.

Quæ ab Hipp. adſcribuntur, ſunt adeò dilucida, vt nulla inuolui difficultate videãtur, ſcitum enim eſt, dorſi ſpinam, quam ſacram fiſtulam vocat Herophilus, quamque oſſium initium ponit Ariſtot. ex pluribus conflari vertibris, quæ maxima ex parte per ginglimon iungũtur, & ſeparantur, adeò vt ſuperiores ſeptem ceruicem conſtituant, ſubſequentes duodecim dorſum, reſiduę quinque lumbos, quibus poſtea os ſacrum annectitur, cuius extremum coccyx dici ſolet.

Anat. ſeptẽ tantum, & in Gal. & Auic. ſeptem coſtas genitas, adeſt legitimas ſtatuere. octo Phil. 1.

Totidem coſtas habere, planum eſt apud Anatomicos, quarum vtrinque octo Genuinæ, nothæ quatuor ſtatuuntur.

Dentium natura, inquit Ariſt. communi quidem officio ad cibum conficiendum adiuncta eſt, attamen generatim ſeorſum alijs roboris gratia tum ad inuadendum, tum etiam ad defendendum: Alijs auxilij tantùm cauſa data eſt, partim enim ea vtraque cauſſa dentes obtinent, vt nec ab alijs afficiantur, & ipſa afficiant alia, vt quæ ex feris natura carnivora ſunt, partim ea cauſſa tantùm, ne malè ab alijs afficiantur, vt complura tum ſyluęſtris generis, tum etiam vrbani, nonnullis cibi cõficiendi cauſſa tantùm adhibita eſt dentium opera. Homo autem ad vſum communem probè factos obtinet dentes, videlicet primores acutos, vt ſecent, diuidantque maxillares latos, vt molant: Diſcriminant, diſtinguuntque eos vtroſque hi, qui canini appellantur media inter eos natura conditi, nam & medium particeps vtriuſque extremi eſt. Et canini ipſi partim acuti ſunt, partim lati. Quod idem in cęteris quoque animalibus eſt, quibus non omnes acuti habentur, ſed potiſſimùm locutionis gratia tales, totque numero h.e. duos ſupra triginta ſortitus eſt, ad litteras enim exprimendas multum conferunt primi dentes. Articulantur per gomphoſim, membranis, carne, vinculiſque vinciuntur, neruos à tertio pari aſſumunt.

Stomachus, & ſi alijs gulam, totum oeſophagũ, aut ſupernum os ſignificet, Celſo tamen, Plinio, & pleriſque pro ventriculo vſurpatur. Eſt verò ſtomachus, ſeu ventriculus pars corporis membranoſa concaua, duabus tunicis carnoſis proprijs conſtans, certòque, ac peculiari temperamento prædita, vt alimentum in chylum conuertere valeat, hinc actio illius χύλωσις dicitur. Obtinet ventriculus duo orificia, ſiniſtrum quod aliàs ſuperius, & dextrum, quòd & inferius appellatur, per illud propter inſignes neruos à cerebro deriuatos exquisitè ſentit, per inferius alimentum iam concoctum ad inteſtina demittitur, in quibus chylus amplius elaboratur, & à partibus excrementitijs ſecernitur, ſeparaturque: Quod verò ventriculi magnitudo quinque palmorum latitudinem exæquet, non eſt vſquequaque verum, nam pro corporis proportione modò maiuſculum, modò minuſculum eſſe, par eſt, & dignum, alioquin vitium eſſet in magnitudine, vt cuidam accidiſſe memorat Gal. ventriculum ille adeò paruum, & rotundum habebat, vt circunſcriptio propria & videntibus, & tangentibus appareret. Natura ventriculum in abdomine collocauit, ſeptoque ſeparauit à thorace non tantùm ad reſpirandi libertatem, & faciliorem dilatationem, ſed ne fœdo eius odore inquinarentur. Medius inter lienem, & iecur conſiſtit inſtar lebetis feruentis inter duos focos.

Inteſtina ſunt corpora membranoſa, oblonga, rotunda, concaua, multiſque rugis inuoluta, & excernendis fæcibus dicata. Sunt autem inteſtina vel gracilia, vel craſſa. Tenuia ſunt Duodenum, Ieiunum, Ileon. Craſſa verò cæcum, colum, Rectum.

Duodenum appellatur à longitudine duodecim digitorum tranſuerſorum, licèt hodie vix tantam aſſequatur longitudinem. Huic ſuccedit ieiunum ita nuncupatum, quòd ſemper uacans, depletumque inueniatur, hoc autem vſu uenit exigente, exugenteque confertim id, quod appellit, numeroſa meſeraicarum uenarum ſobole. Cum ieiuno implicitum eſt Ileon (à circumplicatione, & circumuolutione nomen mutuatur) ſubiectum illius miſerabilis, & immanis affectus, iliacæ uidelicet paſſionis, quam *Miſerere mei Deus* dictitant. Hoc eſt inteſtinum, quod enterocelen committit. Inter craſſa primus locus cæco defertur, quòd uno duntaxat foramine ſit peruium, cuius vſus, munuſque eſt, vt quod in excretis utile ſupereſt, colligat, unde per uenas ſenſim poſtea aliorsùm abripitur: In primis ſpectanda æſtimandaque ualuula eſt cæco innexa inteſtino, quæ inſtar cuſtodis adeſt, ne à craſſis inteſtinis ad tenuia quicquam remeet, remigretque, eò tamen per inediã alimentarios clyſteres peruadere, conſtans eſt meliorum opinio, nec mirum, cum fames omnia perfringat, peruertatque. Secundum locum inter craſſa colon obtinet, quod quidam à χολύω h. e. remoror, deriuant, hic enim ſitus, & cellularum cauſſa excreta remorantur. Rectum ſupereſt à figura, ſituque nomen ſumens firmum ſatis, atque carnoſum, quod in extremitatem ani deſinit, & fœces pro voluntatis imperio foras protrudit, & exturbat. Vt autem colon doloris colici ſedem præbet, ita hæmorrhoidali fluxioni ſubijcitur rectum, cum huc ex uenæ deſinant.

Inteſtinorum longitudo Hippocriti eſt cubitorum tredecim. Recentiores obſeruarunt reſiccata inteſtina ſepties, uel, vt alijs placet, ſexies corporis longitudinem æquare, quod de interiore tunica conceſſerim, quum externa duplo ſit longior ob tranſuerſas rugas in gracilibus, & ob cellulas in craſſis inteſtinis. At ſi cum inteſtinis œſophagum, & uentriculum comprehendas, cum eadem ſit continuitas, hanc longitudinis menſuram

inue-

inuenies. Tanta longitudò tortuoso, & miro uolumine disposita est ad perfectæ distributionis munus, ne alimentum confestim elabens, gulæ insaturabilique abdomini nos subiugaret, & ne fœdo identidem deijciendi ministerio indignæ hominis dignitate seruituti manciparet.

Quæ animalia vnicum habent intestinum à ventriculo ad anum recta protentum insatiabilia esse consueuerunt Plantarum modo assiduè cibis addicta. Talis erat voracissimus ille, ait Riolanus, Monspessuli, dissectus, qui vnicum habebat intestinum amplissimum in S. Romani figuram inflexum sine alia reuolutione. Interim notandum contra veterum medicorum doctrinam tenuia intestina inferiora esse, mediumque ventris spatium obtinere, crassa superiora, vt gracilia instar sepimenti obuallarent.

Manus constat quinque digitis, vola, metacarpio, carpo: Scribit Aristot. naturam lineas in vola, cæsuraſque describere indices longioris, aut breuioris vitæ, quo fundamento innititur chiromantia. Idem Anaxagoram vellicat, quod dixerit, ideò hominem sapere, quoniam habet manus, natura enim, ait, instrumenta facultatibus, non facultates instrumentis accommodat, atqui manus est instrumentum sapientiæ. ἔργανον inquam ἔργανῶν, nam ars quælibet instrumẽta facit manuum ministerio; Temerè enim naturã inculabat Theophrastus, quòd cætera animalia vnguibus, cornibus, aut huiusmodi vitæ præsidijs munierit, hominem verò inermem reliquerit, quandoquidem manus potentia est omne instrumentum. Homo inquam non sapit, quia manus habet, sed quia naturæ primo instituto animal est consilii, & rationis plenum, idcirco accepit manus, vt essent sapientiæ instrumenta, harum potissimùm pars sunt digiti, quibus ex officio nomina sunt indita. Numerus quinarius est quindecim ossibus constans, quibus propter articulationum, motuumque diuersitatem multi prospiciunt musculi. Flectuntur enim digiti musculis duodecim, quorum alij pollicem, qui antichir Græcis dicitur, eiusque primum, vel secundum internodium mouent, alij reliquis quatuor digitis, eorumque internodijs prospiciunt, prouidentque, cum autem non modò flectendi, sed etiam relaxandi sint digiti, ideò alij musculi extendentes insiti sunt, quorum octo recensentur, de quibus in myologia Anatomici.

Vngues, qui veluti digitorum munimenta sunt frigidi, & ficci perhibentur ab Hipp. & reuera sunt huiusmodi, cum sint terrosi, & ossium naturam æmulentur, quin inter ossa recensentur ab Auic. non sunt tamen corporis partes, quum non viuant, sed in eos vsus facti videntur, vt ad minima quæque apprehendenda commodum præstent.

Anni verò tempora quatuor habentur, Ver, Æstas, Autumnus, Hiems. Ver calidum, humidum est: ideo sanguinis in corpore incrementum fit. Æstas calida, & sicca, ideo flauam auget bilem: Autumnus frigidus, & siccus, ideo atram bilem. & saniem auget, sanies quidem sanguinea, & aquosa est. Hyems autem pituitam in corpore adauget: Nam quatuor hominis elementa, ideſt humores ad tempora quatuor diuiduntur, ideo solarem conuersionem speculari, & affecti temperamentum, & ad hæc curationibus vti oportet.

Postquam Hipp. partes, quibus constituitur humana natura recensuit, egreditur ad anni tempora, eorumque temperamentum, humorumque responsum singulis anni quadris assignat: Hæc autem præmittuntur ad rectam victus, vitæque normam instituendam, quam Perdiccæ Macedonum Regi præscribere volebat, huc enim collimauit Senex. Inquit igitur quatuor esse anni tempora, quæ Sol Zodiaci signa percurrens Astronomorum opinione describit, Pisces enim, Aries, Taurus Ver constituunt: Gemini, Cancer, Leo, Æstatem, Autumnum Virgo, Libra, Scorpius: Hyemem Sagittarius, Capricornus, Aquarius. Alij ex Solstitijs, & Æquinoctijs anni discrimina repetunt. Verumtamen Sol suo accessu, & recessu, radijs rectis, aut obliquis nobis hæc tempora distinguit. Sed enim cum Medicis effectus magis sint vsui ob illatas in corpora affectiones, in tempora distribuere inæqualia, sit satius, adeò vt Æstas sit totum tempus calidum, Hiems totum tempus impendiò frigidum, reliqua tempora media, & quadantenus inæqualia. Veri ergo initium præbet Vernale æquinoctium in diem Martii vigesimamprimam incidens, cuius finem assignant Pleiadum ortum, qui vigesimaquarta Aprilis die emergit, totumque cõtinent Ver dies quinque supra triginta, quod sanè contingit, quia ante Martium frigiditatem percipimus, quapropter & inæquale tempus appellatur, & temperatum, ob mediocritatem, qua fruitur medium. Ver tamen calidum, & humidum appellat Hipp. ad reliqua anni tempora, quemadmodum & libro de humana natura. Ver excipit Aestas calida sicca, ortum à Pleiadum origine ducens, Arcturo nascente denascitur, & de medio tollitur, quas vices decima septima Septembris dies appottat Autumnum pariens, quem Nouembris septima die Pleiadum tollit occasus. Inqualis perhibetur Autumnus ob alternas affectiones, quibus opportuniorem effecere aeris syncerit as, & gracilitudo, frigidus tamen, & siccus esse consueuit. Postrema sequitur Hyems frigida, & humida progrediturque testudineo gressu vsque ad Vernum æquinoctium. Stipatur frigore, quia Solis vicinia, cunctatione, radiorumque directione destituitur. Humore madescit, ac diffluit, quia quos extulit Solis imbecillitas vapores discutere nequit. Has verò temperies seruare debet annus, si modò salubris, constansque futurus est, si vices permutentur, inutilis, insalubrisque redditur. Quoniam igitur aer mirum in modum nos afficit (contentum enim alterascit ad modum, paritatemque continentis) fit hinc, vt pro aeris conditione, tales etiam in nostro corpore humores succrescant, propterea Hipp. maximum esse omnium scripsit, quæ corpori accidunt, & causſam morborum ferè omnium, cui applaudens Galenus, aerem corporum symmetriam turbare, affirmauit, nempè dum nobis circumfusus, inspiratusque tali nostra corpora dispositione afficit, quali ipse præditus est. Ver igitur Hippocrati calidum, humidum, Galeno, & Auic. temperatum, pueritiæ, si malis adolescentiæ tum sanguini

Sic Auic. li. 1. fe. 2. D. 2. C. 3. de numeris temporum circa mutia.

Lib. de Flat. Com. P. de m. vulg.

analo-

analogum. Aestas calida, ficca, proportione respondet iuuentuti, necnon bili. Autumnus frigidus, siccus, si placet, intemperatus, & inæqualis ætati inclinanti, necnon melancholiæ similis est, dies enim etiam Vernus, in quo viciſſim calor, & frigus vigent, Autumnalis, & veluti inæqualis appellatur. Hyems frigida, humida cum pituita, & senectute valde cognatam habet naturam. Hinc verè sanguis dominatur, Aestate bilis, Autumno melancholia, Hyeme pituita. Proin sanguinei opportuniores sunt morbis à sanguine, vt hæmorrhagiæ, anginæ, pleuritidi, & aliarum partium inflammationibus. Bilioſi aurigini, phrenitidi, herpeti, eriſipelati, cauſo. Pituitoſi hydropi, feb. quotidianæ, œdemati, ſtomachi, & capitis grauitatibus. Melancholici cancro, quartanis, feb. erraticis. Meritò igitur Hipp. commonet, vt ad ſolarem conuerſionem oculos dirigamus, iuxtáque temperamenti, & temporum conditionem inſtituatur curatio, enimuerò non modò ad dignoſcẽdam corporis conſtitutionem, morborum cauſas, & ideas faciunt, verùm etiam maximè ad præſidiorum materias eligendas, & temperandas, ſi quidem medijs temporibus vere & autumno, audentiùs purgamus, & ſanguinem mittimus, quam Aeſtate, aut Hyeme, ad hæc meliùs Aeſtate per ſuperiora, Hyeme per inferiora euacuamus, vt voluit ſenex. Aph. Ex quo colligere eſt, quàm vtilis ſit Medico Aſtrologia, vtpotè quæ temporũ mutationes longè præuideat, quamquam Manardus & Argenterius ex more aſpernantur, & ſugillant.

Si enim verno tempore iuuenis aduerſa prematur valetudine, ſanguinis exuberantiæ cauſſa patitur, quem per venæ ſectionem emittere opus eſt. Etſi pleureſi vnius diei ſpatio, vel duorum, ſiue trium laborauerit, venæ ſectione affecto opitulandum erit priùs, quàm opprimat paſſio, & affecti vires deficiant. Homini verò venæ ſectio perutilis eſt, & tempus quidem, quo ipſa vtendum, à Februario incipit, & rurſus à Septembri initium ſumendo ad ſeptimam eiuſdem perdurat. Aeſtate aliquo ægrotante ad paſſionem purgamina adhibenda.

Ad confirmandam priorem ſententiam, quòd Verno tempore ſanguis in venis redundet, & luxuriet, (quia ſuccos auget, ait Galenus vnaquæque tempeſtas pro ratione ſuæ temperaturæ) hoc probat argumento, quòd ſi quis iuuenis aduerſa prematur valetudine, præ ſanguinis copia patitur; quamquam verò hoc frequentiùs accidat, fieri tamen poteſt, vt alia etiam de cauſſa ægrotet, quamobrem non neceſſariò concludit Hipp. Quòd ſi ex ſanguinis exuberantia fiat, ſanguinis miſſio remedio eſt, hæc enim verè indicatur à ſanguinis vitio. Hinc Arabum Princeps, Veris autem, inquit, ægritudines ſunt ſanguinis egeſtio, & fluxus è naribus, & melancholiæ ebullitio, quæ de natura exiſtit choleræ, & apoſtemata, & carbunculi, & ſynanchæ. Et paulò poſt ſubdit. Lib. 1. F. 2. D. 2. c. 6.

Nulla autem res eſt, quæ ita tueatur ab ægritudinibus veris, quemadmodũ phlebotomia, & inanitio, & diminutio comedendi, & augmentum bibendi. Cæterùm Hippoc. particulatim exemplo Pleuritidis docet, quando adhibenda ſit venæ ſectio, dicitq; confeſtim adminiſtrandam eſſe, priùs quam æger opprimatur, & vires deficiant, quod ſanè eſt ſummopere obſeruandum in omnibus morbis, vbi venæ ſectione ſit opus, nam, vt ait Auic. venæ ſectio eſt remedium, quod adhiberi debet in principio, & ſi poſt habetur, nõ eſt amplius opportunum, quia fortaſſis interficit propter aduentum debilitatis virtutis, tametſi alibi ſcripſit, etiam poſt quadrageſimum diem celebrari poſſe, dummodo vires conſtent. Sed dicet quiſpiam, quare Hipp. ipſe Anaxioni Pleuritico in epid. octaua die ſanguinem miſit? Reſpondet Galenus, quia fortè non fuit ante accerſitus, & vires adhuc validæ, firmæque ſuberant. Quidquid tamen ſit optimum eſt conſilium in ipſius morbi carceribus, cum adhuc virium tenor viget, ſanguinem mittere. Remedia enim non modo indicari debent, verum etiam permitti, permittunt autem vires, aut refellunt. Porrò ſubijcit, ſummo vſui eſſe homini venæ ſectionem, quod hercules id, quod eſt, dummodo agendi methodus ſeruetur. Nam fac, vitioſum eſſe ſanguinem aut penes ſubſtantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut motum, an protinus cædenda vena? Minimè puto, ſed obſeruanda in primis temporis opportunitas, nam illud bene ſit teſte Platone, quod opportunè fit, quæ ab agentis præſentia, & prohibentis abſentia pendet, quantitas etiam ſpectanda, quæ ab actionis, & energiæ efficacitate deſumitur, nam ſi ſumma ſit actio ſanguinis, multum detrahendum, & confertim, ſi vires ferant, alioquin partitè, & per epicraſim, ſi effœta, & ceſſans ſit actio, parcè. Nec minus modus, & locus æſtimandi, quorum ille reſiſtentiam, aut oblequium, iſte ſubſiſtentiam, ſedemque ſanguinis reſpicit, nam eſt cum infernè, eſt, cum ſupernè tundenda uena. Affectus partium, quæ ſuperſtant, inſidentque rebus ſuperiores uenas recludendas poſtulant, quæ ſubſunt infernas, ni aliter inſignis ſuadeat plethora: Renes ambigunt. Aſſumit autem Cous à Februario tempus mittendi ſanguinis incipere, quia tunc Sol ad nos redit, & ſanguis commoueri, & turgeſcere, & currere, ut ait Auic. quodammodo uidetur, toto Verno tempore nos manet hæc opportunitas, & rurſum menſe Septembri reuertitur, tunc enim ambientis calor remittitur, & uires reſumuntur, nimis tamen uere congruus eſt Autumnus; an uerò uſque ad ſeptimum duntaxat September. liceat, uideant alij. Aeſtate Hipp. ſuadet potiùs purgationem ægrotantibus, quia tunc effœtæ languent in corpore uires, purgatio autem non uſque adeò uirium tenorem dejcit, quemadmodum uenæ ſectio, ut docet Galenus libro de tuenda ualetudine. Sit tamen etiam cuipiam integrum, dummodo mittendi ſanguinis ſcopi ſint præſto.

Lib. 4. F. 1. C. de cur. feb. gen.

Cap. de Phleb.

Si conſiderantes, (ò Rex) & aliorum curam agentes, quid ad vitæ rationem corporibus præſtet, & quod congruè alimenta ſuggerat, & debito apponat ordini non ſatis pro diligentia noſtra, & qui humana aggrediuntur corpora, morbo deprehenderimus. Nunc accuratiùs proſpicientes, ſummatimque deſcribentes medicinalem ſphæram ad te mittimus, per quam ægritudines, quæ humana corpora occupare ſolent,

lent, pernoscere, & ad præsentem horam, ac decurrentis anni tempora, huiusmodi calamitatibus opitulari queas, si autem hæc accuratiùs egeris, diu citra omnem aduersam valetudinem per omne tempus vita frueris, & si hæc, quæ potissimùm optimæ valetudini tuæ vim præbeant, quæque hominum generi conducant, peregeris, ita te in omnibus incolumem vitam deprehendes elegisse. Et quamuis ardua admodum sphæræ ratio habeatur, eam tamen tibi præscriptam præbemus.

Pollicetur Hippoc. Perdicæ Regi medicinalem sphæram (opus arduum) per quam præcepta, quæ singulis anni quadris ad sanitatem tuendam obseruari debent, traduntur. Nihil verò gratius, aut iucundius Regi præstare possis, quàm vtilem quandam, & accommodatam viuendi normam, perquam & sanitas perdiu conseruetur, & morbi, si fortè ingruerint, facilè propellantur: Cum enim Rex veluti Deus quidam in terris suo iure moderetur, & nutu regat subditos, si quid aliud, maximè permanere diligit, hoc autem beneficium sola præstat Y'TIEINH. Vocat autem sphæram medicinalem, quod in annuam conuersionem sit adhibenda.

A Vergiliarum occasu ad hyemale solstitium dies quadraginta h. e. à duodecima Nouembris ad Decembris finem, hi quidem dies pituitam augent, balneis autem ieiunus sudores excitando, detergendoque, & venereis, ac laboribus vteris.

Nunc anni distributionem inueniesis itidem apud Hipp. lib. de victus ratione in principio. Vnde est colligere hunc librum esse Hippocr. genuinum. hanc eã dem videas lib. 3. de diæta.

Vergilias, seu Pleiadas (nil enim interest) vigesimaquarta Aprilis die ad Tauri oculum sitas suboriri cum Sole, planum est: Earundem occasus Autumnum finit, vt notat Galenus primo Epidemiã, & hyemem inchoat, quare non est mirum, si eo tempore pituitatis succrescat excrementum, si modo eorum, quæ retrò diximus, meminerimus, quod à Galeno etiam confirmatur, hyemem etiam in temperato corpore pituitam gignere, quod & alibi repetitum legimus. Docet autem, quomodo sit agendum, vt declinentur mala, quæ hac anni quadra contingere solent, mandat autem, vt balneis vtamur ad excitandos sudores. Sed cum multæ sint balneorum differentiæ, siccum fortassis audit Hippoc. ὑγρὸς, quod & laconicum appellatur, hoc enim propriè calfacit, & siccat, humiditates resoluit, vacuat, non sit tamen incongruus & humidorum vsus, dummodo sint calefacientia, & siccantia, qualia sulphurea, nitrosa, & salsa sunt, repurgato priùs leuiter corpore. Modum præterea docet, dum vacuo ventre iubet, nos sudare, ne tracta ad ambitum saburra morbos cutaneos committat, subinde sudorem extergere, ne frigore concrescens stegnosim, id est pororum addensationem pariat, atque adeò perspiratum impediat. Præscribit adhæc venerea, quæ cum calfaciant, & siccẽt, hoc potissimùm nomine conferre videntur, quod per vehementem agitationem calor excitatur, pituita liquescit, ac dissipatur, quo respexit Galenus, quando scripsit, venerem valere ad morbos pituitosos, cauendum tamen, ne quid nimis, nam immodica venus perspirituum iacturam refrigerat, & auget excrementorum copiam. Labores aliquando vehementem motum significant, vt notat Galenus 2. Aph. aliquando læsionem, hic Hipp. pro exercitio accepit, quod Auic. finit motum voluntarium, quem necessariò anhelitus frequentia, & magnitudo excipiunt: Huius differentias idem præclarè percurrit, quemadmodum & Galenus: Hipp. quippè summo studio iniungit; nam, si quid aliud, exercitium sanitati vehementer conducit, aucto, & vegetato calore, ac dissipatis excrementis, si modò opportunè ineatur. Hinc dicebat Philosophus, duo maximopere ad sanitatem conferre, cibo subtrahere, & vehementiùs exerceri. Qua de re, quia aliàs fusiùs actum est, reliquis parcere, temperareque volumus.

Lib. 1 F. 5. D. 2. C. 1.

2. de tuend. val.

In libello de incolumitate seruanda.

Com. in c. de nat. hum. 2. de morb. vulg.

Gal. 8. Met.

Com. in 6. Epid.

Ab hyemali solstitio ad Vernum æquinoctium dies lxxxiiij. à prima vid. Ianuarij ad quintam supra vigesimam Martij: Hi dies humiditatum, & sanguinis exuberantiam faciunt: Deambulationibus, & siccis, quæ ad victum pertinent, delicijsque, ac venereis, beneque alentibus est vtendum.

Neoterici veris initium statuunt æquinoctium vernale, quod vigesimaprima Martij dies inchoat: Hipp. prætergreditur, dum idem ad vigesimamquintam Martij producit, sed ille collimabat ad sensibilem aeris mutationem, non ad signa, quæ Sol ingreditur. Hoc tempore. h. e. ab hiemali solstitio vsque ad Vernum æquinoctium fit humiditatum, & sanguinis prouentus cum impedita per aeris frigiditatem diaphoresi, tum per vberiorem alimoniam, qua tunc nos ingurgitamus collecto enim in ventres calore plurimum appetimus, atque conficimus.

Ad excludendas igitur tenues humiditates, & calorem excitandum deambulationibus vtẽdum, ad reficcandum victu sicco, qui etiam vegeto, & validiori calori respondet, delitijs verò, & oblectamentis ad comparandam animi tranquillitatem, & lætitiam, hęc enim sanguinem ad cutem euocat, quò fit, vt externæ etiam partes calore refotæ externi aeris iniurijs validiùs resistant. Venereis incumbendum, quia tunc sanguis exuberare videtur, luxuriante verò sanguine vtilis est coitus, quia fœtificus lentor eius soboles est. Cibis bene alentibus vescendum est, quia ventres hyeme calidiores, & somni longiores, quò fit, vt pius exigatur, desidereturque fomitis ad reparandum, quod in dies absumitur.

A vernali æquinoctio ad Vergiliarum ortum dies 41. A 25. Martij ad 13. Maij: Hi dies sanguinem augent. Redolenti vino, venereis, ac laboribus vteris.

Verno tempore sanguis potissimùm in uenis redundat, quòd Ver calidum, humidumque sit Hipp. sententia. Duo enim sunt, quæ præcipuè humana corpora afficiunt, alimentum, & aer, qui, vt ait Paulus temperamenta mutat, atque peruertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut ficcior, aut humidior euadit. Nam reliquis caussis non omnes simul obnoxij sumus, neque per totum diem occursamur, aer autem nos ambiens forinsecus omnibus nobis circumfusus est, & per inspirationem trahitur, necesse igitur, ut ad mutationes eius iuxtà temperamentum ipsius etiam animantium corpora afficiantur. Quid uerò? Non modò corpus sentit temporum discrimina,

mina, Veris, Æstatis, Hiemis, Autumni, verùm etiam maximè animus, quò sit, vt alij per Hyemem, alij per Aestatem, nonnulli melius Vere, aut Autumno lucubrentur pro sua quique corporis temperatura. Nam anima corpori coniuncta naturam, & concreaturam eius effingit; Quibus enim corporatura contigit arida, vel gelida, hi plerumque per Autumnum mentem habent plus solito commotam, quibus verò sanguis redundat, hi Vemo plus tentantur. Hoc ipsum in cæteris aspicias, prout cum temporum cardinibus animantium naturæ, vel congruunt, vel discrepant.

Vnde scire licet, lapsa corpora ijs morbis esse opportuniora, ad quæ anni tempora maiorem obtinuerint analogiam. Hinc Hippoc. Naturarum inquit, hæ quidem ad Aestatem, hæ verò ad Hyemem bene, malève se habent. Suadet ergo, vt redolenti vino indulgeamus, tum venereis, ac laboribus vtamur, quòd verò labores, ac venerea præscribat, non est mirum, cum vtrumque imminuat sanguinis vbertatem ex cuius excessu morbi 3. Aph. contingunt, quos commemorat Hippocr. furores, atræ biles, morbi comitiales, profluuia sanguinis, anginæ &c.

Quòd verò vinum commendet redolens, non videtur congruum, hoc enim sanguinem auget, ac venereorum, & exercitij commoda peruertit, verumtamen, quia spiritus vehementer reficit, ac cerebrum confirmat, odor enim mirificè caput Lib. de sen-su. & sen sibi. bene afficit, qua ratione ab Aristot. animæ cibus perhibetur, summopere conferre videtur, cum eo tempore potissimùm melancholiæ excitari consuerint, vnde scripsit Auic. Vere melancholiam Lib. 1. F. 2. D. 2. c. 6. patientium commoueri melancholiam, nil verò peræquè confert, quare etsi vinum sit carebaricum, & caput feriat, modicellum tamen, album, Lib. 1. F. 3. D. c. 8. ac tenue tantum abest, vt officiat, vt Auic. testimonio capitis etiam dolorē summoueat & quanto fuerit melior vini odor, tanto & ipsum melius fuerit.

A Vergiliarum autem ortu vsque ad æstiuum solstitium dies xlij. à xiij. Maij ad xxiij. Iunij. Hi enim dies bilis augendæ facultatem obtinent: Dulcibus, & aquosis vtendum, ducendæ alui cura agenda, & à venereis, & laboribus abstinendum est.

Aestas calida ficca iuuentuti, & bili analoga multum congeneris humoris procreat, quum simili, vt vnumquodque conseruatur, ita augeatur Philosophi sententia, ad declinanda verò incommoda, quæ bilis prouentus inuehere solet, dulcia, & aquosa præscribit, venereisque, ac laboribus interdicit, adhæc vt solutæ, & citæ alui cura geratur, præcipit. Dulcia quidem ab omni laudabili victu ableganda esse censeo, tū quod dulcia se in bilem vertunt, ut notat Galenus, tum etiam Li. de morb. vulg. cap. de crisib. 2. de nat. facul. 23. Meth. Galen. 4. de simpl. med. fac. quòd substantiæ crassitie, & occupata tractione (iecur enim dulcedine illectum congruam coctionem anteuertit) facilè meatus offarciant, qua caussa scripsit Pergamenus, iecur, & lienem dulcibus omnibus intumescere: Aestate præsertim, temperandum. Sed audiendus est Hippoc. dulcia commendans vtpotè facilioris digestionis, & copiosi nutritus; dulcis enim sapor summè nutrit, huiusmodi verò esse debet alimentum per Aestatem, ut facilè confici possit. Aquosa præscribit ad temperandum bilis ardorem, & quia in regione, & cœli statu intemperato contrarijs ad sanitatem custodiendam uti licet. Quidam de meliore nota Iatros audiuisse fructus hic Hipp. existimat, quod non est incongruum. Veneris, ac laboris abstinentiam iniungit, ne uirium tenor plus satis deiectus per æstus incommoda amplius infringatur; Aluus porrò officiosa sit, oportet ad excludendum bilis excrementum, quod quotidie per aeris excessum succrescere uidetur. Hipp. lib. 1. de diæt. Coi tu vtēdū est aquæ accessibus cōtingentibus frequentiore, in ignis autem impressionibus paruiore.

Ab Aestiuo verò solstitio ad aquinoctium autumnale dies xciij. à xxiiij. Iunii ad xxv. Septembr. Hi dies atram bilem augent, frigidis, & aquosis, & redolenti vino vti, opus est, & salitis, à venereis verò abstinendum censemus.

Flaua bilis per ustionis gradus degenerat in atram bilem, ustionis verò gradus augentur ad pensum ambientis caloris, quare si per contraria comparanda est temperies, & commoderatio, cum huiusmodi bilis impendio calida, siccaque sit, frigidis, aquosisque utendum erit, & quoniam hæc ulta, atraque bilis mentem solet afficere, & mœrorem quendam incutere, fit, ut uinum quoque odoriferum sit usui, nil enim peræquè lætitiam parit, quòd copiosos, & lucidos spiritus gignat, quod calorem augeat, ut ait Auic. Salita Lib. de virt. cord. verò nisi modicè sumpta officiunt, quia caloris, & sanguinis feruor promouentē, & melancholicum sanguinem gignunt. Senex tamen εὔλογος noster ea præscribit, aut ad appetentiam excitandam (corrugant enim quadantenus stomachi orificium, humiditatesque exprimunt, atque perficcant) aut ad reparanda incommoda frigidorum, & aqueorum, quo sensu scripsit Galenus, Gal. 2. de A-lim. facul. & de loc. aff. Salsis miscenda esse aquea, sal præterea compingit, & continet mixtum ne dissoluatur. Venerea penitus sunt euitanda, quia præterquam quod uires reddunt effœtas, corpus mirum in modum exsiccant, siccum verò corpus, humectari uult. 2. de Alim. facult.

Ab Autumnali aquinoctio ad Vergiliarum occasum dies iil. à xxv. Septembris, ad xii. Nouembris. Hi enim dies saniem augent, acetosis, acerbisque, & venereis, ac laboribus vti expedit.

Autumnus frigidus, siccus, si malis, inæqualis congenerem producit humorem, h. e. frigidum, & siccum, nempè melancholicum, quem Hippoc. uocat saniem, quòd multos comites habere so- Hipp. 4 de morb. leat ichores, & serositates, qua ratione lien aquæ fons perhibetur. Hinc me mirum in modum transuersum agit instituti uictus ratio, nam si melancholia frigida, siccaque sit, utpotè terrena unumquodque autem suo simili augeatur, & excedat, cur acida, & acerba præscribuntur, quæ frigefaciunt, & siccant? Cur uenerea, & labores laudantur, quæ si sint immodica primùm arefaciendo, tùm perfrigerando, si cuipiam alteri, melancholicis summopere noxia esse consueuerunt? Non me fugit, melancholicos ab Aristot. In Probl. salaces uocitari, quia cum flatibus turgeant, illis aries identidem inflatur, & tentigo excitatur, multis tamen incommodis eorum libido cumulatur. Verumtamen quia fortassis maius impendet periculum ex ichorum prouentu, qui facillimè

limè putrescunt, cum à natiuo calore minùs regantur. Hippocr. proponit acida, & acerba, quæ putredinem arcent, mixtum continendo, omnis enim putredo mixti dissolutionem machinatur, præpollentibus passiuis qualitatibus, & extrario calore. Præterea labores, ac venerea ad conterendos ichores, & serositates commendantur.

Si ad hæc obseruanda curam (ô Rex) impenderis citrà omnem dolorem, tristitiamque in reliquam vitam frueris.

Duæ sunt morborum causſæ, externæ, & internæ, externarum, quia internas mouent, & augent, maxima cura gerenda, proin Hipp. præcipit, vt res nonnaturales, quæ sunt adiaphoræ benè ventiti bonæ, perperam malæ, pro anni tempore, & cœli statu obseruentur, si modò incolumem vitam degere, sit cordi.

Non est viuere, sed valere vita.



IN HIPPOCRATIS COI LIBELLVM DE VIRGINVM MORBIS Commentarius.

IOANNIS STEPHANI IATROPHYSICI VENETI.

PRÆFATIO.

TAnta est in tractandis muliebribus morbis difficultas, tanta est eorum obscuritas, atq; pernicies, vt iure Hipp. diuinum auxilium implorandum esse dixerit, enimverò cùm si affectuum cognitionem, tùm si eorundem curationem spectes, vndiq; se se offerunt angustiæ. Quare non est mirum, si vulgus eò dementiæ tandem peruenerit, vt simul atq; viderit, fœminam desipere, aut diris symptomatis torqueri, in veneficia, aut in dæmoniacam vim referat. Nec desunt, qui stupidæ credulitati præbia, & antipharmaca ad soluenda vdigitamenta promittant, quorum sollicitudo, & il igens cura eò collimat, vt mulierc[illegible]arum loculos exhauriant.

Quamobrem operæpretium me facturum putaui, si ex Hipp. Medicorum principe conficerem, atq; demonstrarem, ijs malis, quæ fœmineum sexum exercent, nihil diuinius, quàm reliquis, inesse. Nec putet interim aliquis, me magnum aliquod de me spectari velle, nam tametsi aliqua in æditionibus nostris sunt, in quibus si non frugem, saltem rudimentum ingenij, & igniculos quosdam agnoscas, non tamen adeò Suffenus sim, qui mihi sumam, vt doctis probatum iri hæc credam. Quis enim hæc profiteri, aut præferre hoc debeat nisi doctus? Porrò nihil tam amplis munitum bonis est, quàm nomen docti.

Qui se doctum credit, inquit Hermolaus, non potest non indoctus esse, qui non videt quanta, & quàm multa nesciat, quod qui ignorat, nec illa ipsa scit, quæ tenet. An gubernator in naui potest medio pelago, & densissimis tenebris intelligere quantum nauigauerit, si non constet quantum itineris supersit?

Nec tamen deterreri plus iusto par est, erit aliquid versari inter doctos etiam indoctum, nam & inter Cellas Apum suæ fucis loculamenta sunt, quorum etiam vsus apiarijs constat.

Proximum iam est, vt nostri styli rationem in medium afferamus, neq; enim desunt, qui epicbiremata a Platone, & Arist. decerpta respuant, & in Hippocrate Hippocratica duntaxat apophtegmata desiderent, neq; patiuntur aliquid etherogenes interijci. Non desunt, qui scribendi ornamenta exprobrant, explodunteq; nudamq; veritatem quærunt nullo ornatu excultam. Quorum illi, vt nimium delicatuli, ita importunè quernntur, etenim tanta affinitate tenentur physica, & Medica facultas, vt huic illa contemplationis primordia mutuò tradat.

Cur igitur in scopulis ad Platonem, & Arist. non appellam, quorum authoritate munitus titubantem sententiam confirmem? Hos autem vt nec reijcio, ita neq; planè probo, non enim minùs peccat, qui desiderat in Philosopho oratoriam locutionem, quàm qui in oratore Philosophorum acribiam, quia Medicus Philosophus, est interpres veritatis, candor autem veritatis postulat, vt oratione tractetur simplici, ne videatur Doctor plus habere loquentiæ, quàm sapientiæ. Quamobrem vt Asclepiadorìs olim eleganter pingebat sine coloribus, ita veritas exponi debet nullo fuco exornata. Aduertendum tamen dum Academica verborum maiestas negligitur, & affectata Stoicorum locutio euitatur, ne in Epicuri barbaram, & aridam nimis elocutionem incidamus, sed medium dicendi genus obseruandum, quale hactenus, ni fallit animus, secuti sumus.

Verùm

Verùm dicentem, atq; obijcientem audire mihi videor. Heus o bone ſiccine rem agis, ſiccine eluis, & eludis obiecta?

An neſcis, te identinem ſambucam aptaſſe cothurno, modoſq; ceu teretiſmata grauiſſimis intermiſcuiſſe ſententijs? Verùm norint iſti Catones, hoc olim Platoni, Ariſt. & Galeno fuiſſe familiare, quibus à philoſophica dignitate alienum non eſt viſum iucundiores Muſas ſeuerioribus interſeuiſſe.

At vereor, vt illud Hippocratis veriſſimum, quòd nempe excellentia mali opinionem de ſe præbet, propter iudicantium imperitiam, vnuſquiſq; enim ex his, quæ ipſe non habet iudicat id, quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe, ſic ſanè etiam timidus fortitudinem immodeſtiam putat. In epiſt.

At morus ſim, ſi feriatos iſtos homines morer Dodonæo ære obſtrepentiores, quibus nihil prius, aut magis in votis eſt, quàm obuium quodq; impetere, & Theonino dente proſcindere.

Quàm mox affulgebit Hyena, cuius vmbra efficiet, vt Cynicos inceptus clamor fruſtretur hiantes.

Verùm vt praui ſtomachi ſcitamenta, & menſæ delicias auerſantur; quibuſdam nares graui, ſatuoq; odore delectantur; ita deterrima ingenia ſimilibus captantur. Virg.

VNVM Hominem eſſe nexum Dei, & Mundi, Hermes ipſe Philoſophorum Pater iam longè teſtatus eſt, quòd diuino intellectu ſit præditus, per quem ſupra mundanam hanc molem cogitatione aliquando adeò effertur, pronehiturq; vt eius conceptiones, animiq; motus mundana hæc materies obſequioſa ſequatur, hoc autem heroicis duntaxat animis accidere conſueuit, qui a corporis contagione liberiores, & materiæ quiſquilijs minùs delibuti ſunt, vt miranda prorſus, & quæ naturæ vires excedant perpetrare videantur; Hinc homo ad Dei imaginem factus eſſe dicitur. Quòd ſi corporis imperfectionem ſpectes, nil abiectius, nil calamitoſius homine, qui lutulentus adhuc, & humore materno diffluens futuræ vitæ præſagire videtur mala, cum a vagitu prima ducit initia. Hinc illæ vituperationes, nil homine tellus alit infœlicius, hominis vita mors, finiſq; ab origine pendet, cui præſtat non naſci, aut quàm ocyſſimè aboleri, enim verò, vt ait ſenex ipſe, totus homo ex natiuitate morbus eſt: dum educatur, inutilis, ineptuſq; alienum implorat auxilium: dum creſcit, inoleſcitq; proteruus, inſipiens, pædagogo opus habens, dum viget, floreſcitq; ætas, animum audax petulantia turpat, atqui dum decreſcit, roburq; exhauritur, miſerabilis, vbi labores ſuos recolit, & iactat, ex maternis enim vteri inquinamentis prodije; Quarum calamitatum luculentiſſimum exemplar exprimit libellus *περὶ παρθενίων* h. e. de his, quæ Virginibus accidunt, in quo fœmineæ potiſſimùm pubertatis deploranda, & miſerrima mala graphicè appinguntur, quæ ad retundendam muliebris petulantiæ philautiam apprimè faciunt. Verùm enim verò cum nil fiat, vt ait Timæus, cuius ortum legitima cauſſa, & ratio non præcurrat, huiuſce libelli quatuor, vt fieri ſolet, cauſſæ accenſentur, finalis ſcilicet, quò primò tenditur, efficiens, formalis, & materiata, quæ ſubiectum quoq; in ſcholis perhibetur. Subiectum igitur ſunt ipſa virginalia, circa quæ præcipuè Authoris mens, & diſſertatio diuerſatur, quod vel ipſe titulus indicat. Finalis, quæ & vtilitas libri appellatur, pathematum, quæ Virginibus, (quo nomine cùm fœminas, tum mares audit Hipp.) accidunt, cautio eſt, atque curatio. Efficiens procul dubio fuit Magnus Hipp. (quidquid alij ſenſerint) natus primo octogeſimæ olympiadis anno ſub Abriadæ Monarchia, Agriagni Menſis ſeptima & vigeſima die, qui parentis ſui Heraclidæ, deinde Herodici auditor fuit. Vixit apud Perdiccam Macedonum Regem, floruit temporibus Peloponneſiacis, Democritum coluit Philoſophum, ad quem curandum Abderam profectus eſt (putabatur enim præ ſapientia apud ſtultos inſanire) liberos ſuſcepit Theſſalum, atque Draconem. E vita deceſſit quartum ſupra centeſimum annum agens. Præter ſuperiorem alios quinq; commemorat Suidas eiuſdem nominis, & familiæ, qui huc non ſpectant. Cæterùm formalis cauſſa duplici diſcrimine diſtribuitur, tractandi videlicet, & tractatus.

In Epiſt. ad Damagetum.

Forma tractandi ex methodo, agendiq; modo elicitur, qui aut compoſitiuus, aut analyticus eſt, huc enim reliqui referuntur his ancillantes, vt egregij, & omnigena virtute ornatiſſimi ſenes *Sanctorius Sanctorio πανταχοῦ*, vt de Democrito dicebant veteres, & *Vallerius Martinius* doctè ſanè, ac ſcitè notarunt, ſi modò methodus proceſſus eſt demonſtratiuus, quia cauſſis ad effectus progreditur, aut certè ab effectis ad cauſſas. Hic Author diuidendo progredi videtur a cauſſis ad effecta. Si malis, cum a notione finis proficiſcatur, dicatur analyticus.

Atqui tractatus ratio, & forma in ipſa libri in ſuas particulas diſtinctione, & diuortio conſiſtit. Primò itaque ſingulorum morborum naturam perdiſcendam eſſe oſtendit Hipp. quod fieri non poteſt, ni in genere, & vniuerſim priùs dignoris. Dein mulierum naturam quibuſdam morbis magis eſſe opportunam, quàm viri, quo tempore menſtrua appellunt, (nam & viri, ſi credimus Themiſtio, ſua menſtrua patiuntur) modumque docet, quo ingenerantur, & ingruunt, & quam differentiam affectuum pariat affectæ particulæ conditio, quæ ſingulos morbos Symptomata excipiant: Poſtremùm, quæ cautio, curatioque ſit adhibenda præmonſtrat hinc ſermonem auſpicatus. Lib. de Informa., Cap. 2.

At verò quoniam eum, qui hęc rectè tractare, diſcutereque velit, inquit Hipp. oportet ex Dijs orditi, dein mulierum naturas dignoſcere, itemque ętates, & tempora, & locos, in quibus degunt, age in primis inuocemus ſecundùm legem Deorum Deum, vt ait Plato, vt rebus ritè litatis ſermo vim, gratiamque delibet, Panacea efficacitatem. Lib. de nat. Mul. In Timęo.

Da Pater omnipotens, nutu qui cuncta gubernas,
Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis.
Ignarumque viæ casus miseratus iniquos
Dirige me, & iam nunc votis adsuesce vocari.

Principium sit mihi compositionis eorum, quæ perpetua sunt in arte Medica, non enim possibile est morborum naturam cognoscere (si quidem artis est inuenire) nisi quis nouerit naturam in diuisibili, ex qua in principio discreti sunt.

Quum in cognitione expressa, & distincta, quæ disciplinis conducit, ab vniuersalissima ad minùs vniuersalia sit pergendum, quoniam in rerum natura nihil actu, explicatèque dignosci potest, uisi vbi vniuersa tenentur, atque pernoscuntur, quæ ad eius essentiæ rationem conueniunt, quando secundum naturam generalitas, vt ait Themistius, specialitatem antecedit, & præcurrit, hinc factum est, vt ab vniuersalibus cõceptibus in explicandis Virginum affectibus, auspicium ducendum esse ratus sit omnifarius Hipp. qui profectò sunt perpetuæ veritatis, rectè enim à Philosophis proditum fuit æternorum duntaxat scientiam haberi, atque ab ipso vniuersali veluti è scaturigine emanare. (tametsi confusa, quæque sine habitu comparatur cognitio, à singularibus ortum ducit, vt in inductione ad principia cernere est, qua mente omnem doctrinam ex præcurrente sensuum cognitione conquiri, & nil in intellectu consistere, quin priùs sensus occuparit, præclarè scriptũ est.) Verùm quænam sunt perpetua, & vniusmodi in Arte Medica, quæ subiecti causa innumeris videtur obnoxia fallacijs? Præcepta, inquam, catholica, ipsaque methodus. Quamquam enim Medica facultas ratione communissimi finis fit ars, vtpote quæ opus ipsum respicit, nempe sanitatem, multis tamen theorematis constat, quæ per se sola scientia continentur. Quare scitè me hercle quidam Auic. secuti totam Medicinam scientiam esse in animum induxerunt, atque accessionem, auctariumque veluti esse, aliquid artis obtinere; id quod vel ipse Alex. censuit, ipsa enim per se primò quod inconcussum est, tenet, columenque immobile pressat, cæterùm materiæ compos à dignitate declinat: Atqui accidentiam illam respicere nihil attiner, etenim qua Medicus opus aliquod admoliri, atque propetrare obnititur, Medicinam ad singularia contrahit, perstringitque & quemadmodum hæc de singulis non edisserit, sed in vniuersum de homine, ita Medicus, dũ aliquid admolitur, atque pertentat, haud hominem circumspicit, aut quærit, at singulos singillatim. Vnde conficitur, colligiturq; Artis finem veritatem esse, Artificis sanitatem, ex quo etiam quantũ inter scientiam & peritiam intersit, palam fit, namq; licèt vtraque mentis habitus sit, atque perfectio, scientia tamen est vniuersalium, peritia singulorũ. Illa profectò ab vniuersalibus progressa ad singularia pergit, hæc verò singularis ad singularia sibi analoga tendit. Iure igitur Hipp. quæcunque Philosophię insunt, eadem & Medicinę ineſſe asseruit, qui praxim ad decus, & ornamentum conducere iudicauit; & rectè sanè, quum sola naturæ cognitio contemplatioq; ignaua, ac iners, & prorsus manca sit, si nulla comitetur administratio rerum, nec sit ad hominum cõmoda, societatemq; tuendam cõparata. Quare Medicina etiamnum actiua agit de vniuersalibus, quemadmodum & scientia, atqui non eodem modo, quòd per naturam praxis vniuersalia tractat ad singula per Medici industriam accõmodata, neque id porrò absolutè, sed pro vt vniuersalia sunt canones, qui dirigunt opera, ad quæ medẽtis consilium collineat. Faceſlant igitur posthac amusi, apud ques sanctum, & venerabile nomen Medicorũ sordet, quos sapiens antiquitas secundum Deum humani generis seruatores, vitæ moderatores, morborũ vindices, Alexicacos, Isotheos, seu Deo æquales, ac penè terrestria numina, Deosq; tutelares appellabat, ac magnis diuinisq; honoribus afficiebat; Vnde Hipp. Medicus Philosophus similis est Deo. Omnes homines, inquit Democritus, artem Medicam nosse oportet, ò Hipp. est enim res honesta, ac vtilis simul ad vitam, & ex ijs maximè eos, qui eruditionis, ac eloquentiæ cognitionem habent: Nam sapientiæ cognitionem Medicinæ sororem, ac contubernalem esse puto. Sapientia enim animum ab adfectibus liberat, Medicina autem morbos à corporibus aufert? Quid plura?

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Sed ad rem. Plato Medicinam inter artes stocasticas h. e. coniecturales reposuit, cui adscripsit Galenus modò remedij quantitate, modò agendi occasione, modò affectuum ignoratione artẽ coniecturalem effici asseuerans. Hinc dicebat Hippocr. Medicus, qui potest dignoscere, potest curare. Sed, ne te diutiùs morer, vterque Medici opus, non artem respexit, quæ per se spectata inconcussa stabilitate lætatur. Propterea ipse Pergamenus, non ex præceptis, ait, sed ex medentiũ opera coniecturalis est Medicina, & reuera diuerso se habẽt modo scripta, & opera, vt ad Glauconẽ scribitur. *Neque enim morborũ naturam est possibile cognoscere, nisi quis nouerit naturam in diuisibili, &c.* Ad cõsilij sui firmitatem, & robur subijcit, fieri non posse, vt singulorum morborum naturam h. e. speciẽ, vltimamque differentiam quis intelligat, ni eam priùs in *diuisibili* h. e. in genere prænorit. Qui verò græcam dictionem, ἄτμητον, indiuisile interpretantur, vt se verba percepisse præseferunt, ita rem neglexisse videntur, dum arbitrantur Hipp. retrogrado ordine à singulis formis ad summum genus peruenire velle, vt cognitionem morborum repetat velut ab ouo, principioq; nam generis essentia in omnibus per diuisionẽ acceptis integra manet, & indiuisa in quolibet, potestas autem diuiditur, & secundùm aliquid eius est in vno diuidentium, inquit Albertus, & secundùm aliud in alio, & secundùm totum in nullo, quare cum generis essentia simplex sit, tota in omnibus simul esse potest diuidentibus], secundùm tamen potestatem secatur atque diuiditur. Hinc colligitur, & diuisibile, & indiuisibile dici posse genus, diuersa ratione, id quod græca dictio porrò significat; Quare falluntur, qui Aristot. secundo de

Da Pater omnipotens, nutu qui cuncta gubernas,
Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis.
Ignarumque viæ casus miseratus iniquos
Dirige me, & iam nunc votis adsuesce vocari.

Text. 4. P. Phys.

P. Poster. 3. de Anima.

Artis regulæ in se verę sunt, quæ tamen si applicantur ad materiã interdum sũt fallæ.

Mercatus.

Lib. de Decenti ornatu.

Tullius.

Lib. de Elegant.

In Theteto
Ad Glauc.
In arte P. 1. de med. 5. loca.
Lib. de Arte.

Lib. de Opt. secta.

Cap. de Prædic.

de anima adducunt, vbi ἄτομον εἶδος quum dixit, speciem infimam intellexit, sic & nostrum Authorem hoc loco per τὸ ἄμφις eandem speciem notasse rentur. nam si res penitus inspiciatur multis interuallis diffident voculæ. In qua re à nobis prorsus esse videtur Caluus, qui è Græco sic transtulit *Nisi totum primò cognoscat, de quo particularia descendunt discretave sunt, &c.* Particularium enim notitia ex vniuersalibus colligitur, vt à Philosopho sæpius repetitum fuit & ars ipsa vniuersalium est theorematum, cum singularia nec scribi, nec doceri possint, hinc Philosophus nulla, inquit, Ars particularia considerat, quia sunt infinita, atque adeò ignobilia, & anapodicta, & licèt ab eodem scribatur de singulari quopiam scientiam practicam teneri posse, quum scientiæ practicæ versentur circa ea, quæ à nobis fiunt, quæ singularia sunt, attamen in confesso est, atque compertum, scientias practicas quatenus alicuius rei cognitionem tradunt versari circa vniuersalia. Hinc Aristot. Non enim, inquit, quæ salubria sint huic oculo docet Medicus, sed oculo in cõmuni. Quò manifesto spectasse videtur Hipp. quum subdidit (*siquidẽ artis est inuenire*) Quærit Arist. 30. sect. Probl. 2. cur in quibusdam scientijs habitum habere possumus, in quibusdam non possumus? Respondet, quia secundùm illas, in quibus possumus reddi inuentores habitum dicimus habere, etenim inuenire accidit propter habitum, quem habemus. Sed quis obijciat Arist. asserentem ex multis experimentalibus conceptibus vnam de similibus opinionem fieri, atque vt ait Polus, artem confiari.

Notatur Mauricius Cordatus,

1. Rhet.

6. Eth. c. 8.

2. Post. text. 22.

Per varios vsus artem experientia fecit.

Quare, vt constat ex particularibus colligitur vniuersale, cum experimentum sit phantasma memoriæ inhærens eius rei, quæ identidem, simillimoque modo sensus, animumque perculit. At verò quando in ipsum Philosophum offendimus, iustum est, vt posteriora sequentes responsionem vestigemus. Inquit igitur: opinari enim, quòd Calliæ hoc morbo laboranti hoc conduxit, similiterque Socrati, ac figillatim alijs multis experientiæ, quòd autem omnibus huiusmodi secundum vnam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, vtpote phlegmaticis, aut cholericis, aut æstu febricitantibus hoc artis proprium est. Ad agendum igitur nil videtur experientia ab arte differre: Quinimò videmus expertos magis id, quòd intendunt consequi, quàm illos, qui rationem absque experientia tenẽt. Causa verò est, quòd experientia singularium. Ars verò vniuersalium cognitio est: Actiones autem, & generationes omnes circa singulare sunt, nõ enim hominem, nisi per accidens sanat, qui medetur, sed Calliam, aut Socratem, aut alium quempiam. Si quis itaque rationem absque experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autem particulare est sub eo, ignoret. sæpenumero errabit à sanando. Id enim magis sanabile est, quòd est singulare. Nihilominus scire, ac cognoscere magis arti, quam experientiæ arbitramur inesse, ac eos, qui artem tenent, quàm eos, qui experientiam habent sapientiores esse putamus, eo quod sapientia per scientiam omnes magis sequitur, hoc autem. quoniam illi quidem sciunt, quod est, propter quod autem nesciunt, illi autem, propter quid, & causam cognoscunt.

2. Post.

In Proœm. Met.

Sed enim duplices sunt scientiæ, vna à posteriore (vtor philosophicæ militiæ castrensibus vocabulis), *Quia*, nuncupatur, quæ duntaxat hoc ita esse demonstrat, quæ per solam experientiam gignitur ex effectibus experimento perceptis huiusmodi esse rem, vel tali proprietate pollere colligens, quæ constituendis artibus confert; Hoc tamen alta mente tenendum, experientiam instrumentum esse intellectus scientias rimantis, neutiquam verò earundem efficientem causam cum sola mens hominis sit huiusmodi. Altera dicitur (*Propter Quid*) de qua hactenus locutus est Philosophus probans expertis longè præferri Artifices. Vtraque in arte Medica desideratur: Hinc dicebat Galenus, Artifex peritus euadet, si vniuersalibus theorematis singulorum experimenta addiderit. Sed omnium præclariſſimè Hipp. quorum, ait, natura coniuncta est, eorum quoque cognitio coniuncta esse debet, at ratio, & experientia naturas habent coniunctas, quia ratiocinatio est recordatio quædam componens ea, quæ sub sensibus percepta sunt, ergo ratiocinatio, & experientia simul iunctæ esse debent, mutuasque sibi operas tradere ad veritatem cognoscendam, & exercendam. Sunt tamen qui experientiæ in physicis multò magis tribuant, quàm apodicticæ doctrinæ. Vt autem experimentum fiat, duo conueniunt, materiale vnum, alterum formale. Materiale sunt species retentæ in memoria, formale autem est illarum specierum collatio, quæ pluris est, quàm species. Hactenus igitur probatum sit, morborum notitiam in genere priùs habendam quàm singulorum, quorum tamen notitia medentibus necessaria est, vt propriæ eliciantur indicationes. Nos autem nimis longum fecimus, vt anamphibola, & facilia Authoris præcepta redderemus.

Lib. de Præcept.

Primùm de morbo sacro appellato, de attonitis, siue syderatis, & de timoribus, ex quibus adeò fortiter timent homines, vt deliret, & Dæmones quosdam se videre putent ipsis infestos, quandoque noctu, quandoque interdiu, aliquando verò vtroque tempore. Postea ab huiusmodi spectris multi iam se strangulauerunt, plures autem mulieres, quàm viri, etenim muliebris natura animi est magis deiecti, atque minuti, &c.

Quoniam igitur generatim priùs agendum est, quosdam in medium affert Hipp. affectus, quibuscum Morbi Virginum quandam affinitatem habere videntur, vt ijsdem rectè, & in vniuersum cognitis, qui speciem, & similitudinem horum gerunt, sedulò internoscantur, solius enim Artificis est similium differentias, & differentium similitudines cognoscere. Quantam verò habeant cognationem hystericæ passiones, quæ modo aphoniam, modò aphnæam sexcentis stipatam symptomatis, modò deliramenta multigena producunt, atque adeò quantum eum morbo sacro, attonito, & Melancholijs conueniant, quivis lauriger Apollinea vel leuiter informatus arte digno-

Hipp. lib. de Arte.

Paracelsus.

tit, quum epileptico more repetant, & sæpe in eadem deficiant. Quare non defuerunt, qui veteri suffocationem, syncopen, tremorem, cordis palpitationem, vertiginem, ecstasim epileptici morbi species constituerint. Hinc Auic. *Hæc ægritudo, inquit, similis est epilepsiæ, & syncope*, & paulo inferiùs. *Et accidit ei sicut epilepsia.* Et interpositis aliquot lineis subdit. *Differentia autem inter ipsam, & Apoplexiam est manifestior, & quomodo non? Quum sensus destruantur in ea vt plurimum integrè, & non sit gemitus.* Quæ cum a Rhasio, & Mesuęo penitus asserantur, non est, cur actum agam.

Lib. 3. f. 21. t. 3. c. 16.

Actius ser. XVI. ait Atq; hic morbus vbi inuadere assueuerit comitialis modo diuturnus, & per circuitum repetens efficitur.

Morbus itaque sacer, Græcis Epilepsia, quòd sensus omnes, mentemque repentè prehendat, est totius corporis frequens distentio, qua homo e vestigio procidit, sensuum omnium, mentisque munijs interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec vlla principum, quas Græci egemonicas appellant, functionum appareat. Concussione ex ore spuma prosilit, & solutis musculis vel lotium, aluinæve fœces, vel fœtificus lentor præter voluntatem effunditur. Causa mali creditur humoris pituitosi, vel melancholici ingens copia, quæ repentè cerebri ventriculos, meatusque replens id agit, vt homo animali spiritu cohibito corruat. Hæc tamen non affatim spirituum ductus obstruit, sed nonnihil etiam præterfluit, quo cerebrum concussione admittitur quidquid noxium est discutere. Cæterùm præter humoris copiam sunt, qui venenatam, & cerebri substantiæ grauiter infensam qualitatem huc appellant. Sunt, qui ventriculorum cerebri figuratam prauitatem causantur. Sunt, qui proximam causam statuant expultricis facultatis in membranis cerebri a materia tenui, & acri, & qualitate occulta neruoso generi inimica irritamentum. Præ cæteris non est ferenda Quercetani futilis opinio, qui aduersùs Medicinæ coryphæos ausus est scribere, in quibusdam Epilepticis inoffenso cerebro primò cor ipsum affici, quòd cor palpitatione, & animi deliquijs corripiatur, quòd phantasia, & memoria integra maneant. Non est, inquam, ferenda, quum sensuum instrumenta sint in capite, quibus animales functiones exercentur, manifestæque fiunt. Neque inficias tamen imus, quin in Epilepsijs per sympathiam præsertim ab vtero cor primò, subinde cerebrum coafficiatur, quod vel ipse pulsus indicat. Verùm quis credat, nullum ex vaporibus sactum morbum excire posse, ni sit chalcantinæ naturæ, quod homo cæteris sapientior obtrudit credulis? Mirum, cur Augurdenses, apud quos chalcanti mira copia suppetit, dum illud e fodinis eruunt epilepsijs non corripiantur. Sed nos, qui interpretis munus sustinemus, extra cancellos egit aliena curiositas.

Posteriores cerebri Ventriculos aduersus quosdam obstrui contendit Altimarus.

Fernelius.

Mercatus, Sennertus.

Vnio, & Hippomanes, corallia, mixta resoluunt.

Morbus attonitus, siue syderatio Græcis Apoplexis, seu Apoplexia est repentina motus, & sensus, vniuersæque animalis functionis cessatio: Hac quippe perculsus nullis ferè mali indicijs præcurrentibus totus repentè quasi attonitus concidit, sine sensu, sine motu, sine mente, solo anhelitu a mortuo dissidens, qui paullò post difficilis euadit, & cum stertore grauissimo. Caussa est crassior, frigidiorque pituita affatim, & vniuersim cerebri ventriculos offerciens, aut dum minimum quiddam tetis admirabilis arterias, per quas spiritus e corde in cerebri sinus influit, siue neruorum initium confestim obstruit, aut coarctat, & opprimit.

Neque huc admittenda frigida intemperies, quam quidam eo argumento adstruunt, quòd hæreditarius sit morbus Apoplexia, quod Hercules fieri non potest citra aliquam diathesim, cuius causa pars imbecillitatem contrahit, & simili morbo opportunior efficitur: Sed qui ad repentinam affectionis originem oculos direxerit, huiusmodi nullo negotio difflauerit: potest quidem frigida intemperies excrementum congener congerere a quo affectio fiat, sed per se sola nequit; a qua sententia Hollerium recessisse miror, atque iterum miror. Digni sunt huius opinionis fautores cucurbita vertici admota, qua nullum præstantius ad Apoplexiam propulsandam reperit Fracastorius auxilium.

Holl. affirmat fieri Apoplex. ex intemp. cùm difficulter solui cap. de Apopl.

Timoris nomine melancholiam audiuit Hipp. hæc enim timoris parens est, quam Aretæus animi angorem vna in cogitatione defixum, atque inhærentem absque febre, & furore a phantasmate melancholico ortum, finit; Alij mentis alienationem, qua laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel etiam absurda gerunt, longèque a ratione, & consilio abhorrentia, eaque omnia cum mœstitia, & metu, quæ duo melancholiæ tecmiria censuit senex. Hinc Gal. *timor*, inquit, *numquam deserit melancholicos*; Quod sanè contingit ipsa atra bile ad sedem mentis appellente, ipsosque spiritus inficiente, perinde enim atra bile tentatis accidit, atque in tenebris obambulantibus, ait Galenus, quem ipse Rhois filius de more subsannat. Fracastorius verò solertissimus hanc comminiscitur causam, cur nempe melancholici sint formidolosi.

De I. Aff.

Lib. 2. de Intell.

Hoc inquit, non accidit ea de causa, quam vulgares Medici opinantur, & proferunt, quòd scil. tenebras introrsum habent, quia melancholici non decipiuntur in coloribus; Deinde subdit, *Non esse simile exemplum de externis tenebris, in his enim timor fit, vt noctu, quia species illa in se, & in coniunctis omnino vt ignota offertur, præsertim cum in coniunctis imaginatio fit aliqua posse esse contraria, vt accidit in specie noctis; melancholici verò propter hanc causam non possunt terreri, quia nihil propter hoc recipiunt, vt omnino ignotum, argumento sit, quòd multi per solitudines, & noctes errabundi peruagantur*: Causam itaque in frigiditatem reijcit, quod senes, & mulieres, & Eunuchi demonstrant.

Cur verò delirent, *eadem est, inquit, caussa, quæ & in vino, & in febribus, quoniam maximè spirituosa est melancholia, sicut & vinum, cui propterea ab Arist. confertur, comparaturq; vtrumque enim in quantacumque quantitate multum habet crassæ*

crassæ corpulentiæ, propterquam euaporatio, quæ inde fit, semper habet vnde perseueret non superata, & hac de caussa vinum maximè inebriat, non item Aqua, & Lac quia quod ex ijs euaporat aereum, & separabile. Igitur & melancholia vbi euaporans sedem mentis occupauit, aut Epilepsiam ciet, si multa sit, aut deliramenta, perturbatis spiritibus, & inquinatis, siquidem applicatio animæ in multis præpeditur, & coniunctorum plurima deperduntur, figuræ mutantur, & similitudines, & loca, & ordines, hinc nec rectè iudicant, nec rectè interrogant, neque rectè respondent, sed de vno genere in aliud transeunt: Inquieti præterea non mente solùm, sed & corpore per continuam nouorum oblationem, omnia enim ferè sub displicentiam recipiunt & loca, & personas, & actiones, quare ad noua vertuntur.

Componunt autem & quæ non sunt, quando propter celeritatem motionum apparentiam omnem recipiunt, apparent verò multa extranea vitiatis similitudinibus, & figuris, & rerum ordine, & coniunctis: Suspiciosi præterea sunt propter timiditatem, & obliquum discursum.

Hactenus Fracastorius. Vnde colligitur, quàm benè sentiant, qui secius sentiunt.

Ex quibus adeò fortiter, &c.

Ex ijs timoribus aliquando adeò percelluntur languentium animi, vt delirent, & quod dicebat Ennius, timor omnem expectoret prudentiam, quod quidem potissimùm contingit Virginibus ex seminis suppressione, notante Auicenna. Quidam viso in littore Nili Crocodilo vsque adeò expauit, vt tota reliqua vita dextrum brachium, & alterum crus sibi exempta esse putarit. Proh nefas, quàm peruium est desipere. Hic animaduertere decet, melancholiam aliquando sine delirio hominem corripere, quòd plurimi melioris notæ Doctores notarunt: Et reuera ita se res habet, si leuis, & primæua sit, nulli distorto, ridiculoue Phantasmati addicta, quod quibusdam ad prodigium vsque accidisse audiuimus. Quare satis est, si mœreat homo, facilè obiascatur, si morosus sit, vt nihil illi sedeat, nihil arrideat, si quadam inconstantia iactetur.

Amat. L. cent. 4. Cur. 54.

Foresti. li. 12. obser. 19. Arg. comm. 2. Aphor.

Melancholici enim, vt docet Arist. varij sunt, & inæquales, prout vis melancholiæ varia est, cuius farinæ plurimos ego noui alioquin sapientissimos, verè enim a Philosopho melancholici ingenioſi, & solertes dicuntur (si modò temperata sit melancholia, & bile perfusa) vsque adeò cæteris sapientia præstant melancholici, vt quidam melancholiam supranaturalem posuerint, animalem potiùs, quàm naturalem, quapræditi entheastici nominantur.

Sect. 30. Probl.

Riol.

Hoc enim sensu Plato videtur in Ione Vates, Prophetas, Sybillas, somniorum interpretes melancholicos appellasse. Phauorinus apud Gellium *Heroum pathos* nuncupat. Atque vt vno verbo dicam, humor hic æthereus est, ita vt ex eo emergens spiritus cum supernis corporibus necessitudinem quandam contrahat, vt non sit mirum, si quot quot in aliqua arte excelluere, vt testatur Arist. Melancholici fuerint, quid quid tandem cmominiscatur Petrus Apponus vir alioquin probatæ, spectatæq; doctrinæ.

Foresti lib. 10.

Prob. 1. Sect. 30. Amat. cent. 3. cur. 86.

Petrus Apponus.

Et Dæmonas quosdam, &c.

Quòd si ingraueſcat timor, qui cùm signum, tùm causſa atræ-bilis esse solet, non modò delitium ciet, verùm etiam Dæmonas obijcit, qui atra-bile percitos libentissimè adoriuntur, proin rectè Athanagoras, si cui appareat Dæmon, κακὸς, inquit, illius mentem prius peruertit, quod fit commota ad cerebrum atra-bile. Huc spectauit & pernicioſissimus Agryppa, quando ad magiæ ceremonialis sacra credulos duntaxat, ingenio simplices, & constantis silentij homunculos admisit, quales sunt melancholici.

Lib. 3. occult. Phil. c. 31.

In magnis, Inquit, *mysterijs maximè possunt, firma credulitas, constans silentium, & ingenij simplicitas, quocirca pueris, & ex humiliore plebecula homuncionibus se præbet videndum Dæmon, audaces verò, & a timore alienos fugit, atque contremiscit.*

Primus in orbe Deos fecit timor.

Deos interpretantur Dæmonas ἀπὸ τοῦ δαμοῶν, quod est timorem incutere, & sanè incredulis, & interritis nunquam apparent sacris quantumvis ritè peractis. Sed cur credentibus, & meticulosis sæpe obijcitur Dæmon? An quia huiusmodi atra-bile diſluunt? An quia mente minimè constant, quo fit, vt Lemures, & Laruas habeant pro Dæmonibus? An quia aliquo affectu implicitis leui similitudine facile est imponere, vt Philosophorum Coryphæo visum est? Verumtamen sciendum, quòd quemadmodum est vnum summum bonum, a quo cætera suam bonitatem participant (*primum enim in aliquo genere est causſa reliquorum*) & hoc est Deus Opt. Max. ita esse summum malum, quod natura duce refugimus, quodque nos quàm longissimè a summo illo bono abducit, quæ opposita Ægyptij Osirim, & Osomarim, Pythagorici vnum, duo, Manes lucem, & tenebras appellabant. Quamobrem vt summus ille rerum opifex intelligentes se incredibili afficit lætitia, & delectatione, quod vel ipse Philosophus fatetur, ita cacodæmon mœrore, molestijs, atq; metu percellit, contrariorum enim contraria sunt consequentia. Quidam in spiritum imaginationi seruientem causſam reijciunt, qui dæmonis formam (qualem qualem tandem sibi quisque finxerit) imaginando exceperit, qua imbutus traijcit ad oculos, sic enim fieri volunt, vt nullo præsente obiecto videat, nam si visio nihil est aliud, quàm speciei in spiritu in chrystalloide perceptio, siue species ab obiecto decidatur, seu non, quotiescumque hoc contigerit, reuera videbit.

Lib. de somn.

Li. 1. de var. An. c. 5.

Card. lib. 19. de subt.

In timore, Inquit Fracastorius *admiranda etiamnum magis est causſa, qua & sani mente visa videre putant, quæ non sunt alij simulachra mortuorum, alij dæmones, alij inimicos, alij alia horrenda. Principium verò horum omnium est species formidabilis rei, qualis imago noctis, & sepulchrorum, quæ qualibet vel leui occasione illata phantasiam tam intensè mouet, vt apparentiam aliquam faciat actu, adeò vt veluti præsens accipiatur, fixa enim omnis imaginatio speciem ita intendit, & diffundit, vt in oculis etiam*

Audierit se pe aliquos, inquit Mercurialis cap. de imag. li. 1. Pract. qui dũ nocte ambulant, referũt, se videre multas imagines, quod non alunde perficitur, nisi quia ob timorẽ imaginationem habent corruptam, vnde putant se videre, quæ non vident, & de hoc poteritis reddere causã vt medici aliquorũ, qui dicunt se nocte videre dæmones, dico vt medici, quia fecus: sic loqui vt Christiani. Probl. 16.

sit, quamobrem ita repræsentat, ac si extrorsum in oculos peruenisset, ad apparentiam enim faciendam nihil refert, vtrum species, extrinsecùs veniat ad oculum, an intrinsecùs, omnino enim per naturam repræsentat, quare ea videre se se putant, quorum imaginationem fecere.

Sed hactenus ista. Adiecit Author dæmonas maleuolos ad differentiam bonorum, qui apparentes non metum incutiunt, sed lætitiam relinquunt.

Postea ab huiusmodi spectris, &c.

Eò dementiæ aliquando adiguntur homines, vt his spectris, & falsis imaginibus decepti vsque adeò animis consternantur, vt se suffocent, non quòd sibi laqueos imponant, vt quidam in animum induxerunt, sed naturali ratione, præ nimio enim metu sanguis ad præcordia confluens, ibique incuneatus, respirationisque meatus offerciens strangulatu homines iugulat, quòd non minùs eleganter, quàm doctè ab Alex. exprimitur in Problematis, cum quærit, *cur nonnulli metu extincti?*

Respondetque *quoniam fugiens supra modum naturalis virtus, seq; in corpus intimum vnà cum sanguine recipiens insitum, viuificumque calorem, eum, qui propter cor gignitur, confertim suffocat, atque extinguit, habet autem sanguis, qui est in corde proportionem ad lucernæ flammam, &c.*

Zimara Probl. 71.

Sunt, qui in imaginationem referunt, quæ rerum virtutem, atque valentiam habet: Sed cũ ea immanentem possideat actum, id fieri tantùm potest, vbi altera interuenit causa morigera, & eius imperio subdita.

Cent. 6. Cur. 15.

Miram narrat historiolam Amatus cuiusdam Puelli formidine confecti, ad cuius exemplum plurima afferre possem, sed non est, cur longior sim.

Plures autem mulieres, &c.

Tametsi affectus, quorum meminimus, masculis, & fœmellis communes esse constat, plures tamen fœminæ id patiuntur. Sed cur dices, muliebris natura huisce pathematis magis est obnoxia?

Respondet Hipp. id ideò accidere, quod animi est magis deiecti, atque minuti mulier, quasi mollis aer dicta, id quod ob frigidiusculam temperiem accidit, nam vt calor animos, audaciamque indit, ita frigus deijcit, atque diminuit. Accedit, mulieres vt plurimum capite laborare & pessimè cogitare, quum solæ cogitant, vt ait Mimus Publianus. Hinc Arist. fœminam priuationi comparauit.

Lib. 1. de Gen An. c. 6.

Fœminæ, inquit, *natura sunt debiliores, frigidiores, & sexus fœmineus quasi naturalis læsio, & detrimentum putridum est.*

At subit mirari, cur Philosophus tam iniuriosus fuerit in muliebrem sexum, qui essentiæ ratione peræquè perfectus videtur.

Ad hæc rerum perfectionem ex fine repeti, in confesso est, quod verò à communissima natura intelligitur, id priuatæ finis existit, atqui fœmina propagandæ speciei studio viro iungitur, quare fœminam ita efformari necesse fuit, ne Animalis procreatio frustraëat. Sed cur in his morer?

Boetius lib. de Cõs. Phil.

Omne humanum genus in terris
Simili surgit ab ortu.
Vnus enim rerum Pater est,
Vnus, qui cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ
Ille homines etiam terris,
Dedit & sydera Cœlo.
Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.

An dæmones norit Hipp.

Illud interim non est prætereundum, an reuera Hipp. Dæmonas admiserit (quod etsi parergon criticis videbitur, attamen vt Pictores ornandæ tabellæ studio sæpe numero Arbusculas, & Aulicas effingunt, ita mihi in præsentiarum licere impendio optarim, quum ad summas difficultates diluendas maximè faciat). Arist. sub Luna nil præstantius homine cognouisse videtur: In elementari mundo inquit nullum animal adhuc nouimus, quod sit diuinitatis particeps præter hominem, cui sublunaria cuncta inseruiunt, ipse nulli, nisi fortè homo homini: Nunquam Dæmonum commeminit nisi in Metaph. obiter, & exempli loco. In Phys. cum scribit somnia esse dæmonia, non diuina, quia natura est dæmonia, quoniam nullo numero homunculi, vt natura loquaces, & Melancholici, quibus varia visa obuersantur, sæpe numero vaticinantur. Quod si aliquos esse credidisset, de illis proculdubio in Phys. aut Metaphys. libris disseruisset, nec mancum opus, & artem præcipua sui parte mutilam, & imperfectam reliquisset. Inter formas physicas nulla præstat humanæ. In Metaphys. præter Deum solæ quinquaginta quinque Intelligentiæ numerantur totidem orbium motrices. Sublunares spiritus, qui per aerem vagantur, muto silentio obruuntur, & quasi omnino non sint subticentur. Tantum abest, vt quid, qualesque sint, quibusque officijs deuoti, copiosè explicarit, vt physici, aut Metaphysici Doctoris officium requirebat. Aristoteli acriter resistunt Platonici, qui spirituum myriades constituunt, alios enim Igneos, alios Aereos, alios Aqueos, alios Terrenos faciunt, quos lucifugos, & tenebriones vocant. Præterea ex quatuor mundi plagis distinguunt in meridianos, & occiduos, septentrionales, & orientales: Hos deinde diuidunt minutiùs in Prouinciales, & Vrbanos, quos tutelares Deos appellant; Quin domibus quosdam præficiunt, quos Lares, & Penates nuncupant. Imò domuum certis partibus quosdam præesse volunt, quos Genios loci vocant, quibus Empusas adnumerant: Quosdam pala annuli includunt, quos Paredros vocant. Ecquis erit modus tandem? Cur stirpibus Dryades, & Hamadryades præficiuntur? Cur Fauni, & Satyri per syluas vagantur? Quid sibi volunt Nymphæ, Nayades, Tritones, nisi aqueis animalibus suos esse Dæmones adiunctos existimarent? Eò tandem in distinguendis Dæmonibus Platonicorum

Lib. 5. Metaph. c. de sub. Lib. de Diuin. per somnium.

corum peruenit superstitio, de illis recentiores tam ridicula commenti sunt, vt ipsis Philosophis hanc suspicionem iniecerint, dæmonis nomen esse vanum, cui nihil subsit, ista larua Pueros dũtaxat, mulieres, & idiotas terreri non philosophos.

Siccine? At si sunt dæmonia, sunt & dæmones, ex effectis enim caussæ colliguntur, atqui plurima extant dæmonum opera. Quæ? Aliqua, quæ supra naturæ ordinem eueniunt, vt oracula, futura prædicere, inaudito sermone loqui, & id genus alia. Putasne deesse quod Peripatetici respondeãt. Priuatione, inquiunt, cognoscitur habitus, atqui humoris melancholici euacuatione, tam critica, quàm artificiali, vt elleborismo definunt, & peregrina dialecto loqui, & futura prædicere, ergo atra bilis erat cùm inauditi sermonis, tùm prædictionis origo. Si negatio est caussa negationis, erit affirmatio affirmationis caussa. Quod si à fumis atrabilarijs commota phantasia non modò inter dormiendum somnians, sed etiam vigilans cogitat, effutitque admiranda, quid ni proferet voculas aliquot sermonis inauditi? Hac vi præditos fuisse Vates, ac Sybillas ratus est Arist. atræ
In Probl. bilis caussa, cuius è bullitione plurima, eaque portentosa eueniunt.

Hinc Cicero. *Qui vitio valetudinis tenentur (inquit), & melancholici dicuntur, habent aliquid in animis præsagiens, atque diuinum.*

Quod plurimi iurati Peripatetici confitentur. Quamobrem si melancholici, quæ ventura sunt præuident poterunt inaudita loqui.

Oracula porrò fuisse meras Sacrificulorum imposturas, abundè monstrarunt alij. Quid quæris? Peripatetici

Somnia terrores, miracula, Sagas
Nocturnos Lemures, portentaque Thessala risu.

Excipiunt.

Sed ne Platonicis quidem desunt caussæ, quibus huiusmodi effectus acceptos referant citra quàm quòd ad Dæmonas confugiant: Nam si intellectus creatus ab æterno asserat secum infinitarum rerum notiones, quæ corporis grauitate sopitæ nouo rerum intuitu refricantur, si olim Heluetij alicuius, aut Teutonici corpus mens informarit (etenim si certus est, & definitus animorum numerus creatus ab æterno, & mundus etiam si habuerit originem, nunquam sit defecturus, necessum est, vt vnus, & idem plura corpora informarit, animaritque) præteritorum recordatione poterit peregrino affari sermone sine Dæmonis auxilio.

Verùm missis Philosophis, quid ex animi sententia putasse Hipp. iudicandum est, qui Dæmonum sæpiuscule, & oraculorum meminit, & in morbis aliquid diuinum subesse confessus est, quinimo indigitamenta non semel inuit, quæ sanè Dæmoniacam vim arguunt? Equidem tantæ quæstionis non ausim me constituere arbitrum, qui scio nullibi consulto, & presè de spiritibus egisse Hipp. sed obiter, & cunctanter duntaxat attigisse refellendo potius, quàm asserendo, propterea adiecit (*vt videre videantur*) quo modo & Arist. feciſſe constat, qui Dæmonas non vno in loco anceps, & sententiæ dubius subolfecit. Quid quid sit, nos qui christianam religionem verè profitemur, age veritatis ergo Peripateticorum argumenta diluamus, quibus mirabiles effectus in atram bilem referunt.

Sermonis igitur inauditi, & peregrini prodigia exacta, eductaque atra bile definunt, quod humor iste veluti machinamentum est cacodæmonum, quo ad dementandum, & infatuandum vtuntur, vt Auic. etiam asseuerat. Quare summoto medio, & instrumento vt patrare nequeunt sæua facinora, ita obsessos destituunt. Lib. 3. cap. de Melanch.

Finitæ enim substantiæ, finita etiam necessariò est potentia, quum ergo Dæmones substantia finitos esse constet, vtique potentiam obtinebunt finitam, & determinatam: Definita autem est non vti nostra rebus naturalibus, sed rebus tantùm non naturalibus, priuatione scilicet, & negatione, adeò vt ob negationem aliquid ex nihilo conflare nequeant, ob priuationem quiduis ex quolibet committere non possint (materia enim ad effectum producendum nihil conferens nihili rationem subit) quare substantias facere haud valent neque citra media, neque mediorum coitu, atque congressu, hoc enim naturæ proprium, illud omnipotentis Dei. Ad hæc neque substantias destruere, demolirive queunt citra naturalium mediorum admissuram, quare si perturbanda hominum phantasia, si melancholica deliramenta excitanda sunt, atra bile opus est, (vt Arabum Philosophorum, & Medicorum familiæ placet) quæ ad caput delata (corporea enim substantia spiritali penes localem motionem ad conditum auscultans est, & obsequens) multigena profert phantasmata, quare perciti aliquando futura dictante Dæmone prænunciant, & voces aliquot inauditi sermonis effutiunt. Sciendum tamen reuera Dæmones futura non prænosse, sed ex coniecturis colligere. Esse in nostro corpore quasdam habitudines, & dispositiones, quas enixè, & anxiè expetant dæmones, vt quàm mox (permittente Deo) hominem adoriantur, & obsideant, vt illis pro libito fruantur, quibus permutatis, aut sublatis è vestigio infatuata deserunt corpora præterquam quòd sacræ paginæ loquuntur, plurimi prophani Philosophi testantur.

Sed cur plures mulieres dæmoniacæ, quàm viri? An quia propter corporis densitatem multiuga recrementorum vbertate scatent? An propter menstrui sanguinis fœculentiam, qua sordidi, malignique spiritus non indelectantur? An propter maiorem credulitatem, & pauorem, sunt enim animi magis deiecti, atque minuti? An ita vulgo persuasum est, vt fœminas vbi insuetis symptomatis vexari viderit dæmoniacas suspicetur, cum tamen omnia suppressi sanguinis menstrui, aut polluti seminis sint soboles? Sed, ne parergon opus ipsum superet, ad rem.

Caterùm Virgines nubiles, & maturæ viro hoc, magis patiuntur vnà cum mensium descensu antea, non valde hinc affectæ. Postea enim sanguis in vte-

» vos conſtuit velut effluxurus. *Quum igitur oſculum* » *exitus fuerit obſtructum, ſanguis autem amplius in-* » *fluxerit propter cibos, & corporis augmentum; tunc* » *ſanguis non habens effluxum præ multitudine reſilit* » *in cor, & ſeptum tranſuerſum, &c.*

In poſtremis lib. de cœlo. & in Metaph.

Quamquam Ariſt. incredibili ſapientia Pythagoricorum, & Platonicorum ſententiam euicit, quantitatique nullam ineſſe efficaciam oſtendit, aliquid tamen latentis naturæ numeris quibuſdam ſubeſſe, in quibus occultas vires explicans mirabiles gerit effectus, ſeptenarius numerus facilè demonſtrat, in quo & generationes, & corruptiones plurimæ contingunt: Qua cauſſa ſcripſit Philoſophus, eſſe quaſdam allioſes naturales, quaſdã non naturales, naturales vocat, quę fiũt diebus diiudicantibus, vt ſeptimo. Vnde Linus Poeta.

Lib. 7. Phyſ.

Septima cum venit lux, cuncta abſoluere cępit
Omnipotens Pater, atq; bonis eſt ſeptima, & ipſa
Eſt etiam rerum cunctarum ſeptima origo.
Septima prima eadem perfecta, & ſeptima ſeptem,
Vnde etiam cœlum ſtellis errantibus aptum
Voluitur, & cyclis totidem circum vndique fertur.

Plurimis ſeptimo ætatis anno affectionibus nos eſſe opportunos, nemo eſt, qui expertus non ſit, maximis autem, & manifeſtiſſimis ſecundo ſeptenario implicari, afficique quo tempore mares ex ephebis excedere, & hircire incipiunt; Cuius rei rationem retulit Alexander in Problematis dicens:

Prob. 125.

Quia tunc, quæ per humana corpora meat natura plurimam, & repentinam ætatis mutationem efficit, cuius quidem rei fidem operatio facit, videre eſt enim fœminis mammas turgeſcere propter lactis collectionem, tum ea loca, quæ circa pubem ſunt, pubeſcere, præterea vniuerſum corpus dilatatur, quod & morborum mutationes indicant, & quæ ſolutiones circa annum decimumquartum fiunt, & vocis aſperitas, quæ branchus h. e. raucitas appellatur inæqualiter aſpera arteria dilata, &c.

Montaltus.

Hoc fieri arbitrantur quidam, quod dum genitale virus producitur, ſpirituum præſertim vitaliũ maior copia ad teſtes effunditur, hinc reliquum corpus fraudatum hebeſcit. Accedat, vim ſeminis, fœtificique lentoris genitiuam, quæ ante id tempus veluti ſopita delitescebat torpida, quo tempore ſemen procreatur, atque excitur, non modò teſtes ad penſum abſoluendum excitare, verùm etiam qualitatem quandam ſeminalem virofum reuera, ſed ſpiritaliter ſolis inſtar radios effundentis in vniuerſum corpus emittere, qua totum afficitur.

Hinc quæ venerem ſenſere animantes, palato inſuauiores eſſe conſueuere, præſertim cum libidine turgent. Fœminis vero non modò iſtæ contingunt mutationes, ſed & menſtrua purgatio, ſola enim animalia viuipara, eaque non omnia congerunt crudum ſanguinem comparatione mulieris exiguum, quod maxima pars in pilos abſumatur, quem menſtruum appellamus, quòd ſingulis menſibus excernatur. Colligitur autem, quòd ſic expediat ſeruandæ ſpeciei, excernitur, quòd hoc expoſtulet cõmoditas indiuidui, ſuppreſſus enim graues morbos inducit, ni transferatur ad procreationem, aut nutritionem fœtus. Hinc Hipp. in ſuppreſſione menſium narium hæmorragiam bonum eſſe dixit, quia ſanguis per vterum effluxurus per nares erumpit, qui detentus circa vterum tumores, vel febres, vel hydropas pareret, vel ad mammas conuerſus furorem cieret, ſanguis enim ſuppreſſus eſt admodum feruens, vt nõ poſſit regi à calore mammarum, & in lac commutari, quo fit, vt ſanguis ita torridus leuitate ſua in cerebrum ſubrepat, & furorem accerſat. Qua ratione ſcitè ab Hippocr. proditum fuit, virо mulierem eſſe calidiorem, ob aggeſtum ſcilicet, & ſupercaleſcentiam menſtrui ſanguinis; cuius porrò materia eadem, quæ alimentarij ſanguinis, efficiens frigidior natura, & deſes vita, accedit laxitudo, vnde corpus redditur diſdiaphoreton, qua cauſſa redundantiæ non ita diſſipari queunt: Menſtruæ fluxionis videtur eadem, quæ aliarum excretionum cauſſa, nam quoties excretrix facultas quantitate, aut qualitate materiæ irritatur, toties menſes, niſi quid impediat, vt obſtructio, aut impotentia excretricis, exeunt. Altiorem tamen Fernelius more ſuo cauſſam agnoſcit.

Lib. 1. de morb. mul. n. 1.

Li. de Hom. Procreat.

Neque enim inquit, ſola ſanguinis redundantia circuitus cauſſa eſſe poteſt, quoniam ijs etiam, quæ ſanguinis exiguum congeſſerunt, quamquam parciùs, ſtatis tamen circuitibus effunditur.

At huius circuitus cauſſa, aut in naturæ conſuetudinem, quæ omnia certis legibus, ſtatiſque periodis exequitur, aut in ſempiternos, & immutabiles lunæ curſus referenda eſt, quæ vt luminum varietate tum creſcens, tum decreſcens, ſeneſcenſque menſem dimetitur, ſic hominis, vt ſanè reliquorum omnium humores rata ordinis conſtantia regit, atque moderatur.

Cæterùm fluit hæc materia ad genitalia, per eaque ſtatis temporibus euacuatur, quia membra generationi inſeruientia in fœmellis ſunt debilia. Hinc Gal.

Fœmina, quia imbecillius animal excrementis abundat, quia vero infirmiſſimas genitales partes habet, in eas ſanguinem effundit.

Accedat naturæ impetus, quo grauia deorſum prouoluuntur.

Virgines igitur nubiles, quum menſtruorum tempus appellit, hoc eſt anno ætatis decimoquarto præ cæteris ſimillimo morborum genere apprehenduntur, ſi menſes intercipiantur, & per nares ſaltem non erumpant. nam per moram prauam indipiſcuntur qualitatem (ſic vitium capiunt ni moueantur aquæ) & per neruos, venas, & arterias principes partes in conſenſum trahũt; & hinc multiiuga ſymptomata prodeunt. Enimverò vapor ex vtero ſublatus viſcera, vẽtriculumque feriens nauſeam quandam mouet, quam tamen rarò excipit vomitio, ſæpius tædium cibique abominatio, non ſine borborygmis ventriſq; rugitu. Cum halitus in ſeptum tranſuerſum, thoraciſque particulas irrepſit, breuem reſpirationem, crebramque veluti compreſſo thorace inducit,

atque

atque cor obsidens leue animi deliquium parit. Pauor hic ægram externans inuadit, tamque vehementer interdum, vt de se actum, cõclamatumque esse arbitretur, vt nullo consilio, nullo hortatu in bonam spem erigi possit. Vapor hic altius fauces subiens eas veluti vinculo perstringere, & manu præcludere videtur, spiritumque penitus intercipere magna præfocationis formidine. At vbi cerebri arcem inuasit, alijs quidem vterinum furorem appellatum cum gatrulitate, & iracundia ciet, aut alia delirationis genera metus, horrorisque pleniſſima, alijs caroticam affectionem, seu veternum inducit, quo mulier corruens, ceu attonita iacet sine motu, sine sensu vllo, respiratio adeò exigua, & rara, vt aliquando nulla, aut transpiratio pro respiratione credatur. At nihilominus pullatio aliquanta manet, vti vix dum tamen percipi possit. Quid pluta?

Luctus vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

Mercatus li. de morb. mul.

Mirantur quidam non immeritò, qui fiat, vt ex vnica parte affecta ex vnica formali, & materiali caussa tot symptomatum myriades emergant. Sed vbi partium, quæ in sympathiam trahuntur, idiosyncrasiam, & propriam conditionem, vbi putridæ subitantiæ copiam, putredinis gradum, modũque animaduerterint, desinent mirari è vestigio. Hi sunt varij gradus, & ordines, variæque affectiones, quæ circuitu veluti epilepsia repetunt, quæq; attonitis, & melãcholijs analogæ sunt, quibus mulierum, maximè Virginum natura opportuna est, vbi menses residis sunt, neque pro naturæ lege a-

Lib. 5. Aph. beunt. Hinc rectè Hipp. dicebat.

Si menstrua plura fiant, morbi proueniunt, & si nõ fiant ex vtero morbi contingunt.

In tanta mehercle mediocritate, & habitudine hominis sanitas consistit, quam harmoniæ rectè comparat Aristot. vt quauis exuberantia pessum eat: Propterea idem ipse quæsiuit;

Lib. 1. de An. sect. 1. Probl.

Cur exuperantiæ vim habeant morbi committendi?

Respondet, *quia vel excessum, vel defectum efficiunt, in quibus morbi consistunt.*

Opportunè vtique & pro consuetudine vterina excretio manans plurimis mulieres commodis auget, vnde senex ipse asseruit, affectiones, quæ

Sect. 3. Aph. fœmellis accidunt, ni tollantur, vbi menstrua erumpunt, diuturniores fore. Quòd si subsistant, aut perperam effluxerint, nefastæ, fœdæque calamitates impendent. Sed cur circa pubertatem hæc mala Virginibus ingruunt? An quia hæc ætas, vt retrò sumus fati, magnam in corpore mutationem parit? An propter sanguinis, & seminis orgasmum? Tunc enim ingens maximè libido exurensque, & vehemens ardor amoris est, vt præcipites sæpe ferantur in Venerem, ruantque citra pudorem vllum, qua caussa mandat Philosophus ab Hippoc. edoctus, vt quum mammæ turgidulæ prominuerint, diligenti custodia domi retineantur, seruenturque. In illis igitur semen turgescens principio pubertatis si coerceatur, menstruusque si cohibeatur fluor, nonne rationi consentaneum, vt unà cum menstruorum refluxu Virgines tunc temporis in hæc uitia potiùs incurrant, & solito frequentiùs? An quia menstrui sanguinis conditio uenefica est, & pernicialis? Huius opinionis Fernelius fuisse videtur, quoniam ubi mulieres Lib. 7. Physiol. c. 7. menstruis purgationibus laborant ad conceptionem ineptæ sunt, apriores verò, ubi ab hoc fluxu liberiores fuerint: Quòd mensium obstructione laborantes grauissima symptomata patiãtur, quæ illius sanguinis noxam, atque perniciem indicant: Quòd menstruis fluentibus concepti elephantici euadant, ob uenenatam scil. menstrui sanguinis qualitatem. Huc conspirarunt Plinius, & Columella, quòd nouella germina à menstruosis fœminis uel leuiter attacta penitus obarescant, spectula indelebilem maculam contrahant, pueri labem, inquam hæresim multo antea tempore venerat Aristot. Verumtamen, quæ adscribuntur menstruo noxiæ qualitates in fidem, & malè affectum, aut certè in lochia sunt reijciendæ, nam si uenenatus esset menstruus sanguis neutiquam fœtum in vtero enutriret, nequaquam in mammis in laudabile lac facesseret. Sed cur non interficeret, aut officeret? Nec est, quòd aliqui respondeant, uenenum nõ agere in proprium subiectum, sed in aliud sibi obiectum, nec referenda est caussa in consuetudinem, qua uenena etiam in alimoniam uertuntur, si quidem menstruum sanguinem sola copia excrementum esse iãdudum a Medicinæ coryphæis statutum est. Nec est, quòd aliqui deterrimam in menstruo sanguine portionem comminiscantur, qua delibutus fœtus tandem extra uterum certo tempore foras exigit, atque protrudit ceu heterogenes quid, & naturæ dissentaneum, unde morbilli, & uariolæ repullulant, quoniam menstruus est reliqui sanguinis particula sola copia, grauis. Neque exanthemata, seu uariolæ, ut putat Arabum familia, ex menstrui reliquijs in poris latitantis producuntur, cum perenni effluxu corporis moles dilabatur, qua caussa scripsit Philosophus, nos augeri secundum formam, qui sciebat materiatas particulas indesinenti effluuio labascere, nec permanere, consistere autem oportere idem, quod adaugescit. Ad hæc cur fœminis, quibus subsistunt, supprimunturque menses, hac labe, atque colluuie non fœdatur cutis? Rectius igitur, qui in certam cœli constitutionem, & ascitum calorem reijciunt, à quo sanguis inæstuans, si quid subest noxium, foras excernit, atque propellit ad cutem, commune totius corporis emissarium. Quòd si menstruus iste sanguis malè affi-

Lib. 1. de Gen.

Mercatus Ant. Vallesius supra Holl.

ciatur, aut in alienam degeneret naturam, pessimus euadat, oportet, & ueneno finitimus, ut ex grumo sanguinis nata symptomata monstrant: omnis enim de contrario in contrarium fit mutatio. Sed proximum iam est, ut uideamus, quæ mala superueniant ex sanguinis palyndrome, & recursu ad cor, & septum transuersum.

Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit. Quemadmodum cum aliquo longo tempore desidente sanguis ex coxis, & femoribus depressus in tibias, ac pedes torporem inducit. A torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad ipsum reuertatur. Reuertitur autem celeriùs, quum fleterit in aqua frigida, quæ vltra malleolos madefaciat, atque hic torpor facilè

cedit,

cedit, cito enim propter venarum rectitudinem refluit, & locus corporis non est periculosus, &c.

Quum igitur hæc loca, cor scilicet, & septum transuersum repleta fuerint, & sanguine anarropo, & refluo turgida (necessum enim est, vt sanguis exitu prohibitus, ni restagnet, tandem eo refluat per eosdem ductus, vnde primùm effluxit) cor fatuitate laborat, hanc verò torpor excipit (hic enim (ex) ordinem dicit) hunc verò delitium, & mentis alienatio sequitur, nam cum anima sit in corde veluti in radice, seu, vt dicebat Aristot. vt Rex in sua regia cor principis functionis initium esse, iustum est. Hinc Hipp. mentem hominis in sinistro cordis ventriculo sitam esse scripsit. Audienda tamen Arist. sententia eo modo, quo alibi luculenter expositum est. Hoc vsu venire existimauit Capiuacceus, quòd ab affecto corde cerebrum in consensum trahatur. Hinc cõstare potest, quàm futilem, absurdamque commentationem inierint, qui sanguinem in orbem agi, perennique vertigine, circuituque eodem remigrare, vnde profectus est, mordicus contendunt. Sed quia tam insanam opinionem ferre non potuit doctissimus Parisanus, eidem grauibus rationum momentis explodendam relinquo.

Li. de corde. Li. de struct. Hom. Li. de meth. Anthom. c. de corde.

Cæterùm Hipp. sibi aduersari videtur, nam libro de morbo sacro (si modò illius est liber ille) scriptum reliquit.

Dicunt quidam, quod corde sapimus, & quod hoc est, quod angitur, & quod curam gerit, verùm hoc non ita se habet, sed conuellitur quidem, veluti præcordia, & magis etiam propter easdem caussas ex omni corpore venæ ad ipsum tendunt, & conclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio hominì contingat, necesse est enim dum angitur, horrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfunditur, idem pati, quapropter cor quidem, & præcordia maximè sentiunt, sapientia tamen minimè participant, sed horum omnium caussa cerebrum est.

Quid igitur pro Hippocrate respondeas, hic ad vulgi opinionem, consuetudinemque locutum fuisse, quod nonnulli excogitarunt. An nos corde sapere verum est, quod melioris notæ philosophi ea distinctiuncula probarunt, animam quippe secundùm iudicium, & perfectionem in corde, secundũ receptionẽ in cerebro esse. Hinc Poeta ille.

Ioannes Huartes Cordatus.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel suscitat iras.

Et reuera cor omnium apprehensionum, quas à sensibilibus per sensuum machinamenta elicimus, fons esse videtur, tametsi vniuersæ sensuum functiones, & munera à cerebro manifestantur, & proferuntur. Quæstionis enim veritatem hic Hipp. ratione æstimauit, non sensu, ratio autem primum, & formale principium in corde esse manifestè demonstrat.

Huic sententiæ adscribere videtur Argenterius dum ait.

Vna anima vt est impartilis, & vnam habet essentiam diuersas facultates habentem, ita corpus vnum est, cuius organa ab vno principali organo originem trahunt, hoc autem est cor, in quo nativi caloris officina viget, & vitales spiritus procreantur, sine quorum ope nec vllus motus edi, nec vlla internorum, externorumve sensuum functio obiri potest.

Quum igitur cor, & diaphragma sanguine repleta fuerint, cor fatuum fit. Cur ita? dices. An quia sanguis simplicitatis, & stoliditatis auctor est. An quia sonticam, & venenatam ex vtero nactus fuit qualitatem, vnde hebet anima?

Fatuitas est symptoma in actione minuta faculratis æstimatiuæ, quæ tunc fit, quando quis intelligenda percipit, at parum circa ea ratiocinatur. Hic Hipp. accepit pro rationis defectu, vt cuidam Neoterico quoque placuit. Gal. lib. de sympt. diff. Mercato. Cordatus carpitur.

Neque mihi illorum sententia probatur, qui fatuitatem interpretantur segnitiem, cordisque hebetudinem, & tarditatem ad motionem, quique vt rem exprimant inconcinno, & inhonesto vtuntur exemplo; quamquam non est inficiandum, cor penes motum etiam torpescere, & veluti contrahi, vt secundùm omnem partem quod noxium est, declinet.

Torpor voluntariæ potentiæ læsio quædam est, quæ etsi induci solet à frigido, torporem tamen mentis à calido fieri quinto Aphor. lib. planè confessus est, omnis enim intemperies deijcit actum propriæ facultatis. Quare circa viscera incuneatus sanguis primò fatuitatem, deinde maiorem ex loci angustia nactus caliditatem torporem inducit, denique ex vlteriore adustione atræ bilis vim consecutus delirium ciet, quod sanè, vt prædiximus, operis, & generis societate contingit. Non est prætereundum, quosdam pro diaphragmate hepar audiuisse, quòd cor, & hepar sunt communes sanguinis fontes, quod etiam Hippoc. placitis est consentaneum. Sic enim ille libro de natura muliebri. Aph. 26. Cordatus. Num. 3.

Si vteri ad hepar accesserint, muta de repente fit, & dentes conserit, & color niger fit, patitur autem hæc derepentè, dum sana est, fit autem huiusmodi affectio Virginibus, maximè antiquis, & viduis, quæ iuuenculæ sunt, & peperierunt, & viduæ manent.

Quemadmodum cum aliquo longo tempore, &c.

Dicta exemplo probare nititur Author satis euidenti, quod etsi non omnino rei quadrare videtur, ita tamen intelligi potest, vt quemadmodum sanguis confestim ad cor irruens eius actionem imminuit, atque præpedit, ita ad musculos delatus torporem, & leuem quandam paralysim inducit.

A torpore autem, &c.

Quum autem torpore correpti fuerint pedes, incessus impotentes fiunt, nam torpor, ait Gal. ad motus ostendit futuram ægritudinem, donec sanguis eò refluat, vnde digressus est.

Reuertitur autem, &c.

Ocyssimè verò reuertitur, si pedes in frigidam immittantur, quæ vltra malleolos madefaciat, hæc enim vim habet reprimendi, & celerrimè vim suã altè subeuntem toti communicat, qua caussa scripsit Arist. eos, qui nudis pedibus inambulant, veneris esse impotentes, quòd inde genitalia, atque adeò totum corpus, refrigerentur. Quo argumento vtitur Gal. ad refellendum Arist. dicentem, ita à natura institutum esse cerebrum, vt cor refrigeret; hoc, inquit, officium pedibus potius erat demandandum, quum vniuersum corpus illinc celerrimè afficiatur, quod sanè illi probarunt, à quibus

bus veritas igne extorquetur. Hinc illud Pauli veriſſimum eſſe colligitur, dextri ſcil. pedis pollicem oleo, cui cremati ſtellionis cineres permixti fuerint, oblinere, ſummis ad ſuſcitandam venerem viribus pollere. Hæc autem eò ſpectant, vt multum facere concludamus, extremarum partium affectiones ad vniuerſum corpus immutandum, quod in hæmorragijs, & cholericis affectibus è veſtigio experimur. Immiſſis igitur in aquâ frigidam pedibus facilè repellitur torpor, & ſentiendi, mouendique hebetudo, cum per venarum rectitudinem faciliè refluat ſanguis. Scire tamen licet, hunc torporem fieri potiùs ex compreſſione neruorum (quamquam Hipp. in renum calculo adnotante Hollerio cruris ſtuporem ex compreſſione venæ potiùs fieri exiſtimat.) & præ nimio madore, quàm alia de cauſſa, qua ratione ij, vt in exemplum attulit Hipp. qui in crura, aut in brachia incubuerunt, maximè ſi inconcinnè, & perperam diſpoſita fuerint, quendam torporem, & narcoſin perſentiſcunt, quæ tamen paulò poſt euaneſcunt. Quare ſanguis regeſtus, & repulſus torporem ſubmouet, quia neruoſum genus non amplius comprimitur alioquin per antiperiſtaſin prodeſſe poſſet frigida, quo modo in Tetano vtitur Hippocr. ſi eutarcus iuuenis æſtate media afficiatur. Interim animaduertendum, ex hoc loco nos poſſe colligere, quanti ſit facienda catixis, & vaſorum rectitudo ad reuulſionem, iuxta & repulſionem moliendam, quam quidam ſecundùm fibras perperam ſpectari volunt.

Fernelius.

» *At ex corde, & ſepto-tranſuerſo tardè reſluit, ve-*
» *næ enim obliquæ ſunt, & locus periculoſus, & ad de-*
» *lirium, & inſaniam paratus, quum enim hæ partes*
» *repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas*
» *febres appellant.*

Cæterùm ſanguis in præcordijs ſtabulans non ita citò repellitur ob venarum obliquitatem, & ob partis dignitatem periculum impendet, ob peculiarem vero affectæ particulæ conditionem deſipientiæ imminent, ſic enim vſu venit læſo corde, aut diaphragmate, quod phrenes antiquis dicebatur, non quòd ad rationem aliquid conferat, ſed ob miram ſympathiam, quæ illi cum cerebro intercedit tum ob inſignium neruorum ſocietatem, tum ob perennem, validamque agitationẽ, qua fumidi vapores impetu ad cerebrum pelluntur, ac flabelli inſtar tranſmittuntur, nam ſi ſolam neruorum ſacietatem admittis, cur inflammato ore ventriculi, quod inſignes neruos recipit, idem non accidit delirium, & paraphroſine? Quam in rem alibi Hipp. appoſitè.

Li. de ſuper fœt. n. 24.

Si Virgini, inquit, menſes maturi non prodeant, multum febricitat, & dolet, & ſitit, & eſurit, & vomit, & furit, & rurſus reſipiſcit. Vterus mouetur, & cum ad viſcera vertitur, vomitus, ac febres, & delirium accidit. Vbi verò ſedatur vterus, hæcque quieſcunt, eſurit, & ſitit, ac febris lenis, hepialon græci dicunt, tenet.

Li. 3. F. 21. T. 4. C. 16.

Cui applaudens Auic.

Symptomata, inquit, quæ ſupreſſas menſtruas purgationes excipiunt, variè ſe proferunt, produntq; pro humoris in ſanguine dominantis conditione, quod ſi fuerit humor melancholicus, ipſe accerſito in conſenſum cerebro mentem alienat, impetito, ictuque corde ſyncopen calamitoſam ingenerat, ac diaphragmate diuulſo anhelitum adimit.

Plurimaque alia recenſet incommoda, quibus cerebrum potiſſimùm, & cor conſortij lege laceſſuntur, & percelluntur, ſi menſtrua non abeant.

Quum enim hæ partes, &c.

Cùm igitur præcordia repleta fuerint horror incidit vnà cum febre, quia ſcilicet tunc inculcatus ſanguis minimè diffiatur, hinc putredo prouenit, ad quam influentis caloris in ſubſidium fit reuocatio, quam ſanè caloris retractionem horror excipit: Eſt enim tum horror, tum rigor natiui caloris affectio, etenim cum ex ſentientium partium affectu dolor moleſtat, ad viſcera innatum calidum ſeſe recolligit, & extremæ, extimæq; partes calore deſtitutæ inalgeſcunt, atqui intus concluſum cum ſuffocetur moræ impatiens foras vehementiùs prodit, quo ſe ſe proferente membra veluti refectis viribus humorem morbificum morant. Hanc caloris reciprocationem ſequitur ſentientium partium expulſio, facultate nimirum à cauſſa morbifica irritata, & à cordis calore adiuta ea vi, & impetu, vt fiat totius corporis concuſſio. Cæterùm in interna phlegmone fit horror, & extremorum algeſcentia, quòd caloris fiat introrsùm reuocatio, eò enim calorem, ſpiritus, & ſanguinem miniſtros natura amãdat, vbi fit defectus. Quæ verò hinc ſequuntur febres ſymptomaticæ appellantur, quamquam hoc meritò ab Auic. ſi res penitus inſpiciatur, ſugillatur, & conuellitur. Febres itaque, quæ Virgunculas inuadunt, cùm ſint variæ nullamque certam obſeruent typoſin, erroneæ febris ideam præſeferunt.

Cui rei adſcripſit Gal.

Li. 6. de loc. Aff. c. 5.

Si menſtrua, inquit, deficiunt, grauitas totum corpus moleſtat, item faſtidium, & nulla cibi cupiditas, inæqualitas horrida.

Et paulò poſt ſubdit, ab ardentibus febribus excipi cohibita menſtrua; A quo ne latum quidem vnguem diſcedens Auic. inquit.

Li. 3. F. 21. T. 4. C. 16.

Ex menſtruæ purgationis cohibitione plurima emergunt incommoda, corpus grauatur, atque gracileſcit, & mœret, & aduenium horripilationes, & febres aduirentes, & anxietates, & triſtitiæ.

Sed omnium pulcherrimè Aetius.

Serm. 16. c. 51.

Mulieribus, quæ non purgantur conſueto more, ſanguinis reiectionis, ac ſyderationis periculum imminet. Nam ſuppreſſis menſibus moleſta accidentia conſequuntur. Totius corporis grauitas, nauſeæ, faſtidium, horridi quidam diſcurſus, velut in his, quæ conceperunt. Non tamen ita, ſicut his, quæ conceperunt vteri oſculum clauditur; illis enim occluſio adeſt cum quadam duritia. Dolores inſuper circa lumbos, femora, collum, ſinciput, & oculorum radices adſunt. Febres item aſſiduæ concomitantur, et vrinæ nigræ ſunt cum rubicundo quodam, ac ſanioſo, et ſeroſo humore: Difficultatem item, ac ſtillicidium vrinæ patiuntur. Et quædam in melancholicum atræ-ioſis morbum, aut inſaniam delabuntur. Cutis ſuperficiem dolent, et inflammationes, ac ignes ſacros diuerſimodè ſuſtinent.

Hoc igitur inter omnes conuenit, quòd ſuppreſſos menſes ſequuntur inæqualitas quædam horrida,

Cordatus notatur.

horrida, febres ardentes, & assiduæ, & mentis abalienationes. Quare subit mirari, cur febrem hepialam hanc appellere maluerint quidam, cum reuera non sit huiusmodi. Sed ad rem.

His autem sic se habentibus præ acuta quidē febre insanit, præ putredine clamat, præ caliginositate timet, & formidat, præ compressione verò circa cor strangulationes parat, præ sanguinis autem malicia animus mœrens, & anxius malum attrahit.

Tametsi humana mens nulli organo innexa, nullis videatur primarum qualitatum exuperantijs affici, nihilominus phantasiæ caussa, quæ intelligentiæ semper cohæret, vt comes, assectaque eius individua, in sympathiam trahitur, cum non nisi via, procurationeque sensuum visa, & imagines animis insculpantur, eaque est ratio, quoniam intellectilia reuera non sunt seiuncta à sensibilibus, quemadmodum existimabant Platonici, propterea Arist. scripsit nullam rem à nobis intellectam esse præter magnitudinem sensibilem; necessum est igitur, vt nostri intellectus intelligibilia in phantasmatis sint, & ideo non potis est quispiam noua cognitione, scientiaque informari, neque intelligere quasi scientiæ habitu vtens, quin inter discendum, aut speculandum phantasma aliquod effingat, visa enim sunt sensibilium imagines, atque similitudines, hoc verò interesse videtur, quòd simulachra præter materiam sunt, sensus enim susceptiuus est specierum sine materia, imaginatio verò motus ex sensibilibus ab externis sensibus iam agentibus decisis. Hinc pātere puto, læso phantasiæ organo impediri vsum sciētiæ iam acquisitæ, atque omnis rationis vim peruerti. Quod siue cerebro per idiopathiam læso fiat, siue ex consensu, vt læso corde, aut diaphragmate inflammato, nihil refert. His igitur sic se habentibus, præ acuta febre insanit communicata cerebro calida intemperie; præ putredine vociferatur, ex biliosarum, putriumque fuliginum ascensu, quibus cerebrum inæqualiter afficitur.

Lib. de morbo sacro. Hinc Senex.

Qui à pituita insaniunt, quieti sunt, neque vociferantur, neque tumultuantur, qui verò à bile vociferatores sunt malefici, non quieti, & semper aliquid intempestiuum faciunt.

Lib. de nat. hum. Ea igitur est naturabilis, quam Democritus scitè inutilem humani corporis inquilinum vocitat, vt homines semper exagitet, & aliquid noui obijciat, hinc stare loco nesciunt, & importunè vocem emittunt. Sanguis igitur regestus, & circa præcordia putrescens in vtramque bilem faceffit, & hæc accersit symptomata.

Sect. 17. Probl. 9. *Quærit Philosophus, cur cum timor sit quædam tristitia, & dolor, dolentes tamen vociferantur, timentes verò non.*

Respondet, *dolentes voluntariè spiritum continere, vt plurimus congregetur ad dolorem mulcendum, qui cum diu conclusus stare nequeat confertim emissus clamorem, sonitumque parit.*

In Probl. Huius rei aliam caussam comminiscitur Alex. dicens.

Quod ipsa dolentium anima ad id, quod dolorem infert, conuersa est, quo fit, vt quodammodo motiuam pectoris musculis virtutem præbere obliuiscatur. Cor itaque ipsum neque pectoris dilatatione aerem accipiens, idcoque neque perflatum, neque refrigeratum, neque item contractione excernens singultifica excrementa, quæ de sanguinis exustione gignuntur, dum suffocationem metuit, animam cogit, monetque, vt quàm plurimum musculis motum præbeat, maioremque inspirationem, exspirationemque efficiat, vt maiorem quoque frigidi aeris vim accipiat, maioremq; excrementorum copiam effutiat. vt quod exiguæ, crebræque respirationes factura erant, idem maior vna efficiat.

Et qui delirant raram ducunt respirationem, quare aucto respirationis vsu confertim emissus spiritus sonitum edit, vt vociferari videantur.

Rectè igitur subijcitur, præ putredine clamare, quòd ex minera fuliginum copia exhalans animam monet, vt affatim per expirationem foras amandet singultifica excrementa. Accedit mentis alienatio, vt innuimus.

Præ caliginositate timet.

Atqui præ caliginositate, atque obscuritate timet, & panicis timoribus exterretur, quod fit quoties ex atra bile vapores ad caput efferuntur, & animalium spirituum claritatem adimunt, & ipsius cerebri substantiam inficiunt (est enim veluti diaphanes cerebrum) & animo tenebras obijciunt, vnde obscura phantasmata, & ignobilia emergunt imaginibus obliquè relatis. Huc si respexisset Rhois filius, non tam fuisset in Galenum iniuriosus, & asper.

Sed age cur fœminæ, quibus subsistunt menstrua purgamenta, & atræ bilis vitio implicantur, identidem sibi malè, molestèque accipi cor queruntur, & angi, & cruciari, vnde continenter ingemiscunt, & clamitant? Respondent quidam in cordis infirmitatem deriuantes. An fieri non potest melancholica affectio, quin cor patiatur? Huius sententiæ fuit Auicennas. Mercatus. Lib. 3. c. de melanch.

Non enim est, inquit, longinquum, mirum, si cordis complexio primò corrumpatur, & sequatur eam cerebrum, & corrumpatur cerebri complexio, & sequatur eam cor, & corrumpatur complexio spiritus in corde, & fiat sylueſtris, & corrumpat quod ex eo penetrat ad cerebrum, & iuuet cerebrum ad se corrumpendum, &c.

Hipp. primo Prorrhetico *Deliria, inquit paulis. per ferocientia melancholica sunt, si verò à menstruis fuerint, ferina, hæc verò sæpius accidunt, &c.* Lib. 1. Prorrhet.

Præ compressione autem circa cor, &c.

Vbi verò cor opprimitur, & vndique torquetur, miserlæ Virgunculæ salutem despondentes violentas manus sibi inferunt, & se ex veteri consuetudine laqueo suspendunt, sic enim fit, inquit Aetius, vt ex grauioribus malis se liberent. Enimvero, vt canebat ille,

Quidnam faciet anima
Viscerosa, atque irrequieta
Oestro irritata malorum.

Atqui cor comprimi contingit tum ex sanguinis copia, tum sontica & maligna qualitate, quam per moram in vtero contraxit. Quòd si quis existimarit, præfocari mulieres præpedito diaphragmate lenis respirationis instrumento, non habebit me repugnantem: Nam vbi ad excretionem

vterus

vterus mouetur,& nititur frustra,retrò remeat, ac sursum repit, ac vterus vnà conuellitur, & in viscera ingruit, & lethales suos vapores eo trãsmittit, ea refrigerat, ac respirationem pluribus horis intercipit, & pulsu spoliat, aut eum deprauat, siquidem viscera pondere premuntur, ac mulier ægrè spiritum ducit. Sedantur autem hæc si vterus deorsum deductus in pristinam suam sedem reuocetur,& murmurillus quidam præcedat. Quæritur,cur in hysterica affectione, cum animales,tùm vitales actiones adeò læduntur? Gal. existimat id fieri ob vteri consensum cum cerebro per neruos, cum corde per arterias,cum iecore per venas. Sed unde pendet hæc affectio? Sanè uteri præfocatio est Aetij testimonio, flatuosa perfrigeratio, aut potiùs conuulsio quædam, contrahitur namque præter naturalem dispositionem uterus ad superiora. Conuulsionis autem duplex causa repletio & inanitio. Author libri de morbis mulierum refert ad siccitatem: Nempe id uitij mulieri contingere asserit, ubi uasa euacuata fuerint,tunc enim conuerti, & sursum ptogredi ad humiditatem ex ipso iecore hauriendam. At Gal. id fieri à repletione asseuerat, eosque fugillat, qui ex siccitate uterum præfocari arbitrantur,putat autem uel ob menstrua, uel ob uitiati seminis retentionem id euenire, cum id mali genus Viduis, atque ijs, quibus uirorum intercepta consuetudo est, accidat, quin ob immoderatam uteri frigiditatem idem oriri quandoque uitium censet.

Be loc. Aff.

Lib. 1.

At uerò ab ipso Auic. cõuulsio hęc nõ proportionata ad materiam appellatur, quæ deleteriam qualitatem excipit; quamquam huiusmodi ad siccitatem,aut repletionem redigi posse contendit Costæus.

Præ sanguinis autem malitia, &c.

Verùm animi angor, & desperatio ex maligna sanguinis conditione, quæ atram-bilem sapit, ac redolet, suboritur, quæ mentem incessit, & alienat, quantum enim ad animi prudentiam, & constantiam deijciendam corporis vitia possint, abundè ab Arist. & à Galeno proditum fuit, nosque ipsi aliàs notauimus. Quare ratiocinandi vi alias, quæ deinceps sunt, dirigente speculatoris, ductúsque cuiusdam more, quum illæsa hæc permanet, cæterarum affectus dignoscimus, quum verò affecta ea fuerit, memoria vnà, atque imaginatio abolentur, vbi enim consilij totius præses patitur,quomodo tandem censes affectum iri ministros,qui illi parent,dictoque audientes sunt?

Li. de struct. Hom. Et in lib. de animæ immort.

Atque hanc noxam, vti diximus, ex atræ-bilis ebullitione animus sentire consueuit, vaporibusve,qui hinc resiliunt, quorum planè contemperamento debemus, & repurgatione ægris securitatem præstare.

Sed alium horribiliter compellat, ac in puteos prosilire, ac incidere iubet, & strangulari, tanquam meliora sint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia, &c.

Non est mirum, si horrendum in morem alios compellant, & in puteos sese præcipites dare iubent, cum rationis munia præpediantur instrumenti vitio, quod ab ipsa atra-bile afficitur, propterea aliàs rectissimè diuinus senex scripsit. Hominis modesti vocem ferocem malum esse, quia aut adesse, aut impendere ferinum delirium significatur, hoc autem est studiosi delirij peculiare, vt pessima quæque apprehendat, & ceu optima amplexanda esse ratione, & imaginatione peræquè læsis, autumet, tantum enim erroris, & insaniæ imaginationi inest vt quæcunque naturæ concessa non sunt, vt efficiantur ipsa sibi liberè prorsus effingat. Et quidem in turpissima nos hæc etrata citò conijceret, nisi ratio quasi speculatrix quædam insanos huiusce impetus acriter obiurgans velut è specula quadam nimietatem cohiberet. Hinc cautè ad huiusmodi ceritas accedendum esse, docemur, ne aliquid intempestiuum specie recti in medicum, aut assistentes moliantur, quinimò vinciendæ, & diligenter custodiendæ, ne inse-met ipsas violentas inferant manus, obitumque sibi fanaticæ conscisant. Olim Milesiæ Virgines, teste Plutarcho, se in puteos conijciebant tali affectu correptæ.

Vidit Pontanus Virginem Neeram in Salentinis se in putenm proijcientem. Plura videas apud Schenckium.

Aliquando sine spectris, et phantasmatis voluptas quædam adest, ex qua mortem veluti bonum aliquod amat. Post quam autem respuit homo. Mulieres tum alia multa, tum pretiosissimas vestes muliebres Dianæ consecrant à vatibus id docentibus deceptæ,&c.

Voluptas est animi motus proueniens ab obiecto proportionato ad potentiam, seu,vt ait Auic. introitus naturalis dispositionis apprehensio,nam vt dolor in quadam transmutatione consistit, ita voluptas, propterea Arist. *Melius est facere, inquit, quam feciſſe, et melius fieri, quam factum esse.* Ea enim, quorum substantia, in ipso, vt ita dicam, fieri consistit, vbi facta sunt, non existunt amplius. Quid igitur mirum si defluescente febre, si diris illis phantasmatis, & idolis euanescentibus, quæ mentem miris modis afficiebant, voluptas quædam succedat,quæ Virgines leuet. Relinquitur tamen solido charactere impressum sæpe vestigium,& alta mente repositum,cuius occasione in morbo assueuerant mortem expetere tanquam quoddam bonum.

Lib. de virt. cord.

In Top.

Hęret porrò diutissimè impressum signum tum siccitatis ratione per inflammationem, tum etiã tenacitatis propriæ, & familiaris, quæ humori melancholico summa inest.

Ex qua mortẽ veluti bonum aliquod amat,&c.

Hoc vitij genus accommodat Mercatus Virginibus, Viduis, & sterilibus, etiamsi viris cohabitent, sed præcipuè puerperis, non integrè purgatis, vel ijs etiam, quibus menses per repentinam occasionem repentè etiam retrocedunt. Quibus omnibus hoc mali accidit, vt aliquid in cor, & cerebrum commigret, ipsumque adeo lædat, vt non modo imaginandi potentiam vitiet, verùm credere, quæ cogitauerit,cogat, & proferre, quo discrimine melancholici à maniacis distinguuntur, discernunturque quòd illi palam affari

Li. de morb. mulierum.

cogitata verentur quadam suspicione detenti, ne falsū animo conceperint, proin intus animo voluunt, & sibi ipsis cor edunt, hominum vestigia vitantes, hi verò confestim inconcinnèque effutiunt, quæcunque imaginosa viderit phantasia.

Li. Praxeo. c. de supp. mens. in cholijs. Narrat Hollerius in hanc rem aliquot historiolas dignas sanè, quæ hic adscribantur.

Quibusdam, inquit, risus, quibusdam lachrymæ, aliis vtrumque, vt Dominæ de Rochepot, quæ cum varicosa esset, eo affectu corripiebatur cum delirio, & risu, & lachrymis, oculorum contractione. Alteri risus dein perturbatio mentis, hinc lachrymæ, à quibus etiam monitæ haud cessant. Sed nihil admirabilius, quàm quod duabus filiolis Præsidis Rotingensis contingere solebat in motu sursum veri, quo internallis laborabant. Risu enim longo ad horam, & duas horas imminente paroxysmo capiebantur, quem neque metu iniecto, neque hortatu, neque aliis artibus poterant compescere. Parentibus interrogatæ, & obiurgatæ respondebant se non posse continere risum.

Hactenus Hollerius. At cur ridebant affectu præter naturam correptæ? Risus enim concitatior quidam animi, ex re iucunda motus est ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis, & oris musculi impetu quodam mouentur. An dicendum ex affecto diaphragmate hoc proficisci, quod risus sedem non leui coniectura quidam statuunt?

Lib. de pop. *Ictus est, inquit Hipp. catapulta in pectus, & paulò post risus tumultuosus supervenit, videbatur autem mihi Medicus eximens lignum reliquisse ferrum in septo transverso.*

2. de part. Anim. Nec absimile exemplum attulit Aristot. Atqui sardonius, vt paræmia fertur, risus videtur ex musculorum septo consentientium conuulsione, qui buccas mouent. Adeò est pernicio sæ naturæ vapor, qui ex vtero ad præcordia fertur (maximè si ex viroſa, sonticaque seminis corruptione proficiscatur,) vt veneno finitima symptomata pariat.

Postquam autem respuit homo, &c.

Vbi verò morbo succesſit sanitas, mentiq; pristinæ restituta est mulier, quam mox donaria, & pretiosas vestes Dianæ appendunt à Vatibus, h. e. pseudo-prophetis, & sacrificulis deceptæ, in quos meritò inuehitur, & animaduertit Hipp. deceptores vocans lucriuoros, cum in medicos malignè se gerentes omni laude medicinam spoliarent, & si quid boni ægris contigisset, vt Numini acceptum ferrent medicum prætereuntes suaderent. De qua re acriter conqueritur Hipp. apud Democritum dicens: *Artis medicæ recta facta, ò Democrite pleriq; è vulgo hominum non omnino laudant, verùm Dijs sæpe attribuunt, si verò natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, medicos reprehendunt: Numen prætereuntes. Et ego sanè mihi videor maiorem reprehensionem, quàm honorem artis me consequutum.*

In Epist.

Vtinam hac tempestate similes calumnias non audirent optimi medici, qui ex arte, & naturæ cōuenienter munera sua tractantes malè accipiuntur, pessimi quique & audacissimi adhibētur, etiāsi per mortes faciant experimēta, & sibi viā ad laudem sternunt. At si præter infamię periculum, quā nauci faciunt, pęna impenderet temerè medentibus, plurimi fortasse ab officio se subtraherent, atque temperarent rebus suis cōsulentes. Sed ad rē. Cum Deus rei cuique adsit (quidquid enim est diuinæ essentiæ debitatio: Hinc Platonici, quæ sunt, omnia sunt, & ab vno, & in vno, & ad vnum,) & ad quoslibet effectus conueniat, qua causſa moti Platonici scripserunt causſas secundas esse instrumēta primaru, quæ Peripateticorum etiam consensu plus in effecta influunt, quàm secundæ, non est inficiandum, nos sine Dei auxilio, & congressu languentibus sanitatem minimè restituere posse, id quòd etiamnum ab Hipp. manifesto traditur. Inquit enim, *Deus est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit.* Alibi verò, *Scientia de Dijs animo penitus implexa est: Tum verò in cæteris affectibus, & symptomatis Medicina erga Deos: valde reuerenter se gerere comperitur. Tum verò Medici Dijs locum dant. Numen enim cuncta gubernans in Medicina minimè ociosum esse animaduertunt, & in his morbis, quos ipsimet curare nituntur, & in his, quos vltrò absque sua opera superari vident. Quot quot enim vincit Medicina, hinc (Deorum nimirum ope) vincit. Quin & Medicinæ via secundum sapientiam Deorum munus est, et remediorum efficacia ab eisdem pendet. Verùm hoc alij non credunt, cum in confesso sint sensuq; percipiantur ea, quæ circa corpora sunt, partim per omne remediorum genus transformando, aut transmutando, partim per chirurgiam auxiliando, partim remediando medicamentis, aut diæta, & tamen summa horum rò redit, vt Deus esse cognoscatur.*

Lib. de morboſacro.

Li. de Eleg.

Hæc est diuini Senis theologia, qua vtraque Dei prouidentia explanatur, & palā fit, qua quid sanctius, quid diuinius à natura mortali dici, aut excogitari potuit? Verumtamen quia Medicina donum Dei est hominibus diuino fauore concessum ad arcendos, propulsandosque morbos, non est credibile, manem esse Medici operam. Quare qui media spernit, per quæ ignis ille viuens efficax esse vult, vt se ab ordine subtrahit, ita grauiter peccat, & seipsum perdit. Neque Hipp. damnauit Scythas Numini xenia, & vota ferentes, sed vnà naturalia media esse transigenda constanter asseruit. Quod vt amplius constet, sciendum, secundas Intelligentias agere, & mouere per formam apprehēlam ab intellectu, forma autem apprehensa est intentio, & notio rei, haud res ipsa, atqui non potest res rata, & absoluta immediatè ab intentione produci, hinc fit, vt Intelligentiæ inferiores per formam apprehensam, quæ illis est ratio agēdi, non possint reuera naturam procreare. At secus in summo Deo res habet, nā quod intelligitur non est amplius notio, sed res summa, quę est ipsissima Dei essentia rem vniuersam cōtinens, & propterea materia corporalis vni, & trino Deo cum penes motum ad locum, tū penes motum ad naturalem formam obtemperat, & penitus audit, cui soli mandauit Hipp. vt preces effundamus, & munera non istis Deunculis, quos temerè gentilitas effinxit. Prudenter itaque Hipp. miseſlas mulieres

Lib. de A. L Aq.

lieres decipi scripsit à vatibus, qui muliercularum loculos exhauriunt, discriminalia, perisCellides, olfactoriola, & murenulas corradunt: Ex stupore iuncto credulitati impostores incredibilem quæstum fecerunt. Vtinam hac nostra ætate non essent, qui specie recti idiotis imponere nituntur, & per dulces sermones, & benedictiones seducũt corda innocentium.

Eo artificio constat, ethnicos multifariam fuisse delusos, atque in impietate obfirmatos, & (vt cætera huiusce rei mittamus exempla) narrat Philostratus, Pausanias, & Strabo, eos, qui varijs oppressi morbis Æsculapij, Serapidis, & Amphiarai templa petebant, omnium ægritudinum inquiete, dum eisdem somnia obuersarentur, præsidia accipere consueuisse, quod idcirco Dæmones faciebant, vt vel sibi, qui ea remedia suppeditabant, vel tribus illis hominibus in Deorum numerum relatis honor tribueretur. Plinius tradit, ægrotantes suos morbos ad Deos referre consueuisse, quod & nunc faciunt religiosa opinione adducti, ac liberatos in templo scripsisse, quibus remedijs conualuissent. Hinc Iamblicus, medicina, inquit, somnijs est reperta diuinis: ægri pernoctantes in templo Apollinis inter dormiendum somniantes agendorum monebantur. Sed quis credat à calumniatore, & iurato humanæ cerui cis hoste auxiliaria præsidia, non potius venena oblata fuisse? Nos interim ex animo hortamur, vt ægroti, & malè habentes Deo, Diuisque vota nuncupent, & donatia in Fanis appendant, qui certò scimus, preces nostras per Sanctos Deo offerri, cui omnia præsentissima sunt, quique admirabilis in Sanctis suis esse vult. In languoribus igitur ad diuinam opem recurramus, & ipse sanabit, qui vera salus est, neque tamen interim naturalia præsidia sunt omittenda, per quæ in nobis efficax esse vult, ne tentetur eius omnipotentia.

Dianæ igitur vouebant mulieres, quia Virginibus præesse credebatur, & propterea ad Numen faustissimum confugiebant, & pro accepto beneficio gratias referebant. Hinc Venusinus.

Montium custos, nemorumque Virgo,
Quæ laborantes vtero Puellas
Ter vocata audis, adimisque letho
Diua triformis.

Lib. de nat. Deor. Plures Dianas fuisse commemorat Cicero, sed illa nominatissima est, quæ eodem partu ex Ioue, & Latona orta est, vt Homerus testatur.

Salue Latona, vt peperisti pignora clara.
Venatrix Diana tua est, & clarus Apollo.
Edita in Ortygia hæc, in Delo est ortus Apollo.

Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum consortia aufugisse, & vt à se libidinis pruritum amoueret venando syluas incolebat paucarũ Virginum comitatu contenta. Arcum ferebat, & pharetram succincta semper incedens, & cothurno induta, ob hanc causam syluarum, nemorumq; Dea putabatur. Dicta fuit Triuia, quòd vijs præesset. Item Lucina, quòd à parturientibus inuocaretur. Iuno, Lucina, dicebat meretrix parturiens apud Terentium, ser opem. Laudatissimum templũ habuit apud Ephesos, quod Herostratus, vt ex facinore immortalem gloriam consequeretur, destruxit, & solo adæquauit. At πρόσω ὑπάτω. Proximum est, vt ad curationem progrediamur.

Cæterùm curatio, vt hinc liberentur, est sanguinis detractio, si nihil fuerit, quod impediat. Ego verò iubeo Virgines, cum huiusmodi patiuntur, quàm citissimè viris cohabitare; Si enim conceperint, sanæ fiunt. Si verò huiusmodi non affuerint ipsis simul cum pubertate, aut paulò post corripientur. Si non viro nupserint. At verò ex mulieribus viro iunctis steriles magis hæc patiuntur, &c.

Cordatus temerè hic Hipp. interpretatur.

Mirificus Hipp. præclarè tantis malis medelam instituit, (quod fuit instituti sermonis consilium) dum sanguinis missionem præscribit, si nihil fuerit, quod impediat. Nam mala, quæ huiusmodi fœminis accidunt, ex sanguinis synathrismo, & collectione, vt vidimus, proficiscuntur, nil verò peræquè prodesse possit, atque sanguinis detractio.

Sed vnde mittendus sanguis est? Ex tali venis iubet Hippoc. atque assecla Gal. ne, si ex cubito, fiat instituto nostro contraria reuulsio. At hoccine perpetuum esse debet, vt defectis mensibus sanguis infernè ducatur? Minimè puto, vbi plethora, & summa sanguinis vbertas affuerit, tunc enim ex cubito satius sit sanguinem prolicere, quod & ab Hipp. præscribitur, quod Paulus, & Aetius Amidenus obseruarunt; illi enim, vbi præsto fuerit plenitudo, malunt supernas tundere venas, & sanguinis copiam inde exhaurire, subinde malleoli venas secare. Seriò enim metuunt, ne secta primùm pedis vena sanguis deorsum præceps ruat, & copia sibi aditum præcludat auctis obstructionibus.

Lib. de intern. aff. cit. Paulus lib. 3 c. 61. Aetius. ser. 10. c. 57.

Quærit Aphrodisiensis, cur in vasis, quæ à Græcis harpagia dicuntur, digitus eorum ori impositus non sinit aquam fundo effluere, sublatus autem sinit? Quia, inquit, cum ex ore digitus eleuatur, aer aquam ingrediens deorsum trudit, quò suapte naturæ fertur, atque ita per foramina fundi exit.

Hoc exẽplũ est apud Hippocr. lib. 4. Probl. 91. de morbis. Carialpinus iubet supernè sanguinẽ mitti debere, vbi præcopia mensex subsistere, non item si ex suppressione sanguis redundarit.

Copia sanguinis in mensium suppressione instar est digiti vasis osculo appositi quare vt remoto digito aqua delabitur, ita aperta supernè vena & imminuta sanguinis copia ab vteri fundo foras effluet, & erumpet; quam sententiam doctissimus Sanctorius Medicorum Princeps, & verus Apollo in aureo de remediorum inuentione libello planè tuetur. Caueant igitur, qui tam mordicus Galeno cohærent, vt ne latum quidem vnguem discedere ausint, nam serui illi sunt, ille idem dicebat, qui se Hippocrateos, aut Praxagoreos, vel alios alterius sectæ appellati volũt, quicunque igitur Romanus, vel Græcus, vel Arabs, vel Iudæus optimè locutus fuerit; illi proculdubio fides habenda'. Hac tamẽ cautione Aetij consilium nos assequi decet, dummodo sanguis quiescat, quiescit autem, quando menstruorum periodus longè distat. Cæterùm non vsque licet suppressis mensibus sanguinem cæsa vena educere. Quid ni?

Apud Amat. cent. cur. 15.

Capinaceus.

Quia aliqua impedimenta fiunt; hæc autem in vitium, aut malæ corporis habitudinis vitium, vel in vitæ laboribus & ieiunijs deditam consuetudinem referri possunt, neque enim Auic.

Lib.4.F.1. T.2.c.7. testimonio phlebotomia, vbi sanguinis missione opus est, ex eorum genere est, in quos tandiu præstolandum, immorandumque sit, donec digestio fiat, quemadmodum in cæteris humoribus. Quare perperam efficiunt, qui rusticas Viragines agrestibus laboribus, atq; ieiunijs continenter lassatas, atque vexatas phlebotomijs frustrà fatigãt. Quòd si subsit in prima regione cruditas, eccoprotico priùs extorbari vult, ne tracta in venas suburra massam ipsam contemeret. Non est interim Auic. consilium negligendum, qui mandat, ne ijs Virginibus, quibus ob genitale virus hystericæ passiones impendent, ingruuntque sanguis detrahatur, sed potiùs vt viro iungantur.

Ego verò iubeo, &c.

Si Virgunculæ his passionibus opportunæ liberari desiderio desiderant, ad nuptias, ait Hippocr. conuolent, & virum experiantur; nam aucto per venerea calore, vasisque generationi seruientibus explicatis, atque dilatatis excrementa quæcunque congeruntur huc amandata foras promptiùs erumpunt.

Accedit seminis excretio, quæ mirificè totum corpus afficit, quam ideo Democritus paruam vocitauit Epilepsiam. Hinc dicebat Conciliator, tria esse, quibus corpora prorsus permutantur, melancholiam quippe, coitum, atque vinum. Ita esse demonstrant Philosophi quærentes, *Cur mulier virum, qui eam defloruerit, vitiaritque præcipuo amore prosequitur? Respondentque, quia summæ delectationis actum maximam affectionem in totum inducit, qua potestates animæ maximè oblectantur, & ei immobiliter adhærent, atque adquiescunt.*

Com. in Prob. Arist. Zimara.

Qua causa sapienter Hesiodus mandat, vt Virgines in matrimonium ducantur, haud Viduæ, ne benedictus ille Benedictus crebriusculè fortassis interponatur. Sed enim tunc solùm consulit Virginibus virum Auic. vbi ex polluti seminis pleonexia malis plectuntur, hocq; interim spatio hortatur, vt corpus exerceant, fœtificumque lentorem minuentibus vtantur, veluti ruta calamentho, vitice, electario è cymino, propotismate ex diureticis superhausto. Nos autem experimento probauimus, virum esse omnium præsidiorum instar. Mulier nobilis non ita pridem furebat ab vtero, inquit vir doctus, imperauit venæ sectionem, clysteres, frequens balneum, quibus cum morbus non cederet, maritum peregrè profectum iussi reuocari. Reuersus illi pristinam mentem prima nocte restituit. Siccus vterus fœbat humectari non aqueo, sed aereo, & pingui illo humore, qui est illi pro pabulo.

Riolanus.

Simile exemplũ affert Alex. Benedictus. Iuuencula Venetijs domo exijt furens ab vtero ob suppressos menses, cum maritus eiusdem domum reuersus cum ea tota solitus fuisset nocte, fluxere menses, mentisque sanitatem consequuta est: Nobis simile exemplum videre contigit nouissimis diebus. Non modò verò furentibus conducit congressus cum viro, verùm etiam hysterica passione oppressis suauissima curatio euadit, mirum enim in modum releuat congressus à paroxysmo, si penis oleo moscatellino oblinatur, aut quotis alio, in quo granum moschi, zibetti, vel ambræ grisea sit dissolutum. Propterea Medici partes sunt, Parentibus consulere, vti Puellæ nubili maritum quadratum, & succi plenum quæritent. Notandum, quòd Puellæ hystericæ primis congressibus solent concipere, vt caueant sibi, appetens vterus inuento edulio se se explet, quod in bonis habendum, nam si conceperint, inquit Hippocr. sanescunt, expleto enim desiderio quiescit uterus, quem Democritus iure Puerorum matrem, & infinitarum ærumnarum in muliere caussam nuncupat.

A Platone animal dicitur procreandi filios cupidum, quod vbi sterile præter tempus diutius fuerit cũ indignatione grauiter fert, & vndique per corpus obeuans, & spiritus transitus obturans, & respirare non sinens anxietates alias extremas immittit, tum omnis generis morbos inducit, donec vtriusque cupiditas, & amor educto velut ab arbore fructu, deinde excerpto in vterum velut in aruum animalia præ paruitate visum effugientia, & non efformata conseminant. In Timæo.

Aretæus uterum uiscus quasi animatum, & neluti animal quoddam in animali appellat. Ne credat tamen quispiam uterum loco moueri, etiamsi conuulsis ligamentis interdum contrahatur, solutis aliquando prolabatur. Hinc patere puto, quam malè sibi, & Puellis prospiciant Parentes, qui sumptibus parcentes filiolas in Gynæcia uel inuitas obtrudunt, vbi desolatæ uitam despectissimam agere coguntur, & dira pati symptomata, quæ aut Dæmonis, aut dementatæ mentis suspitionem injiciunt, atque hoc interim spatio Parentes proscindunt, & malè iurgijs exprobrant, quorum caussa illæ coguntur sæuos perferre labores. Lib.1.c.11.

, Venus nec illis monita uerbis subsidet,
, Sed si urgens, magis, magisque intenditur,
, Amorque castigatus infestat magis.

Aduertãt igitur posthac consanguinei, & Puellarũ mẽtẽ, mores, temperiem, & uitæ genus priùs consulant, quàm miserias in ea Vrbis latera relegent, unde Hymenæus, & Veneris illecebræ amandantur, & exulant. Plurimum enim Parentum interest, quàm libenti, aut quàm inuito animo cœlibatum agant Puellæ, ne, quod Paulaniæ contingebat, illud perpetuò insusurretur in aures.

Pœna luenda tibi est, affert iniuria cladem.

Est sanè pulcherrimum, & laudabilissimum uitæ genus Deo. Diuisque uacare circumcisis mundanorum adfectuum radicibus, sed quæ tam impotens est, ut sibi imperare nequeat, & discussis passionum nubeculis ueritatem puro lumine inspicere, digna profectò est, quam miseremur; habet enim, inquit Hipp. mulier in se lasciuiã quãdam, quæ nisi quotidie resecetur, ueluti arbores in materiæ multæ effusionem extuberat. In Epist.

At verò ex mulieribus, &c.

Superest iam, ut uideamus, cur inter nuptas hystericis passionibus magis obnoxiæ sint steriles. Equidem hoc haud usquequaque uerum esse affirmarim, nam steriles plurimas nouimus, quæ quicquam tale nunquam sunt perpessæ, attamen si contingat, mulierem plurimo scatere succo,

lautis-

lautissimè viuere, & carnosi, optimique habitus esse, plerumque hoc dæmonij genere corripitur, quod certè minimè accideret, si conciperent, tunc enim fœtus plurimum materni sanguinis ab umeret, & in puerperio vteri penitus repurgarentur. Accedat, ex Hipp. vteros tunc fieri fluidiores.

Ad hæc non tam ægrè ferunt distentionem à sanguinis suppressione, & alia incommoda, cum per consuetudinem vtero gerendi non ita afficiantur ex leuibus caussis. Refert primariæ notæ medicus, se nouisse mulierem, quæ cum esset demens, simul atque concipiebat, resipiebat, & menti meliori reddebatur. Rond. li. de met. med. Li. 5. Pat. T. 1. c. 8.

Hinc dicebat Auic. quod mulier, qua parit, & concipit, minus infirma est, quàm sterilis. Verùmtamen est debilioris corporis, quàm ipsa, & ocyus senescit. Sterilis verò plurimis subijcitur ægritudinibus atqui maturior senectus accedit, & iuuenescere videtur.

At verò ne præsidijs destitutæ videantur, quæ Deo dicatæ, aut pudicitiæ caussa suauem illam curationem renuunt, age in medium paucula afferamus, quæ hoc dæmonium propellitur, atque perfringitur. Hortamur igitur, vt vnaquæque mêtem piet, & à quisquilijs radicitus repurget, tum animam pijs cogitationibus repleat, tecolatque quàm ampla præmia illas maneant, quæ legitimè certauerint, & sensuum illecebras aspernatæ fuerint, ac quàm turpe sit in materiæ fœditatem illabi, neque animum sustinere posse, ne cadat, quàm grauia decernantur supplicia ijs, quæ animi libertatem appetitui manciparint. Hac lustratione vbi animum repurgauerint, ieiunijs corpus extenuent, pulchrum enim est corpus esse in macie, dum animus est in sagina, qua caussa rectè Samanæi violentas manus in corpus, cum valebat, inferebant, ne petulanter in animum se gerens, eius imperium aliquando eluderet. Huc etiam In Tmæo. spectauit Moses ille Atticus, quando scripsit, qui animo viuere vult, corporis mortem meditetur. Perpetuum igitur sibi indicant carnisprinium, Lib. de morbo mul. quod est Hipp. consilium, præcipiens, vt fœminæ piscibus potiùs vescantur. Super omnia munera Bacchi declinent Romanam temperantiam adhibentes, continentiæ enim gratia Romanis Puellis vino interdictum erat, in quo Venus luxuriat, hinc Auic. *Cane*, inquit, *ne eis des in potu vinum, quoniam aqua est eis conuenientior.* Lib. 3.

Quid tibi præcipiam de Bacchi munere quæres
Spe breuiùs monitus experiere meos.
Vina parant animos, acuuntque libidinis ignes. Ouidius.

Quare consultè proditum fuit, Venerem, & Bacchum mutuis flare auxilijs. Ex animalibus mittrantur Agni, hœdi, palumbes, testacea, ostrea, mytuli. Oua, lac, cæpe, allia, cicer, fabæ, faseoli, enula, anysum, marathrum, cinara, amygdalæ, physici, eruca, bulbi, de quibus Poeta.

Daunis, an Lybicis Bulbus tibi missus ab oris, Ouidius.
An veniat Magaris noxius omnis erit.
Nec minùs erucas aptum est vitare salaces,
Et quid Veneri corpora nostra parat.

Summum quæcunque sanguinem, atque adeò fœtificum lentorem augere possunt optimi succi edulia, quæ flatus, atque tentiginem excitare valent, aut acrimoniam, vt aromata penitùs arcenda. Interim lactucis sæpiusculè vtendum, extinguunt enim igniculos, quod significauit Venus, dum mortuum Adonim inter lactucas sepeliuit: Vinum, (si modò vti licet) foliorum Agni casti succo diluatur aut D.

Tercenta alia mittimus, quum non sit propositi nostri singula minutiùs prosequi. Interim desidiam vitent, quæ improbitatem, & nequitiam quærit, vt Hipp. more loquar, animum ad aliquod studium appellant, nec patiantur eum feriari, multos enim memorat Plato, quos assiduus labor reuocauit ab incontinentia. Præ cæteris Deo, Diuisque se commendent, rogentque vt ferocientem appetitum rationis habenis compescere possint. Quo pacto Diuus Thomas compressis prece igniculis, præcinctisque ab Angelo lumbis castitatis zona, perpetuam pudicitiæ laudem sibi custodiuit. Verùm nos in alienam messem illapsi pedem referamus, & hæc transmundanis Philosophis relinquamus, & nostris potiùs elucubrationibus ad vmbilicum adductis accinamus Deo immortales gratias agentes. Lib. de præcept. Lib. de leg.

AD INCOLVMITATEM DIVSERVANDAM DIAGOGE.

Auctore

IOANNE STEPHANO IATROPHYSICO VENETO.

Aristot. 1. Phys.

NON immeritò damnatur, & supinæ ignorationis insimulatur Euripides, qui ridiculo, inscitoque carmine cecinit,

Extremum, ob quod natus erat, fatumque petiuit:

Quasi verò in hoc mundi theatrum natura hominem non produxerit potiùs, vt huius lucis, & vitalis aurę vsura diutissimè frueretur, atque adeò hoc admirabile opificium contemplatus, Opificem simul cognoscetet, ac veneraretur: Quod cum apud vniuersos in confesso sit, videtur iure expostulasse, & querimoniam deplorasse ingeniosus Vates, qui sordidissimis, abiectissimisque Animantibus plus fautum esse cum Theophrasto longa animaduerterit die:

Viuere Cornices multos dicuntur in annos,
Cur soli angusta conditione sumus?

Quamquam enim rerum nobilitas, & perfectio non ex vetustate, & diuturnitate, sed singulari munere, & officio æstimatur, attamen vti esse, quàm non esse, ita fortassis ad multum, quàm ad breue tempus, melius est. Quocirca operæpretiũ me facturum esse arbitror, si Agyrtarum vanis pollicitationibus missis naturæ ipsius adyta, & recondita principia rimari contendam, quorum vsu decenti, & præstantia, suprema fata longè arcere possimus. Hoc verò in discrimine quædam altiùs per hypotheses repetenda sunt, vt sequentiũ series his veluti fundamentis stabilita euidentiùs consistat. Duo itaque sunt proxima generationis nostræ primordia, semen, & menstruus sanguis, illud in genesi opificis munus obit, iste ad quoduis sequacis, & concinnæ instar materiæ substernitur, & licèt prius igneum magis, & aereum, hic potiùs ad aqueam, & terrenam deuergat naturam, vtrumque tamen imaginatione, & reuera humidum est: Ex quibus genitum corpus non vsque adeò solidescit, & cogitur caloris efficacia, vt omnis expers affectionis nullis opportunũ sit iniurijs, vt Adamas, quin maximè duabus malorum speciebus congenitæ nimirum humiditatis diaphoresi, & distillationi, nec non succorum putrefactioni obnoxium esse videtur, quarum quælibet extratiam, & domesticam, seu intestinam agnoscit caussam; aerem scilicet ambientem, & innatum calorem, & intimum, quorum ille putredinem, & dissolutionem continenter machinatur, iste suppositum vsque populatur, & demolitur humidum. Hoc igitur tuendæ sanitatis Ars præstat, vt putredinem longè inhibeat, & arefactionem, aliquin perneccssariam coercito causarum impetu retrahat, & remoretur.

Gal. 1. de elem. c. 3. Omnia nimirum corpora, quæ generantur, & intereũt duplici transmutationi sũt obnoxia vtpote quorum ista tum alteretur, tũ diffluat.

Huius autem custodiæ duæ præsunt facultates, quarum altera naturalis est, & Alumna, Animalis, & pulsans altera, quibus naturæ necessitate quadam Alteratrix ministrat, & anteit. Atqui harum nulla suis perfungi possit officijs, nisi similarium partium laudabilis temperies, & compositarum legitima præcurrat structura, quæ sunt organa, & machinamenta, quibus Facultas, alioquin indesinitaad certum opus detc rminatur. & decernitur. Quid enim aliud est sanitas, quàm agendi potentia ob bonam partium constitutionem? At quoniam, vt inquit Auerrhois, elementa infinitis modis commiscentur, efficitur, vt singulis nequaquam

Quid sanitas. Arist. calidorum frigidorum mq; æqualitas ad contingentia, & contenta definatur. 7. Phys.

a. de ortu. Auer. vnum quodque diligit si permanere. hoc autẽ est argumento, quòd resistit corrumpeti. Themist. Omne quod gignitur simulq; genitũ est creationẽ minutionemq; patitur, hoc autem fine nutritione, & vltione haud fit.

quam peræquè commendabilis accidat constitutio, sed illis quidem firma, his verò inconstans, & lubrica, quocirca sapienter medicorum coryphæi sanitatem in tres ordines distinxerunt, (neq; enim illa Philosophorum acribia huc appellanda est, qua minimè statuitur sectibus, cum sit medium, & infima species) quorum singuli, quatenus propriã decet naturam, officiorum, operumque valentia, & integritate definiuntur.

Et quamuis vnaquæque natura similium vsu custodiri gaudeat, optima tamen id perpetuò poscit, reliquæ vtrinque descisentes modesta contrariorum vsurpatione, si iubet, emendari possunt; custodit enim Hygea, & castigat, qui intra sanitatis limites, & latitudinem continentur, lapsus. At verò sex sunt potissimùm, quorum necessarij occursus, & offensationes nostram naturam continenter incessunt, &, nisi iuxta priuam temperiem adhibeantur, quâ humidum absorbendo, aut putrefaciendo, quâ caloris tenorem infirmando, de gradu è vestigio deijciunt, de quibus in præsentiarum agere, & summa sequi fastigia rerum (neque enim propositi nostri est, singula minutis punctis colligere) decreui. Sed enim ex mysticis paginis operis sumptionem aliquis obijciat, asserens. *Numerus dierum suorum apud te est. Posuisti terminos, qui præteriri non possunt.* Vnde nemine clam esse videtur certos, statosque esse fines, quos excedere, sit nefas. Quare rectè Plutarchus vitam, necessarium Deorum depositum vocat. Et Auic. lib. 1. F. 3. ait. Vnumquodque præterea corpus terminum habet, in quo resistat siccitati necessariæ complexione suæ, & calore innato, & quantitate suæ innatæ humiditatis, qui non pertransitur. Quam sanè nebulam in primis discussam volo, ne

Noster ab exili possibac Echeneide cursus
Fortè retardatus suspiciosus hiet.

Alta igitur mente tenendum, summum illum Plasmatorem, vniuersique Opificem in brachijs olim, h. e. sempiternitatis, quæ continet omne tempus, degentem futura non præterire, esseque cardiagnosten, cum haud mortalium more id, quod est, sciat ex rebus, sed ex voluntatis suæ constanti decreto animi nostri etiamnum liberos, & indefinitos actus prænorit, quo fit, vt singulorum supremam periodum, citra quam liberæ voluntati nostræ, à qua rectè, aut perperam institutæ vitæ ratio pendet, tantillum delibet, aut detrahat, certò perspectam habeat.

Tria enim sunt, quæ prouidentiæ certitudinem præstare videntur, diuinæ Præscientiæ, prænotionisque securitas; voluntatis efficacitas, & ordinis, dispositionisque sapientia, quarum nulla rerum ambiguitati repugnat, enim verò Dei scientia constans est, & certa futurorum etiamnum contingentium, quatenus in æterno, quod simul totum est, futura perinde, ac si actu, absolutèq; sint, Deus contemplatur: Voluntas etiam, quum sit omnis, & omnigena rerum causa, non modò vult hoc confici, verùm sic etiam, mandat autem, vt quædam necessariò eueniant, quædam contingant, quod ita rerum ordo, perfectaque mundi pulchritudo desideret: Nec minùs per diuinæ dispositionis sapientiam prouidentiæ certum ancipiti obmanente rerum euentu seruatur, enim verò si fieri potest istud per hominis sapientiam, causis, quæ ab effectis cadere possunt, auxiliantis, vt perpetuò interdum agant, & perficiant, (quod sanantis Medici argumento patet) multò magis ex diuinæ dispositionis sapientia idem vsu venire consentaneum est. Illud itaque constans, sanctumque sit, Deum ineffabilem vitæ nostræ certos fines, & ambitus statuisse, quòd uniuersa, per quæ transigemus, & versabimur, præ oculis habet, quocirca si mandatis stabimus, quæ diuina primitus sanxit, iniunxitque voluntas, neque à recto naturæ ordine aberrabimus (cum omnium, quæ in hac rerum immensitate consistunt, quibusque dexterè vtendum esse, iussum, præscriptumque fuit, longè dominatu potiamur (vitalis, & solidæ vitæ argumentũ, & causam præstabimus, cæteroqui euanidæ, & vmbratilis. Quare scitè scripsit Pergamenus, ignorantes dictæ rationẽ ocyus, quã pro natura occũbere. Quod si quis vrgeat amplius Arist. studio iactans, ex syderum afflatu cuiusq; vitam certa duratione, & circuli modulatione definiri. Hoc ferat responsum, sermonem dirigi ad species, quarum indiuidua deterioris conditionis naturam sequũtur ducem, quare, vt Aristot. ipse fatetur, his quidem fatale viuendi spatium annus, his maius, illis minùs pro materiei inæquabili varietate, & ob Solis ad reliquos Planetas disparilem concẽtum, & conspirationem; æquum enim est, vt ex cælesti vertigine, quæ veluti quædam vita est, quousque generantis facultas sese proferat, & producat, certò definiatur, cùm huius inferioris mundi series, & dispositio ad cœlestium ordinem, & rationem effingatur, qua causa monumentis proditum fuit, mundum hunc inferiorem, si propiùs ad superas accedat lationes, meliùs rectum iri. Singuli tamen homines liberâ voluntate, & consilio præditi recta victus, & vitæ ratione inita, etsi non vltra periodum speciei conuenientem, vltra possunt, quàm ferat propria temperies (reclamante Auic.) vitam proferre. Id quod planè quidam tum per formalia, tum per materiata principia probarũt, radicatum enim humidum refici quadantenus potest, & retuso corrumpentium causarum offendiculo naturale temperamentum in melius prouehi, cuius rei certum argumentum expressit Herodicus valetudinarius: Vitam longam non modò fata promittunt, inquit Ficinus, sed nostra quoque industria præstat. Quidam ad centesimũ vsque annum vitam hominum protrahi in animum induxerunt, quòd cor singulis annis drachma (viribus non mole æstimanda) ad quinquagesimum inolescat & augeatur, paria verò sint incrementi, & decretionis momenta. Quidam mathematico epichiremate ad vigesimum supra centesimum produci, scriptis mandarunt.

Platoni donec trianguli singulorum uim possidentes sufficienter ad usum uitæ cohæserint, nisum est. At quando hæc nulla solida innixa basi uitium faciunt mox occasura, destructionis labore supersedendum putaui, uestigaturus priùs, quã ulteriorem gradum faciam, quidnam sit uita, & quibus subsistat initijs. Vitæ nomen homonymum

cum

Iob.

Plutarchus in oratione consolatoria apud Apollinarem.

D. Thom. opusc. 42. c. 140.

6. de sanituen.

2. de ortu tex. 57.

Arist. 2. phys.

Arist. lib. 1. Mete.

Lib. 1. F. 3. c. 2. Marc. com. 2. de orto.

Lib. de producẽda vita. Multos cõmemorat Plutarchus, qui eospote alioquin infirmo vitam sola diligentia longã in deprẽsunt. Tribellius in Timaeo. Haly 3. Tegni. Possibile est, vt sint etiam medicinæ, quæ prohibeant à velocitate senectutis, siue à frigore, & siccitate membrorum, & pro-

longetur, & vita hominis, quando regimen bonum est.

Quid sit vita.

1. Meteorō. tex. 5. & 2. de An. & omnium naturā constantium determinata est quāritas magnit. aut partium &c.

Vita, ait Ficinus tāquā lumen innaturali calore subsistit. Li. Produc. vita. Philos. 2. de Anima.

cum hominum conditionem, tum locum, quem habemus, quomodo animalia quædam amphibia dicuntur, quod humi, & in aquis agant, tum coniugium, adnotante Philotæo, & mores significat. Opes etiam eo nomine audit Plutarchus. Sed his missis in potiore significatu eius vis, & natura quærenda. Philosophorum Coryphæus coniunctionem, & collectionem esse animæ cum corpore, aut vegetatricis cum calore moram, concluſit. Scaliger actum animæ finiuit: Fernelius inseparabilem animæ actionem: Hispanus Viues, instrumentorum animæ conseruationem.

Nos verò politiorem, & elaboratiorem, si fieri potest, in medium afferamus dicentes, vitam esse viuentium constantiam ob alentis animę in naturali calore præsentiam: Natura enim constantes viuentes Philosopho dicuntur, & viuere viuentibus esse decernitur. Cum verò tria sint Vegetalis animæ officia, alere, augere, & gignere, primum viuentibus maximè necessarium est, vtpotè quod attingat essentiam, quæ sanè munia sine calore absoluere non potest, sunt enim duo, quibus in nutritione vtitur anima, primum vis animæ ipsa quæ nutrit, dein calor insitus, innexusque corpori; hęc autem illo differunt, quòd anima vim suam ex seipsa confert, & tanquam de sinu suo promit, & calorem tanquam machinamentum quoddam extrinsecus adhibet, eumque instar gubernatoris intemperat. Quare sapienter concluſum fuit, nullum animal citra calorem viuere, qui duplex singulis inest, inhærens, vt retrò diximus, & influens, atque errabundus quoquouersus, nam quemadmodum in megacosmo ex cælesti ambitu, & agitatione nascitur calor ille vitalis, qui vehiculo luminis huc delatus non modò sopitum excitat, verùm etiam vniuersis mortalibus vitam delargitur, ita in Microcosmo (sic enim dicitur homo) ex continuo cordis motu suscitatur beneficus quidam calor, qui vectore spiritu singulis membris impertitus est vitæ, & durationis causa. Neque hercules immerito, cum omnis motus proprietas alicuius sit soboles formæ; at in hoc sublunari Mundo præstantissima forma est anima, quæ proximè cœlestis vertiginis Agitatorem, & principium æmulatur, quare motus eius consequens, & assecla, eiusque proprietas cęlesti analogia respondeat, necessum est, tantùm autem interesse decet, quantò terrina est sublimior cęlestis forma. Neque hinc confectum putet quispiam, vt calorem, quo viuimus, demus esse cœlestem, quod innuere videtur Aristot. scitum enim, vnum specie calorem plura sortiri cognomenta, prout aut viuentium formæ se se accommodat, & subijcit modestiam ex contrariorum congressu nactus, & indeptus, aut ab ignis forma dirigitur assertus in genuinam libertatem, aut denique vt ad cęlestium formarum nutum, & vim paratus agit, vnum enim, & idem diuerso modo affectum causæ diuersæ rationem subit: Accedat vni frigori non posse plura diuersa specie esse contraria. Verùm cum primigenius calor sit accidens, quærendum primum subiectum, quo Arist. diuidere, ac finire docet accidentia, quia vnumquodque eo, per quod est, definiendum. Galenus se se hoc onere liberat quando calorem definit substantiam semetipsam mouētem, quam quidem nominatim sanguineam, & seminalem appellat aduersùs Lycum, alibi spiritum. 3. Simpl. sanguineam substantiam, simulque aeream vnà cum spiritu. Excusandus tamen, quòd calidum, non calorem innatum finierit, si modò excusari possit, qui concretum accidens substātiam appellat, cuius primum subiectum vnicum est, & simplex, affectio enim vni primò conuenit, cæteris per illud, vt proprietas singulis inest per suam speciem: Quare non negarim, semen, sanguinem, sanguinea viscera, spiritum, humorem primigenium caloris esse subiecta, sed ex illis vnicum est, & simplex, cui primò conuenit. Cui ergo? Qualecunque illud sit debet esse tenue, mobile, perspicuum, vt calor promptiùs naturæ, & animæ ministret; atqui solus spiritus huiusmodi est, esto igitur spiritus caloris primum subiectum, naturæ, & animæ proximum instrumentum, qui in humore pingui, & oleoso, qui vulgò radicalis dicitur, quia caloris, & vitæ sit radix, insidet, quemadmodum in spiritu calor, quibus calidum innatum) definitur, est enim humor oleosus spiritu, & calore perfusus, quo qui affluentior fuerit, & ditior natura diuturniorem, qui iciunior, pauperiorque breuiorem vixerit vitam.

Calidum innatum quoad significatum materiale est substātia quoad formale est accidens.

Cæterùm qui fit, ut boues, & equi licet uasto corpore, & substantiæ ubertate præstent, maturrimè intereant? An quòd humoris primigenij copia non tantùm desideratur, uerùm etiam pinguitudo, ne concrescat, cōgelascatque (pinguia enim aeris dominatu, qui ad cætera elementa ignis est, non tam facilè all◦sim, mutationemque subeūt) crassities, & lentor, ne ficcescat, atqui boues, & equi huiusmodi exortes sunt. Accedat laboris frequentia, & perseuerantia, quo senectutem accelerari scripsit Philosophus. Hac ratione Laconici canes uitalia lumina linquentes mortem oppetunt absorpto, absumptoque humore caloris, & uitæ fulcro.

De long. & breuit. vitæ

Quæ cum ita sint repetendum è carceribus, (quod & Gal. sæpe inculcauit) corpus nostrum perpetuò perstringi, perichoriarique fluore, ut Heraclitus ille scotinus, eundem hominem bis uideri posse, inficias ierit; Ad hæc calorem naturali; atque adeo continua actione humidum illud primigenium sanguinis, & seminis sobolem populari, ac depasci, ut celerrimè ad tabem, & marcorem incuitabilem nos deducat, ni reparetur iactura (quò Latinus Sapiens spectauit, quando scripsit: Denascitur, qui mecum nascitur, perimitque, qui peperit, & uegetauit.) Reparatur autem iactura alimento in consumptæ substantiæ locum suffecto, quamobrem necessarium fuit alimētum; quia potentiæ eius, quæ substantiam tuetur, usus esse sine fomento, & materia non potest. Non possum itaque, quin in quorundam reprehensionem excurram, qui elanguescente caloris efficacia, & uiuacitate effœta Alricem feriari posse contendunt: Qui enim uiuas citra nutritionem, quæ reuera à uita non abiungitur? Nec est, quòd Quercetanus, multique alij nobis obtrudant, Conflani viuere, & non esse Puellam, Spiræ simillimam, ijs enim nunquam me uolens, libensque adscri-

ptorem

1. de tuen. fimt. Calor proprio subiecto innexus non depascitur non destruit proprium humidum, sed proximum, & alterum.

2. Physic.

3. de Gen. An. c. 111.

Marc. 1. de ortu. Arist. 2. de an. Vitā autē dicimus nutritionē, & accretionem &c. Lib. 1. Diæt.

6. Philos.

ptorem præbebo, (neque enim facilè Heraclidis, aut Empedocliis Apollonij admiserim) sed potiùs huiusmodi inter Pythagoræ fabulas referam, quê in Templum receptum cum prosequerentur Chilonei, & in pœnam poscerent, quadraginta dies ieiunum egisse ferunt, cui, vt re scitum, per amica Lunæ silentia Discipuli alimoniam vitæ necessariã suppeditarunt. Temerè proin Fernelius idem atrophiæ laborantium exemplo contendit. Cum clandestino nutritu membra fruantur.

Temerè, qui Vrsorum, & glirium argumento, nam licèt per hyemem extrinsecus quæsito destituantur alimento, non tamen interno, quòd huiusmodi animantes effœto præditæ calore congerant æstate plurimum cruditatum quas per hyberna frigora collectas calor subigens in sanguinem conuertit, vnde aluntur: Famem diu tolerari posse non diffiteor sumptis melliteis, aut pinguibus, atqui interim non nutriri corpus, & alescere, penitus diffiteor. Verùm cum triplex sit perflata, perditaque substantia, triplex profectò desiderari debet in suppetias alimentum, quod absumptæ materiæ analogia respondeat. Quare Sapienter mediusfidius Cous ille Archiater os, nares, guttur, pulmonem, & respirationem alimenti principium esse sanciuit, quibus per ænigmatodem brachylogiam triplex alimenti genus significauit; Nares enim, & respiratio, per quas aerem ad cordis æstum contemperandum, & spiritus reparandos attrahimus, (transumpto nutrimenti nomine) aereum describunt alimentum cuius in vita humana tanta est necessitas, vt vix momento sine eius beneficio persistere possit animal: globulentarum sphæricarumque atomorum conciliatu, & concursu extare animam putauit Democritus, quapropter, & vitam respiratione definiri dicebat. Nam quum aeris, qui nos ambiit, compressis, corrogatisque alijs corpusculis sphærulas interiores, quarum agitatu animal agitatur, elidat, periculumque sit, ne destitutum eo præsidio aliàs extinguatur, suppetiatum succurrunt aliæ atomi, quæ se in vices facessentium insinuent, quod quidem per haustum, & reciprocationem spiritus fit. Ita incursatione, insultatioque mutua subeuntium, & euolantium atomorum, quod spirando, respirandoque accidit, animam adhiberi, ne diffluat, proinque eatenus viuere animalia quoad dum atomos sphæticas accipere possint, & reddere. Mitto nunc, respirationem ad odorum perceptionem institutam esse, quibus cerebrum natura frigidum calefit, quibusque vnà cum vapore acceptis nos citissimè refoueri, ac refici, scitum est. Quare non temerè scribitur à Laertio, Democritum in extremis laborantem apud Hermippum tres dies solo recentis panis odoratu uixisse, animumque continuisse, dum Cereris solemnia, quibus vt vota solueret, ægra interfuit soror; penitus celebrarentur: qua causa mandat Ficinus, vt & nos recentem panem ctetico vino madentem identidem subolfaciamus. Pulmonis nomine potum indicat cæteris applaudens veteribus, qui ad pulmones potum deerrare arbitrati sunt, quo rotidam substantiam reparari palam est, & in confesso. Denique oris nomine cibum designat quo solidioris substantiæ iactura resarcitur. Sed dicat aliquis, si tantumdem reponatur, quantum amittitur substantiæ, quid vetat, ne in perpetuum producatur vita? Qui hoc responso sibi satisfactum puter, minimè illud effici, cum nullum alimentum planè nutriat, nisi nobis simile fiat (est enim nutritio perfecta assimilatio) tale autem reddatur per varias coctiones, quæ certo quodam calore celebrantur, qui cum sit phys. agens, proin finitæ virtutis, fit, vt agendo patiatur, & hebeat; (falsò enim scribitur ab Aristotele, corpus nostrum per alimentum eam duntaxat subire passionem, quæ est de otio ad actionem) quare deterior redditus contritæ, consumptæque substantiæ æqualem, aut eandem sufficere, & subrogare quum non valeat, tandem conuenientis, nempe aerei, & pinguis humoris penuria perinde, ac in ellichnio lumen, tabidus emarcescit. Qua de re Cæsar Cremoninus Philosophorum Sapientissimus, necnon Ioannes Colle (vt de Democrito Laertius) παντοδαπῶς, abundè. Conciliator Dif. 113. Animal in æternum viuere nequit, ait, ratione primæ, & secundæ materiæ quia vtraque est corruptionis principium. Ratione formæ, quia vt est finita, ita finito tempore formatur; ratione efficientis, quia calor debilitatur, vnde non potest optimum reponere, ratione finis, quia omnium sublunarium mutatio requiritur. Fati causam alij reiciunt in elementarem materiam, quæ differt à Cœlesti, quòd hæc loco tantum mobilis, illa transmutabilis propter dynamin antiphaseos: Ad hoc in contrariarum naturarum in vnum concursionem, coitumque, constamus enim quatuor elementis, quæ contrarijs qualitatibus prædita sunt. In naturalem siccitatem causam deriuat Galenus paulatim absumpto humido primigenio, in triplicis substantiæ perennem dissipationem, & in prouentum excrementorum ineuitabilem. Apud Arist. duæ sunt causæ repugnantiã, & excretio. Repugnantia, inquam, quia quæ constant contrarijs insito principio interire, necesse est: Excretio duplex, effluuium perenne, & prouentus excrementorum, quæ in corpore contrariorum vicem subeunt: Adiecit in Problematis alterum aeris uicissitudinem, & siccitatẽ, ob permixtas exhalationes, quibus quotidie, imò continenter afficimur. Plato refert in animam ipsam, quæ in hoc corpore veluti carcere detẽta tandem cum voluptate euolet ad suam stellam. Videtur etiam in Planetarum motum, quem dissimilem naturæ vocat, reiecisse. Verùm hæc parerga. Proximum nunc est, vt quænam, & qualia ad tuendam incolumitatem alimenta profutura sint, paucis perstringamus, & summa rerum nonnaturalium capita persequamur, optimũ in quoque genere definientes, quod cum sit medium, singulis naturis, quæ in quodam habitudinis modo consistunt, etsi non peræquè, prodesse posse compertum est.

In primis autem ab aere, vtpotè simpliciore, & magis necessario auspicium ducamus, à quo temperamenta nostra mutari, & peruerti, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut siccior, aut humidior, euadit, planum est; nam reliquis

causis

Gal. 8. de Decr. Hip. & Plat. 3 de Temp. c. 1.

2. de An.

Libello de longæ & breuit. vitæ.

In Timæo.

Arist. lib. de sensu.

Libello de prod. vitæ. Eidem pulueres méthæ siccæ respersũ iubet stomacho admoueri.

causis non omnes, inquit Ægineta, simul obnoxij sumus, neque per totum diem accursamur: Aer autem nos ambiens forinsecus omnibus nobis circumfusus est, & per inspirationem trahitur, necesse igitur, vt ad mutationes eius, iuxta ipsius temperamentum coafficiantur etiam animantiũ corpora. Huius igitur summa cum diligentia explorandæ conditiones, ne aeris prauitate perpetua morborum consecutione premamur.

DE AERE
Caput Primum.

AEris quem terræ vehiculum Hipp. & Plinius vocant, tanta est necessitas, nedum commoditas, siue respirationis spectes vsum, siue spirituum, siue primigenij humoris, vt non modò vitæ custos, verùm etiam Anima ipsa videatur. Enimverò si Anima dicta sit quasi ἀνημος, sitque animalis spiritus eius substantia, vel potiùs aer calidus, vt putabat Diogenes, quis audeat negare, aerem esse vitæ auctorem? Plato eius multa genera fecit, alium purissimum, quem vocat æthera, alium turbulentissimum, densaque caligine inquinatum, alias species sine nomine esse censuit ob triangulorum inæqualitatem. De eius temperie certant docti, Stoici frigidum constituunt; Arist. humidum, & calidum, propriaque in regione grauantem. Vallesius re benè expensa temperatum, quòd fortassis peræquè capax sit cuiusuis intemperantiæ, qua causa in Phys. præ cæteris cõmendatur Anaximenes aerem pro materiali principio statuens, ille enim magis materiæ naturam refert. Nos ad pensum medicum reuocabimus, eiusque conditiones, (quia vix vllum inuenitur simplex elementum) sub examen inducentes excutiemus, vt quisquilijs, & inquinamentis minùs infectus eligatur. Aer itaque purus sit, patens, nitidus, placidis agitatus auris, tenuis potiùs, quã crassus, cætera temperatus. Calidior quo ingenij vires promouet magis, eo imbecillius, & mollius corpus reddit, qua causa Hipp. Asianos imbelles vocat, & effœminatos, sed fœlicissimi ingenij. Frigidior quas animo detrahit, liberaliter corpori vires elargitur, proin Scythas, & quotquot sub gelida stabulantur Vrsa, efferis moribus esse, parùmque à temulentis differre, cæterùm robustos, & magnanimos collecto per antiperistasim in viscera calore virium, & animi auctore, testatur Philosophus, robur enim ex crasso, calidoque sanguine emanat, vt sentiendi, intelligendique acrimonia à minùs calido, magisque tenui. Hinc Galenus, Celtis, ait, Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi frigida, humidaq: cutis est, ideòque mollis, & alba, & pilis nuda, omnis verò naturalis his calor in viscera vnà cum sanguine fugit, vbi dum agitatur, & premitur, & feruet, animosi, audaces, & præcipitis consilij fiunt. Ideò quoque ad Thrasibulum scribitur, Athletas robustissimos in actionibus honestis esse ignauissimos, nec à suis ingenio differre; Siccior salubris quidem est, quare siccitates imbribus salubriores esse statuit Hippocr. at si vna caliditas inualescat, asserente Asclepiade, & Auic. mortem accelerat, exemplo sunt Æthiopes trigesimum ætatis annum non excedentes, quare falsum esse oportet Stagiritam diutius in calidioribus, quàm frigidioribus locis vitam produci decernentem. Humidior verò (hunc voco, cui admixti sunt aquei vapores) morbidus, mollitiei, & putredinis auctor, hinc vrbes, quarum

Mœnia lenta Palus, aut mollior vnda reuincit
Quantum lasciuire iuuat, vetitæque liquere
Illecebris Diuæ, tantùm inclementia Caci
Opprimit, & miseris gaudet geminare dolores.

Inquam sententiam & Arabs Archiater iuit, scripserit quamuis pluribus temperaturis conferre, speciosum inducere colorem, & cutem peruiam, & perspicuam reddere, ut est uidere Venetijs. Producendæ uitæ, quæ in calido, & humido consistit, aeris humiditatem aptiorem esse, seruandæ verò sanitatis siccitatem commodiorem decernit Costæus, qui quàm bene iudicarit, uiderint alij; mihi medius probatur. Impurus verò, & uliginosus pestifer esto. Nec aliter sensit Aristot. qui in Problem. quæsiuit, cur pestilentialis sit annus, quando Solis, syderumque calore multus uapor sublatus aerem contaminat. Ventosus autem quieto melior est, si modò laudabili perfletur uẽto: Hinc sit ut Alpicolæ serò canescant, atque senescant. Nec me hercle Philosopho assentiri pat est, qui uentos prorsus uniuersos perficcare oblata euaporationis, exinanitionisque occasione testatur, Aquilone enim corpora densantur, Hipp. sententia, & coloratiora fiunt, quamquam id ultrò concedimus Austris, qui corpora recluſis per humentem calorem meatibus, per quos deinde calor insitus una cum humore extpirat, maximo dissoluunt opere. Qua ratione ab eodem Philosopho austrina constitutione homines imbecillos, & enerues fieri, & peiùs habere traditum fuit. Ventosa qui colunt loca, senis ipsius animaduersione, inconstantes, & cerebrosi propter alternam aeris uicissitudinem rerum uarietate captantur. Hinc Europæi, & præsertim Galli noua usque uictus, & amictus forma, nouo architectandi genere delectantur; quod confirmat Mesuæus tranquillum aerem ingenij fomentum, & delinitionem, uirtutis incitamentum, corporis, animique quietem esse decernens. Plato superba, & ambitiosa mente tumescere, & insolescere scripsit. Verùm si reclamet quispiam cum Porphyrio haud esse posse corpoream, & externam ingenii causam, sciat, mores hominum ut plurimum corporis temperamentum sequi, quod mirum in modum effingit, & exprimit aer nos ambiens, adhæc ab inspirato aere materiam suggeri animalium spirituum, per quos ueluti media rerum similitudines animæ obijciuntur, quare ut per aetem nebulis, multaque uligine fœdum prauè rerum idola sensibus hauriuntur, ita in internis idem usu uenire censendum est, propterea syncerum aerem cerebro intelligentiæ, & prudentiæ internunciũ uocauit Hipp. in quam sententiam & Arist. concesſit: Origines tamen in cæleſtes quoſdam influxus cauſam reiicere mauult, quos quàm benignos

sortiti

In Timæo.

2. de ortu, & in Postremis li. de Cœlo. Li. cõtrouer.

Gal. 1. de sim pl. med. fac. Aeris condi tiones.

Lib. de Aer. Loc. Aq.

Sect. 4. Probl. 14.

In Probl. Arist. bibaces vocat fortes quòd vino in calescentes nemosiores fiant. 3. Aphor.

Lib. de long. & breu. vitæ.

Com. in li. 3. Aicu. P. 3.

20. Sect. Probl. 42.

3. Aph. 17.

Hipp. 3. aph. 5. & 17. 1. Sect. Probl. & 26. lib. de Aer. loc. Aq.

Gal. Quod an mores, &c. Arist. 1. de an. & 2. de part. An. Actuarius in telligendi discrimina ingenijq; sagacitatem, tũ memorandi vim ex spiritu petit animali.

Lib. de morbo sacro. sec. 24. Probl. Comm. in 2. de ortu.

Porph. 22. Sect. Probl. 4.

Laertius.

Celsus lib. 1.

Hipp. 3. Aph.

sortiti sint Cenetenses, eorum arguunt mores. Sed hactenus ista. Marsilius venustissimus Philosophus inter ea, quæ vitam protrahunt, aeris constantem modum, & similitudinem recenset, quæ in natali solo (Patria enim, *teste Porphyrio*, ortus nostri principium est, eadem verò sunt generationis, quæ custodiæ principia) in longius ætatem transigi, quàm alibi animaduertit. Propterea docuit Philosophus ea, quæ alterna aeris vicissitudine secluduntur, reconduntur, ve non moueãtur, alia, sique afficiantur, cautiùs, & diutiùs conseruari: ea autem est ratio, quia contentum disponitur, alteraſciteque ad ambientis, continentisque modum, & paritatem, quare à propria cadēs natura putredinem incurrit, à simili verò nequaquam permouetur, quin obseruatur, cum sit veluti forma, & perfectio locatæ rei. Hinc æternorum luminum, quibus non indelectabatur antiquitas, hinc quomodo Epimenides Cretensis Philosophus (si credere dignum est) quinquaginta septem annos in specu citra vitæ discrimen dormierit, fortassis petenda ratio. Cæterùm priùs quàm ad solidiorem cibum pergam, monitum volo Lectorem, vt in crasso aere perpetuò tenui vtatur esca, eiusque iniurias tarda ex ædibus egressione declinet, vti solis efficacia melior, & salubrior redditus impunè, & innoxiè inspiretur, quod idem in frigidiori audiendum est.

Quòd si aeris permutatio faciēda sit, siquidem de salubri in grauem, ineunte hyeme, è graui verò in salubrem æstate fiat. Ea verò est ratio, quòd frigidior aer salubri sit similior. Hæc autem cum in vniuersum, & generatim dicta sint, singulis in aeris electione summa adhibenda diligentia, quam cum aliæ naturæ ad æstatem, aliæ ad hyemem melius, peiùsue se habeant, reliquum est, vt quidam in calidiori, quidam in frigidiori pro idiosyncrasia salubriùs, aut insalubriùs degant. Sentit enim, ait Porretanus, corpus temporum discrimina, Veris, Aestatis, Hyemis, Autumni, sentit hæc & animus, vnde fit, vt alij per hyemem, alij per æstatem nonnulli melius autumno, aut verè lucubrentur pro sui quique corporis temperie. Nã anima corpori coniuncta naturam, & concreaturam eius effingit, quibus enim corporatura contigit arida, vel gelida, hi per autumnum mentem habent plus solito commotam, quibus verò sanguis redundat, hi verno plus tentantur, hoc ipsum in cæteris aspicias, prout cum temporum cardinibus animantium naturæ vel congruunt, vel discrepant.

DE CIBO.

Caput Secundum.

Alimentum est mixtum, quod secundùm totam substantiam vincitur à corpore nostro, vt in corporis nostri substantiam transeat. Capuac. lib. de ven. c. 1. 2. de ortu. Nyph. com. in 2. de An. An.

QVæcunque in corpus nostrum ingeruntur, aut nos afficiunt, aut certè patiuntur; & permutantur; illa pharmaca sunt, (quo nomine deleteria quæque audiuntur) hæc alimenta, quæ tametsi sese dedunt, & tandem in membri naturam faceſſunt, agunt tamen priùs, quàm peregrinas deponant qualitates, actuque nutriant, & nostri caloris actioni, per quam varias subeunt affectiones, reluctãtur. Ac licèt ei, quod alitur, quemadmodum forma est formæ contraria, alimentum contrarium haud sit; quum & nutrimentum, & id quod alitur substantiæ sint, sed quia alimento annexa est eius, quod alitur, priuatio, potentia enim est ipsum alitum; Verùmtamen quis ire inficias ausit, quin primùm alimento contrariæ subsint dispositiones, per quas verè nostrum afficitur corpus? Quamobrem quum inter symbola facilior sit transmigratio, ne iacturam patiatur calor, eum deligere nutritum, qui cum temperamenti, tum materiei conditione minimum dissideat, operæpretium est: Eius autem naturæ fuerit, si corporis quasque particulas permeet, planè patiatur, fluat, & alieno fit comprehensibilis termino. Quæ conditiones ex Nypho tetrasticho circumscribuntur.

Actiuum, plenumque poris sit corpus alumnũ,
Præterea siccum, hos debet habere modos.
At triplici pariter donetur dote, probandus
Vt penetrans, patiens, sit fluiduſq; cibus.

Prout enim facilè corporis meatus peruadit, substantiæ tenuitate donatur, at huiusmodi Auic. testimonio maximè sanitatem tuentur: Quatenus verò patheticus est, similitudinem arguit, cũ à contrarietate emanet resistentia, qua causa Auerrhois scripsit, cibum ex vna parte similem, ex alia dissimilem esse, illo pati, hoc autem agere. Densque fluiditatis causa in membri naturam abire, & alieno circumscribi fine minimo potest negotio. Hinc Hipp. lib. de Alim. Humidum alimentum magis facilè transmutatur, ait; nil enim aliud est nutritio, quam partis euacuatæ & dilapsæ instauratio ex alimenti conuersione, at vltrò conuertitur fluidum, quod propterea tantopere commendat Galenus, (quidquid scripserit Ficinus) calido enim viuimus, humido nutrimur, vt testatur Philosophus, qui propterea natura duce humida alimenta à nobis appeti notauit. Proin Hipp. li. 1. de Diæta nu. 4. Ignis ait omnia per omnia mouere potest, aqua omnia per omnia nutrire. Hinc Sapienter ab Auicena scriptum esse colligitur, sanitati non modò euchymis cibis, & eupeptis consulendum esse, verùm etiam eorundem diligenti attritione, & remollitione, sic enim deuoratus, & ingestus per os cibus, indèque in suos locos, idest ventriculum, & intestina collatus facillimam subit concoctionem, indèque euaporatur, & sursum respirat per venas meseraicas, per quas iam natura sanguinis tinctus manat ad iecur, vbi vincitur, & conficitur pleniſſimè. Quo sanè naturæ ministerio satis, superque elaret, dulcibus Animalia potissimùm nutriri, enimverò perinde in paruo mundo res habet, atque in magno, atqui solis calor dulce tantùm, & tenue humidum futuræ pluuiæ materiam sursum indita leuitate exhalat, & sublimat amaro, terrinoq; subsidente; cibi enim quatenus sunt gustabiles nutriunt, maximè verò est gustabile dulce, quod cum mediocri caliditate, & humiditate præditum sit, nostræ naturæ æquale propè esse videtur. Quare prudenter ex Auicenna notauit Ficinus corpus quidem dulcedine, spiritum verò aromatica qua-

Lib. 1. F. 3. c. 7. 3. coll. c. 21

Li. de prod vita. Lib. de vita & morte. 10. Sect. Probl. 17. 2. de An. facili digestione, lib. autē de sensu odoris suauitate cibi bonitatem cōiecit.

Arist. lib. de sensu, & sensili.

Lib. de vita prod.

tica quadam odoris suauitate nutriri. Hinc Auic. lib. de urt. cord. aromatica, inquit, magis congrua sunt nutrimento spirituum, dulcia verò corporis nutrimento. Quod adepol & Apponensis palam profetsus est, quando scripsit, nos ideò maximè dulcibus ali, quia nutricatus potestate talis esse debet, quale id, quod alitur, atqui animalium corpora maximè nostra, dulcia sunt, quum calidum benè digesserit, & vicerit humidum, dulcis quod est causa saporis: Hinc etiam Medicum prodijt axioma, omne alimentum esse calidum, & humidum.

Comm. in 22. Probl. 3. Hipp. lib. de Flat. Est autē mala diæta hæc, primum quidē cibum plures cibos liquidos, aut siccos ingerit in corpus, quàm corpus ferre queat, neque laborem ciborū multitudini inseruerit: deinde cum variis & dissimiles inter se cibos assumat, &c.

Auic. li. c. F. D. 2. C. 15.

Aduertant tamen Ganeones, illud nos velle, dulciusculam Chyli portiunculam alendo corpori idoneam, habilemque esse, cum reliqui sapores ex amaro, & dulci conflentur, componanturque, vt scribitur in lib. de sensu, neque tamen à sanguine reliquos humores ablegamus, cui potestate inesse volumus. Eò autem hæc spectant, vt intelligant, actu dulcia nequaquam à nobis commendari, vtpotè quæ obstructiones pariunt, sanguinemque inficiunt, & contemerant. Hepar enim dulcedine illectum tractionis celeritate concoctionem anteuertit, & anticipat, vitium autē primæ coctionis secunda non emendat, vt est in ore Medicorum, quare reliquum est, vt damnis augeantur miseri. Verùm etsi Rhasij opinione sæpenumero contingat, vt laudabiles cibi alicui nō sint innoxij, vituperabiles autem conferant, & proficiant, detestabilis est nihilominus horum vsurpatio, quoniam, vt monet Galenus, pertinacis cuiusuis eduli natura, quantumuis à quopiam facilitèr conficiatur, succus tamen in corpus digestus prauam naturam mordicus est retenturus. Quò facit synctasis, & confusio, nam seditionem in corpore mouet Hipp. auctoritate, propterea Arabum Princeps nil est, inquit, deterius, quàm diuersa esculenta simul admittere, & subinde inter comessādum tempus protrahere, diuersa enim cibaria, vt ait Seneca, coinquinant, non alunt, quare corruptelæ necessaria consecutione illata plurima emergunt incommoda. Hipp. lib. 1. de Ratione victus in morbis acutis, ait, simplex victus cibi, ac potus, ipse sibi ipsi semper similis securior omnino est ad sanitatem, quàm si quis derepēte ad alium meliorem magnam mutationem facit. Perperam proin Celsus varium victus, vitæque genus consulit, nullaque fugienda esse alimenta decernit, quorum cum alia sint crassæ, alia tenuis, alia mediæ materiæ, alia denique prauī, aut laudabilis succi, vnaquæque autem congenerem producant sanguinem, præterea affatim, aut parcè, summopere mihi videtur esse necessarius delectus. Robustissima edulia maximè, & conspicuò homines affligunt, vt testatur Hipp. ea autem sunt inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeò rebus vigor ipse, & summum. Quāquam verò vniuersa alimenta, vbi sanguinis formam susceperunt, corpus calefaciunt, & substantiam calidi innati fouent, & augent, vt lactuca etiamnum, & cucurbita in sanguinem conuersa calefaciant, nonnihil tamen priotis redolent naturæ, quare alia calorem, alia frigus, alia siccitatem, alia madorem ascribunt, vt propterea iusserit Auic. melancholicos admodum humectante epulo, & modicè calefaciente esse refocillandos, humectante, & refrigerante bilioſos, sanguineos frigidis, & exigui nutricatus esculentis, pituitosos verò calidis, & tenuibus; Hinc acidæ cupediæ senectutem maturare dicuntur, siccæ vires deijcere, & fœdare colorem: Sed hactenus.

4. ad Almansorem.

Li. 2. de Alim. facul. c. de cucum.

Lib de Flat. lib. 1. F. 3.

Mere. lib. 1. de recto Præsid. vsu.

Lib. 1. Plin. lib. 11. c. 53. ait. Hominī cibus vtilissimus simplex. Asseruatio saporum pestifera. & condimēta pernocifera.

Lib. de vet. med.

Quantitas, etsi actionis expers est, epularumque moles, si impendiò excedat, coquentis caloris inæquale obiectum euadit, vt eius vim eludat, & sæpenumero eluctetur (medium enim proportione agentis ad patiens definitur,) dimensionem autem nullam, ait Hipp. aliam reperies, neque pondus, neque mensuram, cuius intuitu exacta diætæ instituendæ scientia haberi queat, quàm corporis sensum. Quocirca rectè Auic. cibi mensura, inquit, secundum vsum, & virtutem existit, vt scilicet neque grauamen afferat, neque hypochondria tendat, neque inflet, præterea borborygmos, nauseam, caninam appetitionem, anorexiam, ingenij hebetudinem, peruigilium non pariat: Ea præterea cautio adhibenda, vt laborantes, & exercitī liberaliùs nutriantur, desides, & sedentarij frugalius, hinc Hipp. si ciborū multitudini inquit, laborem non intexeris, mala diæta. huiusmodi est, succrescunt nempe recrementa, & sensus laccessuntur, quibus repletione nil infensius. Ad hæc Pueri plus expetunt alimoniæ, quàm Iuuenes, aut ætate consistentes, hi adhuc, quàm senes, amplius, illi enim plurimum possident innati calidi, quod multum exigit fomitis, isti paucissimum, propterea paucis egent fomitibus. In vniuersum verò facilius fertur cibi copia hyeme, & vere, quàm reliquis anni quadris, quod ventres maiorem nanciscantur calorem, & somni sint longiores. Verùm quid quæris? is vniuscuiusque cibi modus esto; quo nondum satietas ceperit, sic enim exuperans, imperanseque natiuus calor, cibos facilè confecerit. Præterlat autem cuiusque alimenti vires etiam obseruasse, vt si ex ijs fueris, quæ valentiùs alunt, multò ante expletam appetentiam absistamus: Sin eorum, quæ parum, ac leuiter nutriunt, liceat plura intrò assumere. Si quidem hæc diutius concoqui postulant, illa facilè aluum subeunt. Sunt, qui intra nouem diei horas binas sterni mensas, iubeant, vtrobique parcas, & frugi, ueſperi tamen magis. Sunt, qui in tria cibum omnem distribuunt, meridie portionibus duabus fruuntur, reliqua sub noctem, nam sic fieri volunt, vt assiduam cerebrum sentiat humectationem, & facilior concilietur somnus, & longiùs spiritus perduret irrigatu iugi fotus, neque facilè ita ignescere contingat ob ieiunium, neque refrigerari. Celsus hyeme prandium demit, æstate exiguum concedit, vt hinc pateat, quàm oscitanter Celsum legerit Platina, qui ex Celso prandium quoque cœna liber alius præscribit.

Mixtum copiosum non vincitur, ait Capuac. li. de ven. c. 1.

Lib. de vet. Med. L. b. 1. F. 3.

Lib. 1. de Diæta. Auic.

Ficinus de vita Prod. Actuarius lib. de sp. Animali.

Mihi cum Hipp. sentiendum esse videtur, vt nimirum in inita persistamus consuetudine. Nam si prauī fuerint, quibus prandere non conferat, hi statim graues, & corpore, menteque segnes fiunt, oscitatione, & nictatione, & siti pleni. Quod si & cœnam adiecerint, & flatus, & tormina superueniunt,

De vet. Medic. lib. de Ratione victus in morbis acutis.

niunt, aluusque in fluxum effunditur; adeòq; plurimis origo validi morbi hoc fuit, si cibos, quos semel sumere consueuerant, bis ingessissent, & si nihil, his amplius. E contra, si hi, quibus prandiū conducebat, impransi fuerint; quamprimum elapsum id tempus fuerit, inuadit illos maxima imbecillitas, tremor, animi defectus, præterea oculi solito pallidiores, vrina crassa, & calida amarefcit os, ac suspensa videntur ijs viscera, vertigo, iracundia, tristitia. Quæ similiter cuncta his euenitū, qui præter morem, ac institutum suum cœnantes, postero die rursus prandium inierint, antequam ea, quæ in cœna priore assumpserant, edomita fuerint.

De veteri medicina li. de Ratione vict' in morbis acutis. Hip. ait, Nā & his, qui bis in die cibum sumūt, & his, qui semel repentinæ mutationes noxas, ac ægritudines inducūt, & eos sanè, qui prandere non sunt assueti, si prāsi fuerint, statim infirmos facit hoc, & toto corpore graciles, & debiles, & pigros, si verò insuper cœnauerint, acidum ructantes, quibusdam etiā alui liquida egestio subsequitur, &c.

Tanti est consuetudo, vt naturæ vires æmulans nos aduersùs quasuis muniat iniurias, & labores. Tutiùs tamen, & elegantiùs est frugalitati assuescere, & parcitati, quoniam vt ex Rhabi Mose notauit glorioſus Auenzoar, pluribus augemur damnis ex boni cibi immodica ingurgitatione, quā ex deterioris parciore ingestione. Ea verò est ratio, quia cum præ copia digeri, euincique non possit, supereſt, vt corrumpatur, at cum mutatio omnis è contrario in contrarium fiat, par est, vt, quò perfectior fuerit alimonia, eò fiat deterior, cum à sua deficit integritate, & natura. Propterea notauit Philosophus, Polypum raponem, & voracissimum Piscem eruditatum, & excrementorum copia celerrimè extingui, excrementa enim in nostro corpore contrariorum instar sunt, ac continenter incessunt. Longa die obseruatum est, voraces nationes, ocyssimè senescere, ac ægrotare, vt non sit mirum, si fiant capulares, vt ait Seneca.

Riol. Celsus

Quid autem, si quispiam in conuiuium adhibitus plus, quàm ferendo sit, ingesserit? huic sanè incommoditati sic iri posse obuiam, existimat Rhasius, si nimirum somnum, & motum cumulationem ineamus, & cibi copiam circuncidamus, cui adscripsit ex more Auic. Verùm Celsus motu circumciso, quia coctionem, (notante Hieremia Triueto) remoratur, adiectaque frigidæ aquæ potione, quæ veluti alimentum includat, monet, ne nos temerè frigori, aut æstui committamus. quod sanè consilium pluris est. Neque abs re fuerit, laudabilis cibi modicum offerre (si modò post exactum solitæ coctionis tempus cruditates percipiantur,) vt ex noui cibi aduentu reuocato ad pensum, calore iterata coctione cōficiatur, quod primum inuictum restitit.

Comm. in lib. 1. Celsi.

Mercatus.

Quæ cum ita sint, Aphrodisæo libenter applaudamus dicenti, si pietate animum armemus, corpus ciborum modestia exornemus, vita autem nō possidente, sed his contenta, quæ sunt victui necessaria nosmetipsos stabiliamus, tū omnes vitæ molestias, quoad fieri possit, euitabimus, neque nos agenti malo idoneos præbebimus, si quis videlicet est, aut Dæmon, aut stella, aut quæpiam extrinsecùs causa.

In Problem.

Cōtinentiæ nimirum is fructus est, ne excremēta in corpore redūdent, ne cruditates, obstructiones, viscetumque infarctus à copia, suboriantur, vt meatus liberiores sint, vt natiuus calor liberè singula corporis membra permeans, vegetet, foueat, reficiat, indèque vitale, & salubre reddatur corpus.

Fœlix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili, quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande,
Nec bacchica munera norat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno:
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis
Vmbras altissima Pinus, &c.

Boetius li. 2.

Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Non auro, murrhaq; bibunt, sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis, fluuiusq; Cereſq;,
Mortales primi ructabant gutture glādem.

Lucanus.

Nūc supereſſe videtur, vt quomodo vsurpādus sit cibus, palā fiat. Quidem Platonis sententiæ adscribentes huius habent ordinem, quòd edulia in ventriculo cæca quadam confusione misceantur, melioris tamen notæ Authores obseruari iubent: Hinc Galenus præposterè assumunt cibos, qui nō præmittunt humida siccis, lubricantia adstringētibus, addit Auic. acidis, dulcia, cuius rationem attulit, quia hoc illo digeritur prius, & supernatat & negata, quà deorsum penetret, via, putrescit, & putrefacit quidquid attiguum est: Non est interim prætereunda cibi suauitas, quam tanti fecit Hipp. vt cibum deteriorem, cæterùm suauiorem, meliori quidem, sed insuauiori antetulerit, eam autem attulit rationem Auic. quod stomachus, & retentrix vehementiùs applicantur. Quod si quis appetat dulcia, quibus lædatur, nam

Mercurialis.

Dulcia se in bilem vertunt.

Horatius.

Acida paulò post deuoret, his si lacessatur, mel ingerat, aut vinum vetustius, verùm si à pinguibus noxam percipiat, subinde actia, salsa, pontica sumat; Sic Rhases, qui æstate actu frigidis scitamētis, vt fruamur, hyeme calidis, perpetuo tamē horis frigidioribus, aut certè frigidiore cœnaculo, præcipit. Ea verò est ratio, quam Ioannes Colle prudenter attigit, quòd nimirum feruidior aer, & æstuosus calorem nostrum è coctionis officinis ad corporis habitum euocat, frigidus intrò pellit ad pensum: Æstate præterea mollibus epulis, obsonijs elixis, oleribus, poculis dilutissimis, & plurimis vtendum est.

4. ad Almās.

Comm. super Auen. 2. diluc. 25.

Laborantibus, & cholericis, dummodo prima mensa admissis subingeratur quippiam, quo detrudantur, fructus concedit Auic. quemadmodū, & Philosophus hoc vno discrimine, quòd ille vltima mensa sumi iubeat, oris suauitatem commendans, Auic. sanitati magis prospicit, quorum vsus parciot sit, nam quæcunque aquoso, & seroso sanguine nostrum corpus offerciunt, putrefactioni, putridisque præparant febribus. Celsus annuum victum sic distribuit. Hyeme esse oportet magis, minùs, sed meracius bibere, calidis omnibus vtendum, vel calorem mouentibus. Vere paulum cibo demendum, adijciendumque potionibus, sed dilutius tamen bibendum est: Aestate & potu, & cibo corpus sæpius eget, potio dilutissima cou-

Sect. 22. Probl. 2.

Et in temporibus victus, & cibi & potus qualitatem suā requirunt. Nā hyems ab operibus ocīū habet: & quæ in corpus ingeruntur natura, & simplicia postulat. magnum enim, & hoc est. Aurum, sus autē la-

botibus dedi tus Sub inso lationib⁹ po tus frequen res sunt cibi inconstates, vina, arborũ fructus. Hipp. libello de humoribus.

fert, vt verò sæpius cibo vtendum, ita exiguo: Per Autumnum pleniori cibo vti licet, minus, sed meracius bibere; Quæ vniuersa Hipp. & Galeni decretis sunt consentanea.

DE POTV.

Caput Tertium.

ELementa vt leuia, aut grauia, & certum occupant situm vniuersi sunt partes, at mixtum constituunt calida, frigida, humida, sicca, prout verò nostrum afficiunt corpus in vsum medicum cedunt, qua ratione nostram nunc subit aqua, contemplationem, quæ sola inter reliqua elementa ea dote donatur, vt id omne, quod intrò assumitur, ingrediatur, non hercules vt nutriat, sed vt sit alimoniæ veluti vehiculum. Quamobrem sciẽdum, naturam perennis effluuii necessariam consecutionem præsentientem, ne ante fata animal extingueretur, stomacho communis indigentiæ sensum indidisse, quo veluti stimulo diuulsus nouum ad reparandam substantiæ iacturam appetere cogatur cibum, at verò quoniam ijsdem, ex quibus conflati sumus, nutritio absoluitur, haud fieri potest, vt vno, simplicique elemento compositæ substantiæ effluxio, & euacuatio instauretur, tunc enim animal, vt ait Auenrhois, vnico elemento constare posset. Ea igitur de causa necessaria est aqua, vt alimenta diuersi generis eius beneficio liquefacta, fusa, mixta, elixaque (sic enim comparant χύλωσιν) quoquouersum deferat, & diadosim adiuuet, præterea viuaci frigiditate, & humiditate animalem sitim sedet, quæ frigidi, humidique est appetitio. Aquarum autem cũ multæ sint differentiæ tum penes substantiam, & qualitates, tum penes etiam ea, quæ commiscentur, definienda in primis est optima, quæ sit veluti regula cæterarum, rectum enim est index sui, & obliqui. Aqua ergo aeri sit quàm simillima, hoc est nullum gustui saporẽ, oculis colorem, olfactui odorem præseferat, citò caleſiat, & refrigeretur, leuis, tenuisque sit, vt facilè ab hypochondrijs secedat, ex aptica, & laudabili scaturigine erumpat, & effluat, talis enim aqua esse consueuit, qualis fuerit tellus, quam permeat: Arculanus aquæ præstantiam his perstrinxit modis.

Sit fontana, cadens, altaque ab origine distans,
Pertennis, detecta, leuis, suauisque palato,
Plurima, clara, fluens, vini tolerare saporem
Nescia, odore carens, subito hypochondria lapsu
Destituens, rebusque malis deserta, pusillo
Tẽpore descẽdat, residẽs, coquat obuia quæ mox.
Octodecimque modis primũ cognoscitur Vnda.

Perfectissima igitur aqua sit fontana his conditionibus ornata, quas retulimus, quibus addas cursũ versùs Orientem, aut Septemtrionem super benè pura, & lapidosa loca, non lutosa, vt ait Auic. quia hinc veluti percolata ascititiam omnem deponit qualitatem. Aquæ cœlesti æstiuo tẽpore laudabili arena substrata in Cisterna collectæ primùm detulit bonitatis locũ Hipp. à quo desciuere minores Galenus, & Auic. quòd facilè putredinem incurrat ob substantiæ gracilitatem, cuius causa affectionibus sit opportuna. Vltrò fatentur tamen, si suam seruet integritatem, optimam esse. Fluuialis luculenter à Sole lustrata, dummodo populosam non præterfluat vrbem, (hinc enim sordescere, & deprauari solet) non infimæ est bonitatis, quam præ cæteris commendat Rhasius. Vltimo loco sunt aquæ puteanæ, quæ tamen identidem per haustrum haustæ pristinæ cruditatis non parum deponunt) palustres, Latices,

Quæque gelu, liquidaue niue effermantur in amnes

Vetustiores tanto ardebant bonitatis aquarũ desiderio, vt mortuorum animalium viscera rimati, consulereque haud indignè ferent, rati aquarum naturam inde conijci posse, quum Philosophi animaduersione plùs aquarum, quàm aeris, aut ciborum prauitate offendantur. Cæterùm cum inter mendosas modicè frigida reliquis sit commendatior, stomacho robur cõciliet, famem excitet, qua causa, interprete Galeno, Hipp. aquam vocauit edacem, neruis tamen officit, & pueris naturale incrementum intercipit, præterea bronchocelen parit, quod euentu probant Sabaudi: Calida verò coctionem deprauat, cibum enatantem suſque deque agit, nec sitim extinguit, cum interim vires exsoluat, hydropem, hecticamque accersat. Calidior interdum ventrem terget, interdum soluit, frequentior tamen eneruat.

Calidissima verò colicum dolorem (si flatus soboles sit) miraculo sopit, splenis inflationem deprimit, deletque, menstrua, vrinasque ciet, & reliquos sedat dolores. Atqui salsa extenuat, & calefacit, extergendique vi ventrem primò soluit, dein ob natiuam siccitatem firmat, sanguinem fœdat, & deprauat, pruritum producit, scabiemque promit. Aluminosa hæmorrhoidum, menstruorũque effluuium, sanguinisque sputum cohibet, sed obnoxia febribus corpora implicat, & irretit. Ferrea splenem minuit, coitusque auget acrimoniam.

Verùm crassæ, & turbidæ potu lienes intumescunt, homineſque, vt inquit Leno in Cureulione, liene veluti zona cincti inambulant, præterea cachectico vitiantur habitu, mulieres difficulter cõcipiunt, Pueri incurrunt ramicem, quartanæ, renum calculi, obstructionesque gliscunt, ijs denique, qui calidiore sunt ventriculo, bilescit.

Quid, si laudabili vtendi non fiat copia? Coquatur, ait Auic. stilletur (addit Diocles ouorum albumina) sic enim extenuabitur, prauasque deponet qualitates, & si quid suberit etherogenes, subsidebit. Torpidi enim est Medici existimare, aquam coctione crassescere, quam opinionẽ quidam melioris notæ Medicus inuit.

Porrò bonæ quoque mediocris sit vsus, quę neque à vehementi exercitio, neq; à coitu, maximè inani ventriculo sorbeatur. Quod si quis mendosa vrgeatur siti, os inde colluat, frigidum inspiret aerem, demum, nisi somno, & quiete euanescat, ex angusti oris vasculo pitisset. Apud Romanos tanti erant hydropotæ, vt soli bono loco haberentur, Virginibus verò, totique fœmineo sexui, cui perpetuo opus est custode, vt quidam scripsit veterum, ad castitatem tuendam vino interdictum erat. Vtinam hac ætate simile ferat rogationẽ Magistratus, potentioresq; vti vetet sacris litteris adscribens,

2. Collect. Ludou. Nonnus aquam, quæ bibatur, nutrire ratus est, quia non est simplex. Arist. 4. Met. scripsit aquã non nutrire hoc arguẽto, quòd non crassescit coctione. Quamquam aquæ potatores eam dulcem esse perhibent. est tamẽ ἄπορος.

Aquæ bonæ conditiones. Ex terra pinui bonam ẽ manare credidit Galen. lib. de bo. aq.

Vecherus. Vide Rodrigium paradoxo 5 super contradic. Auic. qui Auic. tuetur. 6. de morb. vulg. 4. de tuẽ. sa.

li. 1. F. 2. D. 2. Optimã absolutè, & primã existimauit Riol. aq. pluuiam.

4. ad Almansorem.

Sect. 1. 13, 24 Probl. Aurenzoan. l. 3. c. 3. s.

Calidum effeminat iuxta Hipp.

Mercatus lib. de recto Præsid. vsu.

Hipp. in ep.

scribens, nam sæpenumero Popinones prudentiam expectorant omnem, atque in deploratas incurrunt calamitates, exemplo sint Olofernes, immanissimus Ezelinus, & Dionysius à Nicolao Peripatetico obsessus. Iure igitur Thebanus ille Pindarus aquam optimam appellauit, quam Thales rerum omnium originem credidit secutus Homerum, & Hesiodum, qui nil videntur aliud innuere dum Oceanum, & Thetim fingunt primos omnium parentes, quam opinionem, vt quidam subdidit, non inanis antiquorum Poetarum auxit, fictio, fabulantur enim, Deos per aquam, tanquam per Numen antiquissimum iurasse, quasi (cum iuretur per prius, & nobilius.) Dij ipsi nil aqua antiquius, nil nouissent perfectius. Accedat, Aegyptios eius Numen coluisse, & Magorum decreto expuere in mare

Riolan. lib. de Phys. prin.

Grande fuisse nefas, et saua morte piandum:

Tum ὕλην apud Syros, & Chaldæos aquam significare, atque, quod est maius, aquam perhiberi materiam Cœli, hoc enim sonat Scamain.

Sed abundè aquę proximum est, vt Libero quoque libemus: Vinum apud Platonem οἶνος dicitur, quod efficiat, vt plerique bibentes alienati mente, habere se putent mentem, alij sic dictum volunt ab emolumento, alij quòd existimatione, & opinionum vanitate mentem oppleat. Definitur succus ex uuis maturis expressus nutricatui, eiusque diadosi inseruiens, cuius si species temperamentum habita potestatis ratione ad humanum corpus, calidum, siccumque est (quamquam Valesius per se humectare putat, ex euentu siccare lib. 9. cap. 6.) Hinc Galenus Aquæ viribus contrarium esse profitetur, vt posthac mussitare non ausint, qui secus sentiunt: Vinum, ait Manardus lib. 14. epist. 3. bifariam spectari potest, vel vt alimenti rationem, vel medicamenti naturam subire potest, illo modo humectat, & calfacit, hoc arefacit, & calefacit, propterea & Gaionum, & Fumanellum æquali laude dignatur, quamquam pro Fumanello tulit sententiam Fracastorius.

In Cratylo. vinũ est substãtia liquida ex uuis expressa. ex cuius susceptione corp⁹ nutritur, & reliquum nutrimẽtum per partes corporis portatur. Conciliator. 6. Methodi. Hipp. 2. de Diæta. Vinum calidum est, & siccum.

Huius plures sunt differentiæ, nos præcipuas obiter attingemus, atque in primis omnis bonitatis dotes obtinens circumscribemus, vt instituti nostri ratio postulat. Esto igitur mediocris substantiæ, ætatis, facultatis, rubri, aut citrini coloris, grati odoris, medij inter acrem, & dulcem saporis, aut acidodulcis. Crassiora enim vina, quantumuis multum nutriant, obstructiones pariunt, & in stomacho acescunt: Tenuia licèt calidiusculis naturis fortasse conferant, minimum tamen nutriunt. Vetustiora phlegmaticis quidẽ cõferunt, sed Auic. sententia pauci sunt nuttimẽti, & impendiò siccantis medicamenti potiùs vices gerunt. Recentiora hepar obstruũt, infarctuq; distringunt, ad hepaticam, deducunt dysenteriã, ventrẽque pertinaci flatuũ copia in tumorem attollunt. Quo loco non possum, quin filij Rhois detegam hallucinationem, & falsitatem, qui vinum nouum veteri absolutè calidius esse decernit, at relatum ad humanum corpus nequaquam, quomodo & litem inter Medicos, & Arist. de oui vitello, & albumine dirimit, illi enim vitello frigidius statuunt albumen, à cõtrario Philosophus; enimverò quod per se, & absolutè tale est, semper, & ad quodu is est huusmodi. Oenodes vinum, quod & polyphonum Græcis dicitur, nimis quam arefacit, & vires Hipp. opinione effœtas reddit. Hydatodes, seu aquosum, quod alioquin bilioso ribus naturis vtile est, Galeni sententia corporis exsoluit robur, & in venis facilè putrescit: Nigrum & si multum nutriat, multumque producat sanguinis, in hypochondrijs tamen subsistit, liberumque impedit commeatum, vt minimè tutò vtantur ij, qui obstructionum vitijs opportuni sunt; quare perperã faciunt Medici illi, qui febricitantibus concedunt vinum nigrum. Albiora verò exiguum præbent corpori alimentum. Odora vberrimos gignunt spiritus, cerebrum roborant, ac calefaciunt, animumque vt hementer recreant, odor enim animæ cibus perhibetur. Dulcia, quamuis illis, quibus obesitas, & corporis moles curæ est, conferant, & proficiant, infarctus inglomerant, iecinorique insensa lapillos in renibus ingenerant, sitim, flatusq; soluti difficillimos excitant pectoris tamen affectibus conducunt Hipp. sententia. Acriora demũ immodicè corpus absumunt, quæ propterea Cornelius contulit Calci, quæ arborum radicibus apposita fructuum maturitatem promouet quidẽ, atqui celerrimam inducit tabem, id quod porrò generosius vinum radicatam humiditatem absorbendo, & siccando parere consuenit. Ac quale nos primùm descripsimus theriacæ est quàm simillimum, nam temperiem, & habitudinem corporis frigidã excalefacit, calentem frigefacit, madentem siccat, humectat arentem, naturalem præterea humorem mirificè recreat, & refouet calorem. Accinamus igitur Lyæo, qui

Ficinus vinũ ait, siue albũ siue rubeum sit, esto clarũ suaue, stypticum, odoriferum, & quod aqua egeat. lib. de prod. vita.

Hippo. & Arist. 3. sect. Probl.

Euripides in Bacch.

Potum racemi repperit Mortalibus,
Ac protulit, mœroris ille nubila
Fugat repletis vinea liquoribus,
Somnusque fit, mali diebus singulis
Oblivio, nec pharmacum malo aptius.

Verũ minimè profuerit delectus, nisi accesserit congruus vsus copia, & ordine circũscriptus. Vinum igitur non Scytharum, aut Persarum ritu, sed Asclepiadis more h. e. moderatè sũptũ exhilarat, curasq; pellit, quòd multum sanguinis & spiritũ gignat, quòd calorem augeat, exẽplo sit Catonis, aut Zenonis, tritica seueritas vino in comitatẽ, & mollitiem ducta. Propterea D. Ambrosius, Deus, inquit, qui sciret, quòd vinum sobriè potatum sanitatem daret, augeret prudẽtiam, immodicè sũptum ad vitia causam daret, creaturam fecit, abũdantiam humano arbitrio reseruauit, vt parsimonia naturæ esset magisterium sobrietatis, abundãtia noxium lapsum temulentum sibi adscriberet.

Li. 3. Exam. Nõ facilè potest quis quis sobri⁹ est sed qui est ebrius, nec qui est vigilans, sed qui est dormiens quapropter Principes, vt non inuadi possint ebrietatem, & somnum multũ debere euitare. Arist. 5. Polit.

Plato in Thimæo. Talequiddam interrogo, an vini vsus voluptates, dolores, iras, amores vehementiùs concitet? Cl. Maximè quidem. Ath. Vtrũ etiam sensus memoriam, opinionem intelligentiam similiter efficaciora reddat, an prorsus extinguat, si quis ebrietate fuerit occupatus. Clin. omnino certè extinguit. Ath. Ad eum igitur animi habitum redit quem puer primis ab annis habebat. Cl. profectò. Ath. Quare tunc sui ipsius minimè compos erit. Cl. minimè. Ath. erit itaque pessimus. Cl. valde. Ath. non solùm igitur senex,

2. de Gener. Anim. c. 2. Vnum quoque prius est

vt uidetur bis erit puer, sed ipse etiam temulentus. Cl. optimè id Hospes est dictum.

Prudentis, stultique viri immoderatius hausta
Vina leuem mentem reddere sæpe solent.

Quare decipi arbitror Rhasen, atque Auic. qui nec illaudabile duxerunt, semel, atque iterum singulis mensibus inebriari, quod uires alleuentur animales, & superuacua per vrinas, & diaphoresim amandentur excrementa: Nam uinum immodicè sumptum tantùm abest, ut calefaciat, roburque addat, ut potiùs calorem uniuersum obtundens uires deiiciat omnes, quidquid enim ingeritur (si modò suas condit uirtutes) vt secundùm prædominantis qualitatis uim agat, subigi prius, conterique debet, & in actum deduci à calore naturali soluta mixtione, at immodicè sumpta perinde inuicta, indomitaque refiliunt, ac frigefacientia cuncta. Hinc Gal. si vinum immutatum remaneat, totum refrigerat corpus more frigidorum medicamentorum. Qua causa plurimus est Aristot. in recensendis ærumnis, quæ à largo vini potu emergunt; nos primum generationi ineptos, tremori, paralysi, apoplexiæ, catalepsi opportunos, & obnoxios fieri, memoriam labefactari, ac flaccescere, senium denique accelerari, ac

Præcipiti Bibulos deduci ad funera gressu.

Fallitur tamen Philosophus, dum hæc mala inuehi putat ex immodica caliditate, quæ nostram in mediocritate consistentem absumat. Ficinus sic potus mensum definit, vt cibus sit duplus ad potum, panis duplus, & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, fructus, herbas humentiores. Ego verò de potu coniecturam faciendam esse censeo pro sumpti alimenti humiditate, ac siccitate. Ei verò, qui per intemperantiam sibi imperare nequit, præscripsit Auic. formulam, qua immodici vini incommoda imminui, euincique possunt, propterea inquit, qui vino repleri vult, cibi copiam subtrahat, nec dulcia gustet, sed pingua iuscula, obsitamque pinguitudine carnem deuoret, quiescat, vtatur caulibus, capparibus, oliuis colymbadibus. Ad cautelam verò huius propotismatis vnciam præbibi iubet. Rec. succi caulium alborum, punicorum acidorum an. lib. semis aceti albiune. iij. modicum simul ebulliant, & seruentur in vsus.

Quærit Philosophus, cur caulis soluat ebrietatem? decernitque ideò fieri, quia crudas humiditates in sentinam, & vesicam deuoluit, qua causa & epotum oleum ab eodem commendatur. Occulta tamen facultate, & antipathia fieri crediderim, quum & vertici admota ebrietatem arceat, eadem vi pollent amaræ amygdalæ, quemadmodum & Cerui nini cornu rasura cum aqua epota: Fabulosum est, quod Medici veteres de polygono coronæ instar capiti imponendo protulerunt. Dioscorides euitari vult ebrietatem epoto croco vnà cum passo. Si iuber, sumantur coriandr. pp. gran. oxyacanthæ sem. brassicæ sicc. cyd. plan. spod. an. drac. 2. ex hoc puluere dentur drac. 2. cum succo adstringente vt limonum, granatorum, aranciorum.

Verùm, cui viscera multò mero retotrida exardescunt, cõsulit idem Auicennas acerba, acida, vtpote cydonia, punica mala, citri aciditatem, poscam, idque genus. Ad modum quod attinet Hipp. sententiæ standum est, qui nobis hunc iniunxit ordinem: Labor, cibus, potus: Quare vt cibũ exercitatio anteire debet, ita potum cibus: neq; posthac audiendi sunt, qui scribunt:

A potibus incipe Cœnam.

Inter esitandum libare oportet, inquit Arist. qui mandat etiam ne in cibilla vino commisceatur aqua, quia stomachum debilitat, plurimusque laesit moribus minimè perfectè inita societate. Ac quemadmodum hoc alea mente tenendum, neque à balneo, neque à coitu, aliave exercitatione, neque ieiuno, vacuoque ventre vino indulgendum esse, hinc enim, & cerebrum, & nerui mirabiliter impetuntur, & offenduntur, amentia, & conuulsiones inualescunt: Ita illud præterire nefas, deuoratis prauis succi epulis, vtpote fructibus, cerasis, perficis, peponibus, exhausto madescere vino, permitiosissimum esse, praui etenim succi, teste Auic. in penetralia conuehuntur, ubi incuneati putrescunt, & truculentorum sunt momenta malorum. Animaduertant igitur, qui à melonibus liberaliùs vinum ebibunt. Sed instet quispiam, cur Hysaac post persica mala merum præscribit, tantum abest, ut prohibeat uinum? Cui Conciliator more suo sequester, & medius it obuiam, uinum esto modicellum. Aduertant igitur, qui tam facilè Bacchanalia, & Dionysia soluunt, quique cum omni intemperantiæ genere sordescant, liberos etiam, si Dijs placet, simili uinendi formula instituti patiuntur, quibus tamen Plato tam atri interminatione interdixit. Pueri inquit, usq; ad xiix. ætatis annum usum uini ignorent, ne ignem igni ingerant in corpus, & animam, priusquam uiri effecti subire possint labores, etenim furiosum iuuentutis habitum declinare necessum est. Iarcas Indus Philosophus apud Philostratum, mandat, ut id agamus, ut ne pueri uinum quidem concupiscant; si qui igitur posthac, ait; nascantur filij, obseruare oportet, ubi Nactua nidum construat, & illius oua arrepta, elixaque infantulo pappanti deuoranda præbere, uinum enim oderit, & modestius deinceps uiuet. Melampodes Praeti filias furore correptas, & ceritas; propinata ex Clitorio flumine lympha sanitati restituit. Vtinam id non ad curationem, sed ad tutelam, & cautionem agant nostrates, quibus tamen Galeni, & Celsi indulgentia dilutum propinare sit integrum.

Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit
Vina fugit, gaudet que meris abstemius vndis.

Ac quemadmodum pueris noxium est, ita senibus duplici nomine amicissimum, tum, quod eorum frigida membra excalfacit, tum quòd eorum humores, quibus scatent, foras cum vrina educit. Hinc Plato, uinum porrò nobis est concessum aduersùs senectutis rigiditatem, ut reiuuenescere uideamur, & tristitiæ nos capiat oblivio, ipsaque animi affectio, ut ferrum in igne è duritie in mollitiem ducta flexilior, & tractabilior euadat.

Cæte-

Anabal tãta fuit temperantiæ, vt nunquã vini sextarii potu excesserit. 3. de temp. c. 2. 3. sect. Probl. Hipp. si quis ebrij repentè obmutuerit, &c. Galenus l. 5. lib. 5. de loc. aff. inter crapulæ dira enumerat epilepsias, dementias, conuulsiones. Li. de prod. Vita. Actuarius l. 2. c. 9. de spiritu An. Li. 1. F. 3. D. 3. Plurima Sẽnertus remedia li. de c. aff. aduersus ebrietatem recitet. 3. sect. Prob.

Modus.

Schola Salern. 22. Probl. 6. 3. Probl. 18. Ficinus iubet potum nos partiri in plures vices lib. de prod. vit.

Cæterùm si sanitas, vt est in confesso similibus seruatur, expugnatur contrarijs, qui fit, vt Pueritiæ calidæ, & humidæ abnegetur, senectuti frigidæ, & siccæ concedatur, quin præscribatur vinum, quod energiticos calidum esse constat? Scientem Hygienes duas esse partes, correctricem vnam, alteram seruatricem, hæc vsu similium qualemcunque seruat, illa moderata contrariorum administratione temperiei, in cuius mediocritate consistit sanitas, lapsum emendat, proin Pueris interdicitur, senibus præscribitur vinum. Accedat, puerorum substantiam dissipabilem vini vsu in summum discrimen reuocari.

Vbi cæli status & regio, intemperata sunt sæpe cõtraria iudicant. Proin æstate Auic. monitu 2. primi D.V.C.I. minuendi cibus, & potus & exercitia, quies inneuda, extinguenda belem tumenda, mazendũ in membra irrorãda habitacula aqua frigida aspergẽda foliis tiliæ, lactucę, portulacæ. Ventis fenestræ aperiantur. Hyeme verò à contrario faciendũ ad cõpescendũ aeris immoderatum. Ad Thrasibulum. Scaliger. Mercatus. Lib. 2. de Intellect.

Sub calidiore, aut frigidiore cęlo cõtrariis mediocriter vti non est nefas, ne (vt Aponensis vtar verbis) simile accessu similis furat, humana etenim natura in quodam habitudinis modo consistit. Quare meritò Hipp. Iuuenibus biliosis æstate balneum, aquæ potum, & quietem consulit: Nec ab re Cornelius Celsus præcepit, vt tenuis, & strigosus homo se se repleat, plenus extenuet, frigidus calefaciat; calidus refrigeret, madens siccet, arens madefaciat. Pluris enim vtique mediocris est habitus, quem in vniuersum inculpatiores sequuntur operationes. Implet autẽ corpus modica exercitatio, frequentior quies, vnctio, & si post prandium est balneum, contracta aluus, modicum frigus, hyeme somnus plenus, & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos, & potiones maximè dulcia, & pinguia, cibus frequentior, & quantus plenissimus potest concoqui. Corpus extenuat, Aqua calida, si quis in eam descendat, magisque si salsa est, in ieiunio balneum, inurens Sol, & omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel longus, vel brevis, lectus per æstatem terra, hyeme durum cubile, cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, deiectio, acidæ, austeræque res, semel die sumptæ epulæ, vini non per frigidi potio in consuetudinem ducta. Quæ sanè Celsi præscripta si quis ad vnguem experiri voluerit, non frustrabitur.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

Caput Quartum.

NOn iniuria Galenus, necessariò occurrere nostro corpori somnum protulit, nam

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Definitur naturalis occupatio exteriorum sensuum retractis intrò animæ instrumentis, siue suauior quædam sensuum detentio, caloriſque ad interna reuocatio. Quidam volunt esse naturalem impotentiam Animalis facultatis ad obeundas functiones ob alimẽti benignã anathymiasim cerebri substantiam irrigantem; Quibus sic resistit Fracastorius. Constat igitur (ex superioribus hæc pendent) somnum esse cessationem interioris animæ ab exercitatione membrorum in sensu, & motu, non per impotentiam, sed ob id solum factam, quòd melius, & suauius iudicet cessare, quàm mouere, quod fit, aut euaporatione multa oppiente, & grauante sedem animæ, aut fatigatis membris impendiò, & spiritibus, aut facta obliuione prioris intentionis ex intẽtione in aliud, quod delectat, hoc enim sæpe accidit, vt infantibus, quibus nutrices per cantilenas somnos conciliant: Cui planè assentior, cum maximè animi nostri consensus veluti pellicator, & allector somni huc concedat testimonio Argenterij, qui refragatur, & diffitetur esse communis sensus impotentiam, & totius corporis ex sensuum affectione à certa caloris retractione prouenientem dispositionem esse mauult; in quem acriter inuehitur Ioannes Riolanus. Argenterius, inquit, vult videri solus sapere, qui omnium refutatis opinionibus, tandem vigiliam refluxu caloris à corde, somnum eiusdem in præcordia concursu definit, quod quidem veteribus placuisse quibusdam scribit Gal. ad 2. aphorismorum, sed opinionem tam insulsam putat, vt non dignetur refutatione, ne hoc iactet suum, aut tanquam nobile, & nouum inuentum nobis postea obtrudat homo, ut de Auerrhoi quidam scripserunt, magis argutus, quàm doctus, enim uerò metu, & syncope calor cum spiritu in uiscera se recondit, somnus tamen non obrepit. Qua in re etsi iusta est Riolani exprobratio, nequaquam tamen ire licet inficias, quin ex mutua caloris, & spiritus reciprocatione, ueluti proxima causa somnus, atque uigilia dimanent, emergantque, uapidæ enim exhalationes in cerebrum collatæ remotiores sunt somni causæ. Proin Themistius, hæ, inquit, somni causæ sunt. Finis, salus, & conseruatio Animalium. Agens spiritus uitalis, hic autem uector caloris, qui in corde est: Materia uapor, qui in caput subierit, dein in locum inferiorem defluxerit: Forma, situs, & dispositio illa membrorum, & partium corporis, quæ in dormientibus extra, intusque cernitur. Cum uerò contrariorum contrariæ sint causæ, & definitiones, Vigilia erit opera, & exercitatio eorundem sensuum ob spirituum, & caloris appulsum ad organa, cum sine caliditate tui sit sensitiuum, ut scribitur ab Arist. 3. de An.

Lib. de sõn. & Vigil.

Lib. de Fac. An.

Paraphr. in li. de som. & vigil.

Somnus notante Rhois Filio præcipuè institutus fuit, ne perenni caloris & spirituum dissipatione sensus pereant, attamen collecto per somnũ calore, nullaque ad externa explicatione intercedente & naturalis facultatis munia ualidius celebrari constat, quocirca & cerebrum, ut pars est similaris, exactius suo fungitur officio, robur conciliatur, uacuationes, quæ ab irritata excretrice suscitantur, coercet, sudorem exprimit, lassitudinem submouet, præterea calefacit, ac humectat; hinc senibus, conuenientissimus censetur, qua causa Auic. Galenum sic loquentem facit. Comedo singulis noctibus lactucas aromatis conditas, illas quidem, quia somnum conciliant, hæc autem ad illarum effringendam frigiditatem, mihi enim seni per humectationem maximum affert somnus emolumentum.

Somne beatorum rex, et rex somne virorum
Quem fugiunt curæ, sequitur quem blanda quies, et
Solus habes grauiũ solamina certa malorũ,

Orpheus in somn.

Qui mortis formam inducens animalia ſeruas,
Nam germana tibi cum Lethe pallida mors eſt.

Atqui modus eſto, nam ſomnus, atque vigilia vtraque ſi modum exceſſerint, malum, ait Hipp. Endemionis enim, aut Epimenidis ſomnus caput grauat, mentis hebetudinem, & tarditatem inducit, memoriæ iacturam, & caput copioſo humorum affluxu ad ſæuiſſimos præparat morbos, corpus denique vniuerſum ad omnes functiones ignauius, & ineptius reddit: Ideò Gal. fortem ſomnum corpus diſſoluere, & capitis grauitatem inducere teſtatur. Ijs potiſſimùm, qui litterarum ſtudijs vacant cauendus productus, prolixuſque ſomnus, nam calefactis inferis partibus (ita enim inter dormiendum vſu venit) caput refrigeratur, nil verò ad animæ, aut naturæ functiones frigore ineptius. Propterea meritò Plato tantopere ſomnum damnat longiorem. Nam ſiue lex, inquit, ſiue officium id appellandum ſit, quod modo præcipimus, certè omnibus turpe illud, & illiberale videri debet, vt Ciuium aliquis per totam dormiat noctem, nec prius excitetur, & ſurgat, ita vt hoc toti familiæ pateat. Quin etiam vt Domina ab Ancillis, non Ancillæ ab ipſa primùm excitentur, turpe dicendũ apud ſeruos, ancillas, pueros, & domum denique, ſi poſſibile ſit, vniuerſam. Nocte igitur exurgant, & Magiſtratus publicum aliquid, patres verò, matreſque familiæ in domibus proprijs rem ſuam curent. Somnus enim multus, nec animis, nec corporibus, neque rebus gerendis natura conducit: Nemo quidem, dum dormit alicuius pretij eſt, non magis quàm ſi non viueret, quare quicunque viuere, & ſapere cupit maximè, quàm longiſſimo tempore vigilet ſola ſanitatis commoditate ſeruata, ad hanc verò non multo opus eſt ſomno, &c. At Scopeliani vigilia ſpirituum, & tenuis ſubſtantiæ maximam partem diſſipat, carnes colliquat, corpus ad tabitudinem redigit, & ſi conſueto alimento, aut affluentiori vtamur, cruditatibus opplet, ſin parciùs, frugaliùſve ocyſſimè in ſiccitatem irreparabilem corpus vrget, ſenium accerſit, maniam, melancholiam, plurimaſque concitat ægritudines, quæ à Rhaſe ſub formæ corruptionis vocabulo indicantur. Sed modeſta vigilia corpus vegetius, alacrius, & ad omnem laborem paratius efficit, mentem acuit, & internas facultates ad ſua munera tractanda accommodat. Cæterùm, vt ad ſomnum reuertamur, monet Auic. ne nos lecto priùs commendemus, quàm cibus ad ventriculi fundum deſcenderit, & ne ventre cibis vacuo. Prioris ea eſt ratio, quia præter quam quod vaporibus caput replet, alta nequaquam quies irrepit, ſed tumultuoſa ſenſuum hebetudo, anxia, inſtabiliſque fatigat obdormitio: Poſterioris, quod Hippocr. ſententia ſomnus ieiunum attenuat, frigefacit, & corpus exſoluit.

Diurnus verò ſomnus vituperatur, tum quod brevior eſt, quàm vt perfectæ concoctioni ſufficiat, & nocturnum præpediat, tum quòd caput vaporibus oppetitur, & oppletur, & vertigini obnoxij redduntur ſenſus.

Accedat, motum naturæ contrarium tunc fieri, nam interdiu calor, & ſpiritus foras explicantur ſuo ſimili occurrentes, per ſomnum retrocedere coguntur. Hinc Auic. cibum, ait, corrumpit, colorem fœdat, & turpat, ſplenem prægranat, laſſitudine neruos afficit, appetentiam deijcit, febres, & apoſtemata gignit. Hipp. tamen & Celſus æſtate ſomnum pomeridianum non vſquequaque improbant. Homerus ſenibus perquam opportunum iudicat.

Vt lauit, ſumpſitque cibum, dat membra ſopori,
Namque hæc iuſta ſeni.

Per ſomnum enim ad viſcera recurrens calor coctionem promouet; ex quo illud prodijt axioma. Somnus concoquit, vigiliæ digerunt, quod certè nihil eſt aliud, quàm ita parare excrementa, vt facilè è corpore trudi poſſint, ſucci enim verè coquuntur, excrementa digeruntur. Pueris etiamnum permittitur diurnus ſomnus ob immodicum effluuium, cum enim molli ſubſtantia conſtent, per vigilias tenuis ſubſtantiæ multum diſſlatur, quæ per ſomnum cohibetur. Noctu vigilantibus, & ijs etiam, qui laſſitudinem perpetiuntur, aut ſeſe vberiori ingurgitarunt cibo, dolentibus, conſuetis haud interdicitur, intercluditurue. Maximè verò ſecundùm naturam, & opportunus is fuerit, qui vna hora cœnatis reductis cruribus, & reliquo corpore ſuper dextrum latus incumbente noctu initur, ſic enim vniuerſum corpus humectũ reddit, huiuſque penitiſſimas quaſque particulas irrorare creditur, facultateſque noſtras exuſcitare, ac ſenſoria innouata redintegrare; naturalemque vnà ſpiritum, vitalemque, & animalem, ac veluti denuò corpus totum reficere.

Cæterùm ſupinus decubitus prauus eſt, vt cauſa, & vt ſignum, vt cauſa quidem, quod excrementa per eum ſitum ad poſtremam cerebri partem naturali inclinatione decumbentia ab inſtitutis meatibus, qui antrorſum ad purgamenta, & luſtrationem pateſcunt, longè aberrant, retenta vias, & ſpirituum commeatum intercipiunt, hinc phrenitis, incubus, apoplexiæque emergunt: vt ſignum verò, quoniam motoria vis iam effœta, & ſuccumbens membra ſuo iure regere non eſt potis, quare reliquum eſt, vt naturæ impetum ſequantur.

De ſomni longitudine vix certi quicquam decernas, niſi ad vnuſcuiuſque habitudinem, & victus rationem, mentem adhibeas, ſunt tamen, qui ſic rem definiunt, vt ſenibus, & pueris ſit vſui ad xj. horas ſomnum trahere. Ætate conſiſtentibus ad ix. iuuenibus vij. Quòd ſi ſomnus minùs obrepat, conciliandus curarum remiſſione, animi apathia, & tranquillitate, lætarum rerum, vtpote fluuiorum, ſyluarum, hortorum phantaſia, anteactæ vitæ recordatione, lectione, ſilentio, crurum frictione, & titillatu, harmonia, lauacris, ſotu, litu, balneis, anacolematis ex refrigerantibus, & humectantibus paratis, potu lymphati vini, denique hypnoticis, & paregoricis, ſi dolor vrgeat aliquis. Auis Cuculus Plinij teſtimonio Leporina pelle obuoluta, & alligatus ſomnos allicit. Ariſtot. ſuadet, vt in dextrum latus incumbamus, quod hinc motus initium. Celſus verò lactucas maximè æſtiuas, papauera, morum, (porrum uertit

quoniuerſũ corpus diſtribuit, idemq; præſtat crudiores aliquos, atq; incoctos humores naſci; ſic porrò fit, vt ſomni cibum præcedentes commendentur. Lib. 2. de dieta. lib. 2.

Philoſophus lib. de inſom. c. 3.

Vigilia finis ſapere eſt, & intelligere, ait Foreſtus lib. 3. ex Platone.

4. ad Almaſ.

Meſues li. de ægr. cerebri. c. de Epil. Somnus, inquit, apud ieiunioſi, & vacuitatem accet.

Actuarius li. 2. de ſp. ſomnus ante cibũ exſiccãdi vim præſtat, corporiſque noſtri madorem omnem depaſcitur in tenuis ſe agẽte calore iſq; ſi alimẽtum quod ſatis ſit appoſitũ offenderit, cõficit hoc, in

Mercatus li. de ſan.

Li. 30. c. 13.

6. Probl. 1.

tit Ronsseus) præscribit, sensibusque excitandis nepetham, thymum, satureiam, hyssopum, præcipuè pulegium, rutam, cæpas, &c.

DE MOTV, ET QVIETE.

Caput Quintum.

IVre Plato solam Gymnasticen ad sanitatem tuendam admittebat, enimverò cum vita sit animæ, & caloris nexus, nil autem peræquè nostrum, suscitet calorem, ac exercitatio, quam propterea Auic. illud esse scripsit, quo calor noster renouatur, & corpus leuitatis beneficio cumulatur, reliquum est, vt summo in pretio habenda sit. Definitur autem vehemens corporis motus aduſque respirationis mutationem, quare meritò, qui sola deambulatione contenti sunt, in otio viuere iudicauit Galenus. Hæc confert exercitatio beneficia, calorem nostrum excitat, & auget, poros aperit, excrementa foras propulsat, membra roborat, queis addit Galenus membrorum duritiem, & spirituum concitationem, qui proinde inculcauit conceptis verbis, neminem ægrotaturum, si validè exerceatur, & praua respuat alimenta, Hippocr. secutus, qui duo ex maximè salubribus esse sanxit, impigrum esse ad laborem, & vesci citra saturitatem: Quod certa monstrare licet apodixi, nam si gymnade, & actione calor augetur, aucto verò calore naturæ functiones, cumulatiùs edantur attractio, retentio expulsio, concoctio, quæ non est alimenti, (vt hoc obiter adijciam) in propriam naturam viuentis: vt malè finiuit Augenius, conuersio, verùm à calore passiuarum qualitatum perfectio quædam, vtpote determinatio, manet, vt sanitati prosit, atque adeò producendæ vitæ, cum maximè ea, quæ tollunt excrèmenta, vitam prorogêt, in longumque proferant, retrimenta enim per moram in loco calido, & humido putrescentia, morborum seminaria euadunt; quæ omnia labos arcet. Ignauia inquit Celsus, corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit, cuius rei clarum reddunt indicium haſtati, indefessiq; Læbactes, qui trigesimo duntaxat ætatis anno ex ephebis excedunt, id autem à pertinaci labore proficiscitur, per quê fumida diffipantur excrementa, id autem voluit Auic. cum protulit, exercitationem esse rem, quæ prohibet, ne purgamenta aggregentur, quam respuentes frequenter in hecticam labuntur, quoniam denegato vitali calore, vitæ cuiusque membri machinamento partium firmitudo, & robur exsoluitur, quò respexit Plato exercitium roborare, quietem verò tabefacere asseuerans.

Ceruis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ.

Habenda tamen ratio, nam si supra modum moueas, bilioſi inolescent humores, sin infra pituitosi, atque adeo congeneres morbi, vehementior præterea siccat, & senectutem maturat. Verùm si quis percontetur, vnde vitæ longioris notæ petantur, notit, primùm conijci ex diuturna parentum ætate, eusarco, & rubicundo corporis habitu, hinc enim & iecur, & cor robustum, & plurima scatere humiditate colligimus. Ex pulsuum mollitie, & mediocritate, nam hæc modestum calorem, & cor substantiali, & vitali quadam humiditate refertum arguunt. Deinde ex somni tranquillitate, nam somnus & signum, & causa longæ vitæ est. Signum quidem, quod humidam esse cerebri temperiem, & salsis acutisque recremētis vacuam designat: Causa denique siquidem somnus humectat, coctionem adiuuat, & calorem, ne dissipetur, condit, & tuetur. Postremùm ex inculpata sanitate, & solida valetudine. Aristot. verò ex manuum cæsuris vitæ curriculum definit, nam quibus longiores, & plures fuerint, diutiùs produxerint ætatem, à contrario, quibus breuiores, & pauciotes. Quod sanè accidit, quia hinc materiæ optimè paratæ, & elaboratæ laudabilis conditio, & formatricis robur, & firmitudo arguitur. Nam cum formatrix partes extimas, & extremas articulis, & cæsuris tam aptè distinguere, & perficere valeat, non modò propriam, sed cordis etiã, & cęterorum viscerum vim prodit, & profert, manusque cum corde æmulam proportionem & analogiam, cordis enim substantia plurimis intercisa est lineis, cumque vegetioribus plures extent in corde sectiones, tardis, & hebetibus pauciores, vti suibus, hinc fit, vt analogia quadam plures in vola cæsuræ longiorem ætatem arguant, & præsagiant, paucitas autem, aut priuatio prauè temperatam materiam, aquea humiditate madentem, & incongruè elaboratam describit, quare facultatis formatricis energiam, & characterem refellens nullos, aut pauciores articulos, & sectiones admisit, volasque cordi per cæsuras affimilari recusauit, at qui huiusmodi præditi sunt materia, humoris indomiti insolentia, & vbertate maturè incurrunt senium, & putredinem, argumento sint Pisces.

Mitto, imò renitor, ex volæ cæsuris morales virtutes, rerumque euentus certò concludi, multa tamen cõmentus est Aponensis, qua de re Antonius Piccolus Archidiaconus vir extra omnem ingenij aleam, quem non sine graui Cenetensium iactura fata sustulerunt, omnium clarissimè, & locupletissimè scripsit. Longæ vitæ, & durationis sex causas agnouit Marsilius, partium (sic liceat loqui, cum Gaza) similaritatem, medij continentis similitudinem, calidi cum humido elaboratã, consummatamq; permixtionem, hinc enim corpus perquam homogenes conflatur, diuisionis, diuulsionisque impotentiam, & resistentiæ firmitatem, & perfistentiam, dein temperiei latitudinem, sub qua individuum talis speciei subsistere potest, postremùm perfectam humoris cum calore proportionem, & analogiam. Verùm ad rem. Exercitatio plurifariam agitur, clara lectione, palestra, cursu, disco, venatione, contentiore deambulatione, quæ recta esse debet, non flexuosa, & in aprico, & parum acclui loco. Ea tamẽ cautio adhibenda, vt ijs quidem, qui valentioris alimenti cibum sumpserunt, vehementior præscribatur exercitatio, quæ respirationem frequentiorem concitare possit, ac calorem adaugere, & tenui

1. de sanituen.

6. Epid.

Lib. Epist.

Arist. Quærit cur sanitati cõferat cibo subtrahere, & vehementius exerceri. Sect. 1. Probl. 46.

Lib. 1. P. 3. D. 2.

In Timæo.

Aristot. de lõg. & breu. vitæ: labor siccat & senium inducit.

1. de Hist. An. & 10. Sect. Probl. 49.

Comm. in 1. de ortu.

nui quodam sudore humectam cutim perfundat, ijs verò, qui tenui victus ratione vtuntur, satis sit etiam breuior deambulatio, præsertim, si ante cibum ineatur, ac mane quidem breuior ea, & tardior esto vergente anni tempore ad calidum. Cõtentior autem, & diuturnior hyeme. Illud obseruandum, vt tantisper se quis exerceat, dum exercitatione lassitudinem nondum contrahat, quam si suboriri persentiscat; desistere iustum est. Nec vno semper, eodemque exercitationis genere vtendum, nam qui cursu fatigantur luctari debent, qui lucta fatigationem sentiunt, his currendũ est, nam in huiusmodi oppositis exercitijs membra, quæ priùs exercebantur, non aliter quàm si integrè quiescerent feriantur, torpida etiam quodammodo euaserant in priori motu opposita membra, vnde non minùs flaccida apparent, ac si reuera fuissent fatigata, quippe sic & sedentes non sedili, sed lenta recreantur obambulatione, quod & à Philosopho traditum nos per inæqualia loca cedentes minùs laborare statuente.

Hipp. 2. de Diæta. Galen. 1. de tuen. san. eo usque exercitatio agenda dum lassari, sudare, aut dolere corpus inceperit.

In Probl.

Verum frictiones ijs, qui incessus sunt impotentes, exercitationis vices subeunt, quarum apud Hipp. sunt genera quatuor: Dura, mollis, multa, mediocris. Dura frictio corpus indurat, mollis remollit, mediocris mediocrem habitum inter durum, & mollem efficit, multa extenuat, & gracilitatem affert, à mediocri carnis incrementum, quod efficitur sanguine attracto à calore robusto, & vegeta facultate.

At si quis, nobis ea resistat obiectiuncula, laborem quiete non esse salubriorem, Arist. auctoritate fretus, asserentis, illud melius fore, quod meliori similius, & aptius est, at quietem, ac statum potiùs exprimere, & æmulari, quod est melius, quoniam separatis formis respondet, falsò enim Plato, vt patet 2. Cœli, intelligentias mouere Cœlum cum fatigatione, & pœna notauit, illæ enim quiescentes solo intelligendi actu viuunt, & alia mouent. Ad hæc respondemus tamen, naturalia corpora, quemadmodum per motum essentiam conquirunt, ita sibi ascisc ere durationem, sed essentia, & duratione melioribus, nempe Deo, & Intelligentiis assimiles euadimus, quare cõfectum sit, à nobis amplius esse motum, quo vniuersa constat natura, qua causa fatetur Galenus nos natura moueri, exercerique diligere. Illud memoria tenendum, mox pastis non incundam esse exercitationem, ne tracta ad ambitum saburra morbos cutaneos committat, sed mane depositis priùs alui, & vesicæ excrementis. Neque statim, atque ab exercitio desiterimus, accumbendum est, nam calor dispersus, superuacuisque purgamentis adhuc digerendis vacans neutiquam ciborum confectioni præsto esse potest, sed planè intermittenda quies, quæ à prandio capessenda, donec absoluatur digestio, tum ad præparandam, vt ait ex Ruffo Auic. cœnæ bonitatem exercitationis libera fiat facultas.

3. Top.

2. de san. tuen.

Idem mandat Damascen° in propr. Aph.

DE EXCRETIS, ET RETENTIS.

Caput Sextum.

CVm alimentum non exigua dissimilitudine à nostro corpore dissideat, distinguaturque, vis creata fuit alteratrix, per quam nutrimenta in viuentium similitudinem commutentur, priùs quàm verò hac imbuta similitudine verè nutriãt, multas coguntur subire alterationes, per quas priori amissa forma nouam induunt, perfectèque nobis assimilantur (nutritio enim quædam aggeneratio est, quæ præcurrentem excipit all ωσιν, & Paraskeuen) hoc autem in opere contraria secerni necessum est, quæque assimilari recusant, reliqua vnà cogi, & crassescere (cum coctio definita, & terminata sit humiditas) quare nisi secundùm naturæ leges excernantur superest, vt morborum seminaria euadant, quid enim speres vtilitatis ab hoste domestico, & intestino? Sapienter itaque Hipp. medicinam adiectione deficientis, & subtractione, summotioneque exuberantis definiuit: etenim si quæ exturbari debent, detineantur, detinendaque amandentur, illinc morbi à repletione, hinc ab inanitione ingruent. Summa igitur gerenda cura, vt excrementorum redundantia expulsione imminuatur, cunctaque naturæ conatibus mandanda, si potis sit, alioquin præstanda manus. Cum verò in animali triplicem subeant cibaria coctionem, necesse est, triplex etiam excrementi genus enasci, & inolescere. Primæ, quæ χύλωσις dicitur, stercus, & urina (singularum enim duplex est, crassum, & tenue) secundæ, quæ ἀφαυτωσις, fel, & limus, tertiæ, quæ ἐμείωσις, sudor, & sordes, quæque habitus specie digeruntur. Aluus ergo si desessit, & suo supersedeat officio, soluatur Celsi consilio aucta inambulatione, liberaliore alimonia, & potu cibis permixto, & uomitu, nam quemadmodum soluta fistit, ita firmata soluit. Quod si non profuerit, in usum ueniat benè lota aloe à Galeno, & Mesuzo tantopere commendata, quàm & Celsus præfert, si alimenta non profuerint soluentia. Oribasius utitur à Cœna. Ficinus Aloe addit myrobalanum, masticben, & rosam, & mirabile tellatur esse medicamentum ad conseruandam diu in sano corpore mentem sanam. Gorrhæus in facienda medicina mirificus cassiæ fist. drachmæ scrup. 1. addit aloes, seu hieræ simplicis tantumdem, & longa experiẽtia didicit nil æquè prodesse. Piscium omnium iura adnotante Aldrouando, † præsertim marini Scorpionis, si ex aneth o, apio, coriandro, & porro adiectis oleo, & sale coquantur, liberaliter aluum cient, & idem præstat ius Gobij, & mœnæ. Nefas autem est grauiore uti pharmaco, quod cum purgarit, ut ex Hipp. notauit Auic. annorum seriem contrahit, & soluit uiuaciratem. At fusiorem aluum stringit sedile, labor, creta figularis uentri illita, cibus imminutus, semel die sumptus, exigua potio, post cibum quies: Oua sqiatinæ arefacta quæuis alui profluuia certo cohibent experimento Venetorum piscatorum Ægyptijs referente Hero-

Auic. F. 3. c. 1. lib. 1.

Lib de Flatibus.

Quatuor coctionum genera ponit Actuarius in ventriculo, hepate, venis, & singulis partib. Arist. Vallesius, multiq. Afrj existimarunt vrinam esse excrementum primæ coctionis. Galenus verò inficiatur, & esse secundæ coctionis excrementum contendit. Sic Hipp. li. de Diæta. Aluum adstrictam comitantur grauitas, vertigo, oris amaritudo, ei bus tũ ingrauitudo, tum fastidium. Dicuntur molestia si clysteris vsũ sistat aluus. Manardus offert stypticis vitellũ cui recentis abiecto albumine in cuius locũ adiectum fit saccharum. Iste cremor tartari pulu. & cũ succo ouĩ in iusculo dissol. ad drac. ij. soluit aluum.

✠ Aldrouand. Herodoto, familiare fuit sanitatis studio frequenti clysmorum vsu sentinam exhaurire, vt semel, atque iterum proluerent: Propterea Ibidem rostrum in anum indentem retorta ceruice effingũt, quod est apud Aegyptios salubritatis Hieroglyphicum. At Hipp. vomitum, quem reiecit Asclepiades, bis singulis mensibus repetendum præfert, cui subscripsit Celsus hoc vno discrimine, quod ille æstate, hic hyeme vomẽdum esse iubeat. Attamen libro de salubri dieta sex hybernis mensibus vomendum esse decernit, quod animaduertens Galenum † æstate vomitum ab Hipp. prescriptum fuisse docet ad totum corpus repurgãdum, hyeme ad contentam in ventriculo pituitam euacuandam, qui sanè licet ventriculum lustret, & repurget, digestionem promoueat, & meliorem efficiat, corpus instauret, & à retrimentis liberet, sensusque acuat, cauendum tamen, ne quid nimis, nam immodicus ventriculum labefactat, & deijcit, oculisque summopere infensus est, ijs præcipuè declinandus, qui graciles, & strigosi languidum obtinent stomachum. † Superuacuus cydoniorum succo sistitur, dactylis, electro, fabis in aceto coctis, faseolis, adhæc infusione arborei mosschi in vino, subinde epoto, fructibus † ribes, semine maluæ ex vino, succo punicorum. Vrinam, si per vesicæ negligentiam detineatur, cient, quæcunque in hortis nascuntur boni odoris, ait Celsus, apium, ruta, anethum, ozymum, mentha, hyssopũ, anysum, coriandrum, nasturtium, eruca, fœniculũ; præterea asparagus, capparis, nepetha, thymum, satureia, lampsana, Pastinaca, siler, radicula, cæpa, piper, synapi, absynthium, nuclei pinei, ex venatione maximè Lepus. Cinis ex Lucij maxillis ex vino haustus, sepia in cibo sũpta mirè lotium proliciunt. † Quod si ob calculum, aut stranguriam detineatur, cancrum vnum in mortario teres, vinum affundes, noctem madescere sines, postridie exprimes admiscens apij, raphani, petroselini, aut lythospermi semina, superiorem, & puriorem liquoris portiunculam propinabis. Mouent tamen quidam iure, ne calidioribus diureticis, nisi ad imminentis morbi præcautionem vtamur, quia iecur, & sanguinem resoluunt. Satius sit vti frigidis, vt radice graminis, quatuor seminibus frigidis maioribus, cucumeris, cittulli, cucurbitæ, melonis, dicuntur autem hæc diuretica, non quòd sanguinem fundant, hoc enim caloris proprium est, sed quia serosum, & insipidum sanguinem reddunt, qualem ob naturæ familiaritatem renes attrahunt. Illud tamen perpetuò obseruandum, ne, dum humorum subest copia, aut prauitas, viæque minùs expeditæ sunt, diuretica præbeamus. De sudore controuertitur, an sit naturæ excrementum, nam Diocles, esse secundùm naturam pernegabat, quia nemo verè sanus sudore perfunditur, nam perfectè sani non plus appetunt, quàm sint conficiendo, integra coctio nihil, aut minimum relinquit excrementi. Sanos tamen sudare, quin exercitio non sine summo emolumento sudorem exprimi, quotidiana experientia testatum habemus. Cutis est commune receptaculum præsertim excrementorum tertiæ coctionis, quam de industria natura peruiam effecit, vt diffationi, & sudori liber esset aditus. Proinde sanis non inutiliter hydrotica præscribi possunt; ijs, qui sunt dura, siccaque cute, denso corporis habitu tepidum aquæ dulcis balneum imperatur, vt per cutem laxiorem sudor facilius effluat, humidioribus verò Laconicum. Hinc Celsus, prodest, ait, interdum vngi, interdum balneis vti; modò id ipsum negligere: Quorum certè balneorum nunc exoleuit vsus, quia corpora reddit mollia, & effœminata, liberat quidem ab internis causis malorum, quia transpirationem adiuuat, & fuliginis excretionem, sed externis iniurijs, vt aeris mutationibus corpus magis obijcit: Nihilominus sicci, graciles, melancholici balneo vti debent ea tamen cautione, ne impuro, aut plethorico corpore balneum ingrediantur, sed blandè prius repurgato.

✠ Gal. 5. de vsu partium copiosè vomitus vtilitates recenset.

✠ Dioscorides.

✠ Matthiolus. Ab Arist. desumpsit, qui 2. Probl. sect. Probl. 41. vti nã ciere scripsit, alibi Aquea.

✠ Aldrouand. Raol. lib. de Dieta san.

Balneum tepentis Aquæ melancholicis potissimum conuenit, vtpotè quod humectat, & attemperat. Multos atra bile infestatos profitetur Galenus se sanasse cibo euchymo, & Baloco tepente. In feb. putridis nostrates tale balneũ antiquitus vsurpatum ita respuunt propter inuetuditem, & propter errata, quæ committuntur.

Quibus verò ob destillationem aliquam pectus, vniuersusque thorax grauatur, benè cum his agitur, si neque febre corripiantur, neque circa costarum aliquas, neque circa mammillas, aut pectus consistat dolor: Siquidem hæc cum morbis iam censentur ipsis, maioreque egent victus ratione, ac sermone prolixiore, quàm vt præsenti instituto conueniat. Modicè si degrauetur thorax humoris illuc delati pondere, ac tussis irritet, dulcium, tepidiorumque vsus conuenit, quæque humores fluxione decumbentes reiectu promptos parare consueuerint. Nisi enim hoc sibi pacto consulat ægrotus, iam & humor, qui defluxit, loco se obsitmarit, & dolorẽ concitarit, aliudque deterius quiddam conciliarit. Illud nunquam non prouidendum, vt ex alto decumbentes humores in nares deriuemus, sic enim thoracem illæsum seruabimus aliò eo, quod infestabat, delato.

Illud omninò præstandum, vt consuetis excretionibus cessantibus, artis his adminiculo subueniamus. Quod idem faciendum in ijs, quibus ferri per nares, aut hæmorrhoidas sanguis consueuit. Sic enim coercito præter rationem sanguine, aut consuetos meatus adaperire expediet, aut venarum scarificatu redundantiam eius eximanire, nisi ob exercitationes quandoque multas consumpta superfluitate, aut ob cibi subtractionem imminuta, non admodum vrgeat huiusmodi necessitas. Sanè quemadmodum quæ immodicè, ac plus, quã par est, euacuantur, corpus infirmum, frigidumque reddunt, naturalesque facultates retundunt. Ad eundem modum, si quæ purgari oporteat, supprimantur, mentem degrauant, infarciuntque, ac conturbant, doloresque alios ex aliis, & morbos coaceruant, vireſque omnes temporis tractu languidiores reddunt. At de his hactenus: Quod si mulieri menstrua subsistãt, proliciet pollium montanum, si immodicè persluant, cohibebit lysimachia purpurea; His nihil possis experiri præsentius, siue sistere, siue ciere velis.

VENVS SEMINIS excretioni (quod alterum est genus excrementi sola peccans copia) dicata est, sed ijs duntaxat exercenda, quibus per matrimonium licet prolis suscipiendæ studio, quos tamen monet Auic. & docet ex quinquaginta sanguinis guttis vnam exprimi seminis, vt intelligant, quam-

3. de Anim.

In Problem.

quantum fiat iacturæ : Quocirca meritò quæsiuit Zimara cur congressum tam flaccidus sequatur languor, & hebetudo, cuius rei veritatem tandem tetigit acu, adijciens idem congredientibus vsu venire, quod famescentibus, nam quemadmodum hi magis subtracto pane, quàm farina falluntur, fraudanturque, ita illi emissione, & iactura seminis, quod solidarum partium genuinum est alimentum. Hæc de causa passerculi Philosophi testimonio trieteridem non excedunt, hac multi diutius equis agunt, castrataque integris, & viribus. Toti summum salacissimo generi præ foribus Libitina manet. Profectò opportunè, & modestè adhibita venus sensus, & mentem excitat, visum acuit, melancholiam, atrasque curas pellit, lætitiam parit, corpus mirum in modum lenit, leuatque, præsertim si fumida redundarint excremeuta. Cæterùm incontinentem tot detrimenta manent, tot impia fata, vt longè rutius animum non deliniri, & non assuescere huic vetitæ, & inuerecundæ libidini, mihi persuaserim, quàm appetitui, iam ex iteratis actibus ferocienti, & rationis camos respuenti libertatem mancipare, nam difficilè subinde est assueta relinquere, & placitis abstinuisse bonis, cum Heraclyti sententia consuetudo sit hominis Dæmon.

Semen, ait Geoffrius dub stantialis est membrorũ causa, c. de Repl. Gal. 1. Aph. & in 2. Epid.

Medio de fonte Leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angit.

Lucretius.

Primus apud Homerum heroicam virtutem vocat continentiam, cui vt assuescant in primis iuuenes, hortatur Aristot. Mentis igitur, & moris bonitate animum imbuant, otium, & desidiam declinent, multos enim memorat Plato, quos assiduus labor reuocauit ab incontinentia. Quæ nil est aliud, quàm concupiscibilis malitia, per quàm praua delectationes reclamante ratione deligimus; ratio enim aut nil, aut quod est cum honestate coniunctum suadet: Non est igitur mirum, si fateri verecundamur, vbi veneris æstro flagramus, nam ea colluuie infra propriam speciem dejecti belluis comparamur, per tactum enim, & gustum duntaxat incontinentes nos fieri contingit, quos nobiscum communes habent belluæ, quare iure præcepit Arist. vt Alexand. coitus fœditatem declinaret, quia abominabilis est Suum ludus. Terpsicles narrat vino, in quo suffocatus fuerit Mullus, virum ad venerea impotentem reddi, mulierem verò non concipere. Aldrouandus ex Alexandro Benedicto Vulturis corde adalligato in Lupi Corio Veneris tædium afferri contendit.

8. de Legib.

Arist. 4. 5. Probl.

In lib. vend.

Vtilius sumes acuentes lumina rutas.

Ouidius.

Hæ enim coitum minuunt, vel certè familiariter veteris lactucis, hoc enim significare volunt Poetæ, qui mortuum Adonim inter lactucas depositum à Venere fuisse scribunt. Quæ vtinam sint periculo vera. Quomodo libidinis æstus sint eludendi, pluribus edocui, lib. de Virginum morbis, vbi ieiunium, carnispriuium aquæ potum, preces, & iugem exercitationem prescripsimus, tametsi non defuere calumniatores, qui me impudenter perstrinxerunt, quòd in Hipp. sententiam comm. scribens maritum fœmellis remedio esse scripserim, vbi ab vtero laborant, nos enim ijs, quæ possunt nubere, præscripsimus tale auxilium in Hipp. sententiam intenti. Ferunt historiæ Zopyrum inspecto Socrate cum mulieroſum vocasse, quem cum audisset Alcibiades, qui præsens tunc aderat, erupit in cachinum, quia sciebat eum continentissimum. Tum Socrates, profectò eò me natura traxisset, nisi philosophia retraxisset, quam calumniam cum Polemon quidam in Hipp. reiecisset, idem tulit responsum, viuit enim animus duobus modis, contemplatione, & virtute, contemplatur abstractione mentis, honestè vivit, dum appetitum à corporeis perturbationibus, si non liberat, & repurgat, saltem pacatiorem reddit, & tranquilliorem. Vtinam verò hac nostra tempestate non plures essent Polemones, qui mentis caligine bonorum nomini tenebras offundunt. Sed ad rẽ. Celso venus illa innoxia est, quam sensus liberior, somnus iocundior, mens rectior, & appetitus melior sequitur, è contra mala, quàm dolor capitis euidens excipit, corporis mollities, & flaccidior aliquis languor. Noxia verò ijs potissimùm est Auic. sententia, quibus languet stomachus, quibus tremula, aut frigida membra fiunt, quibus difficilis respiratio, cordis palpitatio, aut luminum hebetudo, cauitasue, aut anorexia maius impendère periculum à coitu nimentur. Frequentior concubitus, ait Aegineta, corpus rarius, frigidius, & imbecillius reddit; rario, quia multi spiritus, in quibus vitæ melior portio, frustra eunt, proin etiã omnibus neruorum, & articulorum vitijs objicimur: Cum verò frequentior non numero, sed natura dicatur concubitus, sanguineis, & pituitosis minùs noxius esto, si iusto tempore, & decenti ætate exerceatur.

Hinc eunuchos lactucam vocat.

Aestate, & Autumno penitus interdixit Hipp. Quare temerè secundum locum Autumno tribuunt quidam ad exercendam venerem. Quid plura?

Celsus per æstatem magis abstinendum esse putat Vvechetus.

Vina sitim sedent, natis venus; alma creandis
Seruiat, has fines transiisse nefas.

DE TVRBIDIS ANIMI Motibus.

Caput Septimum.

SI animi pathemata in corpus redundant, quo fundamento institur physionomia, & sæpenumero detectissimas ob caloris, & sanguinis reciprocum motum accersunt ægritudines, de his quoque postremo loco agamus, par est; Iustè enim Democritus dicebat, si corpori cum animo expostulare, & querimoniam agere liceret, multa affutura, quæ objiceret præsertim cùm mala omnia à prauis animi affectionibus proficiscantur.

Quare scitè D. Thomas scripsit, nequaquam à cordis affectionibus animi affectus inducj, sed potiùs à contrario, siquidem in ira, ideo circa cor sanguis efferuescit, quia vindictam appetimus, quod est formale. Accedat Arist. auctoritas dicentis vniuersas perturbationes gaudio excipi, aut tristicia, quæ non extant citra frigiditatem, aut caliditatem: Quamobrem, si quid aliud maximo-

2. Ethic. de An. Motio.

ximopere expetẽda metriopatheia, quando Stoicorum, ne dicam ſtolidorum ritu non modò non licet, ſed nec decet apathẽa frui.

Finiuntur Appetitus, cordiſque ſpirituum tumultuariæ quædam motiones, ex iucundi, moleſtiue obiecti notione: Perturbationes, quoniam non ſub veri, aut falſi ratione obiectum quærunt, in appetitum reiecimus, qui duplex eſt, naturalis ſublunarium communis, & animalis, cuius tres ſunt ſpecies, cupiditas, ira, voluntas, diſtinctæ ſedibus, & officio, cupiditas in iecore, ira in corde, voluntas in cerebro: Dices ad quem ſpectant affectus? Reſpondeo cum irascibilis, tum concupiſcibilis ſoboles eſſe, huius quidem dum bonum ſingulari modo perſequimur, illius, dum bonum arduum; Appetitus verò prænotionem, anticipationemque ſequitur, quæ & mentis, & ſenſuum eſſe poteſt; malum ipſe in phantaſiæ apprehenſionem deriuare, quum nobiſcum & pueri, & belluæ obiraſcantur, aliiſq; animi affectionibus moueantur. Quamquam verò homo ratione regatur, ſuũ tamen in nos non raro exercet imperium imaginatrix, & quum ægrotat cerebrum, & quum affectu obruimur, aut quum obdormiſcimus, vt notauit Philoſophus. Quare mirari ſubit Mercatum, qui maluit Stoicis, quam veritati fauere, affectus in opinionem referens, qui ſi ſchetic῀ conſiderentur, eodem ſpectare poſſe non diffitemur, at primò diffitemur. Vt vt tamen ſit in cerebro formaliter fieri eſt in confeſſo, vbi cognoſcens vis reſidet, & imperat, at cor ſpirituum, & ſanguinis miniſterio obtemperat, & obſequitur, actus enim inferiorum facultatum ſuperiorum actibus ſubijciuntur, tantumque ira cor exardeſcit, (vt hoc exempli loco dicam) quanti quis iniuriam, aut cõtemptum æſtimarit. Tria igitur præcipua membra afficiuntur, facto enim in cerebro iniuriæ, aut contemptus iudicio concupiſcibilis vlciſci concupiſcit, demum in corde ſanguis ſuccenditur, & æſtuat. Quare ſapienter me hercle Ioannes Colle affectus in corde materia tenus, in cerebro formaliter fieri ſcripſit, at ineptè cerebrum eſſe cordis miniſtrum adiectum fuit, eſt enim imperator Galeni opinione, atque in poſitis principijs perſiſtendum eſt; nec me latet, quoſdam eſſe nouiſſimos, qui vt plus ſaperent, deſertis Platonis, & Galeni caſtris ad Ariſtotelem defecere, quodq; opere quotidie confirmant, ſcriptis refellunt, ſed noſtri non eſt inſtituti errores detegere, eorum præſertim, qui multa ſuo iure commenti ſunt. Putare quidem, ſed non facere ignorantiæ, & imperitiæ eſt argumentum, inquit Hipp. Obiectum porrò cum multifariam ſeſe habeat ad facultatem, affectuum ſobolem multiplicat. Vel enim bonum eſt, hocque præſens nos lętitia perfundit, & amore, abſens deſiderium, ſpemque excitat; Vel malũ, quod præſens ægritudine percellit, & odio, abſens, imminenſque metu. Huc ſpectant verecundia, & ira. Accepta igitur boni præſentis ſpecie maximè lætamur, qua ſanè in affectione cor dilatatur, & ſanguinem extra profundit, vt bono per omnes partes occurrat, & fruatur, propterea gaudio cor relaxari ſcripſit Hipp. ſin diſſitum ſit, diſiunctumque bonum, deſiderium innaſcitur, motus quidam animi ad perſequendum, qui ex mœrore, & lætitia componi videtur. Gaudij verò indiuiduus comes eſt amor, quoties enim cauſam ſpectamus, toties appetitus quidam emergit, quo ei benè peroptamus, eſt enim amor põdus quoddam, & affectio ad rem cognitam, vt bonam, & conuenientem, ſeu beneuolentia rei, qua gaudemus. Verùm mali relata ſimilitudo ægritudinem inuehit, & ingenerat, quam λύπην vocat Chryſippus, quòd totius hominis ſolutionem pariat, qua in motione contrahitur ſanguis, & circa præcordia incuneatur, vt malum ſecundùm omnes partes cor euitet, huius origo, & fons odium parit, quod eſt appetitus quidam, quo malè cupimus rei, perquam mœrore afficimur. Identidem triſtantur, qui contrarijs minùs reſiſtere poſſunt, quales caloris, & ſanguinis inopes ſunt, aut abundant quidem, verùm amariore, & fœculento. At ſi impendeat malum, tunc pauor omnem, vt inquit Ennius expectorat prudentiam, pallor ora decolorat, nil enim eſt aliud metus, quam recurſus ſanguinis ad cor ob imminentis mali imaginationem, quo affectu plurimi extincti periere, plurimi vna nocte è coruis cycni facti ſunt. Ira eſt feruor ſanguinis circa cor ob vindictæ appetitum, in quam propenſiores ſunt triſtes, quibus nil ſedet, aut arridet, ſed auerſantur omnia, ægri, malè affecti, qui amarulento ſanguine diffluunt, melancholici, demum conſilij inopes, qua cauſa Mulieres viris ſunt iracundiores, iniquè enim, & obliquè res æſtimant.

VERECVNDIA denique, quam virtutum omnium cuſtodem, & laudem maximè conſectantem appellant quidam, eſt dedecoris timor ante ora viri, quem veneramur, & veremur, quo in affectu mouetur quidem primùm ad cor ſanguis, tum ad faciem protruditur, ex quo rubeſcit, eò enim ſanguinem natura amandat, vbi defectum fieri perſentiſcit, at honos in externis potiſſimùm eluceſcit. At qui arrogantes ſunt, & ſibi plurimùm tribuunt, cæteros contemnunt, & huius habent, hi inuerecundi eſſe ſolent, quos propterea, inquit Fracaſtorius, cum exprobatione impudentes vocamus. Apud eos verò, (vt teſtatur Alexander) qui caſtè, honeſtèq; viuunt, quod turpia omnia accuſationem ſubeant, maior eſt infamiæ metus, magiſque ipſam vitant, & idcirco accidit, hos pudere maximè, qui turpia odio vehementer habent. Verecundia enim ſimpliciter non videtur eſſe infamiæ metus, ſed multò potiùs à turpibus alienatio, propter quam qui ita ſe habent, timent ſui ipſorum infamiam. Quod ſi huiuſmodi eſt pudor, non ampliùs ſimpliciter paſſio fuerit, ſed habitus quidam, & diſpoſitio, quam prædicta ſequitur paſſio. Illorum igitur, qui ætate progrediũtur, eos quidem qui turpia non euitant, neque omnino cognoſcit aliquis pudere, per aſſuetudinem enim eorum, quæ ab ipſis aguntur, deſpiciunt ſui infamiam. Qui verò ab huiuſmodi liberi, purique ſunt, tunc verecundantur magis, quanto & ſe ipſos perſuadent turpiorem rem eſſe

3. de An. t. iij. in calce.

3. 6. in Diluc. ſuper Auẽz. & de cydon.

Eodem accuſationis genere vtitur Galenus in Archigenem.

Libello de elegantia.

Odium, inquit Aug. li. de Vtil. Credi. eſt perſeuerantia formę nociui in phantaſia.

Soarius lib. de arte Rethor. c. 46.

D. Th. com in lib. Eth.

Li. de ſymp. & antipath. Lib. natural. Quæſt.

esse hanc ætatem natis in rebus turpibus infamiam, quàm iuuenibus. Hactenus Alexander, quem in eorum impudentiam citare volui, qui pudibundis insultant, & oppedunt, ex alienaque verecundia sibi laudem libare conantur impudenter.

Palam igitur esse puto, quomodo affectus omnes mirabiliter cor, atque adeò corpus totum commoueant, in ipso enim corde aut caloris, aut frigoris, vt ait Philosophus, facta alteratio, & si in exigua, & non sensili particula, plurimam sanè in toto corpore parit differentiam cum ruboribus, & palloribus, tum horroribus, & tremoribus, aliisque huiusmodi, vt timone paulum translato magna fit proræ transpositio. At cum affectus penè sint ineuitabiles, manet, vt sapiens ferocienti moderetur appetitui, ne exorbitet, & de gradu, & possessione mentem exturbet, sic enim fiet, vt non ampliùs pathemata, sed actus quidam potiùs animi dicantur. Iræ moderandum Cæsaris apophtegmate: *Cleon non est dignus Cæsaris ira*. Ecquis enim est per immortalem Deum, quem fugiat, interfecti Clytonis longè pœnituisse Alexandrum? Adrianum summo mœrore confectum post erutum seruo oculum? Facultas illa rationis expers semper in damnatas & sonticas impellit, adigitque cupidines, ni rationis radio illustrata videat meliora, & prosequatur. Cæteræ animi perturbationes Epitzeti sententia eliminandæ sunt. *Sustine, & abstine*. Ad hoc ea mente, quòd in sola virtute consistit fœlicitas, vt ait Philosophus.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis,
Etenim licet indica longè
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas
Non posse potentia non est:

Quamquam verò sacris litteris consignatum sit cor sapientis in tristitia, & vexatione versari, gaudium verò, & risum in ore stultorum, attamen (si modo alterutrum licet) modestæ lætitiæ potiùs, quàm tristi seueritati assuescendum esse arbitror, nam actio omnis contrarium habens, si sæpius iteretur, virtutem efficit, cuius est, ad imprimendum effectum valentiorem, virtutis autem fortitudo, & firmitas est quædam ad effectum producendum dispositio, id quod palam fit, nam si corpus identidem calefiat, disponitur, & paratur ad calefactionem, si frigefiat, ad refrigerationem, idem internis virtutibus accidit, habitus enim virtutum ex frequenti actione comparantur, huius autem ea est ratio, quia passio frequens rei illata tandem contracta consuetudine substantiæ conueniens euadit, quod autem vni contrariorum congruum, & consentaneum, alteri incongruum, & dissentaneum esse oportet, quare idemtidem adhibitum, & adiectum aptitudinem ad contrarium suscipiendum summouet, id verò familiare, & intimum euadit. Hinc igitur palam fit, promptam, crebramque lætitiam, spiritum, animumque accommodare, ac disponere ad facilè lætandum, frequentem verò tristitiem ad desperationem, & criticam seueritatem, cuius quidem rei causa est, quòd gaudij, & voluptatis affectionem duo excipiunt, robur nimirum facultatis naturalis, & spirituum subtilitas, & tenuitas ex lætitia parta: Fortitudinem verò, & robur facultatis naturalis tria consequuntur, quorum quodlibet lætitiam parit, primum est spirituum egregia temperies, dein eorundem copiosa genesis, postremùm custodia, & obseruatio, ne superuacua dissentur dissipatione, spirituum autem tenuitatem, & gracilitudinem duo excipiunt beneficia, scilicet apta dispositio, & agilitas ad motum, & explicationem, & alimenti tractim ad diuersas partes appulsus. Hæc autem est naturalis inclinatio, ait Auic. ad declinandum vacuum. Mœroris verò, & tristitiæ frequens implicatio duo parit incommoda, nempe naturalis virtutis imbecillitatem, & spirituum crassitiem frigiditatis sobolem, quam caloris ob coactos, & inculcatos spiritus extinctio inducit. Palam igitur, & planum est, lætandi frequentiam spiritus ad gaudium accommodare, iteratum verò mœroris actum ad tristitiam, quod planè confessus est Hipp. mœrore non modò melancholiam indicari, sed etiam induci. In obliquum porrò multa capit melancholicus, quia fixa, constansque tristium phantasia rem perinde obijcit, ac si reuera præsens, & actu sit, cuius sanè imago animæ oblata perpetuum ingenerat mœrorem: Fortis verò, validaque imaginatio spiritus ariditatem sequitur, at fixam phantasiam intellectus captio, & falsitas, qui enim aliter fiat? Imaginatio, inquit Arist. & cogitatio rerum habet potestatem, cogitata enim species calidi, aut frigidi, suauis aut formidabilis quodammodo id existit, qualis vnaquæque res est, & ideo sola cogitatione perhorrescimus. Falluntur tamen, qui tantùm ei tribuunt, vt aliena etiamnum corpora imaginationis imperio subijci crediderint. Animis, inquiunt, hominum vis, inest res mutandi, quæ obediunt etiam confestim, quum animi amoris, aut odij in res illas excessu, & vehementia occupantur, quam sententiam ea potissimùm ratione inuere, quòd superis Intelligentijs proxima sit anima, quare vt ille intelligendo mouent orbes, & multiplices virtutes in elementa infundunt, ita nostram animam, cum vehementi rapitur phantasia extra materiam, haud est impossibile illarum more in extrariam agere molem. Hinc etiam diuina somnia fieri dicerant, anima scilicet inter dormiendum, deposita rerum humanarum cura Intelligentiarum instar intelligente, & diuinante, quæ ex sensibus non acceperat. Hæc vniuersa haud peræquè omnibus vsu venire contendunt, verùm Heroibus maximè, quibus Intelligentia ea vi prædita contigit, aut quæ fortassis materiæ conditionibus minùs est obruta, quamobrem vehementiùs imaginatur. Hinc nonnulli Vates, nonnulli sola tactione salutiferi euadunt, aliqui alia, quæ vulgò circumferuntur ignorata causa, patrant. Falluntur, inquam,

Lib. de An. mot.

Mere. lib. 2. de An.

In Ethic.

Boetius.

Ficinus li. de prod. vita. In omni æta te inquit ani gnorare cõ ducit ad vitã nemini hil que ritiæ retine re, & oblecta gnenta varia sempervena ri. Iongũ ve ró, profusi que risũ mi nimè, spiri tus enim ni mis ad exte riora dilatat. Arist. lib. de Reg. Princi pum ait, risũ seueritatẽ in ducere, & tol lere reueren tiam effusũ risum vehe mens mutatio sequitur Plato in dial. de Repub. Inter Socratis symbola hoc præcipuũ est ferur, vt effu som cruũ, & triſtitiam ca ueamus. Cœlius etudo inquit Alber tus Magnus, sibi succedere in cordefa cit similes passiones, ita vt tristitia tri stitiã timor timorem sequatur, vigor cordis audacias, & sic de alijs. D. Tho. Con secrando, inquit, aliquid facit in his, quæ pertinent ad virtutes morales, & nõ ijs, quæ sunt secundũ naturam, aut præter naturam. Lib. de virt. cordis. Lib. de An. mot.

Notatur Auic. Vallesius.

quam, non enim aliter nobis inest anima, ac sua forma brutis: Hoc interest tantùm, quod hæc ex materiæ gremio educta formæ duntaxat officio fungitur, at mens nostra non modò forma est peculiari modo, sed habet præterea substantiam, quam exuta corpore retinet, veruntamen illa sola, & corpore constamus, illa inquam, diuersis facultatibus vsa. Ergo si anima perinde nobis inest, ac sua belluis, credibile est, cum manet in corpore, in materia duntaxat operari, nequaquam vaticinari, nequaquam disiunctum, difficilumque corpus afficere, & de statu mouere, immotis firmisque medijs, neque aliud quicquam, quod substantijs ex elementis concretis denegetur, condere. Quare quædam peculiari Dei gratia fiunt, nonnulla Dæmonis auxilio, & indigitamentis, nulla naturæ viribus accidunt. Habet quidem in nos magnum imperium imaginatio, vt nonnunquam perditis spiritibus mirabiles gerat effectus, doloris sensum inferat, & quæ neque sunt vsquam, neq; re possunt esse profectò, nobis aliquandò obijciat, vt melancholicorum exemplo patet, quibus certè admiranda efficiendi vis inesset, vtpote quos vehementior exagitet phantasia. Accedat ea ratio, hominem, si distans, difficilumque obiectum afficere, percellereque posset citra attactum (sic enim fiat oportet) infimæ virtutis fore, cui quippe nil actionem interpellet, & impedirat, atqui hoc ἀνόητον est, qua de re doctissimè Baptista Codronchus egit. Equidem plurimos noui extemplo natos, & ceritos, qui iniecta vincula, manicas, pedicasque ferreas dissoluentes sese expediebant, & in libertatem asserebant. In primis Aniculam, quam vno spiritu diffluxisse, in mentem venit, quæ per compita concitatiore cursu furens, & oberrans nec vinci, nec vinciri potuit, quin potius arrepta Palla vehementiori concedens impetui frustulatim dissuebatur, rescindebaturque. Causam in malum Dæmonem referebat vulgus, quam eandem ipse atræ bili acceptam ferebam, cuius ebullitione commota phantasia vehementiùs visis inolescebat, est enim, ait Fracastorius, specierum vis incredibilis in mouendo animum, animæ verò in mouendo corpus per ipsas species, vt dicere audeam posse hominem super Aquis incedere, si ingenti quadam phantasia, & specie agitetur, cuius rei tenue quoddam signum præbet voluntas, quæ hominem à terra saltu tollit, & librat per certum tempus nullo alio tantum pondus sufferente, quàm specie, longè autem maior est vis specierum, quæ à natura, quàm quæ à voluntate. De Fascinatione eadem ferenda sententia, nam visu fieri, aut imaginatione, penitus ridiculum est existimare. Verùm alterutra ratione, aut à Fascinante infectum quendam halitum expirari, adeò pernicioſum, & lethiferum, vt protinus rei attactæ temperiem, & naturam euertat, non aliter, ac venenum, quo modo fortassis conqueritur Pastor apud Platonicum Poetam.

Nescioquis teneros oculus mihi fascinat Agnos

Cuius naturæ, & Puella fortè erat, quæ Alexandrum visu receperat interficiendum, quem modum his reiecit Riolanus. Potestne vapor, aut spiritus iste malignus obiectis oculis esse funestus proprio subiecto innoxius? Putas ne Puellam venenosa nutritam potuisse præstare, quod pollicebatur, cum venena consuetudine fiant alimenta, tandemque coctione triplici alterata desinant esse venena? Gallinæ nutriuntur rubetis, & scorpionibus, capræ cicuta, neque propterea visu quemquam offendunt. Estne verisimile ab assumpto veneno vaporem attolli ad oculum, quo ipse non lædatur, cum à causis tam internis, quàm externis, tam facilè offendatur? Aut cur halitu potiùs non lædunt, quàm visu? Sanè si visus fiat recipiendo, non emittendo, sitque chrystallinus humor veluti speculum animatum, frustra ars aliqua fascinandi constituitur. † Qua in re etsi non diffitemur nullam esse fascinandi artem, quæ sit arbitraria, non possumus tamen, quin concedamus, ex oculis aliquando tetros, & sonticos vapores efferri, qui obiectis oculis non sint innoxij, quod mulierum exemplo patet, quibus menstrua fluũt purgamenta, quæ oppositum maculant, fædantque speculum. Neque absurdum est, vapores illos reliquis esse infensos, proprio subiecto innoxios, siquidem vt vipera non sibi, sed reliquis noxia, & exitialis est, ita malignus vapor non proprio, sed alieno subiecto infensus esse poterit, nil enim extat absolutè malum. Quare confectum sit ægritudinem per tetros halitus inferri posse. † Aut demum naturæ legibus efficitur, cum scilicet vsque adeò consumatæ, absolutæque salubritatis est corpus, vt in melius proficere non valens, neque in eodem statu consistere, cogatur in deterius relabi. Scitè proin Celsus notauit. Qui speciosior factus est, suspecta sua bona habere debet: Quicunque enim procul à naturæ suæ conditione discscunt siue in melius, siue in deterius facilè morbis implicantur. † Hinc Pueri obesuli, & molliusculi athletico habitu præditi si fortè alicuius Aniculæ palpo, aut blandimentis attrectentur, in malas valetudines decidui (leuis enim paratis satis est occasio) creduntur fascino affecti, propter quod tam multa machinati sunt veteriores. Sed hactenus. Quid vero profuerit rebus imposuisse modum, ni diuina suffragetur gratia? Dijs igitur supplicemus, operemurque eorum præcepta religiosa mente colentes. Parentibus auscultemus, & obsequamur, talibus enim Deus vitam produxit. Suppudet verò recensere, quod probatæ, spectatæque doctrinæ viri scriptis mandarunt ad vitam producendam, nam cum vnica eius sit ratio, quippè vt caloris, & humidi primigenij substantia foueatur diutiùs, & conseruetur, quæ veluti animæ vinculum est, hoc autem bellè rerum non naturalium, & adiaphorarum, quas retulimus, mediocri vsu, pro cuiusque natura consequamur, cur annulis, aut characteribus fidamus, quibus certa quadam ratione confectis vsa fertur antiquitas? Cur Glauci herba, qua degustata Antedonius nescioqua immortalitate donatus fuit? Cur ambrosia, aut potabili utamur auro? * Vsũ tacitus prætereire nequeo, iugis, in remotioribus, & salebrosis tesquis pauperis Aurenti repertum opilionem, qui annonæ penuria, & egestate

Viperea altus erat condita carne vicissim.

Sectis sensere Pet. Aponensis & Pomponatius.

Causa dispositionum & accidentium contingentium in melancholia secundum veritatem est incomprehensibilis. Serapio. Vide Philippum Fauentinũ Theologum c. 8. contra Atheistas.

2. de Intell.

✠ Splendida, inquit Themistius, vim habent mouendi de genere autem splendadorũ oculi sunt: Hoc igitur refert, quo menses patiuntur (nam & vri sua menstrua patiuntur) eodem modo lumina quo cæterũ corpus afficiuntur. omnia enim membra a pergine menstruorum rigantur præcipuéque oculi, quia maximè foramina sunt vehementique. Hippocr. 1. Aphor.

✠ Halitus Athletarum periculosi, &c.

✠ Colleg. Conimbric. vniuersim, inquit, eos, qui venustiores sunt, hoc virus corripit. (Admittit autem fascinum) vel quia his magis effascinantes inuidet, vel quia eos laudant, qui ob id lætitia perfusi eorum intus totam faciem, ac præsertim oculos dilatant, fascinaque veneno vitam aperiunt, &c.

* Docet Ficinus lib. de prod. vitæ, quo modo aurum potabile conquiri possit.

Et cum annum ſexageſimum ageret pubertatem præſeferebat nullis vexatus languoribus. Quod ſi quis difficile credat, norit, viperinas carnes ad reformandam temperiem, & ſuperuacua excludenda maximum habere momentum. argumento ſint Cerui, & annoſi corui, qui ſerpentum ſuctu, & ſorbitione fruuntur, ſuam reparant ſenectutem; in quam ſententiam quidam optimè notæ medicus accommodatè, & appoſitè ſcripſit. † Præſtat, ait, vipera, non modò medicamenti, ſed etiam alimenti vicem, & ſanè optimi, longiſſimèque vitam producentis, & hercules Aegyptios viperis frui teſtatur † Galenus. Verùm † Auic. in hanc rem ita ſcriptum reliquit. Et caro quidem eius, ideſt viperæ, cum in vſu habetur, ætatem prorogat, vittutem corroborat, ſenſus, & iuuentam conſeruat. Superuacua tamen ad ſuperficiem protrudere docet, pediculoſque progignere. Plinius non modò viperis vitam extendi exemplo Cirnorum, & Indorum, qui centum, & quadraginta annos excedunt, verùmetiam ſolo muſi vſu, contendit. Hinc fortaſſis rogatus Pollio à D. Auguſto, qui tandiu, ætatem produxiſſet, reſpondiſſe fertur, foris oleo, intus melle. Galenus ſcribit Antiochum Medicum, & Thelephum Grammaticum, quod plurimo Attico vſi fuiſſent melle corpore, & animo firmo ad ſummum vixiſſe diem, qua cauſa etiam Lycus, vt ait Athenæus, Macrobios vocauit Corſicos plurimo melle ſeſe replentes, quod cum ſcirent Pythagoræi ſolo pane, & melle menſam conſtrui iubebant. Facit ſanè mel non modò ad ſanitatem, verùm etiam ad animi mores componendos, & prudentiam, qua ratione ſacris paginis conſignatum eſt, butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quod per hieroglyphicum Apum in ſecundo oleæ ramo conſidentium ſignificari compertum eſt. Ioannes Baptiſta Porta carnes Anſerinas ad vitæ diuturnitatem facere tradidit, quod eas Celſus inter cibos plurimi alimenti recenſeat, ipſæque volucres longæuæ ſint, eandem vitæ protrahendæ facultatem non in carne tantùm, ſed & in adipe agnouit Ficinus, qui mandat etiam, vt ſenes, quos hectica ſenilis exedit, Puellam formoſam, hilarem, temperatam famelici eligant, eius lac exſugant creſcente Luna, mox dulcis Marathri modicum aſſumant pul. facch. confecti. Saccharũ lac in ventre cogi non ſinet, nec putreſcere, Marathrum cum ſit ſubtile, & lacti familiare peruehet ad mẽbra, & diffundet. Præſcribit etiam ſanguinem ex tunſa Adoleſcentis vena hauriendum, quod ſanè præſidium non modò inhumanum eſt, verùm etiã abominabile, & exitiale. Ecquis enim eſt, qui neſciat, cruorem in ventriculo corruptum iri, prauaque acceſſiturum ſymptomata? quidquid enim proprio ſeruatur loco extra perditur, & corrumpitur.

Magno erit vſui Elixir, quod Manardus deſcribit, quod omnia corporis membra roborat, & ſenectutem retardat. Eſt autem huiuſmodi.

Recip. Nucis Myriſticæ, Garyophill. ana vnc. ij. Cinnamomi odoratiſſimi, florum Saluiæ, ſeu Maioranæ ana M. j. Cychorij, Abſynthij, Camæpythios ana M. j. Santalorum omnium ana vnc. ſemiſſem Melliſſophylli, Ozymi ana M. j. Croci vn. j. Calami aromat. vnc. vnam, & ſemis, Stœchados vnc. treis, Rheipontici vulgaris vnc. j. Rheipontici veri unc. ſemis. Centaurij minoris m. ij. Omnia contuſa maneant integrum diem minimùm in uino odoro tanto, ut cætera benè operiantur, ſimulque cum ipſo uino in uaſe magno uitreo Chymicorum more facto, & incruſtato igni claro, non uehementi admoto ſublimentur, per roſtrum uaſis effluet ſuccus, qui diligenter colligatur, & in benè obturato uaſe aureo, uel uitreo obſeruetur, ex eius enim unica drachma uel per ſeipſam, uel cum cyatho h. e. unc. ij. uini Hyeme, Aeſtate Aq. Roſ. pota mirandum in modum totius corporis uires reparabuntur. Quod ſi quæ ſuperfuerant aridæ partes benè contritæ, uinoque reſperſæ fortiori igni admoueantur, ſtillabit liquor, qui forinſecùs illitus multum roboris artubus indet. Placet Actuarij medicati uini præſcriptum ſubijcere, quod ſalubre uocat, ſi quis frigidi temperamenti eo utatur, aitque integram ualetudinem ſeruare. Sic autem habet.

Recip. Zinziberis, Fœniculi, Anethi, piperis ſingulorum ſiciliquum h. e. drachmas duas, aliquibus iridis drachmas centum. Ea tuſa, & ex uino uetuſto, & odoro ſubacta in linteo illigato, & in uini ſuauiſſimi congium iniicito, multoſque dies macerari ſinito, quò enim diutiùs maduerint, eò melius erit. Propinato ſingulis diebus heminam. Conferet tale uinum hyeme, & pituitoſis, & qui pectoris uitiis frigidis tenentur.

Huc ſpectat etiam Epiphanii Ferdinandi electarium, quod ipſe pluſculum philautos Chartheu uocat. Sic autem habet.

Recip. Myrrhæ troglodyticæ unc. j. Garyophyl. unc. ſemis. Rheipontici unc. i. & ſemis, Nardi indicæ drachmas ſex, Rad. Peoniæ unc. i. Ariſtolochiæ utriuſque ana drachmam unam, & ſemis, Spicæ nardi drachmas ſex, ſandal. omnium, thuris, Maſtiches ana drachmam unam, Aromatici Roſati unc. ſem. Diadagrydii drachmas treis, trochiſcorum de berberis drachmas duas, Miſce, & cum ſaccharo in ſucco roſarum ſoluto fiat electarium. Doſis drachma una ex Aq. Roſ. aut D. coriandrorum.

Hoc Electarium continet puluerum uncias ſeptem, quibus octupla ſaltem ſacchari portio adiici debet, ut ritè concinnetur electi. Quare totius compoſiti pharmaci triginta duæ drachmæ ſuper quadringentas reſultabunt, atque adeò totidem doſes, in quas Diagrydium ad dimidii grani pondo duntaxat ſeſe ingerit, quod eſt infra minimam doſim. Quamobrem neſcio cur benedictum hoc diagrydium huc accedat ad turbandam totius pharmaci formam, quod eſt allioticum. Fortaſſis ad ciendum lotium adiicitur, nam Diagrydium, ait Ariſt. infra doſim propinatum urinas ciet. Quidquid ſit, poterit tutò expungi.

Mihi omnium inſtar ſit Theriace ſerena, quæ noſtræ formam ſimillimam habet, propterea facultates mirabiliter confirmantur, ſi ritè adhibeatur.

Hic

✠ Gland. de greſſu ad firmos.

✠ de alim. ſuc c. iij. Lib. 2. c. de ſerp.

Li. de prod. vita.

Semnertus li. 1. particula 1. c. xiv. ſcripſit dari ſanguinem humanum eponum dementiam inferre.

Lib 20. Epiſt. 1.

Lib. 5. de meth. med. c. vij.

Hiſt. Lit.

In Probl.

Hic præterire nefas est Serapium nostrum, quod chronicis feb. tollendis obstructionibus, flatibus discutiendis, doloribus consopiendis, pectoris uitijs mitigandis apprimè utile est.

Manard. ep. 4. lib. xix. ad Cracouiēsē Episcopum pro tertiana consumenda proponit D. Chamæmelli 2. h. ante accessionem. Phonseca li. 1. consult. Ixij. vocat

Præscriptio Syr. de Camæmello.

Recip. Anthemidis m. iij. summitatum Anethi p.j. Cassuthæ, Adianthi utriusque, Agrimonij odorati ana m. j. Rad. pentaphylli, bistortæ, filicis, Angelicæ, glycyrrhizæ rasæ ana unc. semis. sem. Marathri drach. duas. Omnia ritè parata coquantur ex arte in aqua Camæmelli ad dimidias. Colati iusculi accipe lib. iij. Sacchari optimi lib. ij. mellis optimi despumati unc. iiij. coquantur simul ad perfectam syrupi consistentiam, ut Artis præcepta mandant.

Camæmellum febrifugum. Vide Galen. 3. de simpl. med. facult. c. 10.

Sed iam tempus instat, ut manum de tabula tollamus hoc unum adijciētes, ea, quæ generatim, & catholicè tradidimus præcepta ad incolumitatis, & uitæ custodiam temerè à singulis usurpanda non esse, sed certa lege pro cuiusq; idiosyncrasia.



IN ARISTOTELIS LIBELLVM DE CONSERVATIONE SANITATIS AD ALEXANDRVM MAGNVM Commentarius

IOANNIS STEPHANI IATROPHYSICI VENETI.

SCITO, ò Alexander, quòd non est via ad aliquam scientiam acquirendam nisi per potentiam, & non est potentia nisi per sanitatem, & non est sanitas nisi per æqualitatem humorum, &c.

Aristoteli Liber iste adscribitur, tametsi non iniuria quispiam suspicari possit, ex Arabum officina, quorum sapit phrasim, in lucem prodijsse, neque enim eam styli grauitatem, nec præclaram illam methodum, quam vbique præseferre solet Arist. ostentat. Verumtamen quia ad seruandam sanitatem egregia præcepta proponit, quæ vel ex Coi, vel Pergameni adytis emanasse dixeris, quæque ex Æsculapij apographis se decerpsisse Author profitetur, nostra commentatione locupletare, & corrogata Veterum auctoritate confirmare visum est.

Hoc itaque argumento suadet Alex. vt sanitati operam det, quòd ad scientiam adipiscendam conferat firma valetudo, nouerat enim sciendi desiderio flagrare Alex. qui, scribente Themistio, Aristot. acriter insimulauit, quòd Auscultatorios inuulgauerit libros: nam, inquit, qua alia re præstare cæteris poterimus, si ea quæ abs te accepimus, fiant prorsus communia, ego enim malim doctrina anteire, quàm copijs. At verò subdit Author, neutiquam scientiarum ornamentis formati poteris nisi per potentiam, quæ ex bono sanitatis habitu necessaria quadam consecutione proficiscitur, est enim sanitas agendi potentia, propter bonam partium constitutionem, atqui sanitas humorum æqualitatem excipit, pendet enim ex calidorum, frigidorumque commensuratione quadam, aut eorum, quæ sunt intra, aut ad continens. Arist. 7. Phis. c. 17.

Quare vt commoderatio, & æqualitas facit ad sanitatem, sanitas ad potentiam, & scientiam, ita scientia vicissim, quæ est rerum, quæ sunt, veritatis comprehensio, confert ad potentiam, & imperium (si modò res transferri debeat ad Politiam). Nam vt ille natura seruus est, qui tantùm particeps est rationis, vt sentiat quidem, at non habeat, ita ille natura dominus, qui scientia, & ingenio præstat. Ratione, & intellectu vigentes, inquit Arist. natura domini sunt, & rectores aliorum. Hinc 1. Metaphys. dixit, sapientis esse ordinare, quòd sapientia sit summa perfectio rationis, cuius solius est ordinem nosse. Eodem Plato spectasse videtur, quando scripsit. Naturæ quidem lege sapientia, potentiaque excellens in idem tendunt, semperque ista duo se inuicem affectant, persequuntur, congrediuntur: Et hac ratione Poetæ Principibus aliquem sapientem familiarem constituere: Homerus Nestorẽ Agamẽnoni: Euripides Thiresiam Creonti: Hesiodus Prometheum Ioui, Maro Achatem Æneæ. Arist. 1. Polit. In Proœmio. In Epist. ad Dionys.

Porrò

In Apoph.

Porrò imperij auidissimum fuisse Alexandrum vel à pueritia, testatur Plutarchus. Alexander, inquit, Puer adhuc cum Parentis sui fortia facta intueretur, nequaquam tamen his gaudebat, sed inexplebilis ad pueros æquales dicere solebat. Pater nil quicquam mihi relicturus est. Illis verò contradicentibus; Imò omnia parat tibi, vt hæredi. Quid tum postea, inquit. Ego interim nil habeo, quod agam. Quis non miraretur tantam regnandi cupiditatem puero infuisse, qui præter naturam eius ætatis non fuit contentus imperio patris sui: Imò ab ipsis fatim cunabulis animum in id intendit, vt multorum dominus esset. Hactenus Plutarchus

» *Et Deus sublimis ordinauit remedia ad tempreantiam humorum, & conseruationem sanitatis, & ea* » *reuelauit Philosophis, & Prophetis, quos illustrauit* » *spiritu diuinæ sapientiæ, etc.*

Artem aliam Deus, et rerum natura repertrix
Instituere sacrā, qua lāguida corpora morbo
Eriperent quouis propriæ reditura saluti.

Cecinit verè Vates ille. Ars Medica, inquit Ficinus, diuinitùs reperta est, & diuinitus exercetur. Nonne Raphaelem Archangelum volunt Hebræi huius artis opus exercuisse? Et sanè hanc artem nobilissimam Reges excolere non dedignabantur, quales fuerunt Sabor, & Giges, Medorum Reges: Sabid Arabum, & Mithridates Ponti Rex, Aegyptiorum verò Hermes, & Mesuæus Regis Damasci nepos. Huc accedunt Democritus, Timæus Locrus, Plato, Arist. Apud Homerum Principes tantùm medicinam exercent.

Vlisses Diomedi sagittam extrahit Polypus Sarpedoni: Patroclus Eurypilo. Nec erubuit Achilles Thelephi vulnus manu contrectare, & inspersa ærugine percurare. Neque sua maiestate indignum putauit Alexander, amicis laborantibus medicinam facere. Nec puduit Herculem Medicinæ studio vacare, cuius ope Alcestem grauiter ægrotantem, ac fermè desperatam pristinæ valetudini restituit. Medicinæ igitur origo, siue Hebræos, & Arabas, siue Græcos, & Aegyptios Theologos sequaris, ab ipsa diuinitate manauit, vt noster quoque profitetur Author. Deus enim bonorum omnium conditor, sapientiam natura & origine cœlestem participatione terrenam fieri, & in humanum consortium venire voluit, soloſque * Philoponos ad eius consuetudinem admisit, ratus indignum à * Philodonis rem tam sacram illotis manibus attrectari. Eam igitur reuelauit Philosophis, ac Prophetis, quos Plato Angelorum voces audire scripsit.

* Laboris patientes.
* Otij sectatoribus.

Quos illustrauit spiritu diuinæ sapientiæ, etc.

Sybillas, & Vates pythonicos fieri, & futura præuidere, non quia afflentur, sed ex atra bile naturali, quæ mentis sedem incessat, arbitratur Arist. sed ita sese habere debet atra-bilis, ait Ficinus, vt sanguine, & bile flaua perfundatur, adeò vt sint octo sanguinis particulæ, duæ flauæ, totidē bilis atræ. Hinc spiritus plurimi, lucidissimi, & planè ætherei exoriuntur, quibus præditi diuinis influxibus, oraculisque ex alto replentur, Diuis proximi noua quædam, & inusitata excogitant, & futura prædicunt. Hinc Arist. meritò carpit, & fugillat ignauum vulgus quod somnia, & visa vulgaribus, & idiotis potiùs immitti à Deo arbitratur, hoc enim, inquit ille, fieri debet potiùs apud Sapientes, qui sunt Deo familiares, & * τοφιλεστατοις. Itaque cum sanitas in quadam commensuratione, & æqualitate consistat, vbi deficit, remedia eam sufficiunt, remedia voco, quæcunque morbum depellunt. Dicitur verò Deus sublimis, quia Philosophorum sententia primus motor est in tota ea circumferentia, quę extra orbem est, nam si eum ponas circa extimam circumferentiæ partem, vtpote circa Polos, vt voluit Eudemus, fit, per accidens vt moueatur, cum sit immobilis, non item, si in tota vniuersi circumferentia, quæ tota non mouetur, sed in eodem semper permanet, & in eo est, quod celerrimè mouetur, obsoleuit verò Pythagoricorum opinio, Motorem esse in medio, vnde soliti sunt appellare centrum locum Vestæ, & Iouis turrim, &c.

* Diis charus, amans Deum.

Et primùm Persæ, et Græci ea calluere, vt vidimus in suis scriptis secretorum Medicinæ, &c.

Cum mundo natam esse Medicinam, & à Deo emanasse scitum est: Qui verò primi eam calluerint, ignotum, & controuersum. Arist. alibi omnium bonarum artium inuentores appellauit Aegyptios, quos Cœli amœnitas, & soli fertilitas ad rerum contemplationem, & studia excitant. Hic tamen primùm Persas, & Græcos calluisse fatetur, qui verò inter Persas excelluerint, præstiterintque mihi nondum est compertum. Græci autem Medicinæ originem à suo repetunt Apolline, & Æsculapio, quòd nullus, qui in ea priùs excelluerit, historiarum fide celebretur.

Ouid.

Inuētum medicina meū est, opisexq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Hipp. autem, ego enim, inquit, ad finem medicinæ non peruenì, etiam si senex sim, Neque ipsius inuentor Aesculapius, sed & ipse à seipso in multis dissentit, quemadmodum scriptorum libri nobis tradunt.

In Epist. ad Demoer. Soranus in Præfat. Isagogici, sic ait, Medicinam quidē inuenit Apollo, amplificauit Aesculapius, perfecit Hippocr. Franciscus Patritius.

Hipp. remedia, quæ à prioribus acceperat primus in artem coegit, & singulis morbis singula remedia accommodauit, propterea non immeritò primus author Medicinæ perhibetur. Apis tamen Aegyptiorum Rex creditur primus medicinæ inuentor, quem propterea Aegyptij in Deorum numerum retulerunt: Aesculapius primus inuenta scriptis tradidit. *Vt vidimus in scriptis, &c.*

Scientiæ olim tanquam arcana condebantur, aut nonnisi sub ænigmate in vulgus efferebantur, indignum enim existimabant vel immeritis, & rudibus pulcherrima quæque innotescere: Exemplo sit illud Platonis ad Dionys.

In Epist. ad Dionys.

Dicis non satis tibi demonstratam eius, quod primum est, naturam, dicendum est igitur, sed per ænygmata, vt si quid huic tabulæ mari, vel terra acciderit, qui eam legerit non possit intelligere. Sic autem habet. Penes omnium Regem omnia sunt, omnia ipsius gratia, & ipse est omnium bonorum causa. Secundum verò circa secunda, & tertium circa tertia: In qua explicanda sententia mirè æstuant Platonici, Iamblicus, Proclus, Plotinus,

Ænygmatodem brachylogiā explicat Fernelius lib. 1. de Abd. rerum causa c. 10.

2o. Sect. Probl.

Innui Trinitatē censet Nyphus.

nus, Numenius, Plutarchus, qua intellecta nil diuinius, nil Christianæ Theologiæ magis congruū à natura mortali excogitari potest. Vtinam nobis præsto esset Caimus plusquam Platonicus.

Tria circa Regē omniū Plato statuit, ait Fern. coæterna, bonum rerū omnium Patrem, à Patre', bonoque mens procedit, vt ab ingenita soli luce lumen, quæ mens intelligentia est diuina boni Filia, à mente rursus anima mundi fluit, vt splendor à lumine: circa primum, qui Pater est omnium, simplex est bonitatis idea, à qua diffluūt innumeræ ideatum differentiæ, quas diuina mens excipit, vt sint secunda illa circa secundum, ab ijs verò emanant idearum rationes animæ mundi immissæ, vt tertia sint circa tertium, &c.

Conueniunt autem ipsi Persæ, & Græci, quòd Homo compositus est ex elementis oppositis, & ex quatuor contrarijs humoribus, qui semper indigent resumentibus, quibus si caret homo, corrumpitur eius substantia, etsi his superflue vtatur, aut diminutè, incurrit ægritudines varias, quòd si vtatur temperatè habebit innamen vitæ, & corporis fortitudinem, & substantiæ suæ salutem.

Quod homo ex quatuor elementis constet, sæpius ab eodem Arist. repetitum fuit, quòd verò ex quatuor humoribus consistat, non constat, si quidem Arist. alibi solo sanguine diuersis partibus constituto sanguinea animalia nutriri, & alescere, atque adeò componi confessus est (eadem enim sunt nutritionis', & generationis initia (cæteros humores excrementa vocitasse, palam est. Verumtamen, quomodo conciliari possit Aristot.

Com. in lib. Hippocr. de Structura Hominis.

aliàs planè docuimus

Qui semper indigent resumentibus.

Calor nō de molitur pro prias humiditates, vt ut a subiectū, quia nullū accidens destruit proprium subiectū, sed proximas humiditates, & alienas absumit.

Cum calor naturalis, atque adeò continua actione agat in suppositas humiditates, quæ sunt veluti pabulum, non est mirum, si in absumptæ substantiæ locum necessariò desiderentur instaurantia, alioquin corpus flaccidum tabesceret. Calor enim duobus modis corrumpitur, extinctione, vel marcore, extinguitur suis contrarijs frigore, vel humore, copia verò suffocatur, marcescit moderato aeris afflatu prohibitus, inopia pabuli, aut maioris ignis præsentia. Quare cum calor natiuus non aliter foueatur humore primigeneo, quàm flamma oleo, & flamma marcescit, nisi nouum oleum in absorpti locum reponatur, ita vitalis calor tabescit, nisi iactura radicalis alimento reparetur.

Præterea vt flamma circumfluo aere nutritur, imò nil est aliud quàm incensus aer, ita æreo humore, non aqueo natiuus calor conseruatur, & vt aer flammam circumambiens cedit illi in pabulum, ita succulentus, & alimentarius humor penuriam radicati resarcit.

Et si his superflue vtatur, &c.

Arist. in 1. Sect. Probl. pedit morbos in excessu, aut defectu. Lib. de Flat.

Cum sanitas sit æqualitas quædam, & mensurata mediocritas, quā nil præstantius, vt ait Plato in Gorgia, vbi excessus quidam, aut defectus subrepunt, è vestigio morbi emergunt. Propterea Hipp. Medicinam adiectione, & subtractione definiuit, sanitas enim conseruatur, si, quod superuacuum est, subtrahatur, & adijciatur, quod deficit.

Vnde oportet se conseruare in cibo, & potu, somno, & vigilia, motu, & quiete, in dissolutione, aut retentione ventris, & subtractione sanguinis, qui vult se conseruare à molestijs ægritudinum, & de his dicam sub congrua breuitate.

In præsentiarum commemorat sex res, quas Medici vocant nonnaturales, adiaphoras, quia benè vtenti bonæ, perperam malæ, in quorum recto, & decenti vsu consistit sanitas: Nam si quis cibis optimis frugaliter, & opportunè fruatur, vino non se repleat, sed tantum ingerat, quod satis sit ad chyli elaborationem, eiusdemq; diadosim, si motum, & quietem prout propria exigit natura, & anni conditio, ineat, si quàm par sit, non dormiat, aut vigilet amplius, si alium nec nimis strictam, nec nimis solutam habeat, si in affectibus modum teneat, (nam passiones omnes, vt est philosophicum axioma, appetitus sensitiui efficiunt in corpore transmutationem) proculdubio sanitas seruabitur. Spectanda tamen cuiusq: natura in præscribenda mediocritate, & regio, & anni tempus, alioquin si vno, eodemque calapodio omnes calcearentur, vt paræmia fertur, plurium malorum necessariam consecutionem inferre necesse esset.

Conueniunt autem omnes, quòd ille, qui vtitur bis temperatè habebit longitudinem dierum, & bonam valetudinem. Nam dicunt Philosophi, quod omnia delectabilia huius mundi, siue deliciæ, siue diuitiæ, aut honores appetunt durabilitatem: Qui igitur vult durare, audiat hæc, quæ facient ad vitam conseruandam, & renuncient desiderio propriæ voluntatis, &c.

In Epid.

Mensura omnium optima, vt est pythagoricum illud. Hinc Hipp. motus, quies, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. Quare qui mediocritatem adhibet, is sanitatem sartam, tectamque tuetur, & ea de causa temperantiæ comitem Plato adiunxit fortitudinem, quia qui temperanter viuit, sanitati consulit suæ, atque adeò vitæ producendæ, nam etsi eadem prorsus vitæ, & sanitatis principia non sint, mutuis tamen stant auxilijs.

Nam dicunt Philosophi, &c.

Quidquid est, permanere desiderat, hoc autem est argumento, quod resistit corrumpenti; non modò igitur qui voluptatibus & delicijs delibuti sunt, diligunt esse, & permanere, sed quidquid natura constat, tametsi qui Summani tyrannidi perpetuæ subijciuntur manes, efficitimque plectuntur, fortassis non esse concupiscunt, vt quidā trāsmundani Philosophi constituunt.

Et renuncient desiderio, &c.

Prudenter Pythagorei, si animus motiones singulas tum sui, tum corporis moderetur perpetuam vtrinsque sanitatem, & diuturnam vitam corpori pollicentur, quod sanè plerisque sapientibus, sanctisque viris accidisse testatum est.

Primò itaque euitet crapulas, et non ponat cibum super alium indigestum: Vnde dicit Hippocrates, esse comedendum, vt viuamus, non viuere, vt comedamus, quia alimentum propter durabilitatem quærendum est, non durabilitas propter alimentum, &c.

Nil peræquè pernicioſum esse humanæ naturę,

atque

atque cruditas, quam crapulæ pariunt, satis compertum est. Hinc Celsus, obseruatum est, inquit, nationes voraces esse breuioris vitæ, ea autem est ratio, quoniam necessum ex excrementorum prouentum succrescere, quæcunque verò excrementis scatent, quum sint contraria, ocyssimè corrumpi oportet. Hinc Arist. lib. de longit. & breuitate vitæ: Præterea oportet, inquit, vt quod haud facilè corruptibile sit, nequaquam excrementis abundet, quod enim tale est, aut vi morbi, aut suaptè natura interimitur, nam excrementorum virtus, atque facultas vicem subit contrarij, atque interdum naturam ipsam, interdum partem corrumpit. Quod autem subijcitur tanquam dicterium, & apophtegma habendum, emanauit autem à Socrate primùm, vt puto, *Beata terra*, inquit Ecclesiastes, *cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, non ad luxuriam.*

» *Ego multos noui abstinentes in cibo, & potu, &*
» *sanissimi corporis, & longæuos, & bonarum opera-*
» *tionum, vt vidi in Arabia. Vnde summa sanitas*
» *consistit in abstinentia à nimia comestione, & quan-*
» *doque superfluitates purgare, nam Hipp. ponit con-*
» *seruationem sanitatis in duobus pluraliter, in vsu*
» *temperato ciborum congruentium ætati, regioni, &*
» *consuetudini, similiter potuum, secundò, quòd purga-*
» *tio fiat eius, quod est superfluum in humoribus.*

Comprobat exemplo Arabum quorundam, quos frugaliter viuentes sanos, & longæuos obseruauerat, & benè munera sua tractantes. Narrat Xenofontes in institutione Cyri, vsque adeò frugaliter viuere consueuisse Persas, vt ne spuere quidem viderentur, quòd si quis intemperantiæ caussa crebra spuitione sordesceret, velut infamis despuebatur, & declinabatur. Tria, inquit Hieremias Triuerus ex Hipp. sunt ex maximè salubribus, vesci citrà saturitatem, impigrũ esse ad laborem, & genitale sperma reseruare. Concludit igitur totius sanitatis tuendæ rationem super eo cardine verti, vt ne nimio cibo ingurgitentur corpora, & si quid superuacuum est, foras exturbetur, id quod Hippocratis auctoritate probat, qui scripsit, sanitatem potissimùm consistere in vsu ciborum congruentium ætati, regioni, & consuetudini, deinde in euacuatione superuacuorum excrementorum.

Com. in lib. 1. Celsi.

» *Et scias, ò Alexander, quod corpora humana, quæ*
» *sunt receptacula ciborum, & potuum resoluuntur, &*
» *diminuuntur tam ipsa corpora recipientia, quàm re-*
» *cepta alimenta: Resoluuntur in primis ab ipso calo-*
» *re naturali exsiccante humiditates corporis, et calor*
» *nutritur humiditate illa. Resoluuntur præterea per*
» *calorem Solis, et venti, qui desiccant humiditates*
» *omnium corporum, et pascuntur humiditate tam cor-*
» *porum, quàm fluuiorum, &c.*

Duabus præcipuè affectionibus esse obnoxia humana corpora, congenitæ nimirum humiditatis putrefactioni, & difflationi, iamptidem à Galeno, & Auic. proditum fuit, & quemadmodum exsiccatio, & difflatio congenitę humiditatis tum à calore intrinseco, tum extrinseco promouetur, ita putrefactio ab extrario duntaxat excitatur, est enim putredo affectio à calore externo in humido intrinseco. Quod verò calor Solis, & venti afficcet corpora, satis compertum est, calor enim humidum absorbendo corpora sicca dimittit, venti præterea cum ex calida, siccaque exhalatione constent, imò nil sint aliud, quàm in obliquum permota exhalatio, vi propria siccãdi pollent. Ventum sic graphicè descripsit Sturmius.

Lib. de Plu. Inat. Theo. rematr. Ventus Hyperati lib. de Flat. est Aeris fluens vola.

Est ventus calida, et sicca exhalatio flammam
Aegrè concipiens, terris eductа, deorsum
Aeris à mediæ regionis frigore pulsa,
Quæ circa terram celeri in latus impete
fertur,

Quando ergo corpus est calidum vaporabile valent grossa cibaria, &c.

Calidis corporibus, quæ raro corporis habitu prædita sunt, præscribit alimonias crassiores, & rectè sanè, calor enim validus obiectum desiderat proportione respondens, alioquin torresaceret leues cibos. Accedit, huiusmodi corpora solidis alimentis melius nutriri, & non vsque adeò diffiari. Agricolæ si offeras auiculas, aut Perdices, affici se sentiet

Quando corpus est depressum, et siccum, valent subtilia cibaria, &c.

Depressa corpora vocat macilenta, & strigosa; Qui igitur compacto, siccoque, & gracilento habitu prædita sunt, desiderant tenues cibos, nam cum huiusmodi corpora meatus habeant conniuentes, & minutulos, ni tenuis substantiæ sint alimenta, quoquò versùs distribui, digerique nequeunt.

Certum igitur documentum in conseruanda sanitate est, quòd homo vtatur tali conuenientia in cibo, et potu suæ complexioni, adeò vt calido conueniat calida temperatè, frigido frigida temperata, idem dico de humidis, & siccis corporibus.

Hoc est præceptum præ foribus Medicinæ affixum, & altà mente tenendum, nam vnumquodque simili conseruatur, contrario destruitur, proin calida corpora, id est corpora, in quorum mixtione præpollet calor, calidis alimentis nutrienda, frigida frigidis, vt prior naturæ tenor conseruetur, aduertendum tamen, vt tum calida, tum frigida parum abscedant à mediocritate, ne immodesti similis accessu fiat excessus.

Quòd si contingat calorem corporis augeri, et inflammari ab aliqua caussa præternaturali, vt à cibo calido, vtendum est contrarijs, scilicet frigidis, & è contrario, &c.

Hygines duæ sunt partes, quarum altera moderato vsu similium sanitatem qualemcumque seruat, altera excessus temperamenti congrua contrariorum administratione corrigit, proinde subdidit, si corpus incalescat ab aliqua præternaturali caussa, adhuc tamen contineatur intra limites sanitatis, adhibenda esse frigida, quæ caloris excessum obtundant, & ad mediocritatem reducant.

Habenti autem bonum stomachum, et fortem in digerendo, laudo cibaria fortia, et crassa, qua talis stomachus est veluti ignis validus potens multa comburere. Quòd si stomachus fuerit debilis, et frigidus, laudo, vtatur cibis subtilibus, et leuibus, quia talis cõparatur igni comburenti cannas, et alia subtilia, &c.

Ni cibus analogus sit calori concoquenti non rectè conficitur chylωsis, nam si calidiori stomacho offeras leuia alimenta, assabit, non elixabit, & vtens tali alimento nidorosos percipiet ructus. Hinc iure subdidit, ventriculo calidiori alimonias fortes (robustas vocat Hipp.) h. e. copiosi nutritus, & crassas, h. e. solidæ substantiæ esse exhibendas, talis enim stomachus comparatur igni copioso, qui desiderat ligna crassiora, & copiosa. Quòd si stomachus fuerit frigidus, atque adeò debilis non ampliùs solida alimenta, & crassa, sed liquida, & tenuis substantiæ, vt facilè huiusmodi cibos peruadere, & conficere possit.

Debes igitur, ô Alex. omnia hæc considerare, si desideras sanitatem in te permanere. Sed magis distinctè nunc dicam, quod debet fieri abs te pro sanitatis conseruatione, & hæc quæ referam, reuelauit mihi Sacerdos Apollinis, qui habuerat omnia scripta Aesculapij, & Machaonis.

Pollicetur Alexandro, se magis appositè, & particulatim præcepta traditurum, quæ ab Aesculapij, & Machaonis scriptis decerpta didicerat. Aesculapius enim fuit primus, qui apud Graiugenas de re medica conscripserat, etsi nondum præcepta sub artem redacta fuerant; Vt igitur maiorem fidem adhibeat dictis, Aesculapium, qui summo in pretio, & honore habebatur, authorem facit. Machaon verò Thracensis fuit alter Aesculapij filius, qui bello Troiano interfuit triginta Nauium classe stipatus, quique in Equi Troiani alueo vnà cum reliquis delituit heroibus, vt testatur Dictis Cretensis.

Dictis Cretensis Hist. de Bello Troiano.

Debes Alex. cum ex somno excitatus fueris, tua membra æqualiter extendere, & cum surrexeris modicum deambulare, nam corpus corroboratur extensione membrorum, et excitatione caloris naturalis, &c.

Præcipit in primis, vt à somno excitatus membra æqualiter extendat, sic enim fumida excrementa quadantenus amandantur, subinde, vbi surrexerit, vt modicum obambulet, per exercitium enim suscitato calore collecta per soporem, & quietem excrementa extenuantur, & recluſis meatibus expelluntur foras, atque ideò membra roborantur, auctus enim calor robur, & vires auget, dummodò limites non excedat. Hinc Hipp. dicebat, laborem esse articulis, & carnibus cibũ, nam vt cibus instaurat corpus, ita labor excitato calore articulos, & membra reficit, & confirmat, nam, si quies tabefacit, teste Platone, firmet labor, oportet.

Postea caput tuum pectina, vt aperiantur porositates capitis, et vapores eleuati in somno habeant exitum, &c.

Secundum præceptum est, vt postquam per pãdiculationem vniuersa membra coextenderit, & modicum obambulauerit intra cubiculi longitudinem, caput depectat, vti apertis poris vapores excludantur, nam per somnum refrigerato capite inferiora calescunt, vt igitur calor excitetur, & vapores exturbentur, pectendum caput, sed hac adhibita cura, vt radijs primùm rarioribus ducto in inion pectine, tum densioribus caput exerceatur, & capillitium colatur. Aduertendum tamen nihil priùs esse moliendum, quàm alui, & vesicæ excrementa depositа fuerint, quod ceu notissimum omisit Author.

In Aestate laua vultum, et manus cum aqua frigida, quia stringit, et claudit calorem, sic etiam excitatur desiderium comedendi, etc.

Tertium præceptum est, vt æstate manus, & faciem frigida colluat, ne calor diffletur, mitũ enim in modum calorem intrò colligit frigida manibus, & ori inspersa, collectus autem ad interiora calor excrementa, & cruditates digerit, & appetentiam ideò excitat.

Deinde indue te vestibus optimis, et pulcherrimo indumento, quia spiritus tui gaudebunt, et animus delectabitur, et tua vita reddetur splendidior.

Quartum præceptum est, vt pictis, & pulcherrimis phrygio opere indumentis amictus ambulet, quod corporis ornamenta spiritus excitando animum exhilarent; quod & alibi præscriptum fuisse scimus. Accedit, cultum, & ornatum viro decorem, & authoritatem comparare. *Amictus, et incessus indicant de homine.*

Lib. de Regim. Principũ ad Alex.

Salomon.

Et antequam exeas vtaris bono odore, et vnguento ad confortandos spiritus, etc.

Nil peræquè nostros spiritus recreat, atque gratissimus odor, quo sensu scripsit Arist. odorem esse animæ cibum. Hinc Auic. aromatica, inquit, magis sunt congrua nutrimento spiritus. Quantum verò apud veteres ea consuetudo inualuerit, vt vnguentis vtetentur odoris, Myropolæ, & myrobrechii frequentiores facilè demonstrant, quare nihil est magis testatum, & protritum apud latinum Hippocratem, & Athenæum.

Lib. de viribus cordis.

Et sicces dentes, et gingiuas cum cortice ligni calidi, et sicci amari saporis, sic enim tuuantur dentes, et oris vitium liquefit, et clarificatur locutio.

Quia circa dentes lentor quidam colligitur, & in os pituita liquatur, quæ tum malum odorem, tum locutionem præpeditam parit, præcipit, vt præmandat aliquid quòd calidi, siccique sit temperamenti, & amari saporis. Calidum quidem præscribit, quia dentes frigidis offenduntur, siccum verò, vt siccet, & glutinat lentorem, amara verò, vt detergeant. Tale autem fuerit Rheon ponticum, quod Centaurij maioris radix est, mastiches grana, nux myristica, zinziberis conditi frustulum; sed instar omnium erit Rheon barbaricum, Agaricine momentum. Auic. comendat Democriti Dentifricium.

Lib. 1. fen. 2. tr. 4.

Conueniunt etiam suffitus ex bonis odoribus, sic enim aperiuntur meatus cerebri, et resoluuntur humiditates, tardatur canities, et sensus redduntur viuaciores, etc.

Suffitus aromatum ex Hipp. Solet capitis grauitatem afferre, quòd si odor non fuerit impendiò affectatus siccando cerebrum (odor enim ex calida, siccaque exhalatione resurgit) meatus recludet, & liquabit humida capitis excrementa, quibus resolutis canities retardabitur, ex situ enim, & pituitæ puttedine canities effici consueuit; qua ratione quærunt Philosophi, cur Homerus homines à canitie temporum μελιοκροτάφους, ideſt canos appellauit? Respondent, quia vt plurimum inde cani incipiunt, quia priora capitis

pitis humiditatis, pituitatisque plus habent, quã posteriora. Cæterùm absumpta humiditate sensus fiunt viuidiores, quia humor cum sentiendi, tum intelligendi vim obtundit. Hinc illud; tantum quemque stoliditatis habere, quantum humiditatis.

Postea accipito ex ligno Aloes, vel Rhabarbaro denarios quatuor, hoc enim subtrahit phlegma ex ore stomachi, excitat calorem corporis, fugat ventositatem, vultum clarificat, et bonum reddit odorem.

Prima coctio fit in ventriculo, qui si pituitoso excremento scateat, necessum est, vt suo supersedeat officio, atqui cum vitium primæ coctionis secunda non emendet, superest, vt omni studio ad pensum reuocetur, ventriculum tum calefaciendo, tum purgando vitiosum humorem, nam ita fiet, vt optimo sanguine genito facies florido colore nitescat, & prædominante sanguine sapor optimus in os redundet: prætetea suscitato calore, flatus, si qui subsint, dissipentur. Hæc autem beneficia nobis præstat Rheon, aut Aloè, sic enim calefiet ventriculus, & flatus discutientur, & phlegma ab ore ventriculi detrahetur, utrunque enim præstat Rhabarbarum, siue Aloè, dummodò non lignum, sed concretus succus Aloes adhibeatur; non ad denarios quatuor, sed ad unũ denarium, nam denarius romanus paulò est grauior drachma, adeò ut septem denarij unciã constituant, Galenus tamen, & Plinius dum Latina, aut Græca transferunt denarium drachma, & drachmam denario reddiderunt. Optimus igitur in os succedet sapor, quia nullo in uentriculo stabulante excremento, organum, nempe spongiosa linguæ caro nullo extraneo sapore inficietur, redundans enim in stomacho pituita, aut bilis saporem suum linguæ communicat per communem tunicam. Non modò uerò exundantem in uentriculo humorem arguit linguæ sapor, uerùm etiam in uenis exuperantem. Hinc rectè Hippoc. scripsit. *Lingua docet lotium.* Qua de re doctissimè egit diuinus senex Sanctorius. Cæterùm mirabitur fortasse quispiam qui Rheon, & Aloè bonum reddant saporem, quum sint amarissima, optimus autem sapor, qui organum titillat, & oblectat, non qui demolitur, & corrumpit, ut autem dulcor iuuat, sic perstringit amaror, & nocet. Respondendum, hoc fieri steriticôs repurgata bile, aut pituita, quæ præsens, è stomacho redundat in linguam, & organum ipsum afficit.

Lib. 1. de Meth. vit. error. 2. & 12.

Deinde sede cum nobilibus, cum sapientibus loquere, et secundùm vsum tuum age, quod decet.

Peractis iam naturæ, & corpori necessarijs uacandum est animo: Proinde sedere iubet cum nobilibus genere, & uirtute, qui suaues, & iucundos mores possident, unumquodque enim se gerit, ut est: Cum sapientibus loqui, quia sapientiæ pars acquiritur per consuetudinem cum sapientibus, rectè enim Euripides scripsit, Tyrannos consuetudine sapientum sapere. Cum ijs, ait Seneca, semper uersari debemus, à quibus meliores fieri possumus. *Et secundum vsum, etc.*

Quamquam Beda scriptum reliquit, Græcam historiam narrasse, Alex. potentissimum Regem, orbis dominatorem cum moribus, & incessu Leonidæ Pædagogi sui non potuisse carere uitijs, quibus adhuc Puer imbutus fuerat, hic tamen Author eum benè moratum, & benè se, & regiæ Maiestati conuenienter gessisse innuit.

At cum voluntas fuerit comedendi iuxtà horam tuæ consuetudinis, vtere modico labore corporis aut equitando, aut ambulando, vel quicquam aliud faciendo, nam hoc corpus alleuat, et corroborat, et calorem excitat, et liquefacit superfluos humores, et phlegma facit descendere de fundo stomachi.

Duo præcepta tradit obseruanda priùs, quàm pastum ineat, primò, vt iuxtà horam suæ consuetudinis cibum sumat, deinde vt se exerceat ante pastum. Seruandam esse consuetudinem, uberiùs in superiore de sanitate seruanda libello monstrauimus, alioquin prauis humoribus repletur stomachus, os amarescit, imbecillitas virium corripit, tremor, animi defectus, vertigo, iracundia, mœror; Quòd si tempus occupes, imperfecto superiore cibo cruditates cumulantur. Quanta verò beneficia proueniant ex gymnasio ante pastum inito, iam ediximus. Quare suscitato calore reliquum est, vt non modò excrementa dissipentur, sed naturales functiones pleniſſimè obeantur.

Lib. de incolumitate diu seruanda.

Postea vade ad sumendum cibum, et caue à diuersitate ciborum in eadem mensa.

Quanti sit momenti ciborum diuersitas ad sanitatem turbandam, docuit Hipp. & reliqua Medicorum turba, proin præcauenda, quàm fieri potest maximè, nam confusionem generat in ventriculo, vt alias notauimus.

Et quæ magis desideras, &c.

Cibus enim deterior, suauior autem, melioribus quidem, sed insuauioribus est præferendus, quia ventriculus cibum suauem arctiùs complectitur.

Et panis tuus sit benè fermentatus, et bonis conditionibus præditus, &c.

Panis esse debet zimes. i. cum fermento confectus, alioquin obstructiones pareret, & difficiliùs coqueretur, fermentum enim est calidi, siccique temperamenti, & tenuium partium, vt docet Galenus, adeò vt Brudus Lusitanus lib. 3. de ratione victus ausus sit syrupum concinnare ex fermento ad expediendas contumaces hepatis obstructiones. Sciendum tamen, non esse impendiò, & affatim inijciendum fermentum, quia eius acor neruis, & cerebro non est innoxius. Ad hoc panis sit depsiticus, non admodum salitus, quòd sal graue sit, & molestum capiti. Dein nec citò, nec nimium discoctus, quia cruda, & incocta interiora habet, ambusta verò, & crustacea exteriora, ignis enim vis in totum panem peruadere non potest, ideòque intimas particulas incoctas relinquit. Propterea Galenus ait, cum esse deterrimum panem cẽsendum, & ventriculo inimicum, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis verò incoctus relinquitur. Postremùm panis sit recens, & in vsum cedat vno post confectionem die, nam panis recentissimus, & calidus non est naturæ amicus, ait Auic. fitim excitat, & in stomacho supernatat propter suam vapidam humiditatem

Cap. 31.

1. Lib. de alim. c. 2.

ditatem cerebro noxiam. ¶ Præterea ex similagine fiat ex optimo tritico.

Hipp. lib. 1. de Ratione victus panem recentem comestum repletionem repentinam, & sitim inducere, & tardè ex ventre descendere, & corpus flatibus distendere author est: Vnde Auenzoar panem esse edendum à recenti coctura cum calor deferbuit, docet, nam qui vltra vnam diem seruatur, temperamentum suum perdit. Igitur, inquit Nonius, pridiano melior est recens, nam teste Simeone Serhi postquam frigefacti sunt neque probè concoquuntur, neque boni sunt. Quod tamen sano modo audiendam est, nam & pridianus, & paulò etiam vetustior, ni admodum inueterarit, bonus est.

Quod si accidat, te solùm sumere mollia præmitte aliquid durum retinens in fundo stomachi.

Alioquin cibus citò præterlabens perfectam coctionem anteuerteret, omnis enim actio naturæ certo quodam tempore absoluitur, quare consultò præscripsit, vt aliquid præmittatur solidum, quod veluti remeligo, & obex lapsum cohibeat.

Vnde profunditas stomachi calidior est, ac fortior, quia in parte ea partes sunt carnosæ, et est vicina hepati, cuius calore cibi decoquuntur.

Duæ sunt partes ventriculi, vna superior, inferior altera, illa stomachus proprie nuncupatur, & naturalis appetentiæ organum, inferior coctioni dicata est, & licèt chilosis perficiatur à virtute interiori tunicæ insita, certum tamen est, hãc functionem iuuari à propria partis temperie, & à calore tum insito, tum circumstantium partium, ventriculi verò pars inferior calidior est, quia est carnosior, & iecori propinquior. Quærunt Philosophi, cur isitium difficilè coquatur? Respondent, quia humido pabulo intra aluum innatat, neque demergitur in fundum, vbi cibus conficitur.

Et in comestione debes regere manum, ò Alex. id est cessare à comestione, dum adhuc voluntas, seu desiderium affuerit comedendi.

Nam calor naturalis in obiectum minutius agens, facilè illud subigit, & superat, cum minùs resistat propter minorem virtutem, in maiori enim quanto, vt est Philosophorum proloquium, maior virtus est. Loquimur autem de quantitate per formam definita, & terminata, quantitas enim indefinita materiam sequitur, quæ omnis expers est energiæ.

Quia ex superfluitate cibi angustiatur stomachus, grauatur corpus, læditur anima.

Eade caussa non explenda est appetentia ciborum, quia ex nimia ingurgitatione angustijs, & fastidijs premitur stomachus, corpus grauatur, & mens etiam læditur, qua caussa rectè scripsit Persius, ventriculum dare intellectum: Quia si ventriculus non afficiatur, à ciborum copia, sensus integri manent, quibus inoffensis mens ritè munera sua obit, opus enim habet phantasia vt comite, assectaque eius indiuidua, quæ perpetuò visa administret.

Et retine animam tuam à potu aquæ super cibum, donec in consuetudinem tibi veniat, quia tali potu stomachus infrigidatur, et læditur calor digerens mirabiliter, quo nihil deterius cordi.

Quæ consueta, & si fuerint deteriora insuetis minus molesta esse solent, quia consuetudo, quæ est altera natura, aduersùs omnem iniuriam nos communit. Quærunt Philosophi, cur cum nuda facie, reliquo amicto corpore simus, in maximo tamen frigore reliquo corpore rigemus, facie minimè? Respondent consuetudine id fieri, assuescit enim facies aeri tolerando, maximè verò consuetudo nos aduersùs omnes affectus communit. Rectè igitur mandat, ne assumpto cibo aquam ingerat, ni præcesserit consuetudo, quia stomachus refrigeratur, & auctor digestionis calor læditur, quo nil deterius cordi, quod est fons caloris, nam etsi aqua primò noxam stomacho inferat, qui primos impetus, & conatus sustinet, sensim tamen iniuria frigoris cor peruadit, & viuificum calorem debilitat, & instar nubis obumbrat.

Si autem fuerit necessum, vt aqua sumatur, vel propter calorem aeris, aut stomachi, aut ciborum, sit modica, et benè frigida.

Mandat Celsus, vt frigida cibus includatur, vbi ventriculus fuerit imbecillior, nam frigus colligit calorem, quo subinde elaboratior fit concoctio, cautior sit tamen frigidę vsurpatio aliqua de causa, quam commemorat author. Aduertendum interim, vt aqua sit benè frigida, & modicella, vt per viam antiperistaseos calor stomachi augeatur. Idem faciendum esse iubet Author noster, vbi uentriculus æstuauerit. Docent Philosophi, vbi infrigidanda sit aqua putei, tepidam esse infundendam, quia ratione oppositæ qualitatis augetur interna frigiditas. Per febres, vbi opus est frigida, agonisticus haustus offertur.

Cumque refectus fueris, illinc ad spatium incede, super stramenta mollia, temperatè dormi. Requiesce vna hora super latus dextrum, deinde te reuolue ad sinistrum, et ibi comple somnum, nam latus sinistrum frigidum est, et opus habet calefactione.

Post prandium stabis, post cœnam ambulabis, uetus est prouerbium, ambulare verò oportet per loca amœna, vt animus recreetur, & vt cibus per exercitium mediocre in fundum stomachi descendat, vbi conficitur plenissimè, & subinde dormire oportet in latus dextrum primùm inclinato corpore, quia hinc motus principium, vt docetur 2. de Cœlo, qua ratione in Problem. monet, vt, quando iucunda est quies, in dextrum latus incumbamus. Postremùm reclinandum est corpus in sinistrum latus, quod est etiam Auic. præceptum, sic enim stomacho incumbit iecur, & illum calfacit, & coctionem meliorem efficit.

*Si verò sentires in ventre grauedinem, et in stomacho torsionem, tunc remedium est ponere super ventrem, et stomachum camisiam calidam, vel amplecti * Puellam formosam.*

Si in ventre tædia, & grauedines fiant ex cruditate, ac nimia repletione, fastidia ventris submouent, quæ calorem ventriculi fouent, & augent, nam ille vnicus est naturæ dæmiurgus, huiusmodi verò sunt subucula, aut culcitra ventri admora, aut certè *. Cuius consilij auctor etiam

Auic.

Auic. est, calor enim est officialis caussa, quæ ab anima vim recipit agendi, hoc enim significare volunt Philosophi, vbi dicunt instrumentum moueri à primaria caussa.

» *Si verò eructuationem sentires acerbam, signum* » *est frigiditatis stomachi, cuius rei medicina est sume-* » *re aquam calidam cum Syr. acetoso, & vomere, quia* » *incarceratio cibi corrupti in ventre est calidi ventris* » *destructio, &c.*

Ructus acidus signum est imperfectæ coctionis, tametsi Hipp. post longum intestinorum leuitatem bonum esse dixit; quia significat naturam aggredi iam concoctionem. Porrò aciditas soboles est frigiditatis, aut imminutæ caliditatis, quamquam falsò à calore prouenire ratus est Alex. quem protegere cupiens Rhois filius, sic barbarè loquitur. Et debes scire, quòd hoc accidens, nempe aciditas in ventre prouenit sicut accidens, quod fit ex vino, quod aceſcit propter aerem calidum, & apparet, vt fit vna actio accidentalis, quæ substantialiter fit à substantiali, & accidentaliter à contrario, sicut in pluribus inuestigari potest, & inueniri. Paucis ita ille rem se habere ducit animo, vt aciditas per se fiat à frigido, ex euentu à calido. Porrò aut melancholia, aut præter naturam pituita acido sapore prædita esse solet, proin ex alterutrius humoris præsentia ructum acidum proficisci, argumento est, atque ideò rectissimè præscribitur vomitus ex syrupo acetato, aut aceto mulsò ad extergendam, exturbandamque pituitam, quæ in stomacho stabulari consueuit, nam si huiusmodi excrementa relinquuntur in stomacho, præsentia qualitatem frigidam stomacho imprimunt, & ita insitum calorem destruunt, quo labefactato malum ventriculo redit in orbem.

» *Et motus ante prandium calorem stomachi exci-* » *tat, sed post prandium diu noxius est, quia tunc de-* » *scendit cibus indecoctus ad partes inferiores, & inde* » *fiunt inclusiones, & multa mala, &c.*

Lib. de san. diu conseruanda. cap. de motu, & quiete, &c.

Quantis cumulentur beneficijs humana corpora per exercitium, iam ediximus, hoc tamen debet esse naturæ tempori, & regioni accommodatum, propterea subdidit matutinum exercitium stomachum calfacere, quia excitatur calor in vniuerso corpore, qui reclusis meatibus excrementa dissipat: Quòd si exercitium à prandio ineatur, cibum rapit in venas adhuc crudum, & indigestũ, & hinc fiunt conclusiones, h. e. oppilationes, quæ sunt caussæ febrium, & multorum malorum. opportunè igitur ineundum est exercitium, de quo Galenus lib. de Euchymia.

Si vitam à morbis tutam traducere curas
Excolito per aprica tuos mediocriter artus,
Si supra, calidi succrescent corpore succi,
Si moueas infraue modum, sinesue decentes,
Frigidus humorum sensim turgescet aceruus.

» *Ea autem, quæ impinguant corpus, ô Alexander,* » *sunt quies, & saturitas, & esus ciborum dulcium, &* » *diuersorum, potatio lactis, & vini dulcis, ac dormi-* » *tio super stramenta mollia, referta odoribus, & in-* » *gressus balneorum dulcium aquarum, & ibi sessio* » *Modica, ne longior mora corpus debilitet, &c.*

Quæ corpus obesum reddunt, priùs recensuimus ex Celso: Obesitatis caussæ partim externæ sunt, partim internæ: Internæ sunt, robur carnosi generis, vt multùm attrahat, nimia sanguinis copia, aut oleosæ materiæ vbertas; venarum, angustia, quia cum non multa sanguinis congeries fieri possit, reliquum est, vt extra venas trudatur: habitus frigidus, & humidus, quoniam in eo oleosa materia, & sanguis abundat, & humiditates non resoluuntur. Inter externas octo connumerat Hipp. quibus impinguantur corpora.

Celsus lib. 1. cap. 11. Gal. 7. met. cap. 6. & 6. de san. tuenda. & 5. de san. 1. Auic. in 7. 4. tract. 4. cap. 1.

Primum inter delitias æquo, lętoque animo feriari, facilem, & promissum inire soporem, molli decumbere lecto, deinde abdomini suo Cereris, & Liberi vsu liberiore vacare, pulchro, pictoque amictu ornatum incedere, semper insidere equo, postremùm per summam animi securitatem res universas suo more gerere, spectareque ludos, & iocis animum excolere. Quæ cuncta hoc distícho comprehenduntur.

Gaudia lenta, thorus, Cereris, vel copia Bacchi,
Mens secura, quies, ὑγιεία, sabolla, iocus.

Quies igitur impinguat, quia per quietem minimum substantiæ dissipatur: Vrsi tota hyeme in latibulis delitescentes pinguescunt. Saturitas idem efficit, quòd plurimum substantiæ sufficitur in dissipatæ locum. Esus verò dulcium ciborum saginat, quia plurimùm nutriunt. Diuersitas ciborum tametsi ab Authore retrò, & ab Hippocr. etiam damnatur, quia tamen omnia inuicem cõfunduntur, & diuersa temperie sunt prædita diuersis corporis partibus fiunt nutriendis analoga, propterea diuersitas ciborum facit ad impinguationem. Potatio lactis etiam huc spectat, quia lac est temperatum, & citò in sanguinem pinguẽ facessit, & plurimùm nutrit. Vinum etiam, cum multùm, & confertim nutriat, & præterea alimẽtum quoquouersùm deferat plurimùm confert, præsertim si sit dulce, vt Galenus quoque fatetur. Aduertendum tamen, vinum lacti non esse admiscendum, nam, vt monet Auic. hoc esset pernicioſum. Audiendus est itaque Author, vt non simul, sed diuersis temporibus vinum, & lac sumpta conducant. Dormitio super stramenta mollia pinguefacit, quia corpus humectatur, & vires reficiuntur, & corporis habitus mollescit.

Tota mihi dormitur hyems, tum pinguior illo
Tempore sum, quo me nil, nisi somnus alit.

Cecinit verè apud Martialem Glis. Odores etiam huc faciunt, quia sunt animæ cibus, h. e. spiritus recreant, & multiplicant, instaurati verò spiritus citò alimentum in particulas deferunt. Ingressus balneorum, & incolatus non valdè prolongatus prodest, quia calorem attemperat, & moderatur, alimentum ad habitum trahit, poros aperit, & per modicam moram quod attrahitur, non difflatur, per immodicam verò in balnearijs moram corpus flacceſcit, quia plurimi spiritus frustra eunt, & tenuis humoris portio euanescit.

» *Et temporibus debitis congruum odorem habere,* » *hyeme Alchythimum, æstate rosa, aut viola con-* » *ueniunt. Et laudo vsum vomitus in mensę semel,* » *& ad hoc facit latari, & gaudere, & habere gloriã,* » *& honorem, & victoriam de inimicis, & sperare,* »

» *& considere in sua plebe, ac delectari in lusionibus,*
» *& facies pulchras aspicere, & libros delectabiles au-*
» *dire, & legere, & conuersari cum beneuolis, &c.*

Ad corporis pinguitudinem conferunt etiam boni odores, & tempori congruentes, vtpote Alchythimum hyeme est autem Alchythimum herba calida, & odora, æstate viola, aut rosa, & licèt odor omnis in fumida quadam exhalatione consistat, quæ calida est, fieri tamen potest, vt Præpolleat frigida complexio. Adhæc commendatur vomitus, quia lustrat, & repurgat stomachum à cruditatibus, quibus eductis validiùs suo præsto est officio ventriculus, quo benè circa cibos se habente, necessum est plurimùm, eiusque perfecti nutrimenti suppeditari. Huc spectant gaudium, & lætitia, lætitia enim sanguinem, & spiritus ad corporis habitum effundit, & dilatat. Hoc autem interest inter gaudium, & lætitiam, quòd gaudio exhilaratur quidem animus, non tamen vltrà modum ad exteriora diffunditur, vt appareat. Lætitia verò dicitur, cum ita mouetur animus, vt etiam ad exteriora egrediatur, & maximè in vultu appareat. Hinc perquam critici Stoici dicunt, gaudium in sapientem cadere posse, lætitiam non posse.

» *Et habere gloriam, & honorem, & victoriam de*
» *inimicis, &c.*

Hinc ortæ omnes animi motiunculæ corporis habitum molliorem, & obesulum reddunt, quia spiritus, & sanguinem extra profundunt. Gloria verò est summa delectatio, in qua conquiescimus. Honor existimationis benefactiuæ iudicium. Quantum verò victoria afficiat, docet Aristot. qui dimicantem cum Gallo Gallinam pro parta victoria calcaria emisisse, & cristam, & penè degenerasse, ait.

Aristot. in Rhet. 9. de Hist. Anim.

» *Et facies pulchras aspicere, &c.*

Singuli sensus habent extremum, ad quod referuntur, & quo summè oblectantur, oculi quidem pulchro, aures harmonico, lingua dulci, nares odora exhalatione, vola manus eucrato, & molli. Quare cum aspectus pulcherrimi, & elegantissimi oris mirandum in modum animum titillet, & oblectet, non est mirum si vnà cum animo iucundissimo obiecto obuiam eunti, ut propiùs fruatur, & sanguis, & spiritus foras in habitū corporis diffundantur.

Hoc idem Auic. porrò censet li. de Almahad. cap. 8.

» *Et libros delectabiles audire, et legere, &c.*

Rerum delectabilium lectio animum lætificat, & proinde confert ad corporis bonitatem, quantum enim animæ passiones in corpus redundent, in superiore libro satis monstrauimus, nosque docuit Arist.

In lib. de Physicen.

» *Cum beneuolis versari, &c.*

Quia maligni semper aliquid obijciunt, quod percellat animum, præterea insidiosè semper, & inuidenter agunt, nec possunt, quin virus sonticū aliquando euomant. At contra benigni candidis moribus perpetuò obsequuntur, & Amici ingenio obsecundant.

Oppositа horum macrefaciunt corpus, maximè
» *sollicitari, et metuere, multùm laborare, parum co-*
» *medere, frequenter ire ad Solem, manducare sæpe*
» *salsos cibos, dormire super stramenta dura, bibere*
vinum vetus, multum sanguinem minuere sæpe, et
» *habere cogitationes pessimas, multum balneari, coi-*
» *tus super repletione, nam talis inducit paralysim, lac,*
» *et pisces simul comedere lepram causat, &c.*

Cùm enumerasset ea, quæ corpus impinguant, nunc ea recenset, quæ macrefaciunt, Quare cum contrariorum contrariæ sint causæ, emaciabunt corpus contraria ijs, quæ iam ediximus. Propterea sollicitudo, siue cura cum sanguinem circa cor attrahat, corpus extenuat, afficcando, eadem ratione metus. Labor verò, quia humores dissipat, & difflat calorem, & spiritus. Ieiunium verò, quia corpus alimento defraudatur, quo fit, vt calor in materiam, quæ in pinguedinem conuerti debet, aut iam est conuersa, agat, & permutet in substantiam partis, pinguedo enim cum non viuat, & alias nutriat, non potest esse corporis particula.

Insolatio, quia calorem nostrum adauget, quia afficcat corpora, & humores dissipat. Cibi salsi extenuant, quia vim habent resiccandi. Dormitio super culcitras duras, quia corporis habitum nimis densat. Vinum vetus, quia debilitat vires, si credimus Hipp. & Auic. dixit, vices potiùs medicamenti valdè exsiccantis, quàm potus subire. Phlebotomia, quia alimentum corpori subtrahit. Cogitare tristia macie conficit, quia circa cor incuneatus sanguis colligitur, ex quo calor primùm augetur, qui humores subinde populatur, tum etiam obruitur, rectè enim Chrisippus tristitiem λύπην vocitauit, quod totius hominis solutionem pariat. Accedit, calorem coctionis officinas deserere, quo per cogitationem ad caput collecto fiunt cruditates, propterea dicebat Celsus, ijs, quibus caput est imbecillius, ne cogitationem quidem esse tutam. Frequens balneum, quòd humores digerit in halitus, & corpora difflat. Coitus super repletione, quia præter quàm quòd materia seminis constat ex puriore, & pinguiore sanguinis portione, post repletionem etiā crudum alimentum rapit in venas, quo fit, vt tota massa conspurcetur. Inducit verò paralysim, quia crudiore sanguine redundante nerui remollescunt, vnde paraplegia. Lac, & pisces simul comedere lepram efficit, quia facilè corrumpuntur, quibus corruptis sanguis vitiatur, vnde lepra emergit: Est autem lepta cutis affectus cum pruritu, asperitate, & squammis nonnunquam decidentibus, pluresque corporis particulas depascitur. Est gradus ad Elephantiasim, quemadmodum psora ad lepram. Auic. lepram vocat albatam nigram, Celsus impetiginem: Omnes oriuntur ex melancholico succo præassato, & putri, aut ex falsa pituita in atram bilem quam mox degenerante. Nostrates lepram vocant morbum d. Iob.

Vinum autem tuum, ò Alexander, debet esse na-
» *tum inter montes, et valles, ruffum parum, et non*
» *vinosum, sed clarum in rubedine, factum ex vuis*
» *benè maturis, et dulcibus per maturationem, donec*
» *in ipsis sit fortitudo substantiæ, humiditas corticis,*
» *spissitudo palmitum, et granorum, et racemi sint*
» *bonæ dulcitudinis, et sapor sit medius inter acutum,*
» *et dulcem, et fæx sit in fundo depressa partibus alijs*
» *clarescentibus. Ex tali vino sume temperatè iuxta*

ætatem,

» *ætatem, & temporis qualitatem, quia confortat ſto-*
» *machum, calorem vnificat naturalem, iuuat dige-*
» *ſtionem, præſeruat à corruptione, ducit cibum, ac*
» *decoquit, & perducit ad omnia membra temperatè;*
» *cor lætificat, linguam reddit expeditam, ac homi-*
» *nem reddit audacem, & expeditum ad actiones.*

Quale vinum eligi debeat, præclarè deſcribit Author, ſubinde enumerat beneficia, quæ ab huiuſmodi vini potu proueniunt, ſi moderatè bibatur. Inquit igitur illud in primis præſtare, quod exprimitur ex vuis benè maturis, dulcibus, enatis in loco medio inter colles, & valles, h. e. in planitie, & aprico agello, quia cliuoſæ vuæ pariunt vina nimium potentia, quæ caput promptè feriunt, & validè iecur retorridum efficiunt, at in conuallibus ortæ, quia vix matureſcunt, vina ferunt crudiora, & auſtera, & debilia: vinum præterea ruſſi coloris eſſe debet, clarum, minimè fœculentum, medij ſaporis, tale enim vinum ea beneficia profert, quæ pollicetur Author, nempe ſtomachum roborat, quia temperamentum conſeruat, ſpiritus multiplicat, & partis ſoliditatem tuetur, ne diffluat: calorem iuuat, & digeſtionem, quia promptiſſimè tum alit, & calidum innatum inſtaurat, tum quoquouersùs alimenta conuehit: Præſeruat à corruptione, quia calfaciendi, & ſiccandi vi pollet, vt docet Hipp. Hinc Cæſaris exercitus peſte correptus conualuit, vbi ad regionem feracem vini appulit. Cor lætificat, quia calorem auget, & ſpiritus vitales plurimos parit: linguam reddit expeditam, quia calorem excitat ſingulis particulis inſitum: Hominem audacem efficit, quòd calorem ciet, qua cauſſa ſcripſit Ariſt. in Probl. bibaces eſſe fortes. Sciendum tamen audaciam differre à ſorritudine, vt docet Plato in Sophiſta.

» *Caue tamen Alexand. à nimio potu, nam nimius*
» *potus vini obſcurat intellectum, lædit cerebrum, et*
» *ſenſus omnes, debilitat virtutem naturalem, et ani-*
» *malem, cauſat obliuionem, et ladit operationes to-*
» *tius corporis, maximè neruos, et iuncturas, fugat*
» *appetitum, accendit choleram, hepar deſtruit, cor-*
» *dis cruorem denigrat, et ſanguinem craſſum efficit,*
» *et lepram inducit. Vnde dico de vino, ſicut Medi-*
» *ci de Rhabarbaro, quod eſt anima hepatis, et habet*
» *alias vtilitates, tamen quandoque eſt venenum illis,*
» *qui vltra modum ſumunt ex eo, et tranſcendunt quan-*
» *titatem debitam, &c.*

Quãta pariat mala vinum immodicè ſumptum in ſuperiore libro innuimus ex eodem Ariſtot. in Probl. nunc eadem clariſſimè recenſet, comparatque vinum Rheo, quod ſanè ſolet eſſe iecoris anima, ſed calidioris hepatis mors eſt. Ait igitur immodicum vini vſum mentem obtenebrare, quia temulentiam parit, ebrietas verò, ait Iſaach, eſt mentis peruerſio ex fumo craſſo indigeſto effecta, & in cerebri ſubſtantiam elato, hinc rationalis animæ lumen extinguitur, & irrationalis feritas ſuccedit. Hac de cauſſa rectè vinum atræ bili comparatur, quæ ad mentis ſedem appellens morbos parit inſaniæ, vtrumque enim eſt ualdè vaporabile, halituſque profert indomitos. Lædit cerebrum, & ſenſus omnes ob multiiugam vaporum ſobolem. Debilitat virtutem naturalem, & animalem, quia immodicè ſumptum refrigerat, cum non vincatur à calore naturali. Lædit maximè neruos, & articulos: quia excrementa eò confluit, & quia in neruis euadit acetoſum, propterea Podagra dicitur filia Veneris, & Bacchi, vnde Platonicus Vates.

Vt Venus eneruat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſos, debilitatque pedes.

Appetentiam fugat, ſiue quia in ſtomacho intemperiem parit, ſiue quia cruditates in ventriculo ſubeſſe neceſſum eſt, quibus deijcitur actus appetendi: Accendit choleram, & hepar deſtruit, quia calorem extraneum ingeminat. Cordis cruorem denigrat, & craſſum efficit, quia ſanguinem vniuerſum adurit, & tenues partes diſſipat. Lepram inducit, quia bilis atra gignitur ex præuſto ſanguine.

Vnde dico de Vino, ſicut Medici de Rheo, &c.

Eſſe cuiuſque rei certos modos, quos ultrà, citràque nequit conſiſtere rectum, & formas naturales certa mole gaudere, vt munera ſua promãt, palam eſt, alioquin aut ſuprà, aut infrà propriam conditionem actiones edunt, quod demonſtrauit Ariſt. in Probl. exemplo diadagrydij, & piperis, quorum alterum aluum, alterum urinas ciet, ſi debita doſe ſumantur, alioquin peruertitur actio. Quamobrem non eſt mirum, ſi quemadmodum congruus Rhei uſus hepati pro anima eſt, ita & uinum moderatè ſumptum, utrumque uerò intemperanter, & intempeſtiuè uſurpatum innumeris incommodis cumulat, & effectus profert inſolentes, hepar enim calidum calidis promptè offenditur.

Quòd hic Rhabarbari fiat mentio, quod uix innotuit Græcis, facilè conficiat quiſpiam, ut huius libelli Author non fuerit Ariſt., ſed quiſpiam ex Arabum familia, ut puta Iſaach.

» *Quod vinum etiam comparatur naturæ ſerpen-*
» *tum, ex quibus antidotum conficitur, et læſiones ma-*
» *xima per eorum medicinam expelluntur, attamen*
» *omnibus notum eſt, quod venena mortem in ſe gerãt.*

Diuerſos effectus enumerans Petrus Apponus in Problem. quos parit uinum, theriace comparauit, quæ innumeris pollet facultatibus, huiuſque collationis ueteres authores facit, inter quos fortaſſis & noſter Author cẽſeri poteſt, (quamquam huius comparationis Author à Ficino perhibetur Iſaach:) Nam quemadmodum Theriace mediam habet naturam inter uenena, & alimenta (medium hic audio per analogiam, non per extremorum participationem, quæ eidem ſubſunt generi,) & ritè adhibita plurimas, eaſque inſignes utilitates producit, perperam, & importunè uſurpata inſtar eſt ueneni, nam cum habeat formam ſummæ energiæ, corpus immodicè afficit, & hac de cauſſa Theriaces uſu Pueris interdixit Galenus; ita porrò & uinum, quod ſi modeſtè humanos cedat in uſus, pluriſariam conducit, ſin minùs, eas affert calamitates, quas innuimus. Lib. 2. de vi. longa c. 8.

» *Vina autem, quorum racemi ſunt in monte nati,*
» *expoſiti ſoli, ſunt ſiccioris naturæ, quàm id, quod na-*
» *ſcitur in plano in locis madidis, et vmbroſis. Pri-*
» *mum vinum valet ſenibus, et hominibus abundan-*
» *tibus humiditate, et phlegmate, nocet verò iuueni-*

, bus', et calidis hominibus, quare calfacit, et li-
, berat à superfluitatibus. Quare Alex. caueto à tali
, vino, quia nimis te incenderet ad iram, et hepar in-
, flammaret, &c.

Accedum cæperia Tellus ob vini bonitatem.

Pro conditione soli uina uarias uires indipisci, quotannis experiuntur fœlicissimi Acedicolę, quibus præ cæteris Liber thiasos expertus fauisse uidetur, nam uina ex uuis in apricis collibus collectis expressa ualidiùs caput feriunt, & totum calfaciunt, præcipuè iecur, & temulentam turpitudinem proferunt, quæ autem in planicie enascuntur, sunt imbecilliora uina, nec adeò afficiunt, quoniam, ut ait Platonicus Vates.

. . . . . *denique apricos*
Bacchus amat colles, Aquilonem, & frigora Taxi.

Quocirca scitè mandat, ne uina ex collibus oriunda propinentur iuuenibus, sed senibus, & phlegmaticis, quæ autem in planicie fiunt, iuuenibus offerantur, quia illa ualde calfaciunt ista minimùm, ut autem iuuentus ardorem temperantia postulat, ita calfacientia rigiditatem desiderat senectus, ut docet Plat.

, *Et scitò Alex. quod dormitio ante prandium ma-*
, *cilentum reddit corpus, & desiccat humiditates*
, *eius.*

Per somnum ante prandium coacto in uiscera calore, qui humidum radicatum populatur, & absumit, extenuari corpora, ab Hippocrat. iampridem proditum fuit. Quod si prioris alimenti cruditates adhuc aliquot supersint, tantum abest, ut officiat, ut multis potiùs prosit nominibus, nam per somnum ad pensum reuocato calore reliquæ cruditates conficiuntur, & in sanguinem uertuntur, uiscera retrimentorum infarctu liberantur. Hinc Celsus. Si quando insuetus aliquis laborauit, aut multò plus quam solet, etiam is, qui assueuit, huic ieiuno dormiendum est, multò magis si os amarum est, uel oculi caligant, aut uenter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo ieiuno est, sed etiam in posterum diem permanendum; nisi citò id quies sustulit.

Cap. 3. lib. 1.

, *Post refectionem autem corroborat, et nutrit,*
, *quia in somno retrahitur calor naturalis ad intra, et*
, *corroboratur super cibi decoctionem, et spiritus quie-*
, *scunt, et refocillantur. Ideo dixere Philosophi, quod*
, *magis profuit vespertina comestio, quàm meridia-*
, *na, quoniam in die spiritus tendunt ad sensoria, et*
, *impeditur digestio, et calor diffunditur ad exterio-*
, *ra corporis, et stomachus tunc est impotens ad dige-*
, *stionem, sed in vespertino cibo sit oppositum, quia tũc*
, *accidit corpori, et spiritibus tranquillitas, et requies,*
, *et noctis frigiditas conducit calorem naturalem ad*
, *intra, et melius tunc decoquit similiter in som-*
, *no, &c.*

Somnum esse cessationem exteriorum sensuum ob caloris recursum ad interiora, hoc etiam planum est ijs, qui nondum ære lauantur, nosque iam præmonuimus, cum igitur in somno se se ad officinas coctionis recolligat calor naturalis functionis unicus minister (si quidem rectè ab Aristot. statuitur, nullum animal citra calorem uiuere) reliquum est, ut meliùs inter dormiendum absoluatur coctio; hinc illud prodijt axioma. *Somnus concoquit, vigiliæ digerunt.* Quod sanè nil est aliud, si modò propriè loqui uelimus, quàm excrementa ita parare, ut facilè amandentur, & excludantur. Quare non est mirum, si à pastu corroboret somnus, & uires reparet auctis spiritibus, qui per uigilias, & labores euanuerant.

Commentiores sint, an quæ Athen. nocturnæ cœnulæ, quia Luna cõfert ad cõcoctionem.

Ideò rectè dixere Philosophi, etc.

Magna inter Authores uersatur contentio, uberiorne, & liberalior esse debeat cœna prandio, an à contrario. Hic Author nõ sine magna ratione cœnam liberaliorẽ prandio præscribit, quod est Celsi consilio consentaneum, & etiam ueterum Romanorum consuetudini. Ita tamen decernenda difficultas, ut perpetuò sit seruanda consuetudo, (alioquin grauissimè afficeretur, qui leuissimę cœnæ assuetus lautissimè subinde, & copiosè cęnasset,) deinde ne subsit aliqua rheumatica dispositio, & benè firmum sit caput, nam cum per somnum inferiora calescant, caput frigescat, ut docet Aristot. Rheuma uerò ut plurimum soboles sit frigoris, si plurimum alimoniæ deuoretur inter cœnandum, necessum est, multam efferri ad caput anathymiasin, quæ anarrhopos tandem à cerebri frigiditate densata, & coacta fit catarrhopos, & multarum calamitatum parens efficitur. Caueant igitur, quibus imbecille caput est, & destillationibus opportunum: Illud sequantur potius.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna brevis.

, *Neque ignorare debes, ò Alex. quòd qui consuevit*
, *semel in die comedere, postea vult comedere bis, vel*
, *qui consuevit comedere bis, et vult manducare se-*
, *mel, aut plus: si hæc continuabit, eueniet sibi nocu-*
, *mentum magnum, quia attendendum est consuetudi-*
, *ni, quæ est altera natura, etc.*

Quamquam naturam non assuescere, asseruit Aristot. eam tamen audiuisse credendum est, quæ infimum gradum est indepta, & infimos perfectionis numeros nacta est, non eam, quæ eminentioris est ordinis, & latiùs perfectionem suam extendit, unde in uegetatiuo per iteratos actus temperantem, & intemperantem parit, in sensitiuo honestum, & procacem, in intellectiuo prudentem, & imprudentem, doctum, & indoctum, tenacis, aut fluxæ memoriæ, quare cum alens anima assuescat, assuetudo verò sit modus naturæ acquisitus, quo melius se habet ad operationes insitas ex natura obiecti, & potentiæ debitas, qui modus distinguitur à natura, ut res, & modus rei; conficiendum est, ut consuetudo penitus sit seruanda, ne insuetudo naturæ acquisitæ uim inferat. Quippe alimẽtis assuescimus, quò similis substantiæ modus in nobis ex usitatis cibarijs comparetur. Nam in cibo, & potu plurimum ualet consuetudo ob suauitatem familiaritatis, & ea est causa, cur similia auidiùs appetamus dissimilia declinemus, quia ingrata. Præterea insueta uicem gerunt contrarij, quòd scilicet nos afficiunt, & immutant, & propterea dictum est Philosophis, ab assuetis passionem non fieri. Quod sanè pari ratione intelligendum est de ciborum copia, nam quantitati ciborum ita assuescimus, ut si mutetur proportio, aut numerus, summum

Periclitatur, inquit Celsus, & qui semel, & qui bis de cibo incontinenter cõtra cõsuetudinem sumit. Lib. 1. c. 3.

eluceſcat

4 Simpl. 133.

eluceſcat detrimentum. Hinc Galenus, maior inquit, cibi, aut potus quantitas magis alterat minori, & conſuetudo vtrobique contracta, ſi violetur, damnum parit, quia præter ſolitum ventriculus alteratur, tum etiam quia facultates ſummopere læduntur, ſi infra, aut ſupra vires exerceantur. Standum igitur conſuetudini, vt præcipit Author, ne violetur ventriculi vis.

Si igitur aliqua neceſſitas, quæ non habet legem, compellit ad hoc, quod renuit conſuetudo, debet hoc fieri diſcretè, & ſapienter, ſcilicet, vt fiat mutatio conſuetudinis paulatim, &c.

Si facienda eſt ex aliqua neceſſitate conſuetudinis mutatio, hoc non omnino, & actutum faciendum, ſed paulatim, nam plurimum, atque repentè euacuare, vel replere, calfacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum, quoniam omne nimium eſt naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tum alias tum quum ab altero ad alterum fit trãſitus: Quærunt Philoſophi, cur qui ſumma corporis rigentia igni admouent, vt calfaciant, vehementiſſimè dolent? Reſpondent, hoc fieri repentina qualitatis mutatione plurimum enim frigus in plurimum calorem mutant. Quid quid enim immodicè, repentèque fit, mala videlicet habitudine id naturæ cruciatum affert, quidquid autem bona habitudine, & modo, & ſecundum naturam paulatim mutatur, id naturam magnopere delectat, conſiſtit autem maximè in habitudinis modo humanum corpus, multoque magis, quàm cæterorum animalium. Tanti fecit modum Auicenna, vt peſſimam etiamnum conſuetudinem paulatim dimittendam eſſe docuerit.

Cap. 3. lib. 1. Ergo, inquit Celſus, cum quis mutare aliquod volet, paulatim debebit aſſueſcere.

Super omnia caue, ne manduces, donec ſenties ſtomachum vacuũ à præcedenti cibo, quod cognoſces per deſiderium, & ex leuitate, & ſubtilitate ſaliuæ ad os decurrentis, quia ſi quis ſumpſerit cibum ſine neceſſitate non perfecto alio cibo, inueniet calorem naturalem valde gelidum, & debilem, &c.

Si quis cibum ingerat, priùs quàm prior ſit cõfectus, & elaboratus, neceſſum eſt eruditates fieri, & calorem naturalem obrui, quare ſummopere cauendum, quia multarum calamitatum principia inde emergunt, ſumendus igitur cibus tunc eſt, quando conſueta hora fames inceſſit, cuius ſignum eſt, cum leuis eſt ſtomachus, & dulcis, tenuiſque pituita in os recurrit.

Si autem cum deſiderauerit, tunc ſuſceperit inueniet calorem, ſicut ignem accenſum, &c.

Perfecta chyloſi calor ventriculi reſumptis viribus validiùs in opus incumbit, quia reſiſtentiam prioris alimoniæ penitus enicit, & accenſi ignis ex ſuppoſitis lignis vicem ſubit.

Et cum aduenerit deſiderium non fiat mora, aliter ſtomachus fameſcens impleretur malis, & peſſimis humoribus, quos ad ſe attraheret ex toto corpore, qui cerebrum & ſenſus perturbarent vapore peſſimo, & tunc cibus ſit tepidus, & non proficit corpori. Ideò Clinias laudabat exercitium ante cibum vſque ad appetitum.

Præclarè ædepol Hippocr. ſtomachum æquori comparauit, quoniam dat, & etiam repetit, ſtomachus enim plenus ſingulis membris impertitur alimoniam, vacuus trahit quidquid proximum eſt, & ſi alimenta non ſubſint, trahit excrementa, quæ ſubinde exagitat, & magna fit confuſio, & ad caput euaporatio, vnde tam frequens ieiunis capitis dolor, vertigo, epilepſiæ. Cùm igitur affuerit appetentia, cibus manſus deuoretur, ne ventriculus cogatur praua excrementa allicere, & non modò ſibi, verum & reliquis particulis noxam communicare. Mane igitur tandiu exerceatur corpus, donec cibi deſiderium aſſulſerit.

Βιου μονω δοξα

His tandem poſuiſſe modum dedit ipſe Iehouah.

PARAPHRASIS IN NOVEM FEN

Lib. III. Auic.

CONTINENS VNIVERSOS CAPITIS AFFECTVS

IOANNIS STEPHANI
IATROPHYSICI
VENETI.

Fen Prima.

TRACTATVS PRIMVS.

De vtilitate Capitis, & partibus eius.

CAPVT PRIMVM.

CAput non propter cerebrum, *(vt fert Galeni sententia)* non ob auditum, olfactum, aut gustatum, neque ob reliquos sensus est conditum, vires enim huiusmodi sensitiuas etiamnũ in acephalis, & capite carentibus animalculis inuenire licet; sed reuera ob oculorum commoditatem, quò elatiore, & eminentiore loco positi longiùs prospectare, & quoquouersùs aciem dirigere valeant, oculi enim in humano corpore perinde se habent, atque excubitores, & exploratores in acie, qui sese in editissimo loco disponunt. At verò vniuersim oculorum gratia caput non est institutum, nisi Animantibus illis, quæ natura lenem, læuemque oculum habent, cui propterea cautione plurima, & custodia opus est: Brutis etenim illis Animalibus, queis natura caput denegauit, duo suffecit, succenturiauitque appendicula, & additamenta reliquis eminentiora particulis, quibus oculi appositè, & decenter inserti manent, vt veluti è specula, & arce sublimi prospectum, prout vsus exigit, emittant.

Præterea neque ad visionem edendam, neque ad faciliorem conuersionem vsum aliquem ob caluariæ duritiem caput præstare valuit. Ad hæc ijs modò necessarium videtur esse caput, quibus tegumento, & cauitate opus est ad condendos, tuendosque ab aduersis oculos, atque ijs etiamnum, in quorum oculos oportet neruos deriuari ad motuum varietatem edendam, & ad palpebrarum cùm demissionem, tùm apertionem, enim verò si longiùs abesset caput, neruus gracilior, qui in oculos proseminatur, ruptione periclitaretur; Atqui de hoc, vbi de oculis agetur diligentiùs.

Cæterùm capitis essentiales particulæ (mitto iam capillos, qui partis nomine non sunt dignandi, quòd à fuliginoso excremento suboriantur, & constituto iam, atque omnibus partibus absoluto adueniant, vt crista Gallo, & quòd ijs absciſſis nihilò mutilatius reliquum obmaneat corpus.) Sunt cutis, caro, pericranium, quod quidem, quia non habet subiectam carnem tanquam medium, cunctanter sentit, cranium. Dein vtraque mænynx, dura scilicet, quæ cranio proximè subiacet, & tenuis, quæ cerebrum arctè complectitur, hincque pia mater dici consueuit: Denique cerebrum ipsum, alba scilicet, & spongiodes substantia, ventriculi eiusdem quatuor, spiritus ipsi animales, quibus ventres replentur tùm ad sensuum, tùm ad motuum munera, tunicæ, quibus ventriculi inuestiuntur, ne subsidant, choroides,

seu

seu retiformis plexus, & os Sphænoides, basilare dictum, quòd est cerebri veluti basis, & columen.

* *Viij. de vsu partium aduersùs Arist. qui 4 de Part. Anim. scripsit, Animalia caput potissimùm cerebri gratia obtinere.*

Tractatum de cerebri anathome, ceu etherogenes quid resecidimus, illud non ignorantes, in disciplinis omnia syngenea esse debere, quæ semel vno loco docenda sunt, ne vitium tautologias committatur, cur ergo in præsentiarum physiologicen cum therapia volens, scienſque confundam? Accedat, prolixiùs tractari cuncta, vt animos legentium fatigent; Quare cum lib. 1. Fen. Quinta hoc argumentum Author pertriuerit, iure breuitati studentes mittimus, nec minùs vniuersalem sermonem de cap. morbis, qui ad similarem, et organicam partem attinent, et ad tractatum de dolore capitis festinanter properauimus, quòd nil peræquè nostrum corpus (vel Hippoc. teste) infirmum reddat, nilque tam molestè naturalem œconomiam perturbet, atque dolor, iuxta illud,

Dum caput, elanguent cætera membra, doler.

Cæterorum tamen membrorum, quorum affectus hic percurrimus, breui anathomen ob oculos ponemus, ne omninò resistere, reclamareque videamur Authori, cui par est obsequiosum esse, et morigerum, quum pulchra etiam decies repetita placeant.

TRACTATVS Secundus.

De dolore capitis in vniuersali.

CAPVT I.

DOlor Capitis* (symptoma tactoriæ facultatis deprauatæ,) est molestia à sentientibus capitis particulis percepta à re confertim tẽperationem mutante, aut continuum soluente profecta, ad cuius generationem nonnunquam ambæ causſæ conueniunt. Scire autem decet, inter reliquas intemperies solam humiditatem ineptam esse ad dolorem excitandum, ni fortè materiæ coniugata membri soluat vnitatem.

Dolor autem harum aliquam partem præcipuè solet infestare, nimirum aut cerebrum ipsum, aut vtramque mẽyngā, aut venas, aut pericranium, quod est duræ mẽyngis soboles. Quælibet verò harum capitis partium dolitat, aut ex causſa intra particulam existente, aut certè per consensum ab alio membro, siue hæc simpathia proueniat propter viciniam, ad quam spectat continuitas, contiguitas, cohæsio, & quæ medio aliquo copulantur: Hoc modo cerebrum consentit vtero per spinam, cui alligatur, inde dolor occipitis mulieribus tam familiaris, eadem causſa inguina compatiũtur vtero, innectitur enim lumbis, & ossi sacro. Siue proueniat propter operis societatem, quo modo mammæ condolent vtero, pulmo auribus. Siue generis physici, quomodo neruosum compatitur neruoso. Siue tandem propter vasorum communionem, hinc ventriculus consentit cordi per aortam, & per venam cauam, vnde syncope stomachica, cerebro per neruos sextæ coniugationis, vnde dolor capitis per consensum à ventriculo; Hepati per portam, lieni per venam, quæ melancholicum humorem eò transmittit ad famem excitandam.

Hoc autem interesse videtur inter dolorem capitis primigeneum, & per consensum, nam dolor per consensum ex interuallis inuadit, lacessitque, & certas quasdam obseruare videtur periodos, iuxta causſæ naturam, quæ dolorem committit, exempli loco dolor per consensum à stomacho tunc excitari, efferarique magis videtur, cum cholera ad stomachum præceps effunditur, quæ quidem stata quadam hora commouetur, vtputa meridiana; Quod quidem similiter & de alijs humoribus audiendum est, singuli enim singulis sex horis mouentur iuxta propriam naturam, & idiotropiam.

Præterea capitis dolor alio discrimine distinguitur, quidam enim ab externa, & euidenti quadam excitatur causſa, quam primitiuam appellare solemus, vtpote ab ebrietate, aut ab vsu alicuius calidæ, & halituosæ alimoniæ, veluti est alliũ, aut cæpe: Quidam verò prouenit ab intrinseca, & permanente causſa, quam antecedentem dicimus, qui sanè dolor perseuerat, donec causſa ipsa permanens absumitur, hinc fit, vt symptoma hoc interdum ægritudinem cerebro ipsi accersat, vt cum remanet post acutas febres, morbos, imbecillitatesque monstrat cerebri non valentis materiei reliquias excutere: Hinc lethargus impendet, aut apoplexia, aut maniacus furor, aut stupiditas, aut surditas, prout causſa, quæ dolorem inuehit, multiplex est, & particulam corripit.

Ad hæc capitis dolor aliud subire videtur discerniculum, atque diuortium, namque alius dimidiam capitis partem inoccupat, & dicitur hemicrania, alius synciput, alius occiput, alius totum caput circumprehendit, qui, si fuerit familiarissimus, nulloque excitetur negotio, dici consueuit cephalæa, molesta, grauisque affectio, quæ bellantium galeæ modo totum ingrauat caput.

Dolor item vehemens, mediocris, aut lenis, visus est enim, qui infantis synciput lacessens eius ossa diduxerit; Debilis in lethargo visitur, qui (vt aliam percurram differentiam) aut interpolis est, aut certè perennis, hic autem non omnibus, sed quibusdam duntaxat est familiaris, ijs nempe, qui cerebrum acri sensu præditum obtinẽt, non item ijs, qui humens, obtusumque habent, & in vniuersum ij omnes, quibus cerebrum est acrius, aut debile propter intemperiem, opportuni sunt ex qualibet vel leuissima causſa doloribus.

Ad hæc verò dolor quidam nullum aliud ciet symptoma, alius verò maximè, cum accersita fluxione circa caput fiant apostemata, aut etiam neruorum contentiones, cum commota, concitaque materia ad neruorum vrgetur initia: Nec minùs capitis dolorem excipiunt aliquando anorexia, nauseæ, vomitus, singultus, dyspepsiæ, & id genus alia.

Diuturnus autem dolor capitis soboles esse

solet phlegmatici, melancholicive humoris, aut capitis imbecillitatem (intemperiei specimen) sequitur, aut apostemati succedit indurato, & refrigerato dissipatis iam calidis, & tenuibus particulis. Mitto alia cruciatus discrimina tritiora. Nunc verò id solum prosequi scriptione visum est, esse quippe quosdam homines, qui sunt cephalalgijs obnoxij, quales sunt ij, quibus est cap. debile, & naturalia membra, h. e. membra, quæ ex publico officio alimentum toti corpori conficiunt, effœta, & imbecillima, plurima enim hinc ad caput effertur anathymiasis ab excrementis subactis, quin alia membra aliquando ad stomachum choleram eructant, & capiti passionem communicant.

Inter assumpta verò nonnulla sunt, quæ præcipuè capitis dolorem inuehunt, inter quæ vniuersa aromata cephalalgiam pariunt propter facilem, nimiamque euaporationem, siue calida sint, siue frigida; hæc tamen aliquando vsui sunt, si præcesserit dolor à caliditate, solet enim frigidorum aromatum vsu sequente expungi, si modò dolor à sola caliditate fiat citra materiam; alioquin officerent.

Dolores autem capitis hyeme, vt plurimùm succrescunt ex constipatione à frigore, & quum æstas est borealis, & parum pluuiosa, & autumnus meridionalis, & pluuiosus, dolores hyeme impendent. Nulla autem doloris frequentior causa est, quam quę vapidos fumos per arterias capiti communicat.

* *Dolor, inquit Sennertus, acribus est repentina, et violenta alteratio à qualitatibus tactilibus continuum soluens.*

* *Fer. Dolor omnis capitis in membranis existit.*

* *Dolor capitis, ait Capiuaccius, vt actio, vel vt passio, fit, quia facultas vel iudicans, vel recipiens frustratur per errorem externum, scilicet per solutionem vnitatis contemplabilem.*

De dolore Capitis ex mala temperie.

CAPVT II.

COmminus iam congrediamur, & pedem cõferamus ad vnamquamque speciem doloris. Dicimus igitur dolorem quendam esse sobolem intemperiei, & quidem calidæ, aut frigidæ, sicca enim intemperies cunctanter dolorem infert: Atqui humida per se quidem nullum affert naturæ cruciatum, nisi ex euentu, qua scilicet tenuis materiæ coniugata particulam intendit, atque adeò ipsam diuidit vnitatem. Et calida quidem sicca, & frigida, & sicca qualitate ipsa, & soluendo etiam vnitatem dolorem inferunt, prout humiditates absorbendo partem contrahunt. At calida, & humida, & frigida, & humida dolorem non pariunt nisi afficiendi, & alterandi vi, omninõ vt alliotica.

Calidam verò intemperiem vel sanguis, vel cholera, aut certè humor vterque, aut ab eisdem ad caput sublatus vapor, vel animi, corporisve vehementior motus, aut ignis, aut sol acrior inuehit. Assumpta dein calida alimenta, medicamentaue huc faciunt. Quæ verò dolorem efficiunt frigidæ caussæ, enarratis iam opponuntur.

Afficcantes autem caussæ sunt, quæ extrinsecùs humiditates absorbent, exhauriuntque, vt aer æstuans, qualis est, dum syrius ardet, aut ventus impendiò siccans, qualis est borealis. Huc spectãt admota calfacientia, ruborem excitantia, aut etiam quæ prohibent, ne alimentum ad caput deferatur. Dein siccitas etiam inducitur, si potu interdicatur, si ab interno calore naturales humiditates resoluantur, si arefacientia assumantur, & digerentia, si alimenta actu, imaginatione que sicca deuorentur. Huc pertinent & immodici motus, & coitus, & hæmorrhagia quælibet excedens, immodesta denique omnis effluxio siue per aluum, siue per vesicam, siue per habitum corporis fiat.

Euacuantia verò duplicis sunt generis, quędam enim generatim totum corpus extenuant, & inaniunt, aut partem aliquam præcipuam, quædam verò particulatim caput ipsum exhauriunt, vt rheuma quodlibet, fluxus sanguinis è naribus, errhina, caputpurgia, sternutatoria, gargarismi. Denique quæcumque absorbent, humoreq; priuant, afficcare dicuntur, vt ieiunium, inedia, potus abstinentia, siue afitia, &c.

De speciebus doloris Capitis ex solutione vnitatis.

CAPVT III.

CErebri, aut membranarum, venarumve vnitatem commoti vapores, & flatus tensione soluunt, atque abiungunt, aut obstructorij infarctus, aut humor erodens, aut plaga, aut incisio. Illa porrò vnitatis solutio, quæ ab erosione proficiscitur, non nisi difficulter repletur carne, hinc dolor perseuerat, & excrucians perpetim producitur.

Dolores verò, qui ex casu, percussioneq; proueniunt, nonnunquam leui tolluntur auxilio, nõnunquam verò graues accersunt affectus, percusso, concussoque cerebro, puta dementiam, apoplexiam, vt laborans pereat, vt accidit cuidam, qui colapho cæsus in apoplexiam incidit excitis humoribus, qui subinde peperere infarctus.

Nec desunt quidam Indiæ inquilini Medici, qui asserunt, vermes etiam in capite genitos cruciatum inferre ineffabilẽ vellicando, & mordicando. Quod sanè quibusdam probabile non videtur aggigni scilicet in capite vermes, sed reuera frustra laborãt, vt refellant; nã multoties in anteriore capitis parte prope papillares processus geniti sunt vermiculi, qui cruciatus attulerunt, & subinde emunctione educti fuerunt, vnde dolor omnis euanuit. Nota est historia militis, cui ex basylicæ herbæ frequenti odoratu enatus fuit in cerebro scorpius. Hæc tamen perrarò visuntur.

De

De speciebus doloris ex apostemate.

CAPVT IIII.

APostema, à quo dolor prouenit, aut cerebrum, aut tunicas occupat, ingruatque, quod si calidum sit, phrenitis dicitur, si frigidum, lethargus, si mixta sit materia vigilcoma appellatur. Huiusmodi verò dolores soluuntur, si sanguis, pus, sanies, aut aquea pituita per nares, per aures, aut per os ipsum erumpat.

De dolore Capitis ex intemperie cum materia proueniente.

CAPVT V.

MAteries est doloris caussa aut per se, aut ex euentu, per se quidem, vbi corrumpitur, & mutatur temperatio, aut soluitur, abiungiturque id, quod est continuum. Temperies verò mutatur aut per viciniam communicata membro qualitate, aut per fixam, permanentemque dispositionem. Per vicinitatem enim humor inhærens calidus, aut frigidus, calfacit, aut refrigerat, sed cum exhauritur, & abscinditur, nulla postea remanet passio, aut certè non ea, cuius haberi debeat ratio. Quæ uerò fit intemperies per relictã, fixamque dispositionem, euacuato, exturbatoque humore non recedit, quoniam qualitas particulæ radicitùs infixa habitum quendam contraxit.

Porrò solutio vnitatis per se dolorem efficit, cum humor mordicat, & rodit particulam, & separat, seiungitque, quod coniunctum esse debet. Hinc dolor plurimus ex flatu ad caput sublato, quem flatum excitauit imbecillis calor ex frigida materia, aut ex edulijs calori permixtis. Erodentes verò, & mordentes caussæ sunt humores præcalidi, præustique.

Atqui dolor per solutionem vnitatis ex euentu prouenies est, quum accidit obstructorius infarctus, apostema, quę subinde tùm mutatio temperationis, tum ipsa vnitatis solutio excipiunt: Hocque accidit, quòd materiæ, quas natura in corpore commouet, hoc sanè studio cientur, vt trudantur, vel vt separentur, segregenturque ab alimento, ceu quid etherogenes. Hoc verò non fit, nisi in naturalibus poris, & meatibus, qui quũ obstruuntur, commeatum prohibent, hinc resistentia, hinc extensio, quam vnitatis solutio comitatur; obstructioni verò opportuna est non modò cerebri substantia, verum & venæ, quæ in cerebro sunt, & arteriæ, & quæ per menyngas obrepant. Fit autem obstructio à crassis, viscidis, plurimisque humoribus, & sanè cholera, & sanguis sola mole, multitudineque obstruunt.

Dolor porrò capitis quidam criticus est, quum natura ad expellẽdum morbificum humorẽ mouetur, vnde caput incessitur. Quidã digestioni alimoniæ succedit, quum excrementa segregantur, aut excernenda retinentur, maximè si alimentum fuerit praui chymi, quallia sunt allia, cæpe, synapi, vinum temulentiam inferens, hæc enim omnia capitis dolorem ingeminant, præsertim si corrumpantur.

Nulla autem caussa frequentiùs dolorem inuehit, quàm vapor ipse membranas contendens, cum sibi intercluditur exitus, vt vias inuias quærere cogatur. Vapor autem cruciatum affert aut qualitate sua, aut coercendo:, inculcandoque humores, aut eosdem commouendo. Præterea flatus, & vapores aut in corpore, ipsoque cerebro producuntur, aut olfactu intrò in cerebrum trahuntur, aut per occultos, inconspicuosque poros in cerebrum peruadunt, tristemque sensum inducunt: Hinc dolor tam frequens cùm ex malis, tum bonis odoribus. Porrò vapor ex melancholico, aut pituitoso succo sublatus, grauem, grandemque parit dolorem, sed melancholicus vt est deterioris ingenij, ita tristitiem comitem habere consueuit. Qui verò è sanguine efflatur vapor plurimus, mitis, suauisque est, & copia potiùs, quàm qualitate afficit, hinc mitissimus dolor, bilioſus autem halitus acerrimum, acutissimumque ingenerat dolorem.

De dolore Capitis per consensum.

CAPVT VI.

DOlor sympathiacus quidam absolutus, perfectusque visitur, quidam mancus. Consensio completa fit, quum ex communicante membro nihil penitus corporeum præter noxam prouenit: Non exacta verò fit consensio, vbi ad cerebrum ipsum ab amandante particula vapor, aut humor sublatus irrepit. Primæ conditionis dolorem in tetano experiri licet, & in conuulsione, atque in cholico cruciatu à flatu crassiore genito, qui laborantem ita exercet, ita percellit, ita torquet, vt eum incuruet. Idem in articulari dolore acerrimo videre est, vni enim particulæ totum compatitur.

Porrò ex communicabilibus qualitatibus alia est naturalis, & alumna, alia extranea, & deleteria, quæ nullam cum calido, aut frigido familiaritatem habet, aut symbolum, veluti est veneffica qualitas. Nonnumquam in particula quapiã delitet humoris cacoethes, vnde cerebro noxa communicatur. Interdum etiam subsunt materiæ, quæ per se non sunt infensæ naturæ, nisi ex vehementi qualitate accedente, cuius caussa infestant, officiuntque. Aliquando hoc ipsum accidit ex venenata materia in membro quopiam paulatim succrescente, vt videre est in hysterica passione, aut in nimia continentia, vbi fætificus lentor mora corrumpitur intus conclusus, aut denique in hypochondriaca passione, vbi prauus humor exæstuat, & aduritur, aut in extima, extremaque particula, vnde capiti malum impartitur, vt est cernere in quadam epilepsiæ specie.

Noxia interdum qualitas euadit caussa superueniens, & extraria mores cõtinens nequissimos, quod sanè bipartitò fieri contingit, uel enim qualitas illa noxia corripit, & corrumpit, quidquid laudabile in cerebro inuenit, siue illud naturale ex-

le excrementum sit, siue alimentum, uel cerebrum accommodat, præparatque ad facilè susciendum aliunde nequissimas materias, ad susciendum uerò cerebrum disponitur bifariam; primò cum præcalfit, adeò ut promptissimè attrahat, & illiciat materias, dein si cerebrum debilitetur, infirmeturque, ut minimè appellẽtibus resistat; Scitum enim illud est, omnem imbecillitatem membrum reddere dispositum, obnoxiumque recipiẽdis aliunde superuacuis.

Cæterùm à toto corpore consensio fit, aut per qualitatem in totum corpus diffusam, aut per materiam, ueluti in feb. accidit, & hinc fit, ut dolor aliquando sit criticus. At uerò cum in feb. acutis dolor uehementior infestat, malum hoc est, imò perniciale signum, si modò reliqua mala signa conueniant, quòd si solus dolor pernicië minetur, reliqua signa spem salutis portendant, tunc hæmorrhagia crisim allatura significatur, aut certè critica uomitio.

Inter uerò membra capiti noxas communicantia primas tenet stomachus, in quo uaria recrementorum genera succrescunt uel congenita, uel aliunde per certas periodos, aut citra translata: Non infrequenter enim praua cystis conformatio est in caussa, ut felleum excrementum ad stomachum refundatur, siue hoc angustiæ, siue laxitatis uitio fiat. Vinum præcipuè, qua carebaricum, uapidumque est (ut hoc obiter dicam) dolorem capitis parit. Post stomachum secundo loco accedit uterus, dein hypochondria, hepar, lien, & diaphragma, postremò renes, & dorsum, & extremæ partes. Primùm sanè, per quod, ceu medium cerebrum compatitur, est pericranium, nullus uerò affectus per consensum est frequentior illo, qui succedit internis phlegmonis, quum materiæ sursum respirant per halitus, perinde enim fit, atque in cacabo æstuante.

De signis vniuersalibus ostendentibus speciem, & modos doloris.

CAPVT VII.

DOlor à caussis externis, & euidentibus proueniens, vel à Patiente dignosci, distinguique poterit, siue à percussione fiat, aut lapsu, siue calidorum, frigidorumve occursu contingat.

Dolor autem qui cap. imbecillitatẽ consequitur potiùs, quàm caussarum vim, & efficaciam, hinc conijcitur, quòd vel leuissima de caussa excitatur, turbidas, segnesque actiones sensus edunt, & vniuersæ animales functiones admodum oscitanter obeuntur.

At verò si dolor ex eo excitetur, quòd acri, acutoque sensu præditum sit cerebrum, id vel inde cognoscitur, quòd leuissima de caussa dolor commouetur, vt odore, clamore, clementeque strepitu, interim sensus integri, perspicaceque existunt, inculpatèque animalia munia obeuntur, & emunctæ naris homo est. Qui verò dolor à materiata caussa originem ducit, ex muco è natibus deciduo dignosci potest, quænam fuerit præcipua caussa, siquidem vix fieri potest, quin odore, sapore, colore, acrimonia, aut austeritate naturam sui parentis redoleat, & prodat. Namque si acrior caussa fuerit, flauescit, rubescitue mucus, amarescit, mordicat, vrit, quin etiam pulsatio quædam circa tempora percipitur. Quod si materia dolorem committens crassior extiterit, tunc etiam per nares minùs emungitur materiæ, neque hinc tamen concludendum est, non adesse *superuacua*, si modò capitis grauitas infestauerit.

Cholera quidem dolorem pariens sese prodit potissimùm mordicando, & vellicando, & pũgendo, nec vllus dolor ab alia caussa tam parcè nares colluuie inficit, quemadmodum, qui à bile, sitis molestat, colore luteo tinguntur occelli, vigiliæ, capitis tædia sollicitant, exercentque.

Frigidam materiã significant anni tempora, frigus, os pallẽs, & si processerit ab ingluuie, & nimia satietate, segnities, anorexiaq; illud abũdè arguũt, si humiditas calori, aut frigori cõsociata adfuerit, eam in soporem procliuitas prodet. Materiæ verò phlegmaticæ, aut melancholicæ non adeò uehementem pariunt dolorem. Si materia fuerit melãcholica, aut bilioſa, omninò ficca, minor capitis grauitas percipitur, vigiliæ molestiores. Siccitas autem frigori coniugata phlegmones suspicione caret, atque interim deterrimis percellitur cerebrum cogitationibus, uenetoque facies colore liuescit. Nonnunquam enim ex solo oculorum, & oris colore detegitur, proditurque caussa doloris, & prout magis, aut minùs color diuatiauerit, sic certa deprehendetur caussa; ea autem est ratio, quòd quædam ad oculos, & ad oris regionem fiat humorum translatio, & metastasis, unde inficiuntur, talis enim in cute efflorescit color, qualis fuerit intus humor: Hoc etiam aliquando contingit ex eo, quòd natura tanquam suppetias latura ad caput alios amandat humores, qui subinde in lumina, & in ora redundant. Dolor enim, cum mẽbrum aliquod afficit, attrahit quidquid est contiguum, & plerumque sanguis præsentior, aut quidquid fluidum magis, & paratius est, accurrit.

Dolor autem germen, sobolesque flatuum hinc certò intelligitur, quòd nulla omnino grauitas, grauedove, sed sola laceſſit distentio, modòque corrosio, modò stimulus angit, si modò minera fuerit acrior: Dein tinnitus, sibilusue grauiùs interobmurmurat aures, uenæque iugulares turgescunt. Ad hæc dolor inconstans est, & loco cedit, & si uapor crebrior inualescat arteriæ frequẽtiùs pulsant, & agitatis animalibus spiritibus aliquando scotodinos accidit, corrupta imaginatio.

Verùm cruciatus à sola intemperie procedens proditur signis illas intemperies indicantibus, cũ interim caput nullo prematur pondere, nec humore mucoso nares madeant. Calidam quidem intemp. percipit laborans, aut familiaris quilibet manum fronti, aut temporibus admouens, oculi rubescunt, utque frigida proficiunt, sic calida officiunt. Frigidam intemperiem contraria signa demonstrant, frigus percipitur, ora pallent, neutiquam extenuantur, dolor non est adeò demens, calastica prosunt, diuturnitate leuatur. Siccam verò intemperiem præmonstrant præuia insignis inanitio, exercitatio, diutinæ vigiliæ, ieiuiunium,

concu-

concubitus, & alia id genus, cumque huiuscemodi redeunt causæ, ingeminatur acerbitas.

Dolor autem sympathiacus hinc colligitur, quòd uel inualescit, uel euanescit, prout membrum mandans magis, aut minùs laborat. Quod si per communionem, consensionemque haud fuerit, reliqua sensuum munera segniùs, & ignauiùs obita id demonstrant, siquidem caligant oculi, sopor altior occupat, aures obaudiunt, & perseuerante capitis dolore reliqua membra pancraticè se habent.

Dolor verò membranas lacessens acutus est, & oculorum radices lancinans proditur. Quod si dolor pericranium occupet, ut obtusior est, tactuque deprehenditur, ita ad oculorum radices non pertinet.

Dolorem porrò capitis per consensum à stomacho significant uentriculi fastidia, nausea, anorexia, dyspepsiæ, & cruditates. Et cum caput consentit stomacho laboranti per bilis palyndromen, & diadochen ab hepate, aut folliculo, aut à toto corpore, dolor vacuo, ieiunoque ventre acerbior est, quàm repleto, sed animaduersione diligenti opus est, si quidem huiusmodi accidentia stomacho accidunt à cerebro per idiopathiã, & protopathiam affecto propter neruos sextæ coniugationis; Hoc uerò hinc colligere licet, quod caput primò, subinde stomachus afficitur, dein si propria adfuerint signa, quæ doceant caput per se laborare, stomachum verò per se benè habere quidem, sed cerebro compati. Quod si dolor à stomacho proueniat, scire autem velis, qualis sit dolorem inferens humor, animum ad cruditatem, aut concoctionem intendas, pariterque ad sympromata, quæ vacuum, plenumuè sequuntur stomachum, nam dolor à cholera ieiunio ingraueſcit, à phlegmate exacerbatur repletione, ventre depleto mitescit, tametsi aliquando fames dolorem capitis excitat, dum excremẽta ciet, & exagitat, & vapidam substantiam multiplicat, & tollit ad caput, hoc autem interest, quòd alimentum non sedat hunc dolorem perinde, atque à cholera indigena prognatum.

Plurimi porrò sunt cap. doloribus opportuni, quòd ad stomachum bilis refunditur, quibus euanescit cibi ingestione, hoc autem est veluti tecmirion, quòd scilicet fiat per consensum à stomacho, & proin etiam si patiens choleram vomitu reiecerit, dolor sedatur. Hoc idem ex doloris idea indicatur, si quidem dolor à stomacho synciput potissimùm exercet, & paulò inferiora. Dolor ab Hepate dextram capitis partem inuadit: A liene sinistram: Ab Hypochondrijs anteriorem capitis partem adoritur, qui verò ab vtero prouenit, situs ratione coronalem futuram incessit, & vt plurimùm succedit partui, abortui, imminutis; suppressisue menstruis purgamentis.

Atqui dolor à vermibus indicatur per ventris tædia, torminaque, orisque grauitatem insolentem, & hinc etiam conijcitur, quòd exercitio acuitur quiete mitescit acerbitas.

Quòd si dolor à lumbis, & renibus procedat, inion lacessit, posterioraque capitis. Dolor autem doloribus succedens ingraueſcit pariter, pariterque leuatur cum alijs prioribus. Hoc idem habendum de critico, si quidem mitescit, exasperaturve, prout feb. remittuntur, aut intenduntur; crisim verò significant vrinæ albæ perseuerante febris acrimonia, id quod accidit irruente bile ad caput. Hinc patet, quòd res incisoriæ, & attenuãtes aliquando dolorẽ pariunt, quòd scilicet vaporibus semitas parẽt, & meatus recludãt ad caput, tametsi nec valida caliditate polleãt, ceu oxymel, idemque de hemicrania sentiendum. Vbi cholera exorbitat, non tenuem, tenuantemque victum adhibere oportet, sed crassiusculum, vt humoris vim, fluidamque compescat naturam.

Dolor ipse interdum sibi copias, viresque inauget, si paulò fuerit vehementior, accersita fluxione, attractaque materiæ colluuie; neque enim absurdum est, dolorem prolicere, & trahere, siquidem lacessita particula, dum vires colligit ad propellendum, proterendumque noxium, spiritus ciet, & arcessit, quibuscum sanguis, & humores reliqui confluunt.

De signis affuturi doloris in ægritudinibus.

CAPVT VIII.

VRina turbida Asellorum lotio quàm simillima præteritum, præsentem, aut futurum dolorem capitis denunciat, huc spectat & tenuis vrina alba in feb. tempore criseos, significat enim metastasim, & translationem materiarum ad caput, quæ proculdubio cruciatum afferunt.

Generalia præcepta in Capitis dolore obseruanda.

CAPVT VIIII.

NOsse operæpretium est, eadem medendi formula, methodoque vtendum esse ad summouendum dolorem, qua in cæteris affectibus, esse nimirum eius causſam rescindendam, contrarijsque omninò obsistendum potestatibus, non similibus, vt quidam insciti protulerunt. Dein alta mente tenendum, nil peræquè prodesse ad capitis dolorem imminuẽdum, atque viuendi frugalitas, & temperantia, maximè si abstinenter vino parcamus, & indulgenter somno studeamus, Victus tamen parsimonia dolenti à causſa calida non conducit, quòd humores acuat; sanguinemque biliosiorem reddat intus aucto calore.

De dolore Capitis chronico.

CAPVT X.

NIhil adeò diuturno capitis dolori eximendo prodest, quemadmodum animi, corporisque tranquillitas, quidquid enim corpus exagitat, siue coitus fuerit, siue impensa cogitatio dolorem ingeminat. Diligentem verò in primis curam impendere oportet in remouendo dolore à cholerica materia attrahendo ad inferas partes tùm clysteribus acriusculis, tùm frictionibus,

bus,& ſemicupijs. Interim pharmacis augendis incumbendum, donec bilis è ſtomacho, & hepate exturbetur,exigaturque. Inter verò præcipua auxilia, quæ materias ad inferiora alliciunt, cenſetur pedum frictio, quæ etiam ſomnum prolectat, & tollit peruigilium, adeòq; conferre conſueuit, vt ſola hæc frictio dolorem ſuſtulerit materia ad pedes continenter attracta. Quòd ſi adeò infeſtet dolor, vt topicorum vſus ſit neceſſarius; maximè ſi æſtuoſus, diuturnuſque dolor fuerit, tunc circa coronalem ſuturam caput eradendum, vt via pateat topicis auxilijs. Cæterùm inter ea,quæ proficiunt, numerantur filorum glomeres, lana medicatis ſuccis, aut oleis inebriata, ne citò diffluant, & ſyncipiti admota, vt cerebri ſubſtantiam perualant priùs, quàm ab ambiente aere afficiantur, & eorum virtus minuatur.

Iuxtà Filagori ſententiam ab Hippocrate edocti vena frontis inciſa tollit poſterioris capitis dolorem, ſed cucurbitulæ infernis partibus appoſitæ, quemadmodum & pedum in calidam aquam immerſio, leuiſque obambulatio, vapidiſque, & flatuoſis, dyſpeptiſque edulijs temperare, & parcere mirandum in modum prodeſſe conſueuit. Effuſio verò(mea quidem ſententia)calentis aquę ſuper plantas pedum, ſi frequens vſurpetur, id agit aliquando, vt materia cruciatum pariens præceps ad extrema ruat, & dolor euaneſcat.

Interim noſſe oportet,acidas cupedias ijs haud conuenire, qui dolore capitis affliguntur,ni dolor accedat per conſenſum à ſtomacho, huiuſmodi enim ſapor os ſtomachi quadantenus roborare conſueuit, ne tàm facilè choleræ irruentis impetum ſuſcipiat.

Quòd ſi dolori vrgens aliquod ſymptoma ſuperueniat puta peruigilium vires proſternens,doloremque ingeminans, huic in primis incumbendum eſt, quare caput oleis humectantibus, refrigerantibuſque,vt cucurbitino, ſaligno, nenupharino, aut lacte, in quo diſſoluta ſit caphura, & ſimilibus perfundendum eſt. Nonnunquam neceſſitas ad narcotica confugere cogit, vt ſenſus ſtupeſcant,& ſomnus irrepat.

Cæterùm in omni cephalalgia hoc præ cæteris cauendum,ne frigida, & humida adhibeantur, ſiue aſſumenda, ſiue adhibenda ſint, vbi adfuerit rheumatiſmus, ſed eò allaborandum eſt,vt materiæ foras exigantur euacuatione, extrema,nempe manus, & pedes in tepentem laticem immergantur, fricentur, vinciantur, vt eò humores corriuentur. Vbi autem topicis auxilijs opus erit, coronariæ ſuturæ admoueantur, non lambdoidi, namque propter cranij denſitatem, & craſſamentum vires localium intrò non peruadunt, tantòque minùs adhibenda erunt, ſi frigerandi poteſtate polleant, nam cerebello neruorum origini, & parenti incommodum, noxamque inferrent.

Si autem dolor plagam, lapſumque conſequatur, & frigido, aut calido ſtipetur tumore, tunc pro diuerſitate cauſarum remedia præſtes, calido quidem frigida lenia, dorſo cucurbitas admoue, temporibus hyrudines, extrema interim vinculis ſtringantur, frigido verò adhibeas diſcutientia, quibus leniter roborãtia ſint ammixta, atque frigerantia, quemadmodum ſi roſaceo incoqueres rutham, & mentham.

At ſi cruciatus fuerit adeò demens, vt in Puellis etiam diducat ſuturas, & diſrumpat, tunc lumbrici optimè triti, & cum oleo roſaceo permixti, & modico aceto,, vbi caput ſalita aqua ablutum fuerit,inducti conferre conſueuerunt. At verò quando ſubalterna præſidia, quæ caput expiãt, vſurpanda ſunt, vehementer reſoluentia hac lege, vt primò mitiora, ſubinde valentiora deligantur. Interim eius ſum conſilij, ut narcotica, quantum fieri poteſt, omittantur. Vomitus autem dolori minimè confert, imò ſummè noxius eſt,ni proueniat per ſympathiam à ſtomacho, tunc enim iuuat.

At dolor occiput præcipuè inoccupans, ni feb. adfuerit, phlebotomia, & vehementibus ſoluitur cathartics: Quod ſi dolor fuerit vagus,& à frigore miteſcat, tunc ſanguinis miſſio per cucurbitulas, & per phlebotomum neceſſaria erit, ne doloris perennitas ſuperuacua excrementa ad caput euocet, & arceſſat.

De calidi doloris citra materiam, & vnà cum materia curatione.

CAPVT XI.

IN hoc doloris genere eò medentis conſilium dirigitur, vt refrigeret, nihil autem inchoanti huiuſmodi dolori magis prodeſt, quàm admotum ſuturæ coronariæ purum roſaceum, vt Artis vſus requirit; quod ſi Roſaceum ſatis non eſt, tũc ſucci herbarum congeneris virtutis miſceantur, vt puta lactucæ, aut limonis; Illud in primis conferens iudicatur præſidium, quod ex lacte, aut ol. roſaceo, aut violaceo niue refrigerato concinnatur, ſi ſuturæ coronali admoueatur unà cum modico aceto, ut intrò promoueat aditum.

Cæterùm dolor à ſolis exuſtione proueniens expungitur,ſi æger ſe ſe ſub tecta ſubtrahat,& umbris, & frigore obſita loca quærat, ſi embrochæ, & perfuſiones cap. adhibeantur, quæ refrigerandi ui polleant, ſi errhina eiuſdem generis confiant: Interim (quod & in alijs dolorum ſpecièbus obſeruandum) ne uocem intendat, neu dementi appropinquet ſtrepitui, ne impenſiùs cogitet, concubitum perhorreſcat, nec inediam diutiùs toleret. Et ſanè dolor iſte à carceribus facilè tollitur, ſi patienti ſubſidio ueniatur, quòd ſi neglectum itur, ſubinde laborioſa cura ſuſcipienda eſt,& dolor uſque adeò inualeſcit, ut ſummos afferat cruciatus. Aliquandò uerò ex inſolatione dolor accidit non tantùm propter æſtum, quantùm propter uapores ad caput attractos, & concitos humores, & ſanè in hoc doloris genere iuxta præfatam methodum euacuare decet, id quod etiam præſtandum, etiamſi nec uapores ſurſum efferantur, nec humores cieantur,ſi modò repletio conijcitur, & ſuſpicamur, ne ad dolentem particulam confluxio fiat, tunc enim ſi euacuatio negligitur, quis eat inficias, quin conciti,exuberantiſque humoris impetus in afflictam particulam feratur? Quòd ſi cap. uehementer inflammetur, & exar-

deſcat

descat una commisceantur hordei polenta, & psyllium cũ aqua virgæ-pastoriæ, & fiat cataplasma admouendum bregmati.

In dolore verò à calida materia sanguinea, primùm à venæ sectione in brachio auspicari curationem oportet, tùm si opùs fuerit, pergendum erit ad secandas venas narium, & frontis, hoc enim præsidium de proximo conferre solet. Verùm animaduertere dignum est, quænam pars cap. doleat, nam ex opposito latere sanguis mittendus, iuxta illud Hipp. Dolenti posteriora cap. in fronte cæsa vena dolorem soluit. Quod si hæc non sint satis, humidæ cucurbitæ scapulis erunt admouendæ, & plurimum sanguinis trahendum, locaque cæsuris hiantia tritissimo sale inspergenda erunt, subinde lana rosaceo imbuta erit inducenda, & mane phœnigmi etiamnum humoris affigi poterunt; quæ quidem præsidia non solùm in hac doloris specie vsurpari debent, sed in chronico quolibet cruciatu, qui à contumaci, rebellique proficiscatur materia. Et in præfata specie doloris saphæna incisa confert, itemque scarificatæ cucurbitulæ admotæ cruribus ad maiorem antispasim.

Quòd si aliquid biliosæ materiæ subesse suspiceris, quàm mox expiandum corpus, leuiorbusque laxatiuis aluum leniendam curato, quæ sanè diutissimè cita haberi debet, caulium, prunorum, pisorumque iusculis. Æger interim refrigerantibus escis vescatur, quæ sanguinem quadantenus compingant, & contemperent refrigerando. Sed nihil peræquè ad curationem facit, atque aluus sobriè soluta. Illud verò haud ignorandum, adstringentibus malactica esse permiscenda, quin etiam leniter abstergentia. Inprimis verò cibi sint boni succi, oportet, & frugalis vita ineunda.

Cæterùm scire licet, embrochas, & linimenta ea esse vsurpanda, quæ refrigerandi, atque adeò repercutiendi mediocri facultate polleant, non item humectandi, qualia sunt punicorum malorum succus, mucilagines psyllij, cydoniorum, aq. rosarum, quercus, plantaginis, virgæ pastoriæ.

Cephalalgiæ verò ex biliosa materia huiusce modi curatio adhiberi debet, vt si aliqua subsit plethora, depleatur phlebotomo, subinde exigenda cholagogo bilis, veluti citrinis myrobalanis, ni adfuerit febr. quæ si præsens infestet, aluus simplici diapruno, manna, & huiusmodi leuiusculis subductorijs, & lenibus clysteribus soluatur. At si cholera crassior fuerit, stomachique tunicis impactior, vt neque vomitu, neque leuibus ecboproticis educi valeat, tunc pharmaco ex hierapicra aluum soluere necessum erit, & aliquando stimuli gratia nonnihil diadagrydij adijciendum, subducta bile refrigerantibus intemperies submouenda erit, atque humectantibus, corporis quidem assumptis medicatis alimentis, capitis verò, si in eo causa fuerit, ijsdem adhibitis præsidijs, quæ paulò ante ediximus, quæ calidam, siccamque remouent intemperiem.

Inter epithemata verò, quę dolori leuando cõducunt, quæ ex trochiscis de croco confiunt, recensentur, qui non minùs cephalalgiæ tollendæ, quàm pellendis pernigilijs conferunt; Hæ autem ratione concinantur. Rec. Croci aureos vij. myrrhæ aureos ij. succi agrestæ, calcitis, albi vitrioli, gummi ana aurem 1. s. aluminis sciffilis aureos viij. chalcanthi aureos v. omnia in pollinem redacta styptico vino excipiũtur, & formantur pastilli, qui, vbi vsus postulauerit, acero soluuntur, & aq. ros. & illitu tempora inficiuntur. Sed illud animaduertere oportet, calidum scil. cap. dolorem importuno topicorum vsu aliquando conduplicari, stringentium vi densata cute, & coercitis halituosis exspirationibus, quæ foras erumpebant. Atqui errhinum ex rosacea, & acero conflatum, & adhibitum vsui est.

De curatione doloris à frigore sincero, necnon ex materia phlegmatica, et melancholica.

CAPVT XII.

DOlenti cap. à frigoris iniuria prodest calfactio per suffitum, & fotum, per pannos, aut per sacculos sale, & milio prælixis plenos. Et sanè milium est temperatius, & attenuantius, quò fit, vt luculentiùs afferat emolumentum omnibus quidem, sed præcipuè rigentibus, quum eorum corpora minùs excrementis scatent, nec vllùs humorum affluxus percipitur, neque futurus reformidatur, tunc etiam eorum capita soli exponi possunt, donec indutus calor frigus expungat, atque adeò dolorem lenet. Algescenti quidem victum extenuare necessum est, & immisso clysmo sollicitare aluum, qui sanè ante omnem animi, corporisque motionem adhiberi debet, vt corpus excrementis vacuum, immuneque reddatur. Præterea frigidis potionibus, itemque rigido cœlo eidem interdictum oportet. Vniuersi autem, qui frigidis cephalalgijs implicantur, præmissa decenti purgatione, si fuerit necessaria, mirandum in modum errhinis, apoplegmatismis, odoris suffitibus admotis embrochis, & calfacientibus emplastris iuuantur.

Sed præ cęteris vinum odoriferum, merum decoctionis sem. fœniculi, apij, anysi, cymini, & aliorum id genus prodesse consueuit.

Hoc verò duntaxat eo tempore experiri decet, quum stomachus humoribus, qui facili negotio effervescunt, atque anathymiasi in caput efferuntur, vacuus est, & immunis. Et vbi nulla feb. suspicione tenemur, interim acerbitas doloris inualescit, tunc caput synapismis, ruborem excitantibus metasyncriticis obducere iuuat. Similiter experimento constat, quàm egregiè conferat linimentum ex aceto, & cinere coactum, item ex radice Chelidonię & amygd. abraso priùs capillitio. Huc faciunt, & allia comesa.

Cæterùm frigidæ cephalalgię cum materia curatio super eo cardine vertitur, vt corpus inaniatur, si toto corpore pituita redundarit, & victus extenuetur, subindè subalterna præsidia administrentur, vt aliàs docuimus, postremò localia, quę dolorem mulceant, admoueantur, præ cæteris verò vtile erit semel in hebdomada serena vti theriaca.

Verùm melancholicæ cephalalgiæ curatio sic

insti-

institui debet, vt sedulò inspiciamus, nũquid phlebotomia opus sit, vt cap. de venæ sectione innuimus, si sanguis copia, aut qualitate peccauerit, subindè digerenda materia, qua digesta euacuatio sequi debet, postremo loco intemperies rependenda ea methodo, quam aliàs enarrauimus: Interim ea sunt administranda, quæ sanguinem tenuem, humectum, & laudabilem procreant. quę sanè victus ratio summa est totius curationis. Porrò nec illud despiciẽdum, garyophylla scilicet maximopere conferre, itemque cucurbitulas scapulis admotas, vt monet Archigenes.

De administrandi ratione linimenta frigidæ Cephalalgiæ conducentia.

CAPVT XIII.

IN primis caput abradi, aut saltem prætonderi debet, vt topica præsidia commodiùs applicari queant, quæ huiusmodi sunto. ℞ Euphorbij, nitri, sem. domesticæ ruthæ ana aureum vnum, ruthæ syluestris, synapi ana aureos geminos, vniuersa hæc in pollinem redacta excipiantur aqua Amaraci, & caput oblinatur. Maximopere verò prodesse consueuit hoc linimentum. ℞. Piperis, euphorbij recentis ana aureum vnum, fæcis olei de croco scriptulos quinque, stercoris columbini binas drachmas, omnia ritè contrita commisceantur cum acerrimo aceto, & fiat illitus. Nec minùs commendatur linimentum concinnatum ex euphorbio, sale, nitro, aut ex euphorbio, Aloe, myrrha, gummi Arabico, castoreo, croco, anyso, sarcocolla, thure, ex quibus arte aggregatis cum aqua ruthæ fit linimentum. Verùm ex cataplasmatis conferentibus omni cap. ægritudini, & frigidæ hemicraniæ omnium maximè prodest litus ex lapide Ægyptiaco, similiter hoc modo affabrefactum. ℞. piperis albi, croci ana ʒ. ij. euphorbij ʒ. j. stercoris columbi syluestris ʒ. 5. misceantur cum aceto, & frons inde obtinatur. Item ℞. Aloes, myrrhæ, euphorbij, castorei, epithymi, costi, pyrethri, piperis parem modum m. & cum vino fiat linimentum. Huc facit stercus palumbinum ex aceto tritum. Item ℞. piperis, trochiscorum de croco ana aureum vnum, & semissem, misceantur cum aceto, & admoueantur, prout exigit vsus. Hæc autem præscripta remedia nonnunquam administrantur conquassata cum Sambaco, ol. iasmino, aut cum lacte, aut cum oui albumine, nonnunquam etiam syncera vsurpantur, prout varij cõplexionis gradus resultant.

De errhinis, quæ capiti à frigore laboranti succurrunt.

CAPVT XIIII.

PRæ cæteris nigella torrefacta mirificè caput expiat, præterea mumia cum castoreo, & moscho. Non defuerunt, qui existimarint, illud præsidium valde conferre, quod fit ex septem origani, foliis, & ex septem synapi granis contritis cum oleo violaceo.

Experimento verò constat illud minimè fallax esse, quod fit ex moscho, styrace liquido, ambra simul coniugatis ad lenticulę pondus, si continenter vsurpetur.

Inter ea verò, quæ simul calfaciunt, & piant, est oleum è colocynthidos pulpa, aut de Asinino cucumere. Quidam autem opinantur illud præ cæteris antecellere, si quispiam ex inulæ campanæ succo sine aqua expresso quotidie mane vacuo ventre ternas guttulas in nares instillet, subindè exacta horula ol. violaceum naribus attrahat, & pinguius Pulli iusculum sorbeat, aut embamma butyro, ouis, & iusculo concinnatum. Item ℞. fellis tauri rufi ʒ. iij. mumiæ ʒ. ij. moschi gr. iiij. caphuræ gr. ij. m. Item ℞. Gummi, ruthæ syluestris ana ʒ. iij. radicis lilij aureum dimidium, mellis colo transmissi aureum vnum, & semissem, cogantur omnia cum succo ex radice betæ, aut ficlæ expresso. Item ℞. ciclaminis sicci aureos iij. nitri, sumach. an. aur. iiij. omnia ritè contrita in nares insufflentur per siphonem, interim æger caput arrigat, & inditos naribus pulueres attrahat. Item ℞. Nigellæ aur. iiij. succi expressi è rad. cucumeris agrestis aur. ij. Salis ammoniaci aur. ij. misceantur cum ol. de cataputia, & cum ol. de cucumere Asinino, & in ternæ nares sublinantur, atque æger validè fugendo anhelitum intrò perhauriat. Vbi verò è capite per adhibita errhina multum pituitatis distillauerit, nares repente aqua intrò subtracta subluantur, ne medicamenti reliquiæ continuè naturam extimulent.

De oleis, quibus capite dolentes à frigida causſa vti conuenit.

CAPVT XV.

VNiuersa olea, quæ calfaciendi vi pollent, aut in quibus calfacientia incocta fuerint, huc faciunt, vt puta anethum, calamenthum, amaracus, stæchas Arab. sysymbrium, lauri folia, & cætera, quæ alibi sunt præscripta. Virtus autem balsamini olei non modò in errhina efformata, sed etiam in aures instillata præcipuè confert. Huc spectat & errhinum, quod admodum vtile est chronicum, & diuturnum dolorem patientibus. ℞. Cucumeris Asinini, cyclaminis, nitri parẽ modum, contundantur, & exprimantur, eliquque succus in nares indatur. Similiter proficit nigella cũ succo asinini cucumeris densato, aut certè cum gummi agrestis ruthæ.

De ſiccæ Cephalalgiæ curatione.

CAPVT XVI.

DE dolore quidem cap. à materia bilioſa, aut melancholica proueniente actum iam est, proximum itaque est, vt de dolore à mera ſiccitate pendente tractetur. Principium igitur curationis auſpicamur à victu humectante, euchymo, & polychymo, vt sunt ouorum vitelli, & pullorum iuscula mollium, Perdiculæ, Anseris, & pingues sorbitiunculæ oleis humectantibus conditæ,

ditæ, in reliquis verò dapes ad frigus inclinent, aut ad calorem, prout exigit vsus. Inter cætera commendata, & proficua errhina ex ol. amygd. dulcium, aut sem. cucurbitæ primas tenent. Quod si calfactione, aut refrigeratione opus fuerit, commisceantur, quæ tali virtute prædita censeantur.

Fortè verò impensa atiditas cerebri substantiam cogendo exhaurit, vt propterea fiat cap. doloribus opportunum, cui malo hæc præsidia destinantur, vt fiant cataplasmata ex medullis in potulentum liquorem redactis, & eductis ex ossibus crurum vituli, ouis, ex pinguedine Anatis, Anseris, gallinæ, & butyro. Præterea inter vsui accommodata censetur & illud emplastrum, quod conflatur ex discocto melle ex similaginea farina tritici, saccharo, & oleo amygdalino, aut cucurbitino. Interdum stillicidia ex eisdem oleis præscribuntur super futuram coronariam, quo tempore caput circumducitur corona ex massa, vt fieri consueuit, ne vtrinque olea diffluant, sed per rostrum inditum.

De Capitis cruciatu ab Apostemate.

CAPVT XVII.

CApitis dolori ab Apostematibus proficiscenti peculiare caput instituemus, in quo de singulis speciebus sedulò pertractabitur.

De curatione Cephalalgiæ ab obstructione.

CAPVT XVIII.

DOlor Capitis ab infarctu obstructorio curatur ijs, quæ primò concoquunt, digerunt-que obstruentem materiam, & quæ eandem subinde euacuant, maximè vsu pill. Asaiareth, postremò ea sunt adhibenda localia, quæ resoluunt, embrochæ, emplastra, gargarismi. Ea igitur methodus semper obseruanda, vt primùm matures, concoquasque, dein euacues, postremo loco digeras, & resoluas ijs, quæ alio loco sunt exarata, donec acerba affectio delitescat.

Quòd si cap. calida intemperie, & crassa oppilatione laboret, curatio difficilior euadit, quare validiora exobstruentia adhibenda sunt; at si horum vsu, (quæ calidiuscula sunt) exacerbetur acerbitas, refrigerantium copijs obuiam eundum mollioribus, & laxantibus, neutiquam adstringentibus, vbi verò dolor emollitus fuerit, eadem repetantur aperientia, donec obstructa expediantur.

De Cephalalgiæ curatione, quæ flatuum, vaporumque soboles est intestinorum, qui tùm in capite localem generationem habent, tùm è stomacho in caput efferuntur.

CAPVT XIX.

CÆterùm is cap. dolor, qui flatulenti, crassique vaporis partus est, Hieris in primis curari, tùm vapor penitus discuti debet, ablegatis vapidis, siue minera, vnde difflatur, frigida sit, siue calida, proin vsurpanda & emplastra, & embrochæ, & suffitus, cæteraque, quorum paulò ante meminimus; castoreum, & moschum præcipuè commendamus. Huc facit & balneum, in quod ieiuno, vacuoque ventre ingredi expedit.

Verùm si flatus è ventriculo in caput tollantur, quid opus erit facto? Adhibeantur Hieræ, stomachus allinatur ol. de Ricino, quod si desideretur, antiquum suffici poterit, huc facit Diacyminum, & alia id genus, quorum mentio vberior fiet in stomachalium passionum curatione, hinc cap. ipsum roborandum est stypticis, vt ol. myrthino, ladanino, liliaceo, & succo cupressi, thamaricis, cyperi, quibus par calfaciendi, & stringendi vis inest, præterea ad auersionem molien-dam extremis adhibiti fructus conferunt.

Quòd si dolor ex vaporibus haud aliunde sublatis, verùm in capite genitis suboriatur adeò, vt in stomacho neque inflatio, neque borborigmi, rugitusve percipiantur, nec pleno, vacuove ventre ingeminatur affectio, nec ab vsu dyspeptorum, flatulentorumque ingrauescit, tunc ea institui debet curatio, vt flatus discutientia, & roborantia, quæ substyptica subodoraque sint, adhibeantur.

At si imbecillis stomachi soboles sint, tunc stomachum roborare oportet masticlies, & saccharo ros. vsu, tum cyminum, & similia vsurpanda. Cum autem ab assumptis epulis vapores affatim in caput irrepunt, & dolorem conduplicant, tunc à pastu deuorandus psyllij mucidus lentor, item coriandrum præp. cum saccharo, & quidem siccum, nam viride noxium est, quod si refrigerandi stomachi discrimen impendeat, omittatur psyllij mucilago, sufficiaturque ea, quæ ex lino trahitur, vnà cum sicco coriandro, aut potiùs diacydonite comp. dein ad confirmandum caput gradus fiat, potissimùm cum Amaraco, hoc etenim vnum instar erit omnium, & sanitatem afferet. Nec minus vincula, & frictiones erunt vsui, quæ in aduersam partem retrahant. Porrò vbi præcalidum vaporem præsenseris ex signis, quæ caliditatem attestantur, validioribus resoluentibus ne vtaris, quale est euphorbium, & similia, sed curationem ab auertentibus, gargarismus, & mollioribus topicis auspicaberis.

De Cephalalgia ex Venis.

CAPVT XX.

VBi tristis, acerbusque sensus à vento traxit originem interiora adeunte, illud maximè perpendi debet, an æstuosus, algidusne sit ventus, vndeque, & per quæ loca difflatur. Namque si æstuans est, & per aures peruasit in cerebrum, in aures instilletur ol. chamæmellinum tepens, aut Keirinum, aut anethinum conquassatum cum pauco ol. rosaceo. At si per nares viam sibi strauerit ventus, eadem in nares infundantur, & adhibeantur topica, quæ leniter discutiunt. Verùm si calida intemperies se se sociarit eidem, à facilioribus, & ijs, quæ modicum refrigerent, in-

choanda curatio, quæ si non profuerint, gradus fiat ad valentiora. Quòd si frigidior aura per vtramque partem penetrauit in arcem cerebri, vsurpanda erunt olea calētia, in quibus moschum, aut castoreum incoxeris. Localia verò præfata adhibeantur, omittanturque flatulenta, quæque aluum molliunt dulcia.

De Cephalalgiæ curatione ex nequissimis vaporibus extrinsecùs illatis progenitæ.

CAPVT XXI.

SImillimæ verò medendi methodi instituuntur doloribus ex vapore dementi aliundè sublato, qui perraro frigidus est, ceu qui ex locis limo, situque fœdis expiratur, vt plurimum verò feruidior est, quare leuibus, lenibusque topicis, si intus coercitus retineatur, vertiginemque pariat, discutiendus est, suaueolentes halitus naribus hauriendi, veluti Aquæ-rosaceæ odor, ol. item rosaceum, nymphæatum, violaceum illitu, & odore prosunt. Quòd si molestior caliditas percipitur, adijciantur santalum, & caphura, caput tepente lympha decoctionis maluarum abluatur.

Frigidis verò vaporibus discutiendis opponuntur odores moschi, castorei, & similium: si verò vapores fuerint humidi; arentesque, vehemens humectatio ex præfatis oleis humectantibus erit vsui, quæ sanè in nares indi, & altius etiam attrahi debent, vt diutiùs retineantur, huiusmodique errhina vt identidem vsurpanda, ita alternis vicibus repetenda, quæ ex aquis rosarum, salicumque, & cucurbitarum conflari etiam possunt, quin & halitus ex eisdem aqu. exspirantes inclinato capite naribus caprandi. Atqui si perinde hinc cerebrum afficiatur, atque ex inspiratu halantis sulphuris, aut arrhenici, tunc caphura ol. lactucæ, aut violaceo soluta adhibeatur, interim thalami salignis foliis, nenuphare, rosis, violisq; sternantur, vt vuidi, & suaueolentis aeris inspiratu cerebrum, spirituque recreentur.

De Cephalalgiæ curatione ex gratis odoribus.

CAPVT XXII.

DOlor is, qui ex Arabum odoribus proficiscitur, si calorem ascisçant, caliditate nocet, non siccitate, proin frigidis odoribus expungendus, veluti, si moscho, aut croco, (exempli loco) dolor illatus fuerit, santalis, & caphura inspiratis trudendus, vrgendusque est, viciſſimque si dolor sātala, aut caphuram sequatur, croco, moschoque propellendus.

At si non modò per calorem, verùm etiam per siccitatem noxia fuerit afflata suauitas, tunc sola odoramenta non erunt satis, siue moscho opus fuerit, siue caphura, sed necessaria erunt humectantia errhina, quare vt caphura oleo dissoluta præcalfactis, ita refrigeratis moschus malacticis commixtus vsui fuerit.

De Cephalalgiæ curatione ex fœdis odoribus.

CAPVT XXIII.

DOlor, quem grauis odor peperit, suauitate tollitur, & si ariditas consociata excelluerit, excesseritque, vdo odore pensetur, qualem exhalant violæ, Nymphæa, saliguum oleum, quod peculiari quadam vi pollet aduersùs odores calore nocentes.

De Cephalalgiæ curatione ex temeto.

CAPVT XXIV.

IN ea verò Cephalalgiæ specie, quæ ex meracioris vini hausţu prouenit, eò allaborandum est, vt oxymelle, & succo raphani, aut tepidiore aqua, & oxymelle stomachus lustretur, omninò leuioribus vomitorijs stomachi excretoria facultas irritanda, quòd si difficilior vomitus sequatur, atque adeò periculum impendeat, ne proritantibus vena quæpiam disrumpatur, aluus Hieræ picræ exhibitione soluenda, addito diagrydij momento, vt celerior sequatur purgatio. Quòd si calida dispositio, aut æstas, aut æstas, aut cacochymia huiusçemodi pharmaco interdixerit, myrobalanorum, aut syr. ros. laxatiui vsu citandam curabis aluum. At si hæc ipsa nauseam excitauerint, stomachoque infesta sint, tunc soluente Diacydonite, aut malorum punicorum succo vtriusque generis, nempè dulcium, & acidorum, in quo diagrydij aliquot grana, puta decem dissoluta fuerint, aluus proritanda, neque enim scammonij formidanda caliditas tantuli plurimo obruta succo.

Cæterùm si ea fuerit dispositio, quæ quamuis respuat euacuationem, aphæreticaque præsidia, quid facto opus erit? Fac, vt correpti crapulā obdormiant, donec digestio prorsus eluxerit, quam sanè vberiores, coloratioresque produnt vrinæ. Adhæc pedum frictus frequèns ex sale, & ol. violaceo adhibendi, extrema chamæmellino oleo perfundantur, balneum tepidius pedibus imperetur, caput rosaceo illinatur, lenticula, & acerbioris vuæ succus deuorentur. Peculiari verò facultate caules aduersātur ebrietati, dum vapores arcent, & angunt, Galenus verò columbis summam vim inesse asseruit, si caro estur eorum, ea verò est ratio, quòd columbi calidum, tenuemque sanguinem pariunt, quo vapida facilè discutitur substantia. Quid plura? Fructus austeri, stypticique offerantur, & ni stomachi imbecillitas vetuerit, ipsa frigida aqua propinetur, parca tamen manu, haud affatim.

Præcipuè verò conueniunt Rhibis, granatorumque succi, citri aciditas, cotoneorum instar gelu concretus succus, coriandra cum saccharo præparata, quorum moderatus debet esse vsus, ne noceant. His exhibitis sopor, animique, & corporis quies omninò quærenda, quæ solet omnium instar esse, neque ab vsu præsidiorum desistēdum, donec altus irrepserit sopor.

Is autem esse debet cibus, vt refrigeret, & humectet, atque extenuet, qualis est oui recentissimi vitellus, sed nihil peræquè iuuat,

Atque quies, placidusque sopor, qui membra resoluat;

Interim verò si nausea euanuerit, perseueretque dolor, rosaceum amoue, si repellendi studio admotum fuerit, sic enim fit, vt dolor simul dispareat, dispereatque; alioqui eius loco sufficiendum chamæmellinum non sine fricti, vt discutiatur vapor vineus, quòd si ne hoc quidem dolor leuetur, adijciatur liliaceum, in quo verbena efferbuerit, præstantissimum enim esse consueuit. Præterea cum temulenta turpitudo imminui cœpit, ambulatione, aut gestatorio exercitatio incunda.

Cæterùm conuenientiores alimoniæ erunt pisces littorei, gallorum testes, pulli refrigerantibus herbis iotarcti, aut passis, acidisque imbuti cerasis, neque ab ingesto cibo exercitium ineundum, nisi digestione peracta.

Atqui confecta crapula saccharinum oxymeli erit vsui, si calida dispositio restiterit, aut melleum, si frigida, & humens, dein crurium frictus repetendi, obambulatioque placidior exercenda. Hic acrius acetum, pariterque muria non conueniunt. Ab ambulatione verò stoliduli temulentuli in balneum deducendi, caputque topicis obducendum tẽperatè resoluentibus. Leues alimoniæ offerendæ. Hoc verò præsidium præ cæteris prodesse consueuit. ℞. sem. endiuiæ, sem. caulis, berberis mund. à semine, sumachiorum, lentium decorticatarum, rosarum, spodij, parem modum, misceantur, & ʒ. iij. cum granatorum, aut citri, aut Rhibis succo ammixta caphuræ vi ebibantur.

De Cephalalgiæ curatione ex nimio coitu.

CAPVT XXV.

HÆc mehercle accidit, aut propter siccitatem ab exhausto semine inditam, & ea methodo curatur, quam cap. de ficca cephalalgia innuimus humectantia scilicet, & quæ exhaustum succum instaurant, exhibendo: Aut propter repletionem, quam importunus concubitus ciet, exagitatque, & ad caput vaporis specie sublimè fert. Quare oportet, capite dolentibus à coitu, & repletione eam methodum præscribere, vt scilicet auspicium curationis sumatur ab inanitione per phlebotomum, dein per pharmacum, si alterutra, aut vtraque necessaria fuerit euacuatio. Postremò caput roborandum rosaceo, aut myrthino. Nutriendi sunt interim laborantes euchymis, & euoeptis alimonijs, concubitu interdicendum, at si temperare, parcereq; nequeant, caueant saltem, ne ieiuni cum vxore soleant.

De Cephalalgiæ curatione ex ictu, aut collisione, atque de ratione curandi eos, quibus alienatio, aut vulnus contigit.

CAPVT XXVI.

IN Cephalalgia ex plaga, & lapsu eò allaborandum in primis est, vt, quantum fieri potest, dolor anodynis mulceatur, & affluentis materiæ impetus in longinquam, aduersamque retrahatur partem, ne ad læsam confluat, hoc autem assequeris, si sanguinem cæsa vena demas, & in contraria reuulsionem fluentis materiæ moliaris, ne phlegmone succedat.

Quòd si fuerit vulnus, sarcoticis carne repleatur plaga, at verò sarcosim frustra tentaueris, ni inductam intemperiem de medio sustuleris, quare particulam propriæ naturæ, & crasi restituere oportet, tum reliqua moliri.

Illud interim non ignorandum ijs, quibus febres supernenient, & mentis emotio, apostemata fieri, quocirca quam mox eiusdem læsi lateris vena cephalica, aut communis tundenda, & omnino phlegmones incremẽta inhibenda erũt. Quod si in toto corpore humorum vbertas affuerit, clysteria cum colocynthidos pulpa exacuta immittantur, quæ si pro vsu, & ratione nõ eputgauerint, deuorandas offerre oportet pillulas cocchias, etiamsi corpus (citra tamen febrem) incaluerit, necessaria enim est euacuatio, & inanitio, ut phlegmones generatio impediatur. His per actis ad vulneris curationem peruenire opus est, particula priùs ad temperiem illitu deducta roborante, vtpotè rosaceo, saligno, myrthino, liliaceo vnà permixtis, quibus tùm adstringendi, tùm resoluendi, & attenuandi vis inest, è quorum numero etiam sunt Rosa, chamæmellum, melilotos, calamus aromaticus, bolus-Armeniæ, alumen, vinum stypticum, & odorum, quæ omnia tepidiora capiti sunt inducenda, mirabiliter enim frigidis offenditur, quamquam impendens inflammationis discrimen aliquando frigidis nos vti cogit, tunc verò arcere oportet balneum, iram, vinum, cibos calidi, prauique chymi, vapidos, dyspeptosque.

Inchoante verò phlegmone localia aliquanto frigidiora sunt vsurpanda, aliquantoque adstringentiora, qualia sunt granatorum cortices, balaustia, lentes, rosa, è quorum succis expressis caput irrorandum, & è fæce, strigmentisque contusis effingẽdum ex arte emplastrum, à quibus methodo adhibitis ad ea progredi oportet, quæ aliquatenus digerunt, qualia sunt cupressus, myrica, cydonia, olibanum; At si tanta fuerit percussio, collisioque, vt cerebrum concusserit, perculeritque, quam mox serapium de stœchade, & mel rosaceũ colatum sunt propinanda, his enim satis, superque malo obuiam iri consueuit. Quòd si percussio ad mænyngas peruenerit, tunc æger periculo non vacat.

Quum autem ab ingenti ictu sanguis è cerebro exprimitur, emanatque, adeò vt & per nares, & per aures erumpat, fracti indicium cranij, tunc

ad roborandum cerebrum danda sunt gallinarum cerebella crebra manu; post quæ acidorum punicorum vinum est propinandum: Quum verò solutum fuerit apostema, multò vberius, liberaliùsque gallinarum cerebella vsque ad tres dieculas erunt concedenda, hocque præstandum, celebrata priùs, vt ediximus, phlebotomia.

De Cephalalgiæ curatione ex capitis promptissima aptitudine.

CAPVT XXVII.

IN hac cephalalgiæ specie permutata prana capitis temperie, gratissimis cibis concessis, roborantibus pharmacis adhibitis, quæ modica resoluendi, pariterque adstringendi vi polleant, quæque infensas arceant caussas, dolor euanescere consueuit.

Sæpè verò vnà cum dispositione patientis capitis caussa agens congenea conuenit, nempe alicuius humoris calidi, vel frigidi nequitia, quem stomachus congerit, quare eccoprotico humor exturbandus, exigendusque erit, præterea ea circumcidenda erunt cibaria, quæ morbificam caussam inaugent, ea verò offerantur, & quæ laudabilem succum aggignunt, & facilè conficiuntur, & vim stomachi promouent insitam. Quod si vni alimoniæ tot conditiones non insint, præstantior eligatur. Opportuna verò nutriendi corpus occasio est secundum exercitationem, & balneum. In primis autem frugalior esse debet cœna, & oliuis colymbadibus, & immaturis palmulis, capparibusque, & recentiori, modicoque caseo roborandus stomachus est. His Hippocrates generosum concessit sine discrimine vinum, cui Galenus adscripsit, vinum tenue, dilutum, odorum cum offa panis hausturn commendans.

De Cephalalgiæ curatione ex acerrimo cerebri sensu.

CAPVT XXVIII.

CVratio perficitur cibis, qui crassum succum pariunt, qualia sunt caput, pedes, panis azymus, bubulæ carnes, dummodò facilè confici possint, pariter esculenta lactucis, aut portulacis medicata offerri debent, item grandiores pisces edendi; quibus si non obtunditur sensus, domesticum aliquod narcoticum præberi poterit, qualis est emulsio seminum papaueris, lactucæ, è quibus etiam frontalia concinnari queunt.

De Cephalalgiæ curatione, quæ febribus, acutisque passionibus accidit.

CAPVT XXIX.

EST, quę tollitur, sedato ęgritudinis impetu, est, quæ perseuerat cessante paroxysmo, & concedente febre, quin vsque adeò incessit, lacessitq;, vt febrẽ arcessat, aut conduplicet, huiusmodi verò Cephalalgiam significant vrinæ albæ, tenues, aut Asellorum vrinis quàm simillimæ, quæ etiamnum ipsius feb. conditionem, statumque arguunt. Hoc sæuum symptoma litu ex oleo omphacino conquassato cum aceto; hyeme quidem, & leniter afficiente febre, tepidiore, æstuante verò cęlo nostrate, itemque molestiùs infestante febre, frigidiore leuatur. Præterea conferre solet irroratio ex hordei decoctione, papaueris, rosarum, violarum, si vapores actiusculi sollicitauerint. Verùm si copia potiùs, quàm acutie, acrimoniaque vapores afficiant, tunc apocrusticis, repellentibusque omissis euacuanda materia est, & resoluentia adhibenda, qualia sunt olea, in quibus, sysimbrium, maioranam, & pastoralem virgam incoxeris, tuncque neque chamæmellum contusum, & emplastri forma circumdatum capiti indecens erit. At si doloris acrimonia narcotica postulet, ijs non sine meditatione, & cautione vtendũ erit.

Ad inhibendam verò anathymiasim confert & ptisana hordeacea, & psyllij iusculum, & præparata coriandra. Nonnunquam inferis partibus ad auersionem cucurbitulæ medicæ affiguntur. Nihil verò præstantius, aut præsentius frictibus, vinculis extremis pedibus adhibitis, atque etiam synapismis, quibus vbi vsus fueris, pedes in tepens balneum submergendi. Quòd si ne his quidem concedit dolor, eradendum caput, & malagma ex chamæmello, malua, alcæa, althæa, & viola simul contusis, & commixtis concinnandum, & cap. inducendum.

Cæterùm interdum etiam à febribus, acutisq; morbis remanet dolor, qui refrigerante victu, humectanteq; expungi debet, necminùs caput rosaceo, & chamæmellino roborandũ, interim mane, & vesperi pedes, manusq; in tepidũ aquæ balneũ immergere oportet, & opus est, & vbi leuari cœperit, digerentia administranda erunt.

De criticæ Cephalalgiæ curatione.

CAPVT XXX.

IN decretoria, iudiciariaque cephalalgia animaduertere operæpretium est, an æger nausea, anatropeve afficiatur, num labia tremant, num vertigines incessant, & summum numquid ad vomendum propendeat fursùm repente materia: Tunc exhibito serapio acetato vnà cum hordeacea tepidiuscula proritanda erit vomitio. At si rugitu borborigmis, inflationeque tentetur imus venter, & latera, & in vniuersum decumbẽtis materiæ ad inferiora signa præcurrant, tunc leniens propinandum pharmacum, & naturæ identidem excitanda modò iusculis decoct. prunorum, aut thamarindorum dulcoratis, modò Zulapio, modò serapio violaceo, modò rore syriaco, sed parca manu hæc dispensanda, quum natura eò propendeat.

Quòd si circa renes dolor, & grauitas infestẽt, vrinaque affatim effluat, vt decumbentis eò materiæ significationem præbeat, tunc ad diuretica confugiendum erit, qualia forent melonum semina ad ʒ. ij. ex iusculo propinata, aut ʒ. xv. sem. citrulli

citrulli eodem modo poti: Atqui in mensa cydonia erunt concedenda, quòd tùm viam vaporibus præcludant, tùm vrinas proliciant.

At verò si marmarigæ ante oculos obuersentur, & cruenti appareant oculi, & citrina phasmata circumuolitent, diutiùsque, moleitiùsque constiterint, nec hæmorrhagia supruenerit, tunc sternutatio calente aceto, aut eius vapore inspirato promouenda, graminis asperior cuspis in nares impingatur, & sanguis proliciatur, aut oculos ad Solem conuertat, sic enim commoueri solet sternutatio, atque adeò sanguinis eruptio.

Cæterùm si vndosus pulsus, humectaque cutis futuri sudoris indicium præstiterit, tunc lenia hydrotica vsui erunt, nec minùs leues frictiunculæ.

At si nescio quid graue, vellitansque sub aure persenserit, aut sub alis, aut in inguine, ijsdem locis mitia metasyncritica admoueantur, vtpote mentha, apiumque contusa cum recenti butyro; quibus si nihil promouetur, siccæ cucurbitulæ affigendæ erunt, vt naturæ conatibus subsidio simus, & materia in abscessum cogatur.

De Cephalalgia ex Vermibus.

CAPVT XXXI.

GEneratim corpus repurgandum, tùm subalternis caput expiandum, adhibendaque pharmaca, quæ hieram picram admittunt modica molle, sed identidem ministrandam, præterea vniuersa ea præsidia, quæ narium fœtori, aut necandis vermibus præscribuntur, huc reuocanda, sicuti succus fol. perficorum, radicis Mori adiecta etiamnum aloes portiuncula, huc faciunt: & sternutatoria, &c.

De Cephalalgia ex diuturno sopore.

CAPVT XXXII.

EXuberans cacochymia eximenda pharmaco, caput errhinis deplendum, subinde tempora, frontesque ex cinere ficus, acerrimoque aceto confecto cataplasmate sublinenda.

Methodus curandarum Cephalalgiarum per sympathiam.

CAPVT XXXIII.

IN omni consensu obseruare in primis oportet, quænam pars primò afficiatur, vt inanitione ei succurratur, si modò plethora, aut cacochymia subsit, dein temperies germana restituatur, postremò caput, ne facilè suscipiat, rosaceo cum aceto conquassato roboretur, hocque continenter faciendum, si materia flagrans fuerit, alioquin vtilius erit chamæmellinum cum myrthaceo mixtum, aut dulce oleum decoctionis foliorum cupressi, thamaricis, atque verbenacæ. Quòd si post hæc peracta nihilò magis concedat dolor, perpendendum, ne per patiendi consuetudinem factus sit capiti essentialis, atque per idiopathiam, si non per protopathiam, id quod facilè per indicia dignoris.

Dolor autem is, qui per consensum à crure excitatur, de medio tolletur (si plethora subsit) scarificato crure, aut scissa eiusdem cruris saphena, nec minùs prima corporis regio pharmacis, veluti massa pill. de hiera simplici, aut mastichinarum repurganda erit. Quod si nulla plethora fatiget, omittenda sanguinis missio, injciendaque cruribus uncula, exercendæque frictiones vsque ad inguina supernè deorsum trahendo cum tritissimo sale, & oleo keirino.

At si æger digito attingat locum, vnde attollitur aura; ibi inurendum est pyroticum, vt facto emissario materiei pernicies foras erumpat.

Quòd si dolor à mala quadam anathymiasi pendeat, ante pastum styptici fructus præbendi, inter quos præcipuè cydonia commendantur, quæ si non fuerint in numerato, & sub manu, eorum vicem suppleant cotiandra præparata, Diacydonite, quæ si desiderentur, aqua frigida sufficiatur, sufficiatque.

Verùm si ab hepate sympathia proueniat, diuretica, si conuexa pars hepatis afficiatur, præscribenda, alioquin eccoprotico sollicitanda aluus est, subinde iecori inducenda, quæ comprimant, leuiterque stringant, puta santalinum vng. cum rosaceo, & aceto.

Consensus autem, qui à stomachi imbecillitate trahit originem, quò fit, vt promptè excremẽta aliunde suscipiat, atque etiam vitiet, vt fieri consueuit per ieiunium, curatur bucella panis exhibita omphacio, aut granatorum acidorum, aut berberis succo inebriata, hoc enim frequenter adhibitum stomacho robur conciliat, vt postea suo præsto sit officio. Verùm si præterea laborãs nausea afficiatur, & anathrope, euomat, & sese quieti, tranquillitatique dedat. Quòd si adhuc aliquod frigiditatis vestigium elucescat, ea alimenta offerantur, quæ calfaciendi vi pollent, & aromatis condiantur, fiantque embammata, & scitamenta palato gratissima, quæ præguster. Occupantique cephalalgiæ semper eat obuiam præmunitus, aut deglutitis bucellatis, aut embammatis sorbitione, at si cibus ante confectionem descendat, præmandendum stypseos aliquid particeps veluti cydoniatum, imbutusve panis acerborum mororum, aut Rhibis, aut berberis succo, aut cappares, colymbadesve oliuæ. Quòd si ex nequioris succi redundantia, & pleonexia dolor infestet, curatio à morbosi excrementi purgatione auspicanda, instituendaque ea victus ratio est, quæ laudabilem succum gignat, nec excrementa relinquat, eaque sit prædita qualitate, quæ morbidum expugnet, expungatque excessum, prout postulauerit vsus.

Quòd si sanguis fuerit vitiosus sufficiatur probus, & laudabilis cupeptæ, euchymæque alimoniæ ingestione post congruentem balnei vsum, quæ si non satisfuerint, superuacua per hydrotica, & discutientia flatus exsiccentur, exhaurianturque. Si humores biliosi fuerint, præmunito cap. cum rosaceo, aut myrthaceo iam dictis cho-

lagogis foras exturbentur; si verò frigidi, phlegmaticique fuerint, atque admodum flatulenti, tunc nil præsentius vomitu per validiora etiamnũ excitato, atque discutientibus adhibitis. Quibus si non concedat malum, Hiera Logadij in bolos redacta maximo erit vsui.

At si flatulentus spiritus per arterias feratur in caput, nonnullis temporum arterias cædere visum est, aut certè leuia inurere cauteria, vt via intercludatur vaporibus, sædulòque incisæ arteriæ vinciuntur, & cauterijs amburuntur, eaque ratione inuri debent, vt nullo modo supposita caro attingatur, quod quidem eueniet, si arteria parumper exponatur, extraque trahatur, isthæc verò pyrotica per exilem stylum, ceu per acutam acum adhiberi debent, sed extrema ista præsidia, quoad fieri potest, declinanda sunt, potissimùm æstate propter impendens hæmorrhagiæ discrimen: Sic autem affecti tenui vtantur diæta, nempè sorbitionibus ad decem vsque dieculas, pastumque per æstatem frigidioribus horis, aut certè frigidiore cœnaculo ineant, neque garrula loquacitate aures obtundant. Interim temporibus adstringentia admoueantur, plumbeave lamina, aut vitta arterias arctissimè premant, ne micent, subsiliantque. Quando verò cætera omnia nequicquam tentata sunt, cauteria sunt inurenda, vnum quidem super coronalem suturam, alterum super lambdoida, temporibus singulis singula. Nullo autem modo ita dolentibus vinum est propinandum.

Cæterùm si dolor fiat ex vaporibus à stomacho in caput sublatis, ea ratione mulcendus, propulsandusque est, quam præscripsimus, vbi de Cephalalgia ex vapore aliundè in cerebrum irruente egimus; cuiusmodi est curatio doloris ex potu frigidæ aquæ, quæ stomachum eneruat, infirmatque, curaturque vini odoriferi vsu consueta aqua lymphati.

Dolores autem per consensum renum, hypochondriorum, Matricis simili ratione tolluntur.

De grauitate Cap. curanda.

CAPVT XXXIV.

GRauis cap. obtusitas alterutra de caussa producitur, aut propter excrementorum redundantiam, cui destinantur expurgantia, & ea potissimùm, quæ Aloen recipiũt, aut ex plethora, cui it obuiam de propinquo venæ sectio in brachio, deiq; in fronte, maximè si posteriora grauè ferant, in vsum etiam veniunt carotides venæ, quę in collo, & duæ arteriæ, quæ ponè aures micant, maximè si anteriora molestiùs afficiantur.

De Cephalæa.

CAPVT XXXV.

EA doloris species, quæ totum caput inoccupat, permanens, fixa, diuturna, quæque leui de caussa repentè excitatur, siue sit corporis, siue animi motio, siue vini, siue vapidi cuiusuis ingestio, quam intentior, aut etiam remissior vox exasperat, vt nullo modo par esse possit ægrotans nec voculis, nec lumini, adeò vt hominum consortia, lumenque ferre nequeat, sed tenebras, & resupinum decubitum quærere cogatur, Cephalæa dici consueuit, quæ sanè pro caussarum diuersitate multifariam laborantes excruciat, quidam enim cerebrum veluti malleo concuti continuè persentiscunt, quidam veluti distrahi, atque discindi, dolorque per communem tunicam ad oculos ex mænynge deriuatam pertingit. Galenus sanè potiùs caussari videtur cerebri debilitatem, sensusque acrimoniam, sed reuera humoris prauitas, atque pernicies vt plurimùm est in caussa, aut certè latens quodpiam apostema siue calidum, siue frigidum sit, tametsi plerumque frigidum est, atque melãcholicum, quod occupare solet membranam, siue intestina sit, siue extraria cerebro, sed apostemata duntaxat in mænyngibus congeri, concrescereque consueuerunt; Dolor autem vsque ad oculos pertinet, quia tunica illinc deriuata neruum opticum inuestit.

Verùm enimuerò cum pericranium caussa perobsidet, languens, ne minimum quidem attactum patitur, & vsque adeò ingrauescit, si pressiùs tractetur, vt perferre nequeat. Hæc verò doloris species sæpius inuehitur post reliquas ægritudines, quæ membranas, cerebrique substantiam adeò infirmarunt, vt leuissima de caussa percellantur, siue vapor sit intrinsecùs irruens, siue quæuis exterior occasio. Hæ verò differentiæ in Cephalæa, non obseruantur (si cuipiam credendum sit) imò sat esse videtur, si dolor totum caput foris, aut intus inoccupet; Huiusque caussa plerumque est vapor è stomacho sublatus ad caput, aut in capite genitus, aut congeneris materiæ colluuies, aut phlegmone, quę febre perenni, pulsu, & graui quodam pondere proditur, aut erysipelas, quod sanè & acutiore febre, & stimulis, vigilijsque molestioribus stipatur, nullo pondere graue. Fit etiam à cæterorum humorum frigidorum congerie, curaturque secundùm præsentis vitij idæam. At pol falluntur isti, falluntque, nam reuera ea est Cephalæa, quam descripsimus.

* *Cephalæam*, inquit Manardus, *diuturnam Cephalalgiam definit Galenus, qua cum & Hemicraniã in hoc conuenire, ait Paulus, quòd vtraque est capitis dolor diuturnus, qui facilè excitatur clamore, meri potu, sole, nec aliter differunt, nisi quia in Hemicrania dimidium, in Cephalæa totum caput dolet.*

De Cephalææ curatione.

CAPVT XXXVI.

IN Cephalæa, si sanguinis vbertas dolorem primò excitarit, aut primæ origini comes eat, ceu fomes, & susciabulum, subsidio veniendum est secta vena, & sanguine misso. Si verò signa frigidæ cacochymiæ præluceant, & passio iam producta, prolixaque hoc idem significet, diuturni enim dolores frigidi esse consueuerunt, tũc moles pharmacis extenuanda, qualia sunt catapotia de Aloe, de Mastiche, quæ plurimùm prodesse solent,

si tertia

si tertia quaque nocte deuoranda præbeantur, quibus si non concedat malum, cocchiæ, atque etiam valentiores pilli: exhibendæ erunt. Cassiæ autem fistularis attramentum in doloribus cap. ob flatulentam naturam non sine discrimine datur. Supponimus porrò in principio administrata fuisse apocrustica, quæ cum adstrictione modicum calfaciant; qualia sunt mentha, cupressi folia, schœni-anthos, chamæmellum. Peracta verò purgatione ad cap. tonum erigendum pergédum est, cuius generis sunt moschi, ambræ, & caphuræ odor, permixta interdum Aloes particula, vt discutiatur, quidquid supereſt.

Cæterùm in hac doloris specie nonnunquam frontalia inducenda, & narcotica etiam offerenda, si reliquis anodynis nihil confectum fuerit. In declinatione autem balnea, & roborantia maximò sunt vsui.

Quòd si materia fuerit biliosa, à principio danda sunt, quæ bilem frequenter educant, vt puta thamarindi, citreæ myrobalani, syr. rosarum, aut violarum laxatiuus, neque cassia cum oleo amygdal. dulcium improbaretur, ni dolorem flatuum copia sursum respirantium congeminaret, neque hic subalterna præsidia, quæ caput lustrant (caputpurgia vocant) tametsi minùs conueniunt, omittenda, veluti oleum violaceum, nymphæatum modicella adiecta mumia, quibus nares intrinsecùs illini debent.

Aduertendum autem, Cephalæam, cum diuturnior euadit, etiamsi à calida causa proficiscatur, in frigidam dyscrasiam degenerare, quare caput repurgandum calfacientibus errhinis, puta trochiscis stellæ, scyllæ, aut diamoscho mulieris puellam lactantis in lacte solutis, & in nares inductis, hocque maximè præstandum, vbi innaluit dolor, & vigiliæ peracutæ. Verùm in galea, veluti in antiquo dolore dictum est, exercenda phlebotomia, & arteriotomia, & inustio etiam candente ferramenti stylo.

In vniuersum autem his minimè vapidum alimentum conuenit, quamquam & lentes amygdalino conditæ, & olerum, vtpote maluarum, betularumque iuscula concedi possunt, huiusmodi enim vsui esse videntur, tùm quòd aluum ciere consueuerunt, tùm quòd minimùm caput vapore petant. Epithemata verò, quæ acerbissimi doloris causa narcotica admittunt, sint mitia, atque familiaria, oportet, vt papauer, quamquam medentis consilium eo dirigi debet, vt discutiat, digeratque. Sunt, qui opium cum sanguine draconis, croco, terebinthina mixtum, vt hinc fiat temporum illitus, commendent, sunt, quibus probetur & illud. ℞. Croci, gallæ, troch. stellæ parem modum m. cum oui albumine, & linimentum compingatur.

Sed non est, cur pluribus hic agam, cum hactenus singula satis sint enarrata, & suis locis dispositа.

De Hemicrania.

CAPVT XXXVII.

HEmicrania est dimidij capitis dolor, cuius quidem causa modò intra cranium latitat, modò pericranio innexa cohæret, modò (hocque frequentiùs) in musculis temporalibus delitescit. Ea verò hemicrania, quæ causam habet extra caluam, non patitur se tractari sine ingenti cruciatu, materia verò dolorem excitans eò defertur, aut per venas, aut per exteriores arterias, aut certè per suturas è cerebro erumpit. Interdum etiam ex crassis vaporibus prouenit per certas periodos à toto, aut à parte sublatis dolenti respondentes, solet enim per periodos incessere hemicrania, quæ sanè periodi infestantis humoris ideam sequuntur, adeò vt melancholia vesperi, pituita noctu, matutino tempore sanguis, sub meridie bilis commota incandescat, & dolores exacuat.

Illud, ita viuam, scire decet, nullius dyscrasiæ sobolem esse hemicraniam, hocque argumento sit, quòd vicissim accedit, recedítque, profectò humorum perniciem, motumque potiùs sequitur, siue calidi, siue frigidi sint, vt ediximus, siue flatus, vapidamve quamuis substantiâ excipiant. His autem notis calidam, aut frigidam hemicraniam discreueris, siquidem frigida calfacientium vsu mitescit, frigidis asperatur, frigusque manu deprehenditur: A contrario calida calfacientibus acuitur, frigidis leuatur, obtunditurque, præterea pulsant, micantque temporum venæ, manuque admota calor detegitur.

* *Gorræo est morbus mediæ partis cap. summo cũ dolore, qui per circuitus reuertitur, quibusdam extrà caluam, alijs in profundo, plurimis circa temporum musculos.*

De Hemicraniæ curatione.

CAPVT XXXVIII.

HEmicrania curatur misso sanguine, quemadmodum in monoplegia dictum est, non modò ex cephalica brachij vena, sed ex fronte, & temporibus, præterea soluenda aluus catharticis, & clysmis, & reuulsionum genera adhibenda, prout superiùs præscriptum fuit; calidæ quidem hemicraniæ præcipuè cholagoga debentur, eaque, quæ Aloes vi præpollent, neque hic frontis phlebotomia omittenda est, aut narium, atque paroxysmus purgatione anteuerti debet, subinde permutanda complexio. Quibus si nihil proficiatur, & valde tempora pulsent, & materia exardescat, tunc narcotica temporibus apponantur, vtpote opium, mandragora, anethum, hyosciamus, caphura; Sicque hisce locis conciliandum frigus.

Quòd si hemicrania fuerit frigida, quidã multùm tribuunt attramento scriptorio super dolẽtia tempora sublito, atque inter ea, quæ pro frõtali commendantur, sunt crocus, rutha, mentha, contunduntur cum pane, & affuso rosaceo fit cataplasma,

taplasma, quod vitta exceptum fronti inducitur. Huc quoque faciunt trochisci Pauli, pariterq; hoc cataplasma. ℞. Baccarum lauri, foliorum ruthæ ana p. 1. synapi partem dimidiam, contundantur, & cum aqua rosacea fiat cataplasma. Huc etiam spectat emplastrum vesticas excitans ex cantharidibus, aut ex gummi agrestis ruthæ admotum, donec vesticæ repullulent. At si ne his quidem concedat dolor, quoniam materia vehementi frigore constat, frons, & tempora oblinenda oleo, in quo decima, aut duodecima pars euphorbij, synapi, aut pyrethri efferbuerit, frigidiorem verò materiam vel ex eo dignosces, quod dolor contumacior, diuturniorque fuerit, quare valentiora resoluentia adhibenda sunt. Plurima verò, & epithemata, & vnguenta, quæ huc faciunt, alibi præscripta sunt, quare huc ea transferantur in vsum, quæ sanè non sunt vsurpanda priùs, quã corpus ritè purgatum sit, tunc enim pars dolore perculsa priùs asperiùs perfricanda, mox accedente periodo oblinenda. Interim verò ad narcotica non est accedendum, ni dolor fuerit quadantenus pulsans, & subsiliens, tunc enim vt colligitur, subesse spirituosa, & æstuantem materiam, ita super arterias opium vnà cum stypticis inducere licet, veluti cum sarcocolla, aut gypso, nec minùs conuenit lamina plumbea, quò arteriæ comprimantur, ne vehementiùs pulsent, atque adeò dolorem conduplicent. Alexander commiscitur quoddam medicamen à mulierecula emunctum, quod hoc se habet modo. ℞. Rad. cucumeris agrestis, absynthiumque, contusaque simul misce cum sufficienti hydrelæi quantitate, & efformetur cataplasma admouendum temporibus, siue febris adsit, siue absit, & hoc sanè præsidio vnico Mulierecula illa hemicrania affectos persanabat. Sed inter cætera nihil valentius videtur hoc ipso cataplasmate, quod conflatur ex synapi, aut ex gummi syluestris ruthæ, ex corticibus radicũ capparum, ex Scylla, ex euphorbio tritis, & commixtis cum vino odorifero; Maximè autem conferre solet balneum, si frequèns ineatur, & fiat ex calidis aquis, in quibus calidas incoxeris herbas. Nec minùs oleum phisticorum prodest, inductũ enim in nares illicò dolorem sopit. Plura in lib. Med. simpl. & comp. videre est.

Aetius euphorbium ex aceto tritum, & sanis tẽporibus allitum prodesse dixit, pari virtute valent, inquit, intestina terræ dolentibus indita.

TRACTATVS Tertius.

De Apostematibus Capitis, & eius soluta vnitate.

De Phrenitide generatim, quam vocant Arabes Karabitum.

CAPVT PRIMVM.

PHrenitis est tenuis, crassæve mænyngis, phlegmone citra cerebri noxam, quamquam aliquando (vbi affluentior fuerit materia) etiam cerebrum inuaditur, inflammationeque lacessitur, neque enim vera comminiscuntur illi Medici, qui cerebrum haud inflammari, exardescereque arbitrantur, ea ducti ratione, quod lene, læueque, ceu cerebrum, aut durum, velut i ossa sunt, non extenditur, neque in molem euadit ampliorem, quod verò diduci, dilatariq; nequit, idem neque phlegmone tentari, asserunt. Falluntur, inquam, nam lene viscidum, atque etiam ossa inflammatione corripiuntur: Neque Galenus inficiatum it, nosque hoc præcipuè demonstrandum accipimus cap. de dentibus, vbi assumimus id omne, quod nutritur, extendi, atque etiam augeri nutrimento, quod si ita est, quid ni idem superuacuis extendatur, atque augescat, quod perinde est, ac si dicas, inflammetur? Atque licèt cerebrum quandoque phlegmone laboret, attamen phrenitis affectus peculiaris mænyngum perhibetur. Ac iste proprius est nominis significatus transumptus ex cõcomitante symptomate, nempe à mentis emotione, atque delirio, quod calidam spirituum intemperiem sequitur.

Cæterùm nomen istud deriuatur ab affectu, affectaque particula non secus, ac lethargus, qui nomen ab inerti obliuione mutuatur, prouenitque ab œdemate & apostemate. Sunt verò nonnulli, qui idiomata ignorantes opinantur, huius passionis proprium nomen esse birsen, non sirsen, quod leuior affectio hæc sit. At falluntur, fallúntque; nam birsen Persica dictio est, bir enim pectus significat, & sen apostema.

Verùm his missis phrenitis nonnumquam ipsi paraphrenitidi succedit, quæ ex febrili ardore, & acrimonia promanat, nonnunquam acutos, retorridosque humores in ore ventriculi coercitos, nonnunquam temporalium musculorum, aut pericranij inflammationes excipit, sæpe diaphragmatis, aut mediastini incendium sequitur, diciturque pseudophrenitis, sæpe etiam agnoscit vesticæ, vteri, stomachique caussationem, atque hæc pressè acribæsque paraphrenitis nuncupatur.

In hac vero affectionum similitudine dissimilitudo non exigua subest, quemadmodum diuersa sunt scribentium diffidia. Nec minùs variæ leguntur sententiæ de lethargo, qui est iners, ignauaque obliuio.

Quid sit phrenitidis artificiosa denominatio, atque definitio, iam præfati sumus, iterumque repetemus, esse nimirum membranarum cerebri inflammationem, quamquam non inficiamur & cerebrum per viciniam, & materiæ metastasim aliquando in ruinæ consortium pertrahi posse, quæ sanè phrenitis quatridui spatio interficere solet, quod tempus qui præterierit, euadit. Verùm qui de medio tolluntur ob huiusmodi inflammationem, impedita, collisaque respiratione pereunt. Porrò isthæc inflammatio multifariam afficit', afflictatque, prout cerebrum diuersas partes habet, siquidem aliquando duæ partes laborant, aliquando omnes, & plerumque anteriorem, aut medium cerebri ventriculum prehendit, percellitque.

Caussa verò phlegmones, aut sanguis est syncerus,

rus, aut rubra, aut flaua, aut adusta, atraque bilis, & hæc cæteris exitialior est, sed vt plurimùm fit à sanguine bilioso, non item à sanguine mero, meraque bile, nec decedit, definitve nisi ferè per sudorem, aut hæmorrhagiam.

Verùm & temporum musculi, & pericranium quandoque phlegmone lacessuntur, fluxioq; per venas è futuris erumpens fit, adeò vt commissuræ dehiscere videantur.

Porrò illa delirij modò cum risu, modò cũ fletu coniuncta vicissitudo malè esse consuevit, maximè si peripneumoniæ succedat per valdè calidorum, acriumque humorum metastasim ad caput: pariterque pernicioſa esse solet paraphrenitis ex permutatione, translationeque materiæ, si in cap. & circa iugulum pondus quoddam ingrauans percipiatur, & subinde conuulsio, aut æruginosæ materiæ vomitus sequatur, tali enim morbo correpti intra diem naturalem, aut, si robustiores fuerint, biduo è viuis decedunt. Illa verò securior est phrenitidis species; in qua ægri decedente febris vigore memoria repetunt ea, quæ inter delirandum mussitarunt, atque effutiuere; Adhæc in qua impliciti frequentiore risu laxantur, diffunduntur que. At si laborans choleræ rubeæ vomitionibus exerceatur, vireſque fatiscant, eadem mehercle die è medio tollitur, & si paulò firmior fuerit virtus, postridie interit, nullumque hactenus videre mihi contigit phrenitide correptum, qui cum aqueis vrinis euaserit.

Cæterùm & per hæmorrhoidum fluxionem aliquando terminatur phrenitis, nonnunquam in veternum permutatur, hocque vsu venit importuno refrigerantium vsu, nonnunquam in hecticam dispositionem definit, adeò vt totum cerebrum peræquè phlegmone laboret. Nonnũquam ferinus, dæmoniacusque furor succedit. Aliquando etiam pseudophrenitis succedente tempore in germanam facessit phrenitida. Hac senes si corripiantur, perrarò euadunt, morbus enim naturæ, ætatique dissentaneus est.

Sunt ædepol nonnulli Medicorum, qui phrenitidis consimilem affectum obseruarunt, qui tamen citra mænyngum, cerebrique inflammationem, & citra febrem aduenit, quo correpti stare loco nesciunt, sed Saliarium, aut Bachantium in morem saltant, parietinas, & laquearia petunt, & furentium instar vexantur, præterea spiritus crebrior redditur, sitis fatigat molestiùs, quumque aquam abligurire contendunt, suffocari se persentiscunt adeò, vt eam reijcere cogantur, non secus ac hydrophobi, quoniam tandiu retinere spiritum nequeunt: Hicq; eadem die, aut certè intra quatriduum correptos tollit, nemoque morbi vim eluctatur; quin eorum facies suruo quodam liuore fœdantur, linguæ nigrescunt, oculi immobilitate stupescunt, summùm perinde videtur, ac graui iræ, timorisve pathemate perculsi, aut entheastici, succedente verò tempore paulatim moueri desistunt, collabunturque cum animales, tùm vitales facultates, atque non secus animam agunt, ac laqueo strangulati, sunt etiam, qui inter currendum collapsi repẽtè mortem oppetunt: Quæ sanè symptomata accidunt cerebro per sympathęam affecto à principe particula, siue ea sit cor, siue vterus, siue pulmo, quom validè cõuelluntur, quom strangulantur, quom sphacello afficiuntur.

Differt delirium à phrenitide, quòd delirium plerumque feb. sequatur, phrenitis autem sit feb. causſa. Est verò Phrenitis principum functionum depravatio perpetua stipante febre à mœyngum inflammatione profecta.

De signis Phrenitidis communibus.

CAPVT II.

INdicia veræ Phrenitidis communia hæc censeri solent, nempè feb. perennis, quæ circa meridiem inualescit, delirium, quod modò ingraueſcit, modò etiam prorsus delitescit; correpti silentio, taciturnitateque gaudent, molestè, grauèque ferunt affari, & quæ effutiunt, aliena sunt. Hæc ad quartam ferè diem contingunt. Subinde carpunt, conuelluntque floccos, extrema frigẽt, agitantur, iactanturque, spiritum magnum, at inequalem, & elisum reddunt, thoraxque vniuersus attollitur, iectigatio modò præcurrit, modò comes it. Somni turbulenti, & imaginum pleniſſimi adeò vexant, vt excitati quandoque vociferari, & obstrepere non dubitent, sopor, atque vigilia alterna quadam vicissitudine interrumpuntur, perpetuòque somnus somnijs, terrificisque phantasmatibus confunditur, cumque excitantur, clamitant, aliena, absurdaque obloquuntur, atque præter morem audacter, & inuerecundè omnia gerunt, præterea lucem auersantur. Linguæ incontinentes, inconstantesque planè fiunt, exasperantur, & aliquando etiam inflammantur. Frigidam vehementer concupiscunt, exhauriuntque, subinde etiam aspernantur, interdum exteriora algescunt, viscera intus flagrantia torrentur. Vrinæ tenues apparẽt, pulsus ratione particulæ phlegmone obsessæ, nempè membranæ, quæ neruea, duraq; est, indurescunt, qua causſa etiam accedẽte virium imbecillitate ob oppressionem exigui subsultant, nihilominus aliquanta virtus eluctescit, donec ægri res in deterius collabuntur, finis autem systoles, atque diastoles velocior quadantenus videtur, cumque ob pulsãdi ataxiam, inæqualitatemque serram referant, vndosi tamen ob cerebri humentem substantiam apparent: Interdum perducto refrigerationis vsu dilatantur, ac grandescunt, celeres fiunt, & subsiliunt, subtremuntque tremuli, id quod sæpè syncopem denunciat, ni tremor iste, & subsultus, ex validiore virtute, & nimio arteriæ renisu proficiscatur, quantum enim vis tollere contendit, tantundẽ renititur, resistitque arteria, hincque motus tremulus suboritur; nonnunquam spasmodea motu afficiuntur pulsus, tuncq; futuram conuulsionem prænunciant. Igitur cum vehementis ægritudinis notæ se se protulerint, malèque morata febris apparuerit, & natura fatiscens nihil molitur, eaque symptomata præuenerint, tunc sine cunctatione phrenitida adesse pronunciato.

Eam

Eam verò hæc signa præcedere consueuerunt, obliuio quippè nouissimè gestarum rerum, animi ægritudo quædam, atque sollicitudo citra rationem exercens, turbulenta, somnijsque intercisa plurimis dormitatio, capitis dolor acerbior, grauitas, repletio, quam luteus oris color, peruigilium pertinax, aut turbulentus sopor inoccupāt. Hæcque symptomata ingraueſcunt, dum continua fit pernicioſę materię ad caput translatio per venas, vbi glomerata subigitur, tenuaturque. Cū verò in cerebrum peruaſerit, tunc occipitis dolor infeſtare incipit, præſertim qua parte iugulo committitur.

Vbi ergo cerebrum exardeſcere cœpit, oculi flammei micant, lachrymantur, venulæ turgeſcūt, minimòque frictu rubeſcunt, ſtillant ſanguine, nares. Cum ſe quieti dedunt, & clauſis oculis dormire videntur, neſcioquid manibus captant, floccos, feſtucaſque venantur, conuelluntque. Nonnunquam toruè tuentur, obtutumque in aſtantes figunt, vt irarum, furoriſque pleni videantur. Interdum torpeſcunt, vt neque ritè loqui videantur. Cumque vrinam nolentes reddunt, aut etiam diutiùs, quàm par ſit, cohibent, magnum hoc eſt obſeſſi à phlegmone cerebri argumentum.

Quòd ſi parte aliqua priùs indoluerint, neque dolorem ampliùs perſentiſcunt, etiamſi vehemētiùs particula prematur, alienæ, emotæque mentis certum eſt ſignum.

Adhæc ſcire decet, inchoante in antica cerebri parte inflammatione, vſque adeò phantaſiam deijci, deprauarique, vt quammox villos ægri, floccoſque carpant, & in proximis parietinis paleas quærant, vellanteque, eaque prorſus imaginentur,

Quæ neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò.

At ſi inflammatio medium corripiat cerebrū, tunc præcipuè mens abalienatur, & mille modis inſanit; at ſi poſteriora occupet, tunc mirabilis rerum omnium obliuio ægrum prehendit, vt neque ea, quæ paulò ante vidit, aut præſtitit, recordetur, recolatve, quin tantus eſt torpor, vt nec ad mingendum impellatur in peluim, matuläue, quam manibus tenet. Quod verò vniuerſæ cerebri particulæ laborent, enarrata ſymptomata produnt, adhæc ora rubent, prominuli exorbitant oculi, ſaturato rubore ſuffunduntur, quòd ſi biliоſior ſanguis fuerit, flauo colore palleſcunt.

At verò paraphrenitis ardentibus ſuperuenit febribus, aut certè præcipuè cuipiam inflammatæ particulæ ſuccedit, ſubitque, dignoſciturque ex repentina inuaſione laborāte interim alia parte, quæ dùm acerbiùs affligitur, inſania etiam inualeſcit, miteſcitque primariæ partis affectu ſedato, adeò vt ad alterius affectus incrementum, aut decrementum pariter augeſcat, aut minuatur cerebri affectio. At phrenitis per idiopathoam paulatim accedit, continenterque laceſſit, ſignaque inflammati cerebri præcurrunt, ſubinde deſipientia prodit, proditurque, atqui in paraphrenitide à contrario accidit, itemque in pſeudophrenitide, ſiquidem priùs alienæ particulæ ægrotantis ſigna, ſubinde affecti cerebri notæpanduntur.

Verùm pſeudophrenitidos compatiente cerebro ſepto tranſuerſo, & pectoralibus muſculis ſigna hæc ſunt, nempè pungens in thorace dolor, ſpiritus crebrior, pulſus ſerræ adſimilis, tuſſis primùm ſicca, tum humida, in qua aliquid ab inflammata particula reſudans expectoratur, febris continua, in qua plurima circa pectus percipitur thermaſia, ſicut in genuina phrenitide circa caput, ſenſus tenſionis vſque adeò percipitur, vt oſſa pectoris attolli videātur. In ſumma verè phrenitidis ſigna deſiderantur, atqui anhelitus multifariam ducitur, modò enim ignauiter, modò frequenter, interdum vehementer agitur, aliquando ſimilis eſt admodum incandeſcentis viri reſpirationi, vt nullo modò ſibi conſtet. At verè Phreniticus magnam, imò maximam, & ex longis interuallis ducit reſpirationem. Verùmtamen tam in phrenitide, quàm in pſeudophrenitide æquale eſt delirium. At paraphrenitis in eo potiſſimùm à phrenitide differt, quòd inualeſcente febre exaſperatur, miteſcente remittitur, atque etiam euaneſcit.

Signa verò eius pſeudophrenitidis, quæ ſtomachi incendium, aut morſum ab humorum acrimonia, pernicieque manantem ſubſequitur, hæc ſunt, cardiogmos, nauſea, ſitis, amaror. Quæ verò aliorum membrorum phlegmonas excipit, ſtipatur notis, quæ affectum, affectamque particulam renunciant, quæ dum non anteuertunt, præueniuntque, neque paraphrenitis ſubit.

Sed age ad genuinæ phrenitidis ſigna reuertamur, & ſanè à ſanguine factæ præter communia ſigna hæc peculiaria notantur, vt accidat cum riſu, ſanguine ſtillent nares, anhelitus ſit magnus, & rarus; oculi rubore ſuffuſi lachrymantur, lippitudine vexantur, non adeò pertinax vigilia, lingua aſpera quidem, ſed ſaturato rubore infecta, quæ paulò etiam poſt nigreſcit, grauatè, blæsèque ob auctam linguæ molem alloquuntur, rubentia ob oculos phaſmata obuerſantur, venæ frontis, temporumque turgent; frequèns ſine cauſſa reſident ægroti.

Ea verò phrenitis, quæ rubea, puræque bilis ſoboles eſt, contumaciores vigilias comites habet, areſcunt oculi, nec lachrymis madent, lingua impenſiùs aſpera, & ſcabra euadit, & flaueſcit, & paulò etiam poſt nigreſcit, feb. acutior fatigat, ſæpiuſculè oculi temerè terguntur. Lutea viſuntur phaſmata, mores in præceps conſilium mutantur, iræque, rixæque promptiſſimæ cordi ſunt, audaci quadam ferocitate diſceptant perinde, ac ſi certatim pugnare contendant, nares acuuntur, ſurſum retrahitur frons, &c.

Ea demum, quæ ab aduſta, nigraque bile proficiſcitur, præter communia ſymptomata his præcipuè ſtipatur, vt ſit nimirum ſummè ferina, rixarumque, dolique pleniſſima, & non ſecus, ac cacodæmone vexati, furore terribiles ſint: Maior anhelitus adeſt, maiuſque inueſtigandi extrema ſtudium, oculi dæmoniacorum inſtar commoti, torti, toruique.

Quom verò defectura eſt phrenitis, puta in lethargum, quod frequentiùs accidit, tunc cauantur oculi, palpebræ ſubſidunt, ora lachrymis rigantur,

gantur, saliuatione, plurima madescunt, pulsus mollescit in vndas.

Cum autem desinit in cerebrum apostema facta è mæningibus ad cerebri substantiam metastasi, tunc oculi nigredo occulitur albo apparente, ut hiatus quædam species appareat, æger nisi resupinus iacet sponte sua, inflatur venter: Pectoris ossa dilatantur, iectigatio, & tremor membrorum augetur.

Quum uerò phrenitis hectica fit, ampliùs cauantur lumina, febris remissior uidetur, corpus gracilescit, pulsus exiles, & duriusculi euadunt. Degenerantis autem in cõuulsionem indicia proprio cap. censebimus.

De specierum Phrenitidis curatione.

CAPVT III.

CVratio, quæ uniuersis ueræ phrenitidis speciebus debetur, à uenæ cephalicæ sectione auspiciũ suscipiat, & multa sanguinis effusio fiat, si uires permittant, alioquin modicella, quę etiam subitò exerceri debet, quum primùm mentis alienatio apparet, ni quippiam uehementer uetuerit. In facienda uerò larga sanguinis missione, cauendum, ne in syncopen patiens incidat, ac proin corporis dispositio, habitudoque prægnoscenda, ut coniectura assequi possis, quàm longè absit, aut adsit animi deliquium, nam antequam accidat, temperandum, parcendumque est, etenim qui in syncopam incidunt, uix euadunt. Aduentantem autem prænunciare solent pulsus parui, crebriusculi, tremuli, profundi, inordinati, quum alternis uicibus magni, & parui emicant.

Adhæc cautè uincienda cæsa phlebotomo uena, ne decumbens ob mentis errorem, & omnigenam corporis iactationem uincula soluat, & sanguis confertim erumpat. Misso ex cephalica uena sanguine succedente tempore ad uenas frontis tundendas pergendum est, si uirtus tolerarit, & affectus uehementia postulauerit. At si patientis habitudo, & uirtus effœta sanguinis missionem non tulerit ex uenis brachij, aut certè omnifaria agitatio, & rixosa contentio corporis non concesserit, tunc phlebotomo uena frontis cædenda, & sanguis pro ratione mittendus.

Nec minùs in principio oxythodina ex rosaceo, & subquadrupla aceti parte confecta admouenda abraso capillitio futuræ coronali, & si opus fuerit, oleum etiam niue refrigerandum, calidioribus maximè naturis sub Ioue torrido, quibus etiam cataplasma concinnari potest ex contusis saligni foliis, & uermiculato semperuiuo. Hocq; in primis procurandum, ut æger in temperato domicilio decumbat, ubi aer purus sit, ubi nec picta aulæa uisantur, nec in parietinis iconculæ, si quidem aciem ad ea simulachra uidenda conuertũt, unde eorum error magis, magisque cumulatur, putant enim uera esse, quæ apparent.

Ad hæc cubiculum frigidis floribus redolentibus aspergendum, utpotè rosa, uiola, nymphæa, caphura. In cubile porrò duntaxat amici prudẽtes, & grati admittantur, quibus coram æger alienа obloqui, & effutire uerecundetur, sed animaduertat, & se se contineat, ut enim summa corporis iactatio nocet, ita & deliramentum indesinens malum conduplicat.

Illud uerò in primis curandum, ut ægro somnum concilies, quòd sanè præstabis, si circa tempora illitum induxeris ex oleo uiolaceo, in quo aliquot opij grana sint dissoluta, & eodem litu etiã nares perfricueris, hoc tamen tentandum in his modò, quibus ualidæ subsunt uires, alioquin perimit opium, sed tũc eius loco papaueris lac propinandum, aut oleum papauerinum cum populneo, aut lactuca inducenda temporibus.

Sed, ut ad phlebotomiam reuertamur, illud alta mente tenendum, ut sanguis à carceribus mittatur, nempè secunda, aut tertia die, nam si principium effluxerit, anceps remedium euadit, nam in admodum biliosa phrenitide satius est pharmacia uti, quàm phlebotomo, quòd si hoc uti cõsilium sit, caue, ne multum educas sanguinis usque ad lypothimiam, ne frangantur uires, quas constare necessum est, tùm ut diætam ferre, tùm ut expugnandæ ægritudini pares esse possint. Peracta, obitaque sanguinis missione clyster lenies, refrigeransque inferno gutturi indendus, qualis effingi potest ex aqua hordeacea, & rosaceo, cui aliquando, si opus fuerit, nonnihil electarij lenientis, aut atramenti fistularis cassiæ adijcere possis.

Omnino autem materiæ impetus ad caput coercendus, & auertendus est tùm per frictiones pedum, & balnea, tùm per iniecta uincula, quibus locis etiam ficæ cucurbitulæ admoueri debent declinante febris uigore, atque ante eius summum, si modò febris habet hanc typωsim, & hanc periodum, nonnunquam etiam cucurbitulæ peracta generali euacuatione humeris admouentur, ut de propinquo capiti suppetiatum ueniamus.

Quòd uerò ad uictum attinet, tenuissima diæta utendum est, ut primùm solo syrupo acerato sit contentus, subinde admiscenda hordei aqua, tum etiam hordei cremor concedendus, sed collineare oportet ad ægri uires, & ad morbi uehementiam, nam si uites constiterint, & morbus ualde fuerit atrox, tenuissimo uictu utendum est, alioquin hoc consilium temperandum, ut peræquè uiribus, & morbo iludeas. Illud uerò non est negligendum, ut impendiò frigidam non propines, maximè si phlegmone laborarit diaphragma, aut aliquod ex naturalibus uisceribus, tunc enim frigida in primis noxia est. Declinante uerò morbi acrimonia paulatim adijciendum, ut uires reparentur, sed huiusmodi esse debet cibus, ut refrigeret, quemadmodum lactuca, portulaca, cucurbita, & alia id genus, quibus adijci potest pulli iusculum, in quo oxalidem, cicerbitam, intybaque incoxeris, quo tempore & panis tritura ex iure cocta concedi potest.

Verùm illud altiùs repetamus, à carceribus, localia præsidia syncerè apocrustica esse adhibenda, ni usque adeò magnum sit apostema, ut etiam num exteriores uenæ per communionem affluxus turgescant, tunc enim ab imminutione inchoandum,

dum, & dolorem mulcentibus, mox ad ſtyptica cum modicè mollientibus coniuncta pergẽdum.

Cæterùm æmatum vſus ſit tibi frequens, & in promptu, nam vehementer prodeſſe conſueuerunt; quantum verò à principio receſſerit morbus, tantum frigida localia ſtypticitatis æmittãt, queis nonnihil papaueris, atque chamæmelli ammiſcere conducit, vt ſomnus concilietur, & diffla-tio nonnulla ſequatur. Quòd ſi hiſce adhibitis præſidijs inflãmatio ſubſtiterit, delirium verò permanſerit, tunc confert calens caprillum lac ſuper caput ægri effundere, ſi virtus conſtiterit ſibi, at ſi infirmior fuerit, ſaltem emulgendum lac muliebre, ita verò accommodandum caput, vt lac ſaltem per horam conſiſtat, ſubinde caput abluendum tepente lympha, in qua temperatæ ebullierint herbæ vtpotè violæ, malvæ, glycyrrhizæ radiculæ, chamæmellum.

His ſi non concedat, ſed potiùs ingraueſcat, ſiue in caroticam diſpoſitionem faceſſat malum, & iam principium effluxerit, & agitatio corporis, vexatioque iam in hebetem torporem deuergat, tunc omnia refrigerantia ſunt abdicanda, & eorũ loco ſufficienda, quæ vim calfaciendi habeant, vtputa ſyſimbrium menthaſtrum, rutha, fœnograecum, melilotos, pariterque mucoſi ſem. lini, fœnograecique lentores cum oleo liliaceo inducendi ſunt capiti, præterea vniuerſum corpus perfricandum, & calente oleo vehementer perungẽdum: Exacta ſeptimana, ſi affectio adhuc perſeueret, & vires conſtant, non erit abſurdum aliquid olygophori vini porrigere, quò virtus melius conſeruetur, & materia quadantenus digeratur. Quod ſi vomitio contingat, permittenda, nam prodeſſe conſueuit, quin aliquando tepente hydrelæo proritanda.

Verùm hoc potiſſimùm ſymptoma lymphatos corripere ſolet, vt emeiere obliuiſcantur, propterea lotium proliciendum linimento circa pubem facto ex oleo liliaceo cum cuniculi axungia, aut ſimplici oliuo dulci, aut fotu ex calente aqua decoctionis chamæmelli, calaminthæ, parietariæ, malvæ, tum hypogaſtrium manibus leniter apprimendum, donec vrina ſequatur, hocque frequenter factitandum, ne vrina reſtitet, & ægrotantis incommoda cumulet. His præſidijs ſi non effluxerit lotium, ea poſtea erunt applicanda, quæ valentiùs id præſtant, vtpote ol. ſcorpionum, vinum album decoctionis ruthę, ſerpilli, hyſſopi, & ſimilium.

Præterea & illud maximè obſeruandum, vt tali affectu implicitos diligenter vincias, præſertim ſi importunè moueantur, periculumque impendeat, ne vitta plagæ inducta ob hæmorrhagiæ metum ſoluatur. Intempeſtiua enim, & inſolens ilta iactatio nocet.

Quom verò ægritudo eò peruenerit, vt omnem vehementiam depoſuerit, ſed remiſſa omninò videatur, tunc ægri vires leuibus, cuchy niſque epulis reficiendæ quemadmodum qui grauibus morbis defunguntur, inſtaurari conſueuere, proin nec aeri, nec ventis feruidioribus ſunt exponendi, ne malum aſperetur. At ſi cordi ſit, eos ad balneas deducere, non repugno, dummodo in dulci aqua tepidiuſcula hoc ex arte præſtetur, ſic enim fiet, vt poſtea ſopori ſe dedant, ſopor autem, ſi quid aliud, maximopere conducit.

Caro autem, qua enutriri debet languens, ſit cupepta, qualis pulli, agreſtiũq; columbinorum, & volucrum dumeta colentium eſt. Hæcque eſt communis curatio, quæ phrenitidi debetur, tàm ſanguineæ, quàm cholericæ, hoc tamen diſcrimine tractandæ ſunt, vt cholerica pharmaco potiùs bilem educente, quàm phlebotomo ſanguinem effundente curetur, & ſi ſanguis mittitur, ſemper parca manu citra ſyncopes metum: Pharmacum verò id ſit, quod ſanguinem refrigeret, quale foret ſerapium roſ. ſol. cum pulpa thamarindorum, plurima puriſſimi ſeri caprilli copia ſuperhauſta, in quo priùs fumaria etiam efferbuerit, nec reformidandus erit vſus Diagrydij, ſi copioſior quadantenus videatur bilis, eiuſque impetus moleſtior, nec aluus ſolutu facilis ſit. Præterea bilioſa phrenitis alliotica aliquantò frigidiora deſiderat, & humectantia, epulaſque eiuſdem conditionis.

In ſanguinea verò phrenetide peracta generali euacuatione, cibi frigidi, ſubadſtringentesq; ſunt adminiſtrandi, ceu omphacium, ſuccus Rhibis, punica mala, cydonia, chruſtumia mala, quæ ſanè cibaria in cholerica phrenitide non item conueniunt, ſed magis cucurbita ſatiua, hordeum, atriplex, ſpinachia, & ſimilia frigida, & humida, & ſemper iuſculis, quibus acetum, acetatave commiſcentur, adijciendum ſaccharum, ſeu pruna.

Præterea hoc vno diſcrimine in vniuerſum regendi, vt in cholerica phrenitide luculentiùs refrigerantia adhibeas, in ſanguinea minùs, ſed magis reſoluentia, tutiùſque in bilioſa hauſtus agonitici frigidæ conceditur, quàm in ſanguinea, quamquam & in hac concedi poteſt, ſi vſus requirat, utriſque verò plurimum confert ſomnus, qui omni ſtudio conciliandus litubus ex oleo papauerino, nenupharino, lactucino, cucurbitino, ſaligno, & ſimilibus nares oblinendo. Humectantia verò in phrenitide exatra, adultaque bile, præpolleant, ſuper, ſubterque continenter adminiſtrata.

De Cerebri phlegmone, ſeu ſphacello.

CAPVT IIII.

PHrenitida * committens ſanguis putris, nonnunquam eò multitudinis, & exuberantiæ peruenit, vt è uenis mænyngum in cerebrum erumpat, & apoſtema adeò vaſtum committat, vt commiſſuras diducat, vt totum caput laniari, preſcindique videatur, hic dolor immanius excruciat, oculi rubore ſuffuſi exorbitant, genæ purpureo colore tinctæ rubent: Nonnunquam conuulſio totum exercet corpus, vomitus ob neruorum cõmunionem à ſexto pari crebriùs fatigant, decubitus reſupinus uiſitur, ſed præter ordinem, & conſuetudinem, ſoletque talis affectus uel tertia die interimere, quam ſi effugerint, non minima ſpes ſalutis affulget. Iuxta illud Hipp. quibus cerebrum ſphacellatum eſt. i. corruptum in tribus

diebus

diebus pereunt, si verò hos euaserint, sani fiunt.

Interim sciendum, inflammationem hanc non esse admodum vehementem, aut malignam, alioquin membri natura patientis ob sui præstantiam non ferret perniciem. Curatur verò eadem methodo, qua phrenitis, sed paulò valentiora, præsentioraque postulat præsidia, proin post cæsam in cubito venam, & in fronte, vena etiam sub lingua secanda, & sanguis abundè educendus, hoc enim auxilio nihil præsentius, aut præstantius.

Sphacellum definit Gorrhæus partis inflammationem perpessæ mortificationem.

Quid sphacellus sit, abundè Gal. vij. de Anat. admin. & 6. meth. med.

De Cerebri Erisipelate sacro.

CAPVT V.

CErebro nonnumquam & Erisipela obuenit sacra, quò fit, vt incendium, & dolor vehementiùs exerceant. Hanc præsentem hæc præcipuè argumenta reuincunt, nempè luteus oris, oculorumque color, perfrigeratio quædam extima reuocato ad interiora calore, qui tamen alternatim foras erumpens genas flaua rubedine tingit. Siccitas, sitisque molestior infestat, os aresçit impensiùs. Nulla in somnum propensio, id quod in phlegmone à sanguine puro ob plurimam anæthymiasim vsu venit. Febris acrior, symptomataque horrentiora superueniunt.

Quæ Medici quatinus lethi formidine mentem.

Curatur hæc species non secus, ac serina phrenitis, sed non est ignorandum, hoc phrenitidis genus vt plurimum tertia die de medio tollere consueuisse ægrotantes, quæ si stata die non interficit, producta solet in bonum euadere.* Compar affectio plerumq; pueros inuadere solet, quibus & synciput deprimitur, & cauantur oculi, & conniuent, totumque tabescit corpus. His succurrendum oxyrhodino ex rosaceo ammixto vitello, tantuloque limonum succo ad penetrationem promouendam, hocq; præsidium identidem permutandum, nec minùs mucilemata ex contusis violis, lactucis, & similibus sint concinnanda, vt cucurbita, melone, cucumere.

* *Hæc à Rhasi desumuntur 1. cont. cap. ix.*

De serina Phrenitide.

CAPVT VI.

FErina phrenitis est veluti maniacus, aut dæmoniacus furor, prouenitque ex atrabilaria inflammatione, adeò vt excãdescentis in morem turgeat, & se se iactet, quo signo à reliquis phrenitidis speciebus distinguitur, cum sit veluti consociata phrenitidi mania, quèadmodum & phrenitis est veluti melancholica desipientia, phlegmone, febrique iugata.

Indicia belluinæ phrenitidis aliquando præcurrunt citra inflammationem, aliquando hanc ipsam insequuntur. Quum igitur bilis adusta in cerebrum repit, confestim dæmoniacum excitat furorem, & cum ipso, aut paulò post apostema, quod est causa continens *fibare*, seu serinæ phrenitidis. At in vera phrenitide nunquam furor maniacus, aut dæmoniacus præcedit, sed succedit delirium, in hac verò serina appellens in cerebrum materia vtrumque parit, neque alterutrum alterius causa est, quamquam se se mutuis vicibus augent. Et quum talis dispositio incipit, pertinax peruigilium, aut turbulentus somnus, timorisque plenus, & subsultus fatigant, spiritus magnus, frequensque ducitur, obliuione torpent ægri, alienaque respondent, oculi igneo rubore nitent, nictant, connuent, demittunturque graues, lipiuntque, ora flauent pallore citreo infecta, vertebræ, seu spondyli tenduntur adeò, vt indolescant, hocque accidit ob insertos vapores. Oculus alter lachrymas effundit.

Quum verò inflammatio constiterit, seb. peruicatior, atque acrior vrit, lingua exasperatur, amarescitque. His verò emollitis palpebræ non ita frequèns motantur; neque reliquum corpus ob imbecillitatem, furor intercisus apparet, taciturnitateque gaudent, aut quàm pauciſſima obloquuntur, floccosque è peristromatis, aut paleas è parietinis euellunt. Pulsus debiles, minimi ob arteriæ siccitatem apparent.

Nonnunquam notha est huiusmodi phrenitis, quare mixta symptomata parit; curaturque perinde, ac phrenitis à cholera, sed humectantia augenda, & perpetuò cruribus vincula sunt injicienda, quæ summo vsui esse consueuere.

De Lethargo.

CAPVT VII.

LEthargus * ab inerti obliuione derivatur (symptoma in minuta principum facultatum actione) & reuera nil est aliud quàm œdematosa in cerebri meatibus plegmona consistens illæsis ventriculis, & mænyngibus, & ipsa etiam cerebri substantia inoffensa, rarò enim densam membranarum soliditatem phlegma peruadit, aut ipsam cerebri substantiam ob visciditatem penetrat, sic & pleuritis, vt plurimùm biliosa est, quoniam pituita uix potest se in solidam membranæ densitatem insinuare, & si aliquando peruadit.

Definiamus igitur, Veternum inertem obliuionem cum perpetua in somnum delatione, & lenta febre ob frigidum cerebri apostema, siue ingentem principum functionum imminutionem cum inexpugnabili dormiendi necessitate. * Et licèt Medicorum quidam asserant, lethargum ex quouis frigido apostemate fieri posse, siue melancholicum, siue phlegmaticum sit, antiquiores tamen phlegmaticum acribòs intellexerunt, atqui nostri iuris sit, vtrumque audire.

Materia verò, quæ hunc affectum committit, quodammodo conferri, compararique potest cum materia cataphoræ, sed hæc implexior, confirmatiorque est, eosdemque agnoscit parentes,

quos pituita liquens, nempè crapulas, fructus vapidos, putrentesque cibos, qualia sunt allia, cępe, bulbi, & similia, quæ valde noxia sunt.

* *Capinacceo functio deficiens principalis cerebri dependens ab inflammatione pituitosa dicitur.*

* *Manardus ait, melancholicum apostema ad phrenitida potiùs attinere, asserit enim succum melancholicum non posse in corpore diu manere, quin in atram exactè bilem conuertatur, sicut Gal. 4. Aphor. testatur. Deiectiones nigræ, qualis est sanguis, &c. quò fit, vt quisquis ab atra bile tumor in cerebro gignitur, ad phrenitidem spectet, omnesque cerebri tumores à simplici humore factos, vel sub phrenitide, vel sub lethargo comprehendi.*

De signis Lethargi.

CAPVT VIII.

LEthargus proprio cunctis symptomate notet, nempe somnolento torpore, capitis dolore grauante, febricula ignauula, quæ necessariò ob apostema ex putrefacto phlegmate comes it, quo nomine distinguitur à carotico marcore. Lenta verò feb. est, quia vt viride lignum multam flammam non suscitat, ita crudum phlegma luculentam feb. non parit, imò aliquando adeò exigua est, vt non percipiatur, hocque accidit, quom materia est frigidior, tuncque sopor grauior opprimit. Præterea laborans simulatque excitatus oculos recluserit, claudit, & obliuioso torpore marcescit, rarumque, & tardum ducit anhelitum, & valde debilem, ut spirandi difficultate laborare videatur, os hiat, & saliuo madet, oscitatio frequens; fatiscit autem quòd claudere buccas obliuiscuntur ægri, aut certè propter inertiam, & segnitiem, etiamsi velint, nequeant, singultus etiamnum præsto adesse solet ob stomachi consensum cum cerebro per neruos sextæ cõiugationis. Quòd si os pandatur, lingua detegitur albicans: cunctanter ægri, & delirè responsa reddunt palpebræ vix attolluntur. Egestiones vt plurimum liquidæ ob pituitæ vbertatem. Lotium Aselli simillimum lotio emeitur. Tremunt aliquando, extrema sudant. Omnino repugnant, opponunturq; phreniticis, hi enim se lecto precipites agunt, illi supini, torpidique iacent.

Voce fremunt illi, stant hi pro more silentum.

Præterea pulsus lethargicorum, magni, molles, bardi, rarique sunt, & vndarum instar digitos palpantium feriunt, tremuli, omnino similes peripneumonia laborantium pulsibus, tardiores tamen, atque rariores, minusque inæquales sunt, quoniam lethargo oppressis tantopere cor non afficitur, quemadmodum peripneumonia, hinc fit, vt etiam firmiores videantur ob vitale robur non ita deiectum, & ob minorem febrem, laborans enim particula longiùs distat. Verùm marcidus torpor, & obliuio multò magis lacessunt, quoniam materia symptomatum in ipso cerebro stabulat, at in peripneumonia per anathymiasim capiti præsens fit.

At si fortè apostema non pituitosus, sed melancholicus sanguis putrescens peperit,

Tunc dolor asperior premit, & rixosa quietem
Turba agitat solitã, paullũ concinna loquuntur,
Annictant oculis, obtutus fixus inhæret.

Si inflammatorius tumor ipsam cerebri substantiam obsideat, sopor profundior, maiorq; hebetudo elucet, lingua vehementer albescit, oculi magis exeruntur, lassitudo maxima, h.e. voluntarij motus imminutio fatigat.

Si verò tumor in membranis subsistat, dolor adhuc acerbior adest, motus verò facilior. Hoc verò symptoma præcipuè interuenire solet, vt mingere obliuiscantur, atque etiam præpediantur ob musculi sphincteris affectam vim.

Signa verò aduentantis lethargi sunt plurimus cap. tremor, grauitas, segnities. Verùm cum lethargicis somnus, deliramenta, obliuio inualescunt, & sudor plurimus effunditur, tunc conclamatum esse scito, sudor enim vires deijcit. Quum verò spiritus difficultas tollitur, & liberè redditur, symptomataque mitescunt, tunc magna salutis spes affulget, maximè si parotis ponè aures erumpat, quæ crisim afferre consueuit.

De curatione Lethargi.

CAPVT IX.

VEterni curationem auspicari oportet à venæ sectione, ni quippiam inhibuerit, vt cruditas, aut virium infirmitas, dein acria ænemata sunt administranda, quæ materiam deorsum retrahant, nec minùs vomitio penna melle, & puluere synapi oblita proritanda. Sed collocandus in primis æger est loco lucido, & ægro interdicendum, ne dormitet, quin continenter stimulis vellicandus, ne in soporem propendeat. In principio verò non est omittendum oxyrhodinum, ita concinnatum, vt tres partes aceti, & vnam rosacei recipiat. plurimum enim aceti acrioris conuenit, vbi æger in somnum procliuior est.

Exacto principio, quod biduo concludi cõsueuit, scyllinum acetum est sufficiendum, & nonnihil castorei adijciendum. Illud verò præcipuè cauendum, ne ægro frigida propinetur, maximè properante ad statum affectu, quo tempore digestione, & diffatione opus est. Adhæc totum oblinendum erit oleo chamæmellino ammixtis pulueribus nitri, sem. vrticæ, laureolæ, piperis, pyrethri, & alijs id genus, vt excitetur facultas. Nec minùs valida resoluentia cap. sunt admouẽda, & odorati suffitus, & phtarmica, siue sternutatoria, & errhina, quæ resoluendi vi pollent, gargarismis enim per obliuionem vix vti possunt, tantus est stupor, fieri verò solent ex thymo, calamentho, pulegio, origano, hyssopo, serpillo.

Subalternis præsidijs ritè ministratis synapismos circa caput adhibere licet, & quæ metasyncritica appellari consueuerunt, qualia sunt scylla humẽs tusa, & cataplasmatis instar capiti inducta, necnõ & contusæ ficus vnà cum synapi. Interim ab initio extrema arctissimè vinciantur, perfricenturque, quin synapismis, & fænigmis conuellantur, vt materiæ impetum ad inferiora retrahas, quæque anarhopos est, catarrhopos fiat.

Verum

Verùm cum in profundiorem somnum immurguntur ægri, tunc perpetuò velitatione vellicandi, carpendique sunt, caputque abradendum, & medicæ cucurbitæ cum multa flamma occipiti, æque cùm ficcæ, tùm humidæ, nempè cum scarificatu, si sanguis redundarit, identidem inducendæ.

Porrò ægrotantes lupinorum, aut cicerum, aut hordei iusculis reficiendi, quo tempore extrema, ne vapores sursum tollantur, vinciri debent.

Quòd si opus fuerit pharmaco, ne longiùs malum protrahatur, neu materiæ copia affluentiùs in caput irruat, quod sanè ex tremore conijcies, tunc diadagrydij gr. xij. & castorei scryptulum erunt exhibenda, at si febris acrior pharmacum respuere videatur, depositio diadagridio, vtere castoreo, quò sine euacuatione caput afficias, & morbidam dispositionem expungas.

Nulla verò securior euacuatio ea ipsa, quam clysmi moliuntur. At si omninò potionandi sunt ægroti, tale pharmacum propinandum. ℞. Hieræ picræ ʒ.j. pulpæ colocynthidos ʒ.v. myrobalanorum ʒ. j. mastiches gr. vj. (sic enim sibi vult Dauic Arabum, teste Fernelio) misce, fiat massa, ex qua pillulæ cum rhodomelle concinnentur, & deuorandæ præbeantur, alioquin iusculo dissoluantur, si deuorari non possint. Hoc verò faciendum, ubi febris mitior est, & certò speratur fore, vt aluus laxior fiat, alioquin temperandum, & acria suppositoria frequèns ministranda. At si pharmacum perhaustum nihil promoueat, tunc etiam proritanda aluus actioribus suppositorijs, quò ex duobus coniunctis euacuatio optata sequatur, interea stimulis æger vellatur adactis, & ad excretionem excitetur.

Quum verò ob stupidam obliuionem vrina minimè redditur, tunc perinæum, & hypogastrium illinendum est ol. scorpionum, liliaceo cum axungia Cuniculi addito veteris theriaces tantillo; aut fouendum D. parietariæ, chamæmelli, melilothi, calaminthæ, lilij, quibus peractis comprimenda vesicæregio, vt lotium foras erumpat. Atqui decedente morbo languentes vberiùs instaurandi sunt, & si fieri potest, modicè exercendum corpus, omnino reualescentium more molliter tractandi.

De Aquis intra cranium latentibus.

CAPVT X.

INterdum aquea recrementa modò extra caluam, modò intra congeruntur, coagmentanturque, quare & de his agere operæpretium est; Si intra cranium contineantur aquæ, hinc dignoscitur, quòd interna grauitas percipitur, oculi difficulter clauduntur, imo aliquando nequeunt, interim verò madore, lachrymisque vuescunt, immotumque ægri figunt obtutum. His notis vbi hanc ægritudinem signaueris, ægro vale dicas, dicasque

Pra foribus Libitina manet, Deus omen inane
Reddat, & omnigena vi miserum reparet.

De apostematibus, & tumoribus extra caluam, atque de Hydrocephalo.

CAPVT XI.

INterdum pericranio tùm calida, tùm frigida apostemata accidunt, sed pueros ea potissimùm inuadit ægritudo, quæ hydrocephalos nuncupatur, quæ adultis etiam haud infrequenter contingit, quæ sanè ex aquæ detentione inter cranium, & pericranium, aut certè inter vtramque membranam prouenit, tuneque locus deprimi, opprimique videtur, uigiliæ infestant, luctus inoccupat.

Infantibus quidem frequêtissimè occurrit hæc molestia, quom obstetrix comprimendo, & conuellendo caput partium unitatem abiungit, quò fit, vt oscula uenarum dehiscant, & hydatoides, ichoroidesque sanguis effundatur, nonnunquam etiam cæteri humores affluentes isthic stagnant.

Dignosces autem, an sit hydrocephalos, an apostema, his notis, nam si aqua subsit, tumor quidem attollitur, at cutis compressa subterfugit, & nullatenus colorem permutatum habet. At si cutis coloris uarietate pullescat, si prementi digito tumor resistat, nec aliò contenta materia urgeatur, & mordicans percipiatur dolor, tunc extra caluam abscessum latere, animo ducendum est.

Quod si hydrocephalos adfuerit, & quidem infantulo, ut fieri solet, tunc animaduertendum, num plurima, an pauca subsistat aqua, & an ab externis pulsu ad interiora se condat, id quod si constat, haud curari potest, at si exigua aqua intra cranium, pericraniumque coerceatur, tunc secundùm fibrarum rectitudinem incisione obiter dentur aquis exitus, & si plurima fuerit laticis copia, cruciatim in duobus, aut pluribus secentur locis, ut contenta materia paulatim exhauriatur. Exempto aqueo recremento, constringendæ sunt plagæ, nincindæque, & linteola balsamo Christi imbuta superponenda sunt, fit autem balsamum Christi ex oleo, & uino: Hic apparatus triduo finendus, subinde soluenda uincula, & si opus fuerit, reliqua curatio perficienda unguento, & plagulis, quæ si non sint satis, futura adhibeatur. At si caro non renascatur, tunc uitium aliquod subesse arguitur, quod sit auferendum, proin tergendum cranium, atque etiam abradendum. Quòd si admodum exigua fuerit aqua, parcendum erit sectioni, & sereus humor exhauriendus digerentibus admotis.

An verò calida, an frigida apostemata subtus lateant, tactu ipso intelliges, atque etiam oculis, siquidem uix fieri potest, quin affecta particula æstuet, si calida, quin algeat, si frigida subsit materia, præterea talis efflorescit foris color, qualis fuerit intus humor, quare si flaueſcit, rubescitue cutis, calens humor inest, si albescit, nigrescitue, frigens: Hoc verò est commune signum, quod ægri pondus cranium comprimens percipiant, nec citra dolorem tangi, tractariue possunt.

Curanda verò sunt hęc apostemata ea ratione,

vt quantum fieri potest, per in aspectabilem euacuationem secundùm vniuersalem corporis purgationem, subalternaque præsidia, maximè post medicas cucurbitas scapulis admotas inaniantur.

Cæterùm in inflammationibus infantium nutrix curanda, cui sit his interdictum, quæ flatuosam, æstuosamve materiã suggerere possunt, quod si aluus nimis cita sit, porrigendum infantulo nonnihil puluisculi ex torrefacto spodio, & ex semine portulacæ torrefacto, nam in hac ægritudine alui fluor in malis habetur. Interim fotu, balneoque sit interdictum puello, sed violaceo refrigerato synciput perfundatur.

Syriasis Græcis dicitur teste Manardo, quoniam in ea bregma cap. concauum sit instar siri. i. vasis concaui, fitque à superassata bile.

De Comate, seu Cataphora.

CAPVT XII.

HOc symptoma, sicut mediam inter phrenitida, & lethargum obtinet ideam, ita ex ambigua oritur substantia, soboles enim est pituitosæ, & biliosæ materiæ putrentis, quam sanè humorum miscellaneam repletio ex nimia cùm cibi, tùm potus ingurgitatione producere consueuit. In hac verò ancipiti confusione, ita aliquando æquantur humores, vt vnus alteri non præpolleat, nonnunquam præponderat, & dominantis etiam signa se proferunt. Quare si phlegmã antecellat, affectum gignit, quem coma-pigrum indigitant, at si præualeat cholera, dicitur coma-vigil: Atque in hac affectione contrariæ qualitates conflictant, sed calor, vtpotè formalior solet energiam suam ampliùs prodere, phlegma quidem perpetuam in somnum delationem parit, hinc hebescunt, torpescuntque ægri, præclusisque oculis nec festinanter ad rogata, sed insulsè, oscitanterque respondent. At cholera vigilias inuehit, & paraphrosinen, intentumque obtutum, & licèt ægri aliqua in somnum declinatione teneantur, eos tamen citò excitat, nec lethen vsere sinit, id quod phlegmate præpollente non accidit, tunc enim somnolentus torpor inualescit, dumque palpebras attollere conantur, concidunt. Sed imperante bile vel minimo negotio somno detentus expergiscitur, excitatusque delirat, iactatur, oculos apertos sine nictatione, immotosque instar Phrenitici continet, resupinus præter morem recumbit. ora tument, & pro humorum excessu roseo confunduntur virore, turgescunt palpebræ, æger clamitat, aut ineptula intus ore presso mussat. At oculi catalepticorum instar aperti, immotique manent, sermones interciſi, inconditi effutiuntur. Sorbitiunculæ, dũ offeruntur, haustæ in nares refluunt, suffocationisque discrimen inferunt, quæ sanè malè habentis indicia sunt.

Accidit autem, vt vel totum, vel fæces diutiùs retineantur, aut parcissimè reddantur, Spiritus ægrè ducitur peræquè, ac mulierculis, quæ strangulantur ab vtero: Hoc tamen distinguuntur signo, quòd suffocatæ non habent faciem mutatam, comatosi verò habent, & præterea rogati respondent, alloquentesque intelligunt, nihil autem talium accidit hystericis. Præterea affectio hæc similis est lethargo, eo tamen distinguitur, quòd ueternosis non similiter ora tument, atque cataphora detentis, neque ita de statu suo deijciuntur, præterea comate laborantes interdum vigilant, & apertos oculos, fixosque obtutus habent, febrisque quadantenus acrior, phrenitidique finitima torquet, hoc tamen interest, quod in comate sopor est grauior, sed mitiùs delirium.

Adhæc pulsus creber, veloxque apparet propter apostema, & comitem febrem, quo nomina veternosorum pulsibus distinguitur, præterea latus est, & breuis propter phlegma, & multiformem apostematis naturam, hinc etiam à phreniticorum pulsibus discrepat, breuis autem pulsus apparet impensiùs arteria dilatata, adhoc lethargicorũ pulsu vehementior, sed debilior phreniticorum pulsibus micat. Nec admodum magnus est, aut rarus, aut conuulsiuus, vt in dispositione hysterica, in qua virtute collapsa, pulsus frequentes, & minimi fiunt.

Gorræo est deficiens, & imbecillis motus imaginatricis à frigido, & humido magnam somni cupiditatem inducens.

Sennerto dicitur symptoma in imminuta actione sensus communis, qui veluti torpens, neque spiritus animales ad externos sensus diffundi sinit, neque ab his accepta obiecta agnoscit, & diiudicat.

De Comatis curatione.

CAPVT XIII.

IN quouis Comate sanguinem mittere expedit tùm ob febris insultum, tùm ob cerebri oppressionem à putrente materia, clysteres item conueniunt, qui acriores, mitioresque pro humoris pituitosi, aut biliosi dominatu præscribi debent. Victus ratio tenuis perinde atque in phrenitide conuenit, præsertim si vitæ intemperantia tale peperit malum, quæ si præcesserit, vomitione venter deplendus, ebrietas verò tum quiete, tùm inedia emolliatur, quin sub finem viui vapores discutiendi sunt. Embrochæ verò, perfusiones, pharmica, & euacuantia per os, aut aluum iniecta præscriptis quadantenus debent esse paria, hoc vno discrimine, quòd adeò refrigerantia, vt in phrenitide, nec adeò calfacientia vt in ueterno institui non debent, sed omnia temperata sunto, tantùmque à mediocritate recedant, quantus fuerit alterutrius humoris excessus. Alibi verò actum est, qui medicamenta componantur, quantusque caloris, aut frigoris gradus ex artificiosa mixtione resultet, edoctum, quamquam pauciſſimi hac tempestate, qui pharmaca præscribunt, rationem callent: Quare si cholera præponderet, embrochæ ex D. fol. salicis, violarum, rad. liquiritiæ, hordei, chamæmelli, verbenæ, anethi concinnentur, & si vigiliæ excedant, syrupus papauerinus erit

vsui,

vsui, dummodò prouentus phlegmatis cumulatior non sequatur, hoc consilio dari debet, vt recedentibus vigilijs somnus succedat. At si par fuerit humorum pernicies, ijs adijciendum esse thymum, & amaracum censeo.

Quòd si phlegma longè excesserit, perfusiones D. foliorum lauri, ruthæ, menthastri, hyssopi, origani adiecto castorei momento ex atte fieri debent. Emplastra similiter vsurpanda, pariterque æneamata pro alterutrius humoris victoria modò refrigerandi, modò calfaciendi vi prædita, modò eucrata. Declinante verò ægritudine arcendæ sunt frigidæ perfusiones, arcessendaq; sunt calfacientia, & discutientia, balneumque admittendum, in reliquis more cæterorum reualescentium comatosi tractandi sunt.

De plaga, & incisione Capitis.

CAPVT XIIII.

VNitatis solutio capiti contingens, aut est in cute, aut in carne, aut in osse, aut in velamine, aut in cerebro. In vulneribus quidem ad mæningas pertinentibus pars oppositа aut conuellitur, aut resolvitur. Quom verò plaga ad ventriculos non peruenit, nec piam matrem læsit intuto magis sunt res ægri: At si ad cerebri substantiam pertineat vulnus, vt ijs notis dignoscitur, nempè superueniente febre, & bilis vomitu, ita non nisi rarò curatur. Vulnera porrò circa anteriorum ventriculorum regionem inflicta non ita lethalia videntur, quemadmodum quæ circa posteriores ventriculos, illa enim, si citò auxiliatum veniatur, coalescunt, sed omnium deterrima sunt, quæ medium occupant ventriculum. Hinc quàm ocyssimè succurrendum admotis conuenientibus emplastris, quæ phlegmonen arceant, & ambiente aere correcto, ne cerebrum natura frigidum libero eius occursu offendatur.

Curationem verò eorum vulnerum, quæ cutem, carnemve torquent, alibi recensebimus, vbi studiosè de vlcerum curatione agetur, & de fracturis, in quibus vbi ossa sint eximenda, medici duos scopos habere videntur, alij enim admouent pharmaca indoloria, quidam perquàm exsiccantia, & vbi exemptum fuerit ruptum, metasyncritica admouent, vt etherogenes foras proliciant, superponuntque epithema ex melle, & ros. & tantillo aceto, & hi quidem tutius agunt ex Gal. sententia, qui ossibus, & membranis valde siccantia admouent, si vlcere afficiantur.

TRACTATVS Quartus.

De Ægritudinibus Capitis, quæ in motu, & sensu visuntur.

De Caro, & Sopore.

CAPVT PRIMVM.

CAros grauis est, & superuacuus sopor (symptoma in actione Animalium facultatum ferè abolita) adeò vt & diuturnior, quàm par sit, & altior exultat, vt non ita facilè excitari patiens possit, nam si promptè excitaretur, naturalis somnus foret. Inter verò caroticas affectiones vna est altera grauior, & profundior.

Sed qui noris præter naturam soporem, si naturalem ignoras? Est ergo naturalis somnus animalium spirituum ab organis sensuum, & motûs ad primum sensorium refluxus, quò fit, vt instrumenta, ob spirituum defectum muneribus suis fungi nequeant, tantum autem spirituum ad respirationis organa effunditur, quantum sit satis ad respirationem edendam. Quare tunc propriè naturalis somnus est, cum vitalis spiritus introsese recolligit ad conficiendum alimentum, quem motû & animales spiritus sequuntur, vt per quietem sensoria redintegrentur, & spiritus ipsi ita congregati quadantenus reficiantur, & instaurentur, plurimi enim per vigilias frustra eunt. Huic somno accedunt, qui ab inualetudine reualescût, solet enim natura per prolixiorem soporem dissipatas vires reparare, vnde etiam morbi abitus arguitur, in benè habentibus tamen somnus longior, atque tenacior non habetur in bonis. Solet etiam ijs, qui per pharmaca nimis exhausti sunt, sopor grauior superuenire, qui vtilis cêsetur, nam præterquam quod hypercatharsim cohibet, vires etiam recreat, & ægros pristino tenori restituit.

Quandoque etiam non omnino naturalis sopor accidit, tuncque spiritus recurrunt in fontes propter nimiam spirituum resolutionem, quia natura vires fatiscere præsentiens non fert vlteriorem spirituum effusionem, sed reuocat, colligitque in principium suum. Tunc igitur profundior succedit somnus dissipatis impendiò animalibus spiritibus, ut fieri consuenit secundùm improbos labores, & immodica exercitia. Natura enim sollicita est, & prompta ad restituendum, quod sibi familiare est, donec exhaustum reparetur alimonia, perinde enim inter hosce somnos interest, atque inter famescentes robustos, ac imbecilles enormi sanguinis, aut aliorum humorum euacuatione. Iste instar est famelici ab exhausto, quare quietem, somnumque petit ad tollendam lassitudinem à laboribus inductam. Ille verò æquiparari potest famem patienti naturalem, quæ fit ob sensum inanitionis in ore uentriculi, unde animal quærit cibum, ut in dilapsæ substantiæ locum sufficiatur, succenturietur que.

Cæterùm somnus interdum absolutè præter naturam accidit, vtpote cum frigus, (siue sit ambientis siue pharmaci) spiritus ab organis intrò repellit, & organa vsque adeò refrigescunt, vt conglacient vt posthac vitali spiritui commeatum denegent, & iam insertum stupefaciant. Quin propriè instrumenti temperatio aboletur, vnde nec spiritus capax redditur organum, quare cum spiritus in contrariũ impingant, & nequeant se se explicare, hostis fugiendi studio se tota copia in fontes recolligunt ad thoracem, hic verò veluti torpidi iacent, & foras exilire nequeunt ob rigentem intemperiem. Hinc stupent correpti, ceu cataleptici.

Hoc idem etiam ob insignem humiditatem accidit, qua sensuum machinamenta imbuuntur, hinc turbantur sensus, & spiritus obnubilantur, meatus opplentur, per quos spiritus meant, remeantque, vnde liber aditus intercluditur, nerui incrassati resoluuntur, atque adeò musculorum tenor enervatur, quare denegata spiritibus iam crassefactis via ob inebriatos nimio madore neruos iacet corpus torpore, somnoque sepultum. Et grauis iste sopor contingere potissimùm solet temulentis. Idem vsu venit nimia crapula distentis, nam ob longiorem in stomacho cibi moram multa ad caput sit anathymiasis, hinc primũ vincitur sensorium, & somnus contumacior obrepit. Curantur hi procurata vomitione.

Verùm cum frigus, & mador vnà conueniunt, & conspirant, caros genuinus committitur, sed frigus magis præcipua caussa est, cui subsidio postea it mador. Vigiliæ item fiunt ex complexis caussis, nempe ex calore, & siccitate, sed princeps caussa peruigilij calor est, siccitas verò suppetias fert, cooperaturque. Caros etiam alias sequitur caussas, nempè feb. paroxysmos, in quibus natura à materia suffocatur, & obruitur, vnàque spiritus ipsi premuntur, hocque potissimùm accidit in feb. à putrescente phlegmate, quod multigenam calore subactum vaporum sobolem parit, qui parentis naturam redolent. Nec minùs à particulari quouis membro per sympathiam hoc idé vsu venire solet, utpotè à stomacho, ab utero, aut pulmonibus, quom noxios humores, aut vapores in caput amandant. Idem interdum pariunt vermes in intestinorum anfractibus conditi, siue sint longi, siue lati, siue Ascarides. Cerebri quoque compressionem excipit, siue ab ictu fiat, siue extrinsecùs ab alia causa. cum enim ventres, & semitæ coarctantur, spiritus quadantenus ligantur, hinc sopor grauis. Ictum etiam temporalium musculorum, & ingentissimum dolorem sequitur. Interdum stomachum, aut uterum caussantem agnoscit, vnde noxium, & ueneficum quippiam exhalatur, quod vt euitet cerebrum, contrahitur, hinc spiritibus liber commeatus intercluditur. Nec minus effœtis viribus, & dissipatis uehementer per diaphoresim spiritibus sopor incidit, tunc enim difficulter spiritus foras explicantur, effundunturque.

Cæterùm quia in somno tùm naturali, tùm præter naturam omnium primi usus, & auditus ab officio cessant, & imaginatio deficit, (est enim uel Galeno teste imaginationis paralysis caros) fit, vt in antica parte cerebri affectio subsistat: Nã si pars anterior cerebri esset incolumis, & postica duntaxat laboraret, oculi, atque aures haud feriarentur, sed vtique agerent, nec sopor adesset, sed motus, & tactus energia potiùs euileret, hinc enim nerui, qui in organa motus, & tactus corriuantur, emanant, interim reliqui sensus benè agerent nihil affecti, sicut accidit in catoche, quare caroticus is affectus nullam præter motionis noxam afferret; accidit autem à contrario, quom sensum prorsus, non motum demoliatur; remanet enim thoracis motus illæsus, & sospes. Hinc etiam arguitur in caro non eam esse obstructionem, aut humorum crassitiem, quæ omnino spiritus intercipiat, alioquin respiratio pariter vitiaretur, vt apoplecticis vsu venit. Repetendum autem, & firma memoria tenendum, nihil præter frigus egelidum primò posse caroticum soporem inuehere, quom suaptè natura marcidum pariat torporem, secundo loco venit eximia vuiditas.

Solet præterea hæc affectio peripneumonię, aut pleuritidi per metastasim, & translationem materiæ ad caput succedere. Sunt etiam quidam homines, quibus, dum euigilant, in tranquilloque sedent, innoxij humores cientur, effunduntur que, hincque in somnum prolabuntur, prostratis verò, & iacentibus innatus calor uberrimus ita colligitur, & intus inæstuat, vt congenere uaporum propagine in cerebrum impulsa pro somno uigilias inducant, quòd cieant, exagitentque spiritus ob calorem, hocque gracilibus, ficcioribusque naturis usu uenit. Quom ergo somnus tenacior apparet, hinc mala cerebri dispositio arguitur, somnus enim, atque uigilia utraque si modum excesserint, malum est.

Vnum adijcere præter rem non pigebit, scilicet uinum mali puniẽdi à cibo superhausum, quia diutius immoratur, & os stomachi coarctat, corroboratque, & napores cohibet, ne sursum respirẽt, id agere, vt summotis uigilijs benignus sopor accidat. Iam uerò ediximus, qualis esse debeat decubitus post cibum.

Illud præterire nefas, supinum decubitum esse ualdè noxium, dorsum emollire, & effœminare, vt motus alacritatem, firmitatemque adimat. Neque indormire sub radijs solaribus fas est, multò minùs sub lunæ dubio lumine, nam hæmoptoicam excitat affectionem; luna enim humores, quibus dominatur, mirandum in modum ciet. Cur verò supino corpore dormientes stertant, ea est ratio, quòd epiglottis subsidet, hinc spiritus ad fauces elisus non secus insibilat, ac uox per fistulam, tubumvè præmadidum emissa.

* *Somnus præter naturam Capinacceo est vinculum cerebri dependens à reciprocatione præter naturam spiritus animalis. Seu priuatio quædam internorum, externorumque sensuum sola respiratione illæsa.*

De

De signis carotici affectus.

CAPVT II.

SI hæc ægritudo ex syncera ambientis aeris, aut venti frigiditate prouenit, hinc dignoscitur, quòd talis tempestas præcessit, nec interuæ frigiditatis indicia panduntur (hinc enim proficisci quoque consueuit) omninò si vtroque modo accidat, haud inflatur correptis facies, nec tumét palpebræ, color tamen liuore, viroreque inficitur, pulsus ob duritiém tenduntur, rariores fiunt. At si post narcoticorum vsum, veluti opij, mandragoræ, hyosciami nucis-Metallicæ, virentis coriandri, aut sem. psyllij, aut denique lactis, quod in stomacho vitium contraxerit in trõbosim coactum, superueniat, ijs notis distinguito, quas proprijs cap. signabimus, vbi de venenis agetur, tunc enim præter soporem alia symptomata vexant, nempe præfocatio, extrema luore, & frigore rigent, lingua tumescit, nares fœdissimo lacessuntur odore, pulsus eneruantur, sed citra raritatem, imò frequentiores euadunt, vt vermiculantes, & formicantes videantur, quòd si rarò subsultant, attamen sine ordine, & tenore id contingit, quin vicissim modò ratiusculi, modò frequentiusculi emicant. Itaque si huiusmodi causæ antecesserunt, curandi sunt ægroti ijs antipharmacis, quæ proprio cap. censebimus.

Non desunt, (vt hoc obiter adijciam) qui opinentur, soporem ex ingenti frigore innexum non esse adeò grauem, ceu qui ex nimio madore prouenit, quorum sanè mens fanatica est, imò ille sopor est mirificè inexcitabilis, & sæpe vbi cerebri substantia vehementiùs perfrixit, seu per ambientis, seu per pharmaci algentis iniuriam, imaginatio, & mnemosyne abolentur. At si merũ, multumq; madorem excipit, nullum dominantis sanguinis, aut phlegmatis comitatur Simion.

Cæterùm si tale produxerit symptoma pituitatis prouentus, cruditatis soboles, tunc mollescunt pulsus, effæminantur, vndarumque more fluctuant, sopor altiùs incessit. Lurida pallent ora, caput torpidum grauescit, tumescunt palpebræ, frigus tactu percipitur, præcesserit victus norma generando phlegmati compar, & idonea, ætas declinat, regio frigidior, hyemale tempus eodem conspirant.

At si vberior sanguis talem excitauerit soporem, his proditur indicijs; Venæ, præsertim iugulares, prominulæ turgescunt, lumina rubore suffunduntur, purpurascunt gênæ, lingua rutescit, æstus circa caput insolentior percipitur. At si phlegma, sanguisque conspiratunt, discernes, hisce notis, quæ tùm phrenitida, tùm veternum, vigilque-coma præmonstrant.

Verùm si vapida substantia tanti criminis author fuerit, vt fieri consueuit ingruente febrium accessione in peripneumonia, & in stomachi infirmitate, ijs dignosces signis, quæ laborantes primò particulas renunciant, nam si (exempli loco) è ventriculo vapores efferuntur, tenebricosa vertigo, tinnitus aurium, & fallæ imagunculæ solent præcurrere, & ieiuno stomacho leuatur affectus, inualescitque assumpto alimento Pariter dictum volo, si ex hepate, aut pulmone anathymiasis tollatur, præcurrunt enim signa læsas particulas monstrantia, vtpotè grauis dolor, difficultas spirandi, tussis, & ea, quæ peripneumoniam comitari solent. Idem dictum volo, si ab vtero exhalentur.

At si succedat plagis vertici, aut temporibus inflictis, non est opus testibus, nisi ijs, qui earum ab apoplexia discriminent. Sciendum itaque caroticos vociferantes audire, atque etiam excitari, nec sensus, aut motus adeò hebescunt, quemadmodum apoplecticis, in quibus incolumi quidem, sed difficili respiratione animales functiones penitùs tolluntur saltem imaginatione (nam vita permanente impossibile est, tolli omnino sensum.)

Porrò inter syncope, & carotico sopore correptum hoc interest, quòd carotici pulsus habent sanorum similes, non item syncoptici, imò languidos, minimosque habent, adhęc syncope paulatim inuadit non sine coloris in pallentem mutatione, & cadaueroſa facies euadit defunctorum instar, & extrema rigent, & frigidum sudant. Caroticis autem non admodum exterior facies forma, colore, aut macie mutatur, vt cadaueris instar palleat, sed duntaxat paulò inflatior, & intumescentior.

Differentia verò inter hunc affectum, & hystericam passionem ea est, quod carotici interrogati aliquando loquuntur, & intelligunt, hystericæ uerò difficulter capiunt, nec quicquam fantur: Adhæc carotici ocellos, caput, pedes promptiùs motant: Hystericæ ut magis sentiunt, ita palpebras alacriùs tollunt, & vt affectio hæc subitò corripit, ita vis eius citò desinit ad salutem, aut ad mortem. Caros autem quandoque progreditur in diuturniorem, grauioremq; soporem, auspiciumque sumit à paulò altiore somno, ni ambientis frigus subitò occurrens, aut quippiam intrò assumptum vehementer refrigerans inuexerit carum, tunc enim repentè fit, quod animaduerti debet.

De curatione subethiæ, & alti soporis in feb.

CAPVT III.

CAros, qui per cõsensum ab alijs partibus proficiscitur, summota partium primò laborãtium mala dispositione tollitur, demptis. s. supernacuis, si quæ subsunt, & roborato cerebro, ne facilè suscipiat, quod fiet oxyrhodino ex tribus aceti partibus, & una rosacei confecto, quibus addi possunt succi pariter roborantes, nec minùs eiusdem generis embrochæ, & perfusiones circa futuras fieri possunt, à quibus ad resoluentia pergendum erit, si quid in cerebro subsit, quod digeri debeat, quæ aliàs in communibus Præceptionibus monuimus.

Caros verò ptincipijs feb. superueniens ea methodo curatur, vt quamprimùm extrema arctiùs vinciantur, contellanturque, sternutatorijs, & aceti indefinenti odoratu excitentur ęgri, pariterq;

fronti,

fronti, & bregmati inducendum oxyrhodinũ ex quatuor aceti partibus, & vna ol. cum omphacio, & succo malorum punicorum, aut coroneorum.

Qui verò à veneno inducitur, curandus proprio alexipharmaco, & per vsum theriacæ. Atqui caros externi frigoris soboles curatur veteri theriaca, nuthridatio, diamoscho, perfusione cap. ex D. ruthæ, in qua castoreum dissolutum sit, caputque oleo beeno oblinatur, spiceo, nardino admixtis castoreo, & scyllæ succo, hinc facit & ol. moscatellinum cum castoreo illitum, & costinũ, emplastra quoque concinantur ex scylla contusa addito castoreo, & moscho modicello, quin moschum continenter olfaciendum porrigere prodest, omninò calida cephalica intus, foris que adhibenda sunt, atque hæc vniuersa non blandè, leniterve, sed austerè, & asperiusculè peragenda sunt, vt hinc ægri excitentur.

Caro autem ab immodica sanguinis copia effecto, missione sanguinis è cephalica medemur, aut, si menses substiterint, cæsa malleoli vena, admotisque cucurbitulis, præterea mollium clysterium vsu, & victu tenui, qualis esset cicerum rubeorum iusculum, & omnino ea, quæ imbecillis sunt nutrimenti.

At qui à simplici madore citra materiæ implexum procedit, admotis parti emplastris ex castoreo, schoenantho, costo, nuce cupressi, sabina, euphorbio, pyrethro cum aqua, aut succo fœniculi, & aceto incorporatis, neque enim hic olea conueniunt, auxiliamur. Subinde si stomachi tædia præcurrant, tenui præscripta diæta, & vomitione aliquandus erit. Quæ si non sufficiant ad synapismos properandum erit, interim moschi odoramenta sufficienda, quadam enim prærogatiua præstat. Verùm si cum mollitie, & vuiditate materia quoque subsit phlegmatica, tunc in primis acrior clyster injciendus est subinde præscribenda vomitio, quæ inhærẽs stomacho phlegma exigat, educatque, reliquum verò incidentibus, & attenuantibus apozematis paratum repurgandum, tum subalterna præsidia vsurpanda sunt, nempè errhina, phtarmica, gargarismi, perfusiones, digerentesque embrochæ.

In omni verò somnolenta affectione illud accuratè obseruandum, vt decumbentibus ægris obijciantur ea, quæ grauiter ferant, quæ iram excusitent, ira enim in hisce affectibus, in quibus torpet, hebescitq; mens, mirandum in modum conducere consueuit, vtpotè quæ calfacit, & torpentes ciet spiritus, quò fit, vt mens deinceps sapere incipiat. Inter cætera verò, quæ validissimè ægrotantes excitare consueuerunt, est illitus narium ex oleo chalcanthino, & aceto D. serpilli, fœniculi, apij identidem subolefactum, orique allitum; Præterea extremis arctissima vincula iecta, clamores, phtarmica, & omnino ea sunt adhibenda, quorum præcipuè studio sanus, tenebatur, quamobrem si vinosus esset, aduocandi sodales, qui digitis micando Libero liberè litent, vasa vinaria subinde frangant, vicissimque obstrepant, increpent, iacentique Nemesin incitent.

Grunniat, hic rudat, hic simulata voce coaxet,
Et feriat strepitu vociferante tholos.

De Vigilia, & Peruigilio.

CAPVT IV.

VIgilia quidem est actio cum ea membrorũ dispositione, quæ intus, foris que cernitur propter spirituum animalium ad organa effusionem. At peruigilium nihil est aliud, quàm immodica vigilia, & excessus à naturali mediocritate, huiusque præcipua causa est caliditas, atque siccitas, quare ignescunt spiritus, & stare loco nescientes foras prosiliunt. At hypecauma est peruigilij præsentior causa: Nonnunquam nitrosus, acutusque humor, vbi cerebri substantiam inuasit, nec minùs dolor, & paulò fixior cogitatio spiritus ciendo inducunt vigilias, quò spectant, & solis lumen, & locus paulò splendentior, quæ dispositis satis sunt ad vigilias inuehendas, lumen enim ob subitantiæ familiaritatem calorem, spiritusque foras allicit. Aliquando cruditatibus, & imbecillimæ digestioni superueniunt: Nonnunquam ex flatulentorum vsu, interdum ex ijs, quæ humores, aut somnia, aut pauores cient, qualia sunt fabæ, allia, cæpe, excitantur.

Similiter in feb. fit propter aridos, acresq; halitus in caput sublatos, & propter dolorem. Decrepitis verò ob nitrosorum, salsorumque humorum prouentum, & propter cerebri siccitatem familiares sunt, etenim senes, etiamsi ob caloris imbecillitatem excrementis scateant, solidis partibus squallent, succedit nec minùs melancholico, & canceroso apostemati circa cap. particulas erumpenti. Quod si peruigilio pertinacissimo tussis superuenit, malum est, è vitijs enim tollitur laborans, hæque ob insignem siccitatem, quæ spiritus organa exhausto madore corripuit, atque exasperauit.

Capuaccio est relaxatio cerebri dependens ab effusione præter naturam spiritus animalis.

De Siguis.

CAPVT V.

VIgiliarum indicia ex mera siccitate cerebri proueniẽtium sunt cap. leuitas, & sensuum alacritudo, oculorumque læuor ateseens, ora nareſque excrementis vacant fœdis, interim nec frigore, nec calore caput afficitur.

Quæ à siccitate calori coniugata proficiscuntur, dignosces ex his; quæ præter cætera etiam æstus, & incendij notas præseferunt, sitis adest, oculi circa canthos vruntur.

Ab humore salso nitroso inuectas arguunt nares non emunctæ, sed pendente syria graues, lippientes oculi, sensus modicæ grauitatis, & si vigiles tandem somnos petant, citòque expergiscantur non sine oscitatione, & pandiculatione, eam præterea causam facilè monstrare potest præteriti victus ratio, ætasque iam obsoleta.

At verò si cruditas, aut conficiendi cibi difficultas, aut lumen vigilias peperierint, ipsæ eædem causæ signa euadunt, pariterque dolores, intentæque cogitationes morosulæ.

De

De Curatione.

CAPVT VI.

EVigilanti à siccitate præscribenda sunt humectantia alimenta, & maximè balnea temperata, quibus si non succedat somnus, caussa insolam siccitatem non est regerenda, sed caussari oportet malam corporis temperiem, atque humorum ad caput polyndromen, quos balneum calore excitauit, proin necessum est, ut laborans in apathea sit nihil molesti cogitans, nec uenere, nec actione corpus exerceat, sed summa tranquillitate teneatur, caputque continuè ol. humectantibus oblinat, sibique muliebre lac super caput emulgeri sinat, in nares, auresque ol. nymphæatum infundat. Pedes leniter affricari, titillarique patiatur.

At si siccitati calor maritetur, malacticis, humectantibusque refrigerantia ad coniugium dissoluendum adijciet, qualia sunt cucurbita, portulaca, mucidus psyllij lentor, semperuiuum, pastoria-virga, atque inter hæc hypnotica censetur & gratus susurrus, aut in peluim cadentis aquæ murmur, aut obstrepentis populeti aura. Vigilias verò, quas dolor peperit, sola indoloria pellunt, aut ea, quæ doloris caussas respiciunt, quæ propriis locis sunt disposita.

Vigilantibus verò ob febriles, æstuosos halitus detur diacodium, facies papaueris, nenupharis, lactucæ, violæ iusculo irroretur, frons, & tempora ol. papauerino, & lactucæ madefiant. Sorbitionibus intermisceatur emulsio sem. papaueris albi, & quandoque narcotica sufficiuntur, vt somnus hinc concilietur promptiùs. Huc faciunt trochisci de croco dissoluti in aq. ros. aut D. papaueris, & lactucæ fronti, & temporibus inducti.

Inter vsu probata illud maximè confert, quod fit ex casia lignea, opio, crocoque dissolutis rosaceo, quo nares intrinsecùs oblinendæ. Illud pariter experimento constat mirum in modum prodesse, nimirum epithema ex papaueris corticibus, & radice mandragoræ concinnatum, inductumque temporibus, etsi eadem decoctio angusti oris vasculo includatur, & identidem subolfaciendæ offeratur, idem præstabitur commodum, qui verò vel opium, vel mandragoram ad pondus grani orobi deuoranerit salubri modo dormiet. *(Huc spectant Ladanum opiatum, & Spongia Guainerij.)*

At si non halitus, sed crassior humor caput incesserit, frons minuatur emplastro facto ex contusis chamæmello, melilóto commixtis cum sapa dilutissima, præterea inter reliqua, quæ somnos febricitantibus, nec non alijs conciliant, illud maximè confert, vt scilicet extrema vsque ad dolorem vinciantur, vt lucerna polymyxos ponatur, vt adstantes mutuo colloquio consideant, subinde repentè vincula soluantur, lampades subtractæ extinguantur, silentium intercedat, ab his enim vigiles somnos carpunt:

Rectorum stabilis vigilum nictatio somnus.

inquit Hippocrates; si præcipiatur, ne ægri dormiant, sed apertis stent oculis, faciliùs in somnos propendent, quia

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Euigilantibus autem à salsa, & nitrosa humiditate cerebrum infestante salsis, acutisque cunctis interdictum sit: Pisces concedantur saxatiles, & petrosi, Pullastri carnes, & Attagenum, & alia id genus scitamenta; Humoris verò copia pillularum fumariæ vsu, & consimilibus pharmacis imminuenda est, cap. particulatim deplendum, præterea temperatis oleis tempora inspergenda. Si hæc vigiliæ species valdè senibus accidat, difficulter tollitur, non sunt tamen deserendi, sed potiùs cap. embrochæ præscribendæ ex D. chamæmelli, melilóti, hordei, matricariæq; minoris (hanc Manardus vocat Amaracum), nec ad aliud est transeundum, certò enim conciliat somnum, oleaque sunt admouenda naribus, in quibus sampsucus, aut irinum, aut croceum immixtum sit.

Cæterùm cum ex nimia uigilia uiribus metuimus ob dissipationem, cerataria sunt concinnanda ex opio, applicandaque. Quem verò haud immodicæ lucubrationes exercent, satis sit, si corpus excoluerit, & balneo vtatur, si aliquid vapidum præguſtarit, quale vinum est, aut recens amygdala, subinde alimonias solidiores sumpserit, ita enim fiet, vt somnus irrepat.

De internorum sensuum læsione.

CAPVT VII.

VItia, quæ animales functiones interpellãt, & euertunt, sunt manifesta, tribusq; proferuntur, produntutq; modis. Quũ enim sensu cõmuni, & phantasia integris, imagines, & simulachra sensilium, quæ enunciari possunt, non succurrunt, sed dumtaxat tunc in mentem redeunt, vbi quis enunciando memoriam perfricuerit, tunc in postica parte cerebri memoria læsa est. Verùm si aptè recolat, recogitetque, interim quæ muto silentio sunt obruenda, temerè effutiat, sine ratione trepidet, bonum auersetur honestum, malo obuiam eat, desperet, deploretque, vbi spes maxima præsto est, omnino peruerso, & præpostero ordine res concipiat omnes, nec pronunciare, eloquiue calleat, quæ animo cogitarat, tunc mens in media cerebri sede violata fatiscit. At si bellè reminiscatur, & ex benè valentium more sermones edat, nec quicquam inconcinnè patret, aut profetur, sed omnia recta ratione ministret, interim imaginetur

Quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.

nempè flocces carpat, in parietinis bellicas expeditiones, saltantesque capras, & ignea phasmata cernat, aut fluminum mirabiles vortices sibi uidere uideatur, siue vigili, siue sopito hæc accidãt, phantasia, quæ in anterioribus cerebri foriculis stabulat, planè laborat. At si rectricium facultatum vniuersa munera lædantur, tunc singuli ventriculi vitio tenentur, summùm ea primò pars afficitur, in qua facultatis noxa relucet. Nouisseque

illud

illud in primis oportet, hæc officia mutuis stare auxilijs, quare læsa memoria mens quoque labascit, viciſſimque menti vitiatæ reſpondet memoria, ſed hæc non vſque adeò cum mente, quemadmodum mens cum deficiente memoria collabitur. Vt autem vniuerſæ animales functiones frigore minutæ franguntur, ita immodico calore elatæ peruertuntur.

Non defuerunt, qui arbitrati ſunt, ideò functiones minui, quod cerebri ſubſtantia exhauſta ſit, & defecta, quod ſanè apud me non eſt adeò abſonum, aut à veritate abhorrens. Cauſſa verò omnium læſionum aut eſt in cerebro, aut aliundè demandatur, & interdum etiam extrinſecùs, vtpotè à percuſſione, aut lapſu proficiſcitur.

In curandis verò his affectibus ea methodus adhibenda, quam in præceptionibus aliàs præſcripſimus, & pharmaca deſumi poſſunt ex libri ſecundi Areolis, vbi vberrima auxiliorum ſeges apponitur, vnde ea in præſentes vſus colliges, quæ profutura magis ægri rebus arbitraberis.

De ſenſus, & mentis alienatione.

CAPVT VIII.

PRæfatis vitijs & mens aliena refertur, qualem vel atra, vel flaua, aut rubra bilis, aut ſanguis phlogoſim excitans efficit, aut certè merè calida intemperies, aut halitus aliundè ſublatus creat, è quorum numero eſt immodica ſiccitas, vnde cerebri ſubſtantia areſcente innati minuuntur ſpiritus, quare communi organo deficiente ratio amuſſim non pendit. Denique delira redditur mēs per conſenſum à ſtomacho, ab hypochondrijs, ab vtero, à toto denique corpore, vt in febribus accidit.

Interdum deſipientiæ ſuccedunt irrepente in cerebrum noxia, & maligna qualitate ex pedis, aut manus digitis ſublata, aut à corruptæ alicuius particulæ apoſtemate, aut à flaua, aut ab atra-bile, aut à phlegmate in alienam naturam cōuerſo. Porrò

Mitior, & multò ſecurior illa profectò eſt
Deſipientia, quam requies, & riſus abundans,
Quàmquam ſollicitum ſtudium, aut temeraria turbis,
Aſſiduiſque fremens iris audacia ſtipat.

* *Delirium, inquit Sennertus, eſt actio deprauata phantaſiæ, & rationis, (debuit dicere Ratiocinatricis) à phantaſmate abſurdo, & inconueniente orta.*

De ſignis mentis emotæ.

CAPVT VIIII.

SI quis vehementi dolore laceſſitus non indoleat, non angitur, proculdubio mente laborat, ſeu, vt potiùs dicam, ſenſus communis fatiſcit, hic enim pro tribunali ſedens quinque externorum ſenſuum obiecta diſcernit, & diiudicat. Eundem errorem in feb. ſignificat vrina oleaginea, hinc aſſari ſanguinem, ſolidaſque torreri partes proditur.

Delirium verò melancholicum eſt cum timore, & mœrore coniunctum, & detenti perperam res æſtimant, & redundantis melancholiæ ſigna prælucent, quæ ſi cholerę comes eat coniugata ferinis moribus præditam inſaniam committit, at ſi cum nigra bile conſocietur ſanguis, ridiculis miſcetur timor cachinis tumentibus venis. Si à mera bile pendeat lymphatio, phlogoſis, & incendium circa cap. percipitur, mores rixarum, & audaciæ pleniſſimi apparent, ægri ſtare loco neſciūt, ignea phaſmata vident, ſintillant oculi, vruntur hirqui, facies croceo colore ſuffunditur, frons cōtenditur ardens, cauantur lumina, tela quærunt, in rixas, pugnaſque proni proſiliunt. Pernicioſioraque ſigna ſe ſe proferunt, ſi delirium rubea pariat bilis, cuiuſmodi eſt, quod in febribus accidit, potiſſimùm peſtiferis.

Quæ verò calidæ, ſiccæque intemperiei ſine materiæ affluxu propago eſt, nullis ſtipatur indicijs, quæ humorum exceſſum demonſtrent, nec grauitate caput premitur. At verò delirium ex aduſto, & putrefacto phlegmate prognatum hæc ſequuntur ſymptomata, nulla corporis iactatio, ſed ſecura quies, demiſſi, conniuenteſque oculi, quos digitis vix attollunt, in ſomnum propenſio, pōdere premuntur capita, concepta opinio mordicus retinetur, & plerumque ægroti in corpora, & buſta ferarum uerſos eſſe corruptæ imaginationis errore putant. Vt verò in vniuerſum dicam, deliria ex valdè calida, ſiccaque materia vigiliæ comitantur, ex ſanguine verò, aut phlegmate putrefacto torpor, & ſopor. Illa verò alienatio, emotioq; mentis, quæ à vapore aliundè ſublato prouenit, diſtinguitur, internoſciturque ex alterius læſæ particulæ præcedente affectu, aut ex totius corporis infirmitate, ſi ſubſit feb. continens. Similiter ſi pura qualitas noxia efferatur, ex præcedente ſede doloris cognoſcitur.

De Curatione.

CAPVT X.

DE melancholici delirij curatione agetur proprio capite, at ſi deſipientiæ auctor ſit ſanguis, curationem ordiri oportet à venæ ſectione, atque ab ijs etiam, quæ ſanguinem frigore contemperant, Cholericum verò furorem cholagogis, & allioticis refrigerantibus totum corpus, potiſſimùmque caput, & humectantibus de medio tolles, cui perfuſiones, & omnino ea topica ſunt adhibenda, quæ caloris vim retundunt, ſi nihilominùs inualeſcat, Maniacorum more regantur, interim abraſo ſyncipiti perfuſiones ex roſaceo, & ſub quadruplo, aut ſuboctuplo aceto, aut ſi mauis, ex lacte, & violaceo identidem repetantur (ni feb. adfuerit) aut roſaceo, & papauere, ſi maiori refrigeratione opus fuerit, ſed animaduertere decet, quod vbi vigiliæ infeſtant, noxia eſſe ſolent apocruſtica, quia vapores cogunt, & calorem intrò regerunt, quare, quæ capiti ſubalterna præſidia adhibentur, ad purgandum tutiùs omittuntur, ne attractione malum ingraueſcat; Verùm leues clyſmi, qui materiam deorſum detrahunt,

trahunt, vt tutiores, ita vtiliores sunt.

Cæterùm si mens per sympathiam lymphata bacchetur, eo studio succurrendum, vt caput roboretur, & refrigeretur, materia sursum repens in aduersum reuellatur. Verùm cum aliquis desipit, insaniaque tenetur citra cap. manifestum calorem, aut apostematis suspicionem, tunc vt resipiscat amens, colaphis cædendus, & plagis malè accipiendus, vt ad se redeat.

His si nihil promoueris, quatuor capiti cauteria cruciatim, aut per decussim inurere expedit. Vniuersim verò confert cap. eorum perfundere, D. pedum, & cap. veruecis, aut vituli, sed frequentissimè profuit Vitis-alba ex iusculo ebibita, aut comesta per aliquot dies dulcibus intermixta malis, vt eius abominabilis sapor temperetur.

De stoliditate, & Amentia.

CAPVT XI.

QVamquam omnis desipientia ratiocinantis animæ functionem vitiat, attamen, (si presse acribæsque loqui velimus (inter deliriũ, & stultitiam interest, licèt enim vtrobique medius cerebri ventriculus afficiatur, in delirio intelligentis animæ munera deprauantur, in stoliditate, & amentia franguntur, delibantur, aut delentur perinde, ac quibusdam decrepitis senibus, qui ex grandi ætate mente vacillant: Scitum est enim, officia facultatum tripartitò violari. Talis autem stultitiæ causæ sunt, aut simplex frigus, aut cum siccitate coniunctum mediam capitis regionem inoccupans, quod sanè succedente tempore ipsam Palladis Arcem inuasit, & obsedit, aut certè frigiditas cum phlegmatica materia in cerebri meatibus coniugata. Huiusque vitij origo omnino frigus est, non calor, quoniam vires minuuntur, aut penitùs abolentur, calor autem spiritus ciendo ab anteriore vẽtriculo ad posticum, viciſſimque à postico ad anticum discursum facit, si quidem caliditas mouet, incitat, agitat, at frigus torpet, stipat, stupefacit, & immobile reddit; Propterea sagax natura medij cerebri temperiem ad caliditatem decliuẽ effecit, ut spiritus ab imaginatrice ad memoriam, viciſſimque à memoria ad imaginatricem ciere, & sistere possit: Scitum enim est, diuerso situ distingui hasce vires, & suis quasque locis reponi.

Hæc ægritudo calfacientibus cerebrum, & si comes eat siccitas, humectantibus additis, auferetur; Hic verò calidissimis pharmacis opus est, nẽpè helleboratis, atque ipso helleborismo, si subsit cõgeneris materiæ labes, quin & vomitiones scyllimo oxymelite, & D. raphani proritandæ. His peractis tenor Diamoscho, theriace, Mithridatio, Triphera, & alijs id genus erigendus, frustra enim repetimus, quæ aliàs inculcauimus. Interim ægri luminoso domicilio collocentur.

In vniuersum verò iniungendæ sunt vigiliæ, tenues, tenuantesque alimoniæ, assæ potiùs, quàm elixæ carnes, iurulenta proscribenda, præscribendaque ea omnia, quæ tenuem, temperatum, mediocriterque calentem sanguinem reddunt, maturè tamen id præstandum, ne ferueat, ne æstuet impendio, sed subtilis, luciduſque sit, cætera temperatus; talis enim, vel Arist. teste, uim intelligendi potiorem habet, mentemque perspicacem efficit.

Nihil verò peræquè intellectui, atque vniuersis animi officijs noxium, & pernicioſum est, atque crapula, & nimia satietas, & humectatio à repletione; siccitas autẽ officit; non quà siccat, sed quà spiritus alacriores, & perniciores reddit, quò fit, vt crebro agitatu conciti resoluantur, deficiantque.

* *Fer. Morosis est imminuta, seu infirmata mentis functio, cen quædam ignauia. Amentia est imaginationis, seu mentis occasus, & priuatio.*

De vitiata memoria.

CAPVT XII.

OBliuio (læsæ memoratricis symptoma) quadantenus cum stoliditate conferri potest, sed hoc discrimine distinguitur, quòd in posteriore parte cerebri residet, vbi aut deficit, & oscitanter refert species, aut omnino feriata marcescit (neque enim deprauatur memoria, vt velle videtur Arist. vbi ait memoriam aliquando solœcismum committere dum perperam recolit.) Huius vitij Galenus nullam aliam agnouit causſam ipsa frigiditate mera, aut siccitati cõsociata priorem, quò fit, vt nulla species ob organi duritiem imprimatur, aut sigillet, quæ si immodico sit coniuncta madori, admissa simulachra quam mox diffluere, delerique sinit. Argumento verò est adesse siccitatem cum frigore, si agrypnia molestet, si longè præterita faciliùs memoriam subeãt, proximè verò peracta, aut percepta vix ad memoriam reduci queant. Frigoris autem sociam esse humiditatem, illud est maximum indicium, quòd perpetua somni necessitate teneãtur, quòd paulò ante visa recogitent, licèt præterita non recolant. At si pura frigiditas obliuionis causſa sit, vna & stupor, & scotomia fatigant. Quòd si huiusce vitij parens sit calor cum siccitate coniunctus, vna cum Mnemasyne turbatur vertice Pallas. Cæterùm intemperies istæ, aut cerebri posterioris ipsam substantiam, aut ventres, aut meatus, & semitas animæ afficiunt.

Sed enim interdum & noxij humores, & frigidę tempestates hoc idem malum inuehunt, hoc verò non modò Veterum authoritas, sed ipsa experientia verum esse probat. Scire tamen licèt, obliuionem vt plurimũ à frigoris, & humiditatis coniugio proficiſci, quæ aliquando & à frigido apostemate producitur. Illud

Cum primis alta, solidaque est mente tenendum,
Quòd cum Mnemosyne sanis collabitur vltrò,
Pandoram generat, morborum scilicet amplas
Myriades, morbumque sacrum, lentumque veternum,
Carumque, attonitumque, & multa pericla minatur.

De

De Signa.

CAPVT XIII.

SIgna ex præfatis patent, quare non est, quòd frustra repetantur, & tautologias vitium committatur.

De Curatione.

CAPVT XIIII.

PRofectò ille memoriæ lapsus, qui aridæ thermasiæ soboles est, facilius multò curatur ijs præsidijs, quæ cap. de dolore à calida, siccaque dyscrasia commemorauimus. Qui verò ab vna siccitate prouenit, humectante diæta tollitur, pectine, & fricti studiosè capillitio exculto, gymnade, & actione corporis sedula, vsque ad cibi appetentiam, quò multum cibi assumat laborãs, & tranquillitas succedat, & somnus, qui balneo etiamnum repente promouendus. Adhæc blandè calfaciendum caput: Huc faciunt siccæ cucurbitulæ cap. admotæ & synapismi, & cauteria duo in inio, qua parte caput collo committitur, inusta. Vsus item perfusionum ex iusculo pedum Arietis D. chamæmelli, & meliloti, quemadmodum & oleum liliaceum, & narcissinum, & Keirinum conferet.

Quòd si affectus frigidum, humidumque recrementum parens fuerit, hoc ipsum ante omnia notis phlegmagogis repurgandum, præmissa protherapia, & decenti præparatione per serapia, quę calfaciant, & incidant, sed inter mitiora aphæretica præire par est, quæ hieram, colocynthida, castoreum admittunt, subinde ad ea faciendus est gradus, quæ & helleborum, & diagrydium recipiunt, vt Magnæ Hieræ. Denique ad alliotica, & roborantia accedendum, & si reliquum corporis temperamentum haud torretur æstu, Anacardina confectio administrari potest, quadam enim prærogatiua tùm ad memoriam collapsam reparandam, tùm ad rationem confirmandam præcellit. Hinc etiam ad topica calfacientia, & roborem inducentia, ad suffitus, ad errhina, ad odoramenta pergendum.

Sed caue, ne confertim calfaciendo nimium afficeres, namque & nimia siccitas officit, quare prudenter agendum, & pedetentim procedẽdum, ne cum ascititia etiam radicata humiditas absumatur, exhauriaturque, huic enim dissipatæ frigus succedit, quoniam sublata supposita substantia, quæ innituntur, vna euanescunt, & contraria inducitur dispositio, hinc fit, vt memoria funditus pereat.

Ad hæc collocandi immemores lucido habitaculo, quibus accisa diæta iniungenda, ne crapulis madescant, nec se pluuio, vliginoso, frigidoue cœlo, nec ventis liberè exponant; Nulla prorsus aqua caput irrorante lauetur, nam si tepens fuerit, mollit, & effœminat caput; si frigidior, spiritus extinguit, & stuporem, narcosimque inducit (quamquam non desint, qui scripserint, hinc caput mirificè corroborari, si æstuante cœlo frigida lauetur.) Quamobrem si plethora præsens infestauerit, victus frugalis, tenuisq; instituatur. Porrò ea omnia alimenta sunt declinanda, quæ caput vaporum copia petunt, & soporem inducunt, vt sunt legaria ferè omnia, fabæ, fasioli, lactis genera, cæpe, allia, & alia id genus. Nihil verò ipsa temulenta turpitudine nocentius, quare cane peius, & angue meracius vinum vitandum, sed olygophoron, modicumque ebibendum, sic enim spiritus multiplicat, roborat, lætificat, quare arceri potest aqua, quæ luculenter ingurgitata deterior vino euadit,

Nympha locũ Baccho concedat plurima panco,
Seu mixtum coeant, comperiantque modum.

Inter reliqua præcepta, & illud est maximè obseruandum, quòd somnus pomeridianus, & vniuersim somnus omnis post repletionem, & crapulam admodum noxius est. Sed neque vigiliæ conferunt, vbi fuerint immodicæ, quia tùm spiritus digerunt, tùm caput vaporibus opplent.

Quæ verò peculiari vi creduntur memorię proficere, hic adscribenda sunt, & sanè vsu comprobata. In primis itaque censetur condita radix acori, piper longum saccharo contectum, hæc confectio. ℞. olibani, Cyperi, piperis albi, croci, myrrhæ ana partes æquales. Huius pulueris portio vnius pondere drachmæ quotidie mane deuoretur. Nec minùs hæc ttagea commendatur. ℞. piperis partes duas, cymini tantundem, sacchari albissimi partes tres. Huc facit & ille puluisculus quotidie ieiuno stomacho è vino, aut iusculo epotus, fit ex olibani ʒ. j. piperis script. 4. Concinnatur & electarium in hanc rem mirabile. ℞. Cymini ʒ. v. piperis ʒ. j. Acori ʒ. ij. cyperi, myrobal. kebul. ana ʒ. ij. mellis anacardini ʒ. j. mellis simplicis Hispanici, aut Cretensis omnium duplum. m. & fiat secundùm artem electarium. Si plura cupis, alibi petantur vberiùs exarata. Ille verò memoriæ defectus, quem apostemata excitarant, ea ratione, qua phrenitis, coma, aut vetemus, curantiam admittit.

De corrupta imaginatione.

CAPVT XV.

PRidem causas, & signa vitiatæ phantasiæ præfati sumus, quæ iterum altiùs repetenda; Quoties igitur prauè afficitur, vitium residet in anteriore cerebri ventriculo, ægrique omnigena, & impossibilia animo voluunt, & effutiunt, hocque prouenit ob bilis retortidæ appulsum ad cerebri partem anticam, aut certè ob calidæ intemperiei hyperbolem citra materiæ affluxum, quò fit, vt deprauetur actio. Interdum minuitur, deficitvè, quod sanè contingit vbi visa, & imagines rerum concipit, & versat, vt parum absit, quin cõceptæ iam sensilium formæ, & species è memoria exciderint, quales sint, qualique figura, & habitu se se oculis retulerint; causa verò fere eadem, quæ minutæ memoriæ est, verumtamen hoc interest, quòd vt plurimùm memoria deficit ob frigoris, & humoris excessum, rarò ob siccitatem,

hic

hic autem à contrario se res habet, siccum enim impedimento est, ne imagines citò imprimantur, & cieant phantasiam, quam ea de caussa natura in cerebri antica parte locauit, vbi mollities, & teneritudo viget, vt formæ nullo negotio sigillent, & appendantur phantasiæ. At memoriæ organum de industria durum effectum est, ne imagines citò diffiliant, diffluantque, sed potiùs semel impressæ diutissimè conseruentur.

Errat verò phantasia tùm in simplici sensilium apprehensione, tùm in compositione, & diuisione, in simplici quidem apprehensione, dum secus, ac res habet, imagines susçipit, (quamquam hic nullus error adesse creditur) in compositione, dum absurda, & incongrua connectit, aut congrua subtrahit, tanta enim est phantasiæ libertas, vt integrum sit ei, quælibet effingere. Sed de his non est, cur hic edisseramus, cum ad Physicum spectet.

Cæterum si nosse cordi sit, vtra magis, siccitasne, an humiditas culpanda sit, somnus, atque vigilia in primis testabuntur, emunctæ, aut mucidæ nares, oculi lippientes, aut limpidi, lachrymis, lippaque carentes, item lingua saliua madens, aut ariditate hians. Facilè autem cognoscitur deprauata vtrum à melancholia, an à cholera, similique intemperie proficiscatur, ijs notis, quas sæpiusculè narrauimus.

Curatur ea methodo, quam cæteris cerebri affectibus instituimus. Scire tamen decet, localia esse admouenda super coronalem suturam, & cucurbitas, & frictiones in anteriore parte adhibendas esse.

De Mania.

CAPVT XVI.

Est Mania furor sæuarum more Ferarum Terribilis, refertque Canum, modò gesta Luporum.

Canum quidem mores refert, vbi ægri ira perciti ardescunt, simulque tripudijs delectantur intermixtis, iocisque, & insolita manuum gesticulatione blandientium instar Canum homini palpũ inducunt, vt placeant, vt arrideant, vt fallant.

Notandum verò, quòd materia committens lupinam insaniam est de genere materiæ, quæ melancholiam morbum parit, quoniam vtreque sunt melancholicæ affectiones, sed quæ Maniacum furorem inuehit, ex alterutrius bilis adustione prouenit, quæ verò melancholiam committit est humor ater naturalis superuacuus, aut adustus quidem, sed prognatus à phlegmate, aut sanguine puro. Et sanè perrarò ab adusto phlegmate mania pendet, quamuis melancholia frequenter, quæ vt plurimum ex naturalis melancholiæ præsentia in vasis, & anteriore cerebro incrementa capessit. Quare vt in phrenitide, ita in melancholia super coronalem suturam admouenda sunt topica remedia. Præterea melancholicum delirium vsque mœrore, & formidine sine corporis agitatione stipatur: Ast maniacum perpetuo agitatu, saltu, sollicitudine, studioque aliquid manibus carpendi delectatur, luporumque more correpti dente petunt, mordent, laniantque, quidquid obuium it, quin humanam exuunt effigiem, & induunt ritus, rictusque lupinos, hacque similitudine ei comparatur phrenitidi, quam paulò ante dæmoniacum appellauimus furorem, sed vt in phrenitide perpetuò febris ardet, ita in Mania tarò.

Canina verò Mania est sociabile quoddam delirium, in quo laborantes præsentibus lætantur amicis, eisque prorsus audiunt, & ex præscripto etiam conuenienter agunt, nec contentionibus, rixisve delectantur, & hæc maniæ species à sanguine promanat, feruidiore tamen, accidítque frequenter Autumno, quò tempore plurimus affatus sanguis inæstuat, vere tamen, & æstate laceßit præsertim loca colentes aquilone perflata, quia hinc capita facilè inarescunt. Hac ægritudine implicitis si hæmorrhoides superueniant, aut varices, morbi fit solutio, itidem hydrops succedens hanc maniæ speciem de medio tollit, maximè si iecoris æstus tanti sit criminis auctor: Nonnunquam etiam vomitio profuit, vbi ventriculus culpa se se obstrinxit eadem, nempè aut aliundè adustam susçepit bilem, aut peperit.

* *Fer. mentis alienatio furoris, irarumque plenissima.*

Capinacceo est functio corrupta principalis cerebri pendens ab affectione ignea, ex vsu affecto cap. citra tumorem.

Mercato dicitur. Princeps functio deprauata propter feruidam cerebri sine tumore caliditatem.

De Vniuersalibus Maniæ signis, & de eius speciebus.

CAPVT XVII.

MAniæ Catholica simia sunto, permutati, alterni, instabilesque mores, instantis verò, ephialtes noctu frequentior irruens, ingrauansque, calor capitis insolens, varices, sanguisque, si mulier sit, in vbera affatim refluens, vbi coactus concrescit, hæc enim non modò sanguinis affluentiam, sed eiusdem etiam perniciem indicant, primùmque in membro aliquo caloris natiui penuria alieni victoria sanguis corrumpitur, tum labes inuritur cerebro. Quòd si mania iam præsente, vitiatus sanguis ad pedes relegetur, varices superuenientes maniam soluere consueuerunt. Præterea mania in statu acutarum seb. emergit, & crisim portendit, & si peptica signa præcurrunt, bonam testatur crisim. Aliquando maniæ hyperbole solutionem denunciat, iuxta illud Hipp. *Maniæ extasim superuenire bonum*, est enim futuræ criseos signum.

Cæterùm Maniæ ex adusta melancholia promanantis indicia sunt quidem ferini mores, & hostiles, sed non tanta corporis agitatione iactantur ægri, quin cogitabundi, & solliciti admodum consistunt, sed vbi mouentur, & alloquentes se auscultant, stant, prolataque recogitant, & intus mussant, at si comminùs irritentur verbis, si

preſſiùs vrgeantur, vix euades, quin vberrima fandi, atque nefandi garrulitate aures obtundant, nec iuuat ſilentium garrientibus indicere. Interim ſqualida macies oſſa denudat, pullus color ora decolorat, ſomnia terriculamentis deterrima infeſtant. Vomitus acidæ, atræque bilis, quæ ſolum fermentat, fatigant. Quòd ſi atra bilis ſit choleræ exuſtæ propago, vt ocyſſimè incandeſcunt, & rixantur, ita facilè obiecti moleſti obliuione capiuntur, ſtare loco neſciunt, tumultuantur, iriſque, rixiſque exardeſcunt acerbis.

De Maniæ curatione.

CAPVT XVIII.

SI ſubſit plethora, non potes, quin cæſa cubiti vena ſanguinem mittas, ſi flauæ bilis excedentis indicia, vrina, oris amaror, & luteus color præbeant, D. epithymi, aut myrobalanorum aluum citare conuenit. Si cauſſa ſit pura melancholia, D. epithymi drachmarum octo pondere vtere cum ſyr. acetato, & pill. de lapide lazuli. Depleto ſic toto corpore ad ſubalterna deueniendum eſt, quòd ſi ſanguis copia peccet; aut melancholica ſubſit plethora, mittendus ſanguis cæſis ranulis, totuſque nigræ bilis lucus ſubducendus hiſce pillulis. ℞. Hieræ picræ, epithymi, ſtœchados ana ʒ. ij. ſcammonij, myrobal. citrearum, & nigrarum ana ʒ. j. M. cum ſucco roſarum, & f. maſſa pill. e qua pro vice ſcriptula quatuor deuorentur identidem. Huc quoque faciunt pill. quæ conflantur ita. ℞. epithymi, polypodij ana ʒ. v. lapidis Armeni præpar. myrobal. Kebul. ana ʒ. j. ſtœchados ʒ. x. ſalis Indi, pulpæ colocynthidos ana ʒ. iij. myrobal. belliricarum, emblicarum, thymi, hellebori nigri ana ʒ. ij. turpethi gummoſi ʒ. xx. confingantur in catapotia cum oxymelle. Præterea gargarizonta ex ſcammoniato oxymelle præſcribenda. Caue interim, ne frequentiùs pill. de lapide lazuli utaris, ſed tandiu, dum æger leuatus videatur, & ſi præcalido temperamento ſit præditus æger, illis parcendum. Purgato corpore, & deturbata materia, alliotica ſunt vſurpanda, quæ caput refrigerent, & humectent, quare perfuſiones vel quinquies ſingulis diebus ex iuſculo cap. & pedum Veruecis repetendæ, emulgendumque ſuper eraſum caput ab vbere lac, crudumque butyrum inducendum, nam maius humectandi ſtudium eſſe debet, quàm refrigerandi, quòd ſi vehementer humectantia ſociam frigiditatem affiſcant, hanc ammixto chamæmello infringere memento. Et, vt ſomnum concilies, tabellæ Diacodij vnà cum dulci punici Mali ſucco offerendæ ſunt, vt humectes, aut cum iuſculo prunorum, aut cum aqua hordeacea, vt aluum lenias. Quæ ſi non pro ratione ſomnos illexerint, perfundendum erit caput aqua decoctionis papaueris, cui nonnihil chamæmelli ſit adiectum. Oſea eiuſdem generis ſunt adhibenda, maximè ol. lactucæ, quibus ordine adminiſtratis mandandum, vt æger ſe ſe ad dormiendum componat.

Interim pro potu aqua hordei identidem propinanda, refrigerat enim, & humectat, illæ verò potiones, quæ mel admittunt, abdicandæ ſunt, ceu noxiæ, afficcant enim, & incidunt.

Cum verò aluus minimè officioſa fuerit, leni clyſmo ſollicitanda, ne vapores ab aluo ſurſum reſpirent. In apozematis verò ad ciendas vrinas incoquendæ radiculæ, ſeminaque agreſtis fœniculi, (Hippoſelinum vocat Manardus libro 9. epiſt. 2.) & Vitis albæ, quoniam hoc nomine proſunt, dummodo quotidie ad ſcript. iij. præbeas. Quæ ſi recuſarint lymphati inter condimenta condantur, vt ea ratione decepti decerpant, quòd maximè refugiunt.

Adhæc ceriti iſti coram viro teneantur, cui vel uirtutis, vel beneuolentiæ, vel magiſtratus cauſſa obſequium reuerenter præſtent, præterea extremis pedibus aſſiduè ſunt injcienda vincula, vt vapores ſurſum reſpirantes deorſum auertantur, multos enim vidimus hac ſola cura leuatos decumbente ad crura materiæ nequitia. At ſi adeò inſani, & furentes ſint, vt periculum impendeat, ne in ſe violentas inferant manus, fibique mortem conſciſcant, compedibus, manicisque conſtringantur adactis, inque caueas ferreas intrudantur, atque è feneſtris, ſi lubet, appendantur è fune, vt Puelli, qui iocos, & ſolacia per corporis commotionem quærunt, dum ſuper duplicem reſtim trabibus, aut iuglandis ramo alligatam ludentes vltrò, citròque ſe iactant, nempè petauro ludunt.

Ad hæc humectis dapibus nutriendi ſunt, caue tamen ne obſtructiones pariant, vt Amylum, vt embammata ex lacte concinnata, & id genus alia: Caue item, ne validiora diuretica propines, ſiquidem noxia eſſe conſueuerunt. In reliquis melancholicorum therapia vtendum. Declinante malo, vinum lymphatum concedere licet, nam plurimùm humectat, & ſomnos allicit. Adde, ſpiritus inde alacriores fieri.

De Melancholia morbo.

CAPVT XIX.

MElancholia * eſt affectio, in quo humana cogitatio præter morem, & conſuetudinem deprauatur, & timor, & triſtitia ſine cauſſa ſollicitum tenent animum, hocque accidit propter frigidam; ſiccamque intemperiem, quæ animalem ſpiritum ruſtica quadam, & tenebroſa labe contemerat, hinc formido animam non ſecus percellit, atque tenebræ externæ horrorem incutiunt, quod viſa ſub ignoti ſpecie ſe ſe obijciunt, frigida enim, & ſicca intemperies tota diametro ſpiritui aduerſatur, quemadmodum calida, & humida conueniens eſt, propterea vinum propter analogiam ſpiritus multiplicat, & roborat. Et cum melancholia annexas habet rixas, contentiones, & iactationes, tunc facilè in maniam degenerat, ſi quidem ab aduſta melancholia prouenit.

Melancholiæ porrò cauſſa, aut ipſi cerebro inſi-

der,

det, aut dissidet, si cerebrum obsidet, aut est frigida, & sicca intemperies mera, quæ animalem spiritum simili qualitate afficit (est enim tum spiritus, tum cerebrum diaphanes) hincque, vt priorem naturam mirum in modum spiritus cãbiunt, ita viduantur lumine puro, Aut intemp. materiæ nubit, quæ aut aliunde per venas in caput defertur, in eoq; in atram-bilem ob adustionem, quam hic nancisci tur ex calida intemperie, facessit, & secutina euadit, hocq; frequenter accidit; Aut materia ipsi substantiæ cerebri inhæret, vtque noxia qualitate crasim soluit, ita substantiæ crassamento claritatem, & diaphanum ceu nubes opacat, hincque in ventres aliquando effusa sacrum parturit morbum.

At verò sæpè ex causa extra cerebrum posita enascitur, quæ tamen sub vaporis specie cerebro præsentatur, & spiritus inumbrantur; Melancholicus ergo humor huiusce affectus genitor, aut toto corpore redundat ob melancholicam complexionem, aut certè malè affecti lienis causa per synachrismum, cum scil. ob imbecillitatem excrementa conterere, & amandare, aut fæculentum à massa sanguinis secernere non est potis, siue tumore quopiam, siue infarctu, siue alio quouis vitio laboret, quò fit, vt suo supersedeat officio, quod est sanguinem illimem, & defæcatum reddere, succus is melancholicus multò cumulatior ob nimium hepatis æstum congeritur.

Nonnunquam huic morbo hypochondria cunabula præbent, cum hic superuacua retrimenta subsistunt, & inculcata vruntur, deficiuntque in nigræ bilis ingenium, & incendium quoddam excitant, quare dum intus deflagrant, vaporũ multa supellex ad caput effertur, vnde spiritus similiter, atque cerebrum offunduntur, & offenduntur, hæque melancholia hypochondriaca, seu flatulenta appellatur.

Et sanè inflammatio, vnde anathymiasis sursum respirat, seu potiùs ardor in ipso Pyloro, in meseraicis vents, & circa hepatis concaua gliscit, vbi sanguis adustus, & adactus inæstuat, & hanc causam hipocondriacæ melancholiæ Galagnouic. Sed Theophilus in validam hepatis, & intestinorum calidiratem causam retulit. Quidam meseraicarum infarctorias obstructiones, quidam incendium causantur. Quicunque verò mulcam Meseraicarum obstructionem esse flatulentæ melancholiæ originem animo duxerit, idem chylum rectà ad iecur peruadere non posse, sibi persuadeat, quare coercitus, & inculcatus remeretur, oportet. Qui verò crediderit subesse abscessum, idem sibi persuadebit, nutrimẽtum longiore mora contracta crudescere, & circa præcordia stagnare, quom præcalidæ materiæ fatu, febre, siti, bilis vomitione, exterisque stomachi fastidijs absentibus, apostema aggigni nequeat.

Ab alia etiam causa extra cerebri fines posita, puta ab apostematis æstu stomachum occupantis moritur, quom vapor hinc in cerebrum sublatus eius humiditates exurit, & id agit, ut in atram bilem desciscat. Idem accidit, si obsidet uterum, aut aliam quampiam particulam, qua cum cerebro sympathea conueniat.

Melancholiæ à frigiditate sicca citra materiam profectæ fons, & origo cor quoque ipsum est, vbi melancholica temperatione præditum est (subsit verò congener materia, necne, nihil refert) trahitur enim quam mox in consensum cerebrum, quia animalis spiritus fit ex substantia vitalis, qui cum frigidus fit, & siccus (hoc autem non absolutè dictum volo, est enim calidus quicunque spiritus, sed quodammodo comparatè) vt simili natura constat, ita cerebrum eadem labe delinit. Aliæ etiam causæ refrigerantes, & obsiccantes extra cordis complexionem idem malum inuehere possunt, sed vix tantum perniciei produci potest, quàm cor ipsum in consensum commercij lege trahatur, & proin in hoc affectu soli cerebro vacare, neglecto corde nefas est, cui in primis consulendum censeo: Etenim si sanguis in corde sit temperatus, clarus, tenuis, micans lætificat, & cerebri nequissimæ dispositioni non modò resistit, sed reclamat etiam, & emendat. Quare non est mirum, si melancholicus affectus à corde vt plurimum originem trahit, & subinde in cerebro formam induens consistit. Equis enim est per Deum, cui nouum sit, & insolens, summam inter cor, & cerebrum intercedere sympathiam, adeò vt mirè sibi uicissim consentiant? Quare si cordis complexio de gradu deijcitur, in ruinæ societatem trahitur & cerebrum, vicissimque si cerebrum primò de tenore suo cadit, cordi communicatur incommodum.

Idem de spiritu dictum volo, etenim si tristis, pauidusque h. e. turbulentus, paucus, & crassus in cordis thalamis resideat, idem ad cerebrum migrans similem animalem spiritum gignit, & cerebrum ipsum pari conditione afficit, quò fit, vt malum veluti redeat in orbem.

Hinc fit, vt sub finem acutorum morborum, quos noxius humor peperit, atra-bilis sequatur, hinc ægris mortui, morteque semper obuersantur, & huiusmodi tristitiæ intus conficiunt, quod sanè est lethale signum, hoc enim accidit, quòd calor natiuus, & spiritus extinguuntur, suoq; spoliantur honore.

Vt autem in vniuersum dicam, atræ-bilis prouentus, aut opificis vitio accidit, nempè iecoris, tui ex officio chymum producere, & singulis partibus alimentum conficere incumbit, quum scilicet sanguinem vrit, & atrum reddit, aut vbi melancholicum excrementum non digerit, ablegatque, quod sanè minùs malum est.

Deinde accidit etiam lienis maxima culpa, cuius partes sunt limum attrahere, & sanguinis massam illimẽ, & fæculentæ materiæ puram reddere, & detergere, quum igitur, aut tale recrementum non allicit, aut illectum non ablegat, non disjcit ad inteſtina excludendum, atra-bilis cumulatissimè congeritur, aggregaturque, pariterque incrementum susceptat, si patticulatim in membro aliquo sanguis in alimoniam attractus exuritur, aut superuacua nutrimenti excrementa non excernuntur, ita enim fit, vt diutiùs detenta tenui parte soluta reliquum in fæculentam crassitiem succedente frigore, & siccitate desciscat. Huc faciunt esculenta, quorum maxima copia est,

quæ atræ-bilis prouentum pariunt.

Eò etiam Medicorum diligentia peruenit, vt huiuſce mali cauſam in Cacodæmonem deriuarint, ſed mehercle nihil hoc moramur nos, qui Phyſicos agimus, & naturales cauſſas, & proximas perſcrutamur, quare ſiue Diabolus committat, ſiue non committat hunc affectum, nihil refert, certò enim ſcimus, ſi calumniator ille huc interueniat, ab eo melancholiam morbum, ni congreſſu, admiſſuraque atræ-bilis, induci non poſſe, qua ceu proprio inſtrumento vtatur ad infatuandum. Faceſſat igitur communis illæ naturæ hoſtis humanæ, & in ea mundi latera ſecedat, quæ nebulæ, & malus Iuppiter vrget. Inter reliquas cauſſas nulla fortaſsè mœrori, nulla formidini præſtat.

Illud nullo modo prætereundum, quòd morboſa hæc affectio nonnunquam à naturali humore melancholico inducitur, interdum à phlegmate ob craſſitiem, qua comparatur, æquiparaturque terreſtri ſucco, & eius redolet naturam, aut certè ob aduſtionem, quamuis hoc infrequens accidat. Sæpius à ſanguine leuiſſimæ aduſtionis non experte, craſſefactoque prouenit. Atqui flaua bilis, ſi exuratur, non melancholicum, ſed maniacum protinus parit furorem. Vnaquæque igitur atræ-bilis ſpecies, ſi in cerebrum irrumpat, melancholicum excitat pathos, & aliquando etiam nonnullæ, ſi impenſius torreantur

Maniacos generant Bacchantum more tumultus.

Illa porrò atræ-bilis ſpecies minùs incommoda eſt, & ſanatu facilior, quæ à fœce ſanguinis producitur, & riſu, lætitiaque quadam ſimulata ſtipatur. Hæcque vt plurimùm euntibus hæmorrhoidibus, aut ſuperuenientibus varicibus ſoluitur, euaneſcitque.

Porrò hæc ægritudo ferrugineo colore, ſaturatoque rubore ſuffuſos, hirſutos, hiſpidoſque, & ſtrigoſos frequèns inuadere ſolet, nitentes uerò, pingues, & candidulos ratiùs adoritur. Omnium frequentiſſimè melancholijs implicantur, queis cor retorridum exardeſcit, cerebrumque vueſcit, flagrans enim, eſtuanſque cor plurimum atræ-bilis ingenerat, quam caput vdum promptè ſuſcipit. Præterea opportuni ſunt huic vitio Trauli, alcillogloſſi, omninò blæſi, & qui nimium delicatuli nullos patiuntur ſales, nulla ſibi dicteria obtrudi volunt, ſed de nihilo corripiuntur iris, qui crebriuſculè annictant, quibus facies ſaturato rubore rufeſcit, quorum meminit Hipp. dicens,

Faciei color bonus, & triſtitia multa, malum.

Quibus ora liuent, pectus pilorum ſegete horreſcit, quibus pendula grandia labra redundant, venæque tumentes turgent. Quædam enim horum flagrantia retorridum cor ſignificant, quædam cerebrum nimio madore vuidum, huiuſmodi autem præſeferunt phlegmaticam ut plurimùm naturam.

Cæterùm hæc ægritudo frequentiùs viros infeſtat, quàm mulierculas, quæ ſi implicentur, deteriùs habent. Porrò quod ſpectat ad ætates, conſiſtentes, & ſenes ſæpiùs corripiuntur, ſæpiùs autumno, & æſtate, quàm hyeme, Vere etiam crebrò excitatur, tùm quia ver calidum fundit humores, ſanguinique commiſcet, tùm quia ad penſum aucti ſanguinis melancholia ſufficitur, cæteri enim inſunt poteſtate.

(Philoteus putat, quòd atra-bilis autumno producta, hyeme coercita, veris tempore fundatur.)

Morbus is ſuis inſultat periodis iuxta bilis-atræ idiotropiam, feruetque, & concitatur, tantòque faciliùs obnoxios aggreditur, ſi formidoloſa triſtitia, & vigiliæ præceſſerint, ſi conſueta aliqua ſanguinis euacuatio fuerit cohibita, aut vomitus, aut deiectio ſubſtiterit.

* *Arethæo. Animi angor vna in cogitatione fixus à phantaſmate melancholico citra feb. & furorem, &c. dicitur.*

Capuaccio eſt functio principalis corrupta cum timore, & mœrore cerebri anterioris pendens ab affectione tenebroſa.

Argenter. dicitur triſtis actio imaginatricis, &c.

Fernelio mentis eſt alienatio, quæ laborans, vel cogitat, vel loquitur, vel efficit abſurda, eaque omnia cum metu, & triſtitia, quæ duo Hipp. indubitata melancholiæ ſigna conſtituit.

De ſignis ſpecierum.

CAPVT XX.

INchoantis melancholiæ indicia ſunt ſuſpicio, falſaque exiſtimatio, panicus ſine ratione timor, iracundia, ſolitudinis amor, tremor, vertigo, aurium tinnitus, borborigmi circa epigaſtriũ, obmurmurantes ſtrophi.

Conſummatæ verò ceu tecmiria ſunt erronea imaginatio, formido, animique angor ſine cauſſa exercens, alieni à re ſermones, ſalacitas, & promptitudo ad congreſſum ob flatuum vbertatem, qui tentiginem excitant, & colem inflant, & plerumq; formidant, trepidantque eorum cauſſa, aut quæ reuera non ſunt, aut ſi ſunt, nullum timorem incutiunt: Et ſanè innumeri ſunt iſti metus, quidam enim, ne cœlum in caput irruat, reformidant, quidam, ne terra dehiſcens deuoret, pertimeſcunt, quidam Reges, aut Rapones, aut Dæmonas meticuloſi effugiunt, alij ſibi cauent, ne Lupus, aut aliud brutum ad ſe accedat. Quandoque in præterita fixam cogitationem intendunt. Interdum ob oculos videre videntur idola, quæ haud exiſtunt, niſi Democrito. Se ſe in Lupos, Reges, Dæmonas, Aues, aut in artificioſum quippiam machinamentum phantaſtico errore fingunt, eorumq; mores exprimunt. Quidam perpetuò rident, vt Democritus, quòd iucunda, & placida obiecta animo verſent, deliraut autem iſti à ſanguinea melancholia. Sunt, qui continenter defleant, & deſperent, vtpote à mera, fæcoſaque melancholia correpti, vt Heraclytus. Sunt, qui è viuis decedere concupiſcunt, ſunt, qui abhorreant vehementer.

Cæterùm laborantis primò, & per idiopathyam cerebri ſimbola ſunt aſſidua cogitatio, ſollicitudo, animiq; ægritudo perpetua, fixus in terram

ram obtutus, immotique oculi, nigrum cap. capillitium, ora liuentia, Lumina veneta, ferruginea que, vigiliæ solito molestiores, fanatieæq; cogitationes, sub sole mora, antecedentes cerebri ægritudines, & alia id genus: Id verò ratum habebitur, si alterius particulæ laborantis signa non præcurrant, vnde in consensum trahi possit cerebrum, aut certè dum laboranti membro medemur, interim cap. affectus nihilo fit leuior, sed potiùs symptomata eadem, aut etiam, si Dijs placet, grauiora se se proferunt.

At melancholiæ per consensionem à toto corpore signa, sunt totius corporis color ater, habitudoque gracilenta, & sicca, suppressa aliqua solemnis euacuatio, siue à splene, siue à stomacho, siue ab vtero, siue ab hæmorrhoide, vniuersũ corpus nigerrimis, setosisque pilis horrescit, antecedens vitæ, victusque ratio melancholico humori cumulando idonea, & accommodata; chronicas ægritudines, vtpotè nothas febriculas non rarò excipit atra-bilis.

Melancholiæ verò ex splene originem trahentis signa sunt bulimia, insolensque cibi appetentia effusa impensiùs ad os ventriculi atra, acidaque bile, vnde corrugatur, expressaque humiditate nouos cibos appetit, interim cibi tùm ob copiam, tùm ob natiui caloris inopiam parcè conficiũtur, hinc borborigmi, obstreperique circa splenis regionem rugitus percipiuntur, hic etiam eminulus tumor flatulenti spiritus soboles prominet: Id verò ferè est inseparabile, vt proni sint in libidinem, & salaciores in Venerem ruente tauro, hoc verò fit ob flatuum copiam, qua causa Hipp. melancholicos pneumaticos appellat; huic verò speciei interdum comes it quartana febris, interdum alia symptomata, veluti alius lenior, quam bilis-atra præteriens vellicat, doloresque, & alia parit incommoda.

Ab ipso verò stomacho oborientis melancholiæ signa sumuntur ab ijs, quæ stomachi apostemata præmonstrant, quæ fusiùs recensentur cap. de affectibus stomachi, hic malum ingesto cibo ingraescit, nausea, & satietas, dum conficitur esca, molestant, absoluta verò concoctione sedantur omnia. Quod si calidum fuerit apostema, in hypochondrijs calor, & incendium percipitur, adest choleræ vomitio, sitis, sed melancholici vt plurimum splene laborant.

Hypochondriacæ verò signa sunt grauitas circa præcordia, contractio versùs superiora, nausea perpetua, anima graueolens, intercepta digestio, acidus tuctus, ptyelismus, ventrisque murmur, crepitus, flatulentus tumor, cardiogmos; dum cibus conficitur, dolor etiam inter scapulas perseuerans, donec cibus perfectè digestus sit. Vomitus nonnunquam intermixti cum cholera phlegmatis, nonnunquam puræ pituitatis usque adeò acidæ, vt dentium emodiam, stuporemque inducat: Atque isthæc accidentia inter alimenta contingunt, atque etiam exactis post cibum aliquot horis; quæque egeruntur, cruditates, pituitatesque bili permixtas redolent: Tantòque maiora succrescunt accidentia, quantò infirmior fuerit digestio, quæ mitescunt perfectione chyli. Interdum inflammatio, seu potiùs phlogosis in hypochondrijs consistens anteit, & tunc plurimus palmus, & subsultus quibusdam horis uisitur, symptomata verò in hac melancholiæ specie perpetuò ex nimia satietate, & imperfecta coctione augentur, quæ statis quibusdam periodis repetunt.

Alibi monuimus, melancholiam sanguini consociatam non stipari perpetuò tristitia, & formidine, sed potiùs risu, & gaudio: Coniunctam verò cum phlegmate, pigros, inertesque ægros reddere, torpidosque: Cum cholera verò coniugatam nonnihil furentes uexatorum instar efficere, & omninò Maniacorum non absimiles. At pura melancholia homines cogitabũdos, propositique tenaces, & magis compositos efficit, nique uehementiùs irritentur, non fixantur, non contendũt, quòd si iniuria lacessantur, pertinaciſſimo odio prosequuntur, nec simultatis obliuiscuntur conceptæ.

De Melancholiæ curatione.

CAPVT XXI.

MElancholici curandi sunt ineunte malo, & antequam altas radices agat, sic enim facilè restituuntur, at ubi tempore inualuit omnem respuit curationem, aut certè difficulter expungitur. Hoc sit ueluti catholicum, ut in omni specie atræ bilis gaudium & animi iocunditas concilietur. Colat loca amœna, quæ uel Hipp. teste sanitati dicata sunt, vbi Cœlum sit temperatum, & parumper ad udum deuergat, cubiculum gratis suffiatur odoribus, ut totam spiret Arabiam, omnino aliquid semper subolfacere cõuenit, quod nasum delectet, siue flores sint, siue olea, siue poma, odor enim spiritus recreat. Cibi sint euchymi, & eupepti, magnaque humectandi ui polleant, & studium præcipuum illud sit, ut molliscant, & pinguefiant alimonijs, & balneo post cibum adhibito, uim enim obficcandi habet ante initum pastum, quare uesperi se dedant tepentis aquæ balneo, & caput abluant identidem. Egredienti uerò è balneo, si sitis aliquanta fatiget, non est nefas aquæ modicellum porrigere. Frictiones molles, mediocresque adhibeantur, quales præscribuntur strigosis, & macilentis ad mollitiem, & pinguitudinem inducendam.

Dum uerò corpori humectando studemus, cauendum, ne impendiò calfacias. Interim illis interdictum sit coitu, uehementi sudore, fabis, salitis, & fumo arefactis carnibus, lentibus, caulibus, uino nigro, & crasso, maximè recenti salsis, omnibus, acutis, acidisque epulis. Esculenta verò pinguia, & dulciuscula sunt offerenda, & somnus arcessendus, qui si difficulter accedat, conciliandus embrochis ex papauere, & chamæmello, nihil enim peræquè prodest Melancholicis, atque somnus, adiectum autem est chamæmellum, ut noxa papaueris corrigatur.

Si melancholia ex frigidæ, ſicæ temperationis nequitia pendeat citra materiam, calida cardiaca, & lætificantia sunt administranda, ut Dia-

moſchus, ut Theriaca, ut Mithridatium, & ſimilia, caputq; calfaciendum, humectandumque ijs, quæ cap. de ſtoliditate recenſuimus.

At ſi originem ex ſtabulante in cerebro melancholia trahit, ſuper triplici cardine conuertitur therapia. Primò ſcilicet vt materiam purgando educas, hocque aut ænemate, aut proritata vomitione præſtabis, dum ſtomachi imbecillitas ferat, nam ſi ſtomachi infirmitas adſit, non eſt iniungenda vomitio, neque in hypochondriaca quidem: Dein vt cum euacuantibus atram bilem perpetuò humectantia adhibeas, & modicè calfacientia, qualia ſunt chamæmellum, melilotus, anethum, glycyrrhizæ radicula, quæ humectant, & vnà etiam reſoluunt, neque enim vſui ſunt merè humectantia citra diſſlationem. His exhibendi ſunt cibi, qui laudabilem chymum ingenerent, quales ſunt petræi piſces, vitulinæ carnes, hædinæ, vinumque eſt concedendum album, & lymphatum, & mediæ ætatis, nam vetus, & acre officit ſiccando. Poſtremò vt curam geras cordis, quod cardiacis, lætificantibuſque roborare, & eius tenorem confirmare oportet, calidis quidem, ſi eius temperamentum ad frigidum deuergat, temperatis, ſi ad calidum, at ſi valde excedat intemperies, etiam moderatè frigida poſſunt exhiberi, hoc verò ex pulſu maximè conijcias.

Sed comminus congrediamur, & pedem conferamus diſtinguendo curationis diſcrimina, quam ſic auſpicari oportet. Si venæ ſanguine turgent, & atra-bilis ſanguinea eſt, vtcumque ſe res habeat, tundenda vena, imò hinc curationem ordiri opus eſt, ni ſumma virium imbecillitas, impedimento ſit, aut in venis modiciſſima ſit atra-bilis plurima in cerebro, & ſiccitas in temperatione præponderet. Præterea ſi ſanguis mittatur, & tenuis primo impetu foras emicet, non erit proin è veſtigio cohibendus, nam ut plurimum primo loco tenuis exilit, mox ſequitur craſſior, propterea vena ampliter cædenda, ne effluēte tenui craſſior ſubſiſtat ſanguinis portio, & malum augeſcat. Antequam verò ſcalpellum venis admoueas, aduertendum, qua parte, dextrane, an ſiniſtra caput magis afficiatur, quia eius lateris tundenda vena baſylica, quæ oppreſſæ cap. parti reſpondet, & ſi communis plethoræ ſigna adfuerint, utramque baſylicam ſecare operæpretium erit. Atque ea ſanguinis effuſio, quæ fit cæſa frontis vena, ſingulariter proficit, ſi totum priùs fuerit depletum. Miſſo ſanguine vbi frigidæ melācholiæ imperium cognoueris, ea in primis mitificanda ſerapiorum vſu, tùm foras exigenda pharmaco ex Aloe, epithymo, & elleboro nigro conflato. A leuioribus tamen inchoandum, vtpotè epithymo, ſenna, polypodio, acutis diadagrydij, aut colocynthidos tantillo. Quæ ſi non contulerint, ad Hieras magnas confugiendum, ſecundùm quas helleborus ipſe, lapis lazuli, lapis Armenus cautiſſimè adhibendi, aut certè catapotia ex his conflata, quæ tutiora videntur. Pharmaca verò iſta perpetuò dāda ſunt cum ſero puriſſimo, ni phlegmatis vetuerit prouentus, tunc enim parcius propinandum, aut parcendum. Si prima pharmaca non contulerint, à curatione non eſt abſiſtendum, ſed ſemel in hebdomada repetenda ſunt blandiora medicamina (ſolet enim humor melancholicus grauioribus exaſperari) cuius naturæ ſunt Triphera, Epithymus, ſenna, polypodium, experimento namque probatum eſt, huiuſmodi conferre. Sed age paradigma ponamus. ℞. Tripheræ ʒ. iij. epithymi ʒ. j. hieræ ʒ. ſ. hoc enim præſtat medicamentum. Atqui ſingulis menſibus ſemel validiora experiri oportet, veluti Hieram Logadij, aut pillulas de helleboro, donec ſtirpitus auulſa ſit morbi radix.

Nec minùs vomitoria vſui ſunt, ſi ſubeſſe in ſtomacho quippiam ſuſpiceris, quod augendi morbi vim habeat (dummodo facilis ſequatur vomitio, & ſtomachus non ſit affectus, aut nimis eneruis) vomitioque prouocanda Decoctione tepente calamenthi, rad. aſſari. & ſem. raphani. Sed vehementior fuerit ex ſucco raphani, cui priùs infixæ hellebori fibræ per aliquot dieculas perſtiterint, ſi cum aceto mulſo offeratur: Aut infundatur raphanus in oxymellis triente, quod cum vnciola ſucci raphani propinandum plùs minùs pro virium tenore. At ſi vires vacillare uideantur, abdicandus eſt hellebori vſus. Cumque redundantem humoris uim eduxeris, notis cardiacis proſpiciendum ritè cordi. Interim ſciendum, nihil Triphera, & epithymo tutius, aut accommodatius; Helleborus autem tunc modò opportunus eſſe uidetur, quando cæteris fruſtra tentatis, adhuc uiget affectio, maximè ſi malum inueterarit, tunc enim vſui eſſe conſueuit, tum maſticatoria, gargariſmi, ceu ſubalterna præſidia offerenda ſunt ad deplendum caput, admouendaque naribus ſuaueolentia, Ambra, Moſchus, Xyloaloe, & nares oleo oblinendæ, in quo plura maduerint aromata.

At ſi materies deuergat ad citream choleram, moliri oportet euacuationem cum D. epithymi, & pill. blandioribus ſtomachicis; & cum eis, quæ atram bilem educunt, quæ proprio cap. cenſebuntur, tunc calfaciendum minimè eſt, ſed luculenter humectandum, quamquàm tutò adhiberi poteſt chamæmellum in embrocchis, quoniam periculi plena res eſt frigida capiti admouere citra correctionem. Quidam verò Medicorum in hac melancholiæ ſpecie curanda Aloes uſum commendarunt, ſi quotidie ieiuno ſtomacho deuoretur, aut ſorbeat unc. iij. D. Abſynthij pontici, aut eiuſdem Abſynthij ſuccum ad keratia. x. aqua ſolutū hauriat. Quin, antequam cubitum eat, hortati ſunt, ut acre acetum ebibat æger, & ſanè etiam ſcyllinum; ſed reuera nos cautiùs agendum eſſe cenſemus, temperandumque in hac ægritudine aceto, maximè ſcyllino, quòd ſi aduſtæ bilis ſigna præſtò adſint, quoniam acetum eam in pituitam conuertit, ut ait Hipp. tunc fortè confidenter porrigi poteſt acetum, præcipuè ſi malè affecti Lienis ſigna ſe ſe proferant, coniecturaque ſit in eo materiam ſtabulari, ſed aceto incoquenda odorifera temperatiora, vt caphura, moſchus, & præcipuè nymphæa cum plurimo oleo uiolaceo, ut mador ſiccitati præponderet.

Si melancholia à ſtomachi, aut præcordiorum inflammatione proueniat, aut à phlogoſi earundem

dem partium, refrigerandum, & humectandum, caputque confirmandum est ijs, quæ aliàs edidimus, ne tam facilè suscipiat. Apostema verò, siue in stomacho sit, siue in præcordijs, quod dignoscesex rugitu, & flatu, curandum ea methodo: quam alibi præscripsimus, roborandumque caput, & humectantia admouenda, & sanguis etiam effundendus siue adacto in venas phlebotomo, siue scarificatu.

In hac verò dispositione cauendum, ne iecur calfiat, nam potiùs refrigerandum est, vbi flagrantia æstuarit, ne sanguinem aduret, & in nigram bilem commutet. Hinc splen confirmandus, roborandusque est, &, si opus fuerit, super lienis regionem synapismus inducatur, vt ne materiam capiti suppeditet.

At si præcordia flatibus distenta turgescant, & frigido temperamento prædita videantur, neque inflammationis, aut phlogoseos suspicio subsit, tutò dabis iusculum ex D. Absynthij, aut succum eius, & stomacho calfacientia admouebis, & hypochondrijs emplastra, quibus pulueres sem. agni casti, ruthæ, rad. lilij, Arboris Mariæ, h. e. artemisiæ adiecti sint, diutissimèque hæc emplastra detinenda sunt, dein admouendæ cucurbitulæ perfuso priùs oleo, & tepente aqua loco, inducendaque lana carpta, & oleo inebriata, aut spongia, aut synapismus, & pulueres, atque omnino ea emplastra, quorum alibi meminimus.

Interdum verò flatus discutientia necessariò sunt intermiscenda apozematis in hypochõdriaca melancholia, veluti semina apij, cymini, anysi, carui, ut flatibus quoquo modo obuiam eamus, quin aliquando semina ipsa ruthæ, & agni-casti deuoranda sunt. Tantæ verò pernicacitatis morbus iste esse consueuit, ut ad album helleborum confugere sit opus.

In Hypochondriaca melancholia hepati potissimum est consulendum refrigerantibus, ne plurimum atræ-bilis pariat, nam refrigerantia, & humectantia in præcordiali hac melancholia prosunt, tùm quòd melancholicæ siccitati opponuntur, tum quòd phlogosim, & æstum, unde flatus efferuntur ad caput, compescunt, hoc tamẽ commodum à frigore præstitum à remoto morbo nõ proficiscitur, sed ideò proficit, quia frigida humida atræ-bilis generationi resistunt, & efficientem caussam eneruant, & id agunt, ne multa ad caput anathymiasis tollatur, interim sperandum, ut natura boni sanguinis beneficio quod reliquum est eluctari possit. Dieta igitur ad generandum phlegma idonea atræ-bilis prouentui renititur, at dieta attenuans, quòd sanguinem fundat sine discrimine multo, aliquando auxiliatur; nec te phlegmatis uomitio, aut crudior egestio fallat, namque non quia pituitam expungat, proficit, sed quia humorum congestorum, & inculcatorum molem incidit, disijcit, disgregat, & extenuat. Sola enim nigræ-bilis subductio per se proficit.

Illud sit catholicum, vt cum melancholicos præ manibus curandos habes, semper validè humectantia præstituas, & paulatim nigrã bilẽ pharmaco educas. Hoc verò præcipuè obseruandum, vt quoties alimentum melancholicis corrumpitur, & coacescit, toties vomitione foras reijciatur. Neque imperfecto cibo (maximè si corruptus sit) nouus est indiscretè ingerendus, sed os stomachi electarijs roborandum, multùm enim interest, si prima coctio ritè elaboretur, perficiaturque.

Porrò, Melancholici exercitio, & officio aliquo detineri debent, ne, si feriati cessent, toti uisis suis, & imaginibus inhient, vacentque, adhæc illorum consuetudine vti debent, quorum præsentia lætentur, & verecundia percellantur: Musicis, & fidicularum cantibus, ludionibus, sannionibusque præsto adsint, & ex fabellis uoluptatem aucupentur, nihil enim illis metu, tristitiaque deterius accidere potest. Interdum vaframentis, & tecnis iuuat illudere, quare committendum quippiam graue, cuius caussa eorum animi occupentur, & percellantur formidine, sic enim fieri consueuit, ut uetus, falsaque imaginatio nouissimæ accessu recedat, in quam mentis aciem sedulò intendit. Hocque consilium admodum euadit industrium, qua caussa mandat Democritus, ut ad debellandam quartanam graue aliquod flagitium patretur.

At si menses, aut hæmorrhoides supprimantur consuetæ, quid opus est facto? Nihil magis procurandum, quàm ut reuocentur. Quòd si melancholici haud appetentes à cibo abhorreant, malum est, siccitas enim præpollet, pariterque malè habent, si vlceribus scatent, & in propinquo mortem esse significatur. Illa uerò melancholia solutu facilior erit, quam atra-bilis non fixa, non constans parit, sed fluxa, & mobilis, hoc uerò dignoscitur ex egestione choleræ-nigræ per uomitum, per vesicam, per aluum, ex colore cutis ferrugineo, ex lentiginibus, impetiginibus, ulceribus, scabie, uaricibus, tumore pedum elephantorum modo, quos nostrates pedicones uocant, ex hæmorrhoidum fluxu, & alijs id genus, quoniam hinc arguitur excrementitium à puro sanguine secerni: Quare cum quippiam tale apparet bonum est.

Quod si melancholicis post usum pharmacorum conuulsio superueniat, cui ob siccitatem opportunissimi sunt, tunc tepentis aquæ balneum imperare oportet, & mora in eodem diutiùs tracta eos vuidos omnisariam reddere. Cibi leues usui sunt, ueluti mica panis iusculo incocta, aut horizogala, aut amygdalogala, uinum pauciferum, seu mauis lymphatum, quod alibi perquam idoneum admisimus.

De Lycanthropia.

CAPVT XXII.

LYcanthropia, siue lupina insania species est melancholiæ Februario mense frequenter efflorescens, qua correpti hominum consortia uitant, mortuis, sepulchrisque delectantur, & senta situ loca inhabitant, & malè animati sunt, ceu mysanthropi in homines, qui sibi obuiam eunt, domoque nonnisi nocturno tempore egrediuntur, interdiuque delitescunt planè more lupino: Hoc verò euenit, quòd abhorreant ab hominum consuetudine,

ſuetudine, & ſolitudinem diligant, & deſerta loca; hoc autem ineſt illis peculiare, ut horula una diutiùs ſtare loco neſciant, quin obetrare gaudẽt, licèt quò contendant, prorſus ignorent, interim tamen hominum conſpectum cane peius, & angue declinant. Nonnunquam tamen à contrario accidit, nimirum ut congreſſum non effugiant, ſed acceſſum amici potiùs negligant, & non dignoſcant obuium, interim torpore, & quiete hebent, & animi ægritudine ſumma, & querimonia maxima, & mœrore conficiuntur. Pallor, ſqualloreque ora decolorant, ſiccitas, ſitiſque linguam corradunt. Crura dyſepulotis ulceribus ſcatent deſcendente humoris pernicie ad tibias, quòd continenter motitantur, & in offendicula impingunt, & quia canes, etiam eos mordicant, hinc debilitatis cruribus humor naturæ impetum ſequens facilè in affectum locum prolabitur. Vlcera verò nõ coaleſcunt, quòd humor ſit catarrhopos, unde vnitas præpeditur, atrophia, taboque marceſcunt oculi, & mirum in modum cauantur. Summùm morbus iſte nõ alia de cauſa illi animalculo comparatur, quod indeſinenti motione ſuper aquas oberrat, niſi quia affecti hominibus ire obuiam exhorreſcunt, & præter ordinem, & conſuetudinem incedunt, & quoquouersùs ſine ratione uagantur, quia dum quempiam obuium declinant, in alterum, ut ſibi uidetur, impingunt, quare huc, illuc curſim, bacchatimque ſubterfugiunt, & ſe ſe ab aſpectu ſubtrahunt, nam ob memoriæ imbecillitatem, & rationis inopiam, non recordantur, non callent, vnde deceſſerint, quò repetant, ſemperque offendere uidentur in quippiam moleſtum, & abominabile: Quare non eſt mirum ſi Cutubut (errabundum animalculum, & aquatile, araneam aquaticam vocat Albertus, Manardus tipulam, melancholiam uertit perperam Sennertus) indeſinenti motione referant, hoc enim animal veluti fanaticum, & furore quodam pereitum perpetua conuerſione ſe ſe iactat, & uertigine fertur. Hoc uerò malum accidit ob atram, uſtamque bilem, quæ cerebrum obſidet, & phantaſticum hoc ſymptoma parit ratione ſepulta.

* *Rhaſis auctoritate Ruffi* 1. *cent. cap.* 2.

De Lycanthropia curatione.

CAPVT XXIII.

PEræquè hæc ægritudo curatur, atque melancholicum delirium, quum ex melancholia peruſta proficiſcatur. Quare mittendus affatim ſanguis eſt, vt totus corporis habitus refrigeſcat, & cibis optimis ſubinde reficiendus æger, & balneis corpus humectandum, ſerum præterea propinandum, & poſtea corpus repurgandum Hiera Archigenis. Somnus verò omni ſtudio conciliandus, corque cardiacis, vt theriaca roborandum, lætitiaque afficiendum. Atqui vehementer humectantia vſurpanda ſunt, & caput ſomniferis perfundendum, ne propter pharmaca, & perennes agitatus incandeſcat, attamen cor cardiacis modicè calfacientibus, at vehementer humectantibus afficiendum, & temperatio quærenda conciliato ſomno, hic enim eſt omnium pharmacorum inſtar. Interdum verò epithymum propinare expedit, ut mota aluo quieſcat, & educta nigrabilis mens in tranquillum redeat.

His ſi non concedat inſania, correpti fuſtibus, verberibus, colaphis malè accipiantur, vinculis conſtringantur, omnino peſſimè cum his agatur, fortaſſe enim reſipient, alioquin ſyncipiti inurendum cauterium, ſolet enim certò prodeſſe, & ſi malum recrudeſcat, idem refricetur vlcus, malo enim nodo malus quæritur cuneus. Alioquin ad D. Angeli Noſocomium ligati legentur.

De Amore inſano.

CAPVT XXIV.

HIc affectus ſpeciem refert melancholiæ, eſtque animi ægritudo cum ſtudio, & ſollicitudine, qua impliciti continenter animo verſant viſam pulchritudinem, eiuſque deſiderio tabeſcunt (quiſque verò amat, quod ſibi pulchrum videtur, non quod eſt reuera.)

Quiſquis amat Ranam, Ranam putat eſſe Dianam.

Tantòque magis formæ exuuias exigunt, quantò magis ardua ad poſſeſſionem acceſſio eſt, *namque Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata*

Symptoma in depranata actione Phantaſiæ.

Dignoſcitur hiſce notis. Oculi tabeſcunt, cauantur, caligant, flent, nictant, & conniuent, quaſi quippiam ſpecioſum, & iocundum inſpectent, aut aliquid gratiſſimi, & inauditi audiant, quod animum exhilaret. Rarum ducunt anhelitum, & interciſũ, & alterna animi viciſſitudine afficiuntur, modò enim lætantur, & profuſè rident, modò mœrore, & fletu conficiuntur amaro, præſertim cum amatorias cantilenas auſcultant. (ceu:

Animula bellula, fydere pulchrior,
Cynthia mollior noſtra decora ſubſellia, Aut:
Tityre die, quis habet pulchram, nec habetur,
Amantem? Aut:
Tandem paſtor amans Thyllida poſſidet.)

Seque ab Heromena neglectos, repulſoſque recogitant: Modò pallent, modò rubent, pro vario animi conceptu, iuxta illud:

Et mixtus viola pallor Amantium.

Totũ corpus macie tabeſcit præter palpebras, hæ ſiquidem propter vigilias, & ſuſpiria ſurſum halantia tumeſcunt, nullaque in actionibus, moribuſque recta diſpoſitio obſeruatur. Pulſus ſine ordine micant non ſecus, ac triſtitia confectis vſu venit, cumque inter ſermones incidit nomen Amaſiæ, aut etiam Lais ipſa inauſpicatò in conſpectum ſe ſe dedit, pulſus mira quadam motione percellitur, vnde etiam facilè dignoſcitur, cuius amore miſelli capiantur, uranturque, ſi fortè nomen celauerint, qua ratione Perdiccam Macedonum Regem Philam miſerè depereuntem cognouit, & ſanauit Hippocrates. Hoc eſt enim præcipuum in curatione, vt cognoſcas primò Amaſiã carpis admota manu, plurimas Pellices nominatim appellando, ſi enim fiat, ut cynoſuram, vt aiunt, attingas, pulſus confeſtim alteraſcet, & ſanè

non

non exigua differentia, cum fiat similis intersecto. Hoc igitur sæpius repetendum, & certum periculum faciendum. Nec minùs effigies Dilectissimæ, mores, artes, genus, virtus, gesticulationes, & singulares quædam conditiones, quæ individuum signent, crebrò in medium afferenda, quibus si moueatur, certo scitur, quænam sit peramata Laicula. Nos non semel periculum fecimus, & rem inuenimus. Cui malo si nullum aliud auxilium supersit præter coniunctionem (amantium enim finis vnio est) quantum lex, religioque permittunt, procuretur coniugium, vt per concubitum miseri sibi restituantur ipsis. Vidimus enim iam tabidos febricitantes, perditos propter nimium amorem hac arte reualuisse, & eusarcos, molliculosque euasisse: Namque vbi Amatæ Amans Lateri inhæret, breui leues cogitationes, graueisque curas abdicat, nosque reuera in admirationem rapimur perpendentes, quantum inferior hæc vis, quam Medici naturam indigitant, cognoscenti virtuti obtemperet, obsequaturque morigera, ac pedissequa.

* *Quid sit amor Gal. 4. de Hipp. & Plat. decretis docet. Amoris receptaculum est sanguis terrestris, plurimùm calidus, de Vtil. respirat.*

* *Sennerto definitur delirium melancholicum ex nimio amore ortum, iuxta illud:*

Crede mihi stulto, nemo in amore sapit.

De insani Amoris curatione.

CAPVT XXV.

COrporis habitudo in primis obseruãda, num aduſtionis signa præseferat, quæ si adsint, attæ-bilis excrementum foras exigendum. Conciliandus omni studio somnus humectatio quærenda, cibi euchymi exhibendi, balnea ineunda humectandi gratia. Disceptationibus, controuersiis, litibus, negotijs occupentur, distrahanturque, vt in aliud intenti memoriam non recolant, proin caue, ne ferientur; Ocium enim cogitationes acuit, quibus ardentiùs rei amatæ præsentiam exigunt.

Otia si demas, periere cupidinis artes,
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Dein id agendum, vt nouellus amor animo inferatur, qui veteris vestigia deleat, quare noua species obiectanda, quæ aures, & oculos titillet, non est tamen secundæ adeò obsequendum, vt in laqueos incidatur, sed temperandum est desiderium, imò extinguendum.

Cæterùm si insano captus amore, cætera fuerit sapiens, amicis hortatibus animaduersionibus, & turpitudinis exprobratione ad saniorem mentem conuertatur, cui notum, testatumque sit, nulla alia ægritudine eius animum percelli, quàm melancholica sollicitudine, aut dæmoniaca instigatione, solent enim alloquentibus aures, monitisque mentem præstare secundam, & resipere.

Præterea adigendæ Aniculæ nonariæ callidulæ, quæ Amatam Laida turpitudine fœdam effingant, loripedem, gibberam, pedibus vaccijs, versipellem, subdolam, illepidam, hircum olentem, obstreperam, voracem, tetricam, reccelliculuniam, alicariam, omninò corpore, & moribus informem, hæc ceu arcanum quoddam in lateribus domus in aures susurrent simulato boni studio. Huiusmodi enim vaframenta arte repetita igniculos quadantenus extinguunt, & cupidinem bacchantium retundunt, maximè si collatione, æquiparationeque turpissima vtantur ad explicandas Amasiæ deformitates, nequitiasque, fœminæ enim ad id patrandum aptiores, parationesque viris sunt, ni effœminati fuerint, & molliusculi, saniones, lenones, huiusmodi enim muliebribus moribus ornati peræquè idonei sunt ad fallendũ, & ad permutandum amorem. Sed cautè agendum apud istos heroticos, & in amorem propensos, ne, dum auertere sollicitudinem studemus, nouissimis rebus animum exulceremus.

Inter auxilia censentur crebri concubitus, aut sessiones cum Puellis formosulis, si solere non liceat. Quidam verò curantur lætitia, cantilenis, fabellis (& si plures his peius habeant) venatione, ludis, Magistratu, Dignitateque à Rege corrogata, pariterque insigni aliquo pathemate, quod animum affligat. In reliquis melancholicorum, maniacorumq; more regendi, erigendique sunt, corpusque tùm humectandum, tùm magnis repurgandum Hieris. Quid plura? Tria Amoris remedia, tempus, laqueus, fames. Sennertus plurima affert præsidia, eaque præclara,

* *Amor Platoni desiderium perfruendæ pulchritudinis definitur.*

* *Sennerto delirium melancholicum ex nimio amore ortum, iuxta illud;*

Crede mihi stulto, nemo in amore sapit.

* *Gal. 4. de Hipp. & Plat. decretis docet, quid sit Amor. Amoris receptaculum est sanguis terrestris plurimùm calidus de vtili Resp.*

TRACTATVS Quintus.

De Ægritudinibus Cerebri in operationibus motiuis.

De Vertigine.

CAPVT PRIMVM.

VErtigo symptoma est vitiati sensus principis, quo correpti omnia, quin etiam propriũ caput circumuolui putant, quo fit, vt ita affecti in terram concidant perinde, atque ille, qui perpeti circumactione corpus exercuit, nam à prolixiore gyro tandem prosternitur, cum nec stare, nec sedere potis sit, nec oculos quidem tollere. Hoc verò vniuersum contingit ex animali spiritu in ventriculis cerebri circumacto.

Atqui inter Vertiginem, comitialemque morbum illud interest, quòd epileptici repentè, & sine tumultu concidunt, & resurgunt, non item vertiginosi, nam accedente paroxysmo siue stent, siue obambulent, primùm obtenebrantur lumina,

mox

mox nutant, vt nil sit propiùs, quàm caducitas. Sed vertigo vehemens par est sacro-morbo, quãuis vertigini nunquam conuulsio insit: Hæc vertiginis species illis potissimùm co itingere cõsueuit, qui se se temerè, perniciterque volutant, hinc & vapores, & spiritus eadem celeritate perciti circumferuntur, quo fit, vt in motus voluntatij machinamenta rectâ influere non valeant, quum in orbem agitentur, illisque perinde accidit, ac contentæ in Vrceo lymphæ, quæ si perniciſſimè circumducatur, non effluit, sed etiamnum vase immoto, & euerso circumuoluitur intus minimè caduca. Quare cum spiritus voluatur, & species deferantur ad sensum communem eodem vectore spiritu, non est mirum, si vertiginosi omnia in orbem circumagi animo ducunt. Nihil enim refert ad vertiginis opinionem, siue res foris, siue spiritus agitetur intus, nam quum sensus cientur, & obiecta cieri videntur, vt nauigantibus vsu venit, qui crepidines, & littora moueri credunt; similiter obiectum potentiam mouere consueuit, quin sola vertiginis, & circumuolutarum rerum imaginatio aliquando ciet spiritus, & vertiginem excitat (tanti est imaginatio) propterea scitè dicitur, omnes sensuum functiones patientibus instrumentis violari, deijci; quorum primùm meritò spiritus perhibetur, in hoc enim imagines, & species rerum abiunctis etiamnum obiectis deponuntur, imprimunturque, si valentiùs incesserint organum, quidquid enim sensili organo percipitur, est similitudo rei, quæ remanet abeũtibus sensibilibus, & euanescit, ni solidum fixerit in organo vestigium, vehementiusque sigillauerit. Sed horum explicatio ad naturalem Philosophum spectat.

Et quotiescunque corpus enerue, & infirmum fuerit, tanto patitur promptiùs, sicut inualetudine oppressis accidit, quoniam infirmi, quandoque eò deueniunt, vt simul atque mouentur, in vertiginem incidant, ob insignem scilicet conatum, quo vtuntur ad motum, namque ob virium debilitatem non sine maximò nixu mouentur, quare modiciſſimi spiritus noxæ participes, & conciti in orbem aguntur, & vertiginem pariunt.

Nonnunquam ex cauſſis in cerebri regia ſtabulantibus pendet, vtpotè vapida quadam substantia in venis cerebri commota, aut quopiam alio humore contento, qui aut ex motu exiguo, aut ex æstu concitus vaporet, quum ergo halitus mouentur, spiritus motum sequuntur; qui ideò non diffiantur, quòd substantiam in uenis suscipiunt, & subinde in cerebro sedem figunt, & congregantur, postremò per neruos commeantes toti communicantur corpori.

Aut certè ex cauſſa aliunde communicata proficiscitur, veluti si multa vaporum soboles ad caput efferatur, ibique ob cerebri contractam veteri ægritudine imbecillitatem consistat, siue calida, siue frigida fuerit, quare crudos flatus, quos vis effœta peperit, vt ciet, ita discutere nequit.

Hoc idem aliquando non propter motum vaporum in cerebrum latitantium, sed ob inæqualem intemperiem contingit, à qua spiritus citra vapores, aut corporeum quemuis alium agitantur motorem, atque perinde accidit spiritui, ac gelidæ lymphæ, dum igni admouetur, quæ calescens in bullas subsiliens motitatur, quamquam hæc differentia raro, aut nunquam visitur.

Interdum pathos hoc externa cauſſa, ceu percuſſio capitis, aut cranij fractura parit, unde cerebrum comprimitur, & tranquilli spiritus in orbem non secus aguntur, ac stagnãs aqua, in quam rudus graue proiectum plurimos gyros, & circellos circumquaque propagat, multò efficaciùs, & luculentiùs idem in aere, æthereove corpore vsu venit, sed ob tenuitatem opus oculorum aciem effugit.

Sæpiusculè ex appulsu vaporum ad cerebrum euenit, à quibus continenter agitantur spiritus, quamuis diutiùs in cerebro moram non contraxerint; loca autem, vnde tolluntur, solent esse stomachus, fellea cystis, vesicula vrinaria, vterus, quum malè habent, & humores intus agitati perætuant, sed vt plurimum è stomacho tanquam ex minera effiantur, dein ex matrice, vbi recrementis scatet, denique ex venis, & arterijs. Atqui vaporis parens aliquando est phlegma, aliquando cholera, phlegmatica quidè epilepsiæ finitima est.

Cõsensus porrò vertiginem, & scotomiam pariens haud perpetuò materiatus est, vt nimirum ab vna particula ad cerebrum corporata substantia perueniat, sed aliquando etiam prouenit ex mera qualitate noxia, quæ communis fiat cerebro continuatione quadam intercedente inter mandantem, susceptantemque particulam, vt famescentibus nonnunquam, & ieiunis vsu venit, præsertim si ieiunium, & inediam perferre nõ fuerit secundùm consuetudinem propter stomachi læsionem, cui cerebrum mirandum in modum consentit. Aliquando interuenit propinquante crisi, quo tempore humores agitantur, vrgentur. Frequentiùs incessens apoplexiam portendit, maxime decrepitis, pariterque stupori superueniens mala est, interdum verò cap. dolorem soluit.

* *Capinacceo est functio corrupta principalis cerebri anteriores cum læsione visus, & motus totius corporis dependens ab affectione cerebri circulari.*

Vertigo acribus est primi sensus deceptio ab orbico animalium spirituum agitatu.

De Signis.

CAPVT II.

VErtigo se se in orbem agentis, aut velociter commota, aut lucida inspectantis, aut percussi, aut lapsi hominis ex cauſſis proditur.

Vertiginis verò à vapida materia factæ in cerebro diutissimè detenta, atque genita Simion est frequentior accessio, quæ malam aliarum partium habitudinem non sequitur, quæque non excitatur ingraueſcente alio morbo, grauitas capitis ineſt, sibilus aurium præcurrit, oculi caligant, sensus hebeſcunt, maximè gustus, & odoratus, temporũ arteriæ validissimè micant.

Si verò in cerebro latitet humor, & quidem phlegma, vnde vapores excitentur, pondus impensiùs, hebetudo, timor, & somni graviores

eluceſcunt,

eluceſcunt, & alia ſymptomata, quæ pituitatis prouentum atteſtantur. At ſi huic malo flauæ bilis ſemina dederit, aderunt vigiliæ, æſtus ſine pondere lædet, phaſmata flaueſcentia, ignea que apparebunt. Verùm ſi ſubſit ſanguinis æstus, venæ turgidulæ extant, caput grauatè cale, ora, oculique roſeo colore rubeſcunt, ſomnus occupat altior, laſſatur corpus, venæ pulſant impendiò. At ſi affuerit melancholia, caput multò grauiùs premitur, vigiliæ infeſtant amplius, phantaſmata nigrantia, pili aterrimi, aut fumi videntur, imaginatio vitiatur, cæteraque adſunt, quæ melancholiæ exceſſum proteſtantur.

Quod ſi per conſenſum à ſtomacho proficiſcatur, hæc ſigna præcedunt, anorexia, intercepta coctio, ſubuerſio ventriculi, nauſea, parte anteriore cerebri, & media noxa luculentiùs ſuſcipitur, tametſi & poſterior pars interdum compatitur, diuerſa doloris diſpoſitio, quandoque enim ſedatur, aut exaſperatur pro varia ſtomachi ad repletionem, aut ad inanitionem habitudine, ſucceditque ſaturitati, & nimiæ repletioni, interdum dolores ſtomachum infeſtant, & quibuſdam horis inflant, vnde cap. per neruos à ſexta neruorum coniugatione deriuatos compatitur, & antequam exerceat, & dum vehementiùs vexat, atque etiam ſedato motu dolor circa ſyciput, & in neruorum ſexti paris origine percipitur, hocque ob generis ſocietatem accidit.

At ſi ab vtero malum procedat, hyſtericæ paſſiones præcedunt, ſupprimuntur menſes, fœtificus lentor detinetur, apoſtema moleſtat, pariterque ſi à veſſica primam ducat originem, præluceſt malè habentis veſſicæ indicia.

Verùm ſi à toto corpore, aut ab hepate ſanguinis opifice, aut à corde ſpiritus genitore vapida ſubſtantia per venas, aut arterias commeat in in cerebrum, hinc dignoſcitur, quòd iugulares venæ turgent, arteriæ vehementer micant, tenduntur muſculi, ita tamen, vt nullus dolor has partes exerceat. Et ſanè per arterias materiam deferri certò ſcies, ſi extantes, extuberanteſque colli arteriæ digitis compreſſæ detumeſcant: & ægri alleuentur, quum pulſus prohibetur admota plumbi lamina, aut ſtyptica quauis re appreſſa, ſimiliterque in alijs agendum, quibus ſi non ſubſiſtat affectio, tunc per penitiora uaſa materia ſurſum reſpirat.

Illa verò vertiginis differentia, quæ ab inæquali intemperie prodit, cap. leuitate, præfatis abſentibus cauſſis, frigoris, & caloris externi repentino acceſſu, ingurgitatiſve ſimul calfacientibus, refrigerantibuſque edulijs profertur.

Qui ſcotomiam patiuntur (ni deiectum ſtomachi robur dehortetur) magis aquæ, quàm vini potu delectari debent, ſi quidem maius emolumentum vſus aquæ confert. Cum verò diutiùs permanſerit vertigo, & ferè inueterauerit, pro compertò habendum eſt, frigoris eſſe filiam. Criſim verò portendentis ſcotomiæ, non eſt, cur hic recenſeam ſigna.

De Vertiginis Curatione.

CAPVT III.

ILla Vertiginis ſpecies, quæ circumuolutionem excipit, aut altiorem, præcipitemque proſpectum ſequitur, corporis tranquillitate, quiete, ſomnoque ſedatur, & ſi non concedat, adhibenda ſunt acerbiuſcula, & acidula, aut his ſuccis intinctæ panis buccellæ deuorandæ.

Quæ fit ex ſanguine, aut alio quopiam humore in corpore redundante miſſo è cephalica ſanguine, dein ex vena ponè aures, tollitur, hoc enim præſidium vniuerſim ſingulis vertiginis differentijs, quæ à materia prouenit, confert, interdum etiam cauteria ad intercipiendum vaporum aſcenſum maximè in flatulenta vertigine inuruntur; ſimiliter cucurbitulæ medicæ ceruici, atque ipſi etiam capiti affixæ conducunt. At ſi ſanguis cæteris humoribus conſociatur, aut reliqui humores citra ſanguinem affluxerint, tunc pharmacis educendus humor noxius, & quidem Hierapicra, & Aloe, ſi bilis excelluerit, ſin permixti humores fuerint, pillulæ Affaiareth, D. myrobalanorum citrearum, & epithymi, itemque clyſmi adminiſtrentur concinnati ex decoctione centaurij, & colocynthidos nodulo incluſæ, à quibus humidæ cucurbitulæ ſuper ceruicem, & caput affigi poſſint: His peractis ſubalterna ſunt vſurpanda præſidia, nempè maſticatoria, gargarizonta, odoramenta ex moſcho, ambra, caſtoreo, amaraco, nigella; quumque commouentur ſpiritus, & acceſſio properat, extrema uincienda ſunt, & ſtrenuè perfricanda.

Si verò paſſioni occaſionem præſtiterit ſtomachus, congeſtos humores vomitione proritata ex D. anethi, & raphani ammixto melle, & ſale, exturbare conuenit. Dein, ſi vires conſtiterint, totum erit euacuandum pilulis cochijs, alioquin hiera-picra, aut Aloe, at ſi conſtet, excrementa eſſe merè bilioſa (cognoſces autem per propria ſigna toties repetita) tunc myrobalanis, & fumoterræ ritè adhibitis repurgandum corpus.

Quod ſi mali origo in alia deliteat particula, purgatio ex arte obeunda, & cap. roborandum ab initio admoto oxyrrhodino, ex roſaceo chamæmellino, & modico aceto, & tranſacto principio fortè ſolum chamæmellinum vſui erit.

Cæterùm vbi conſtat materiam in cap. contineri, cucurbitulæ ſuper ceruicem, ſuperque caput applicandæ, & vena poſt aures tundēda (præmiſſa tamen generali euacuatione) & quæ caput expiant, luſtrantque, adhibenda pro conditione materiæ peccantis, gargariſmi, embrochæ, thymiamata.

Si verò inæqualitas temperamenti in cauſſa fuerit, hæc ediſcenda erit per propria ſigna, & ſubinde per contraria abſcindenda, vt eucraſia ſuccedat.

Si ictus, lapſus, aut tale quippiam vertiginem induxerit, curatio perficitur his præſidijs, quæ non ſunt huius loci, remouetur enim, ſummotis affectibus, & ſi permanſerit, non aliud ſtudium requirit, quàm præſcriptum.

In

In vniuersum verò necessum est, vt vertiginibus obnoxius oculos à celerrima rerum motione auertat, & ne ab alto, editoque vertice prospectum demittat in imum.

At verò scotomiæ per inediã à stomacho prosectæ buccellato succo granatorum, aut omphacino inebriato, & deuorato medemur amussim.

De Oscitatione, & Pandiculatione.

CAPVT IIII.

NImio cibo distentis quædam contingit affectio, qua vniuersum corpus lassescit, venæ tumidæ turgent, oscitationes, & pandiculamenta ex multiplicata vaporum sobole increbrescũt, oculi, genæque purpurascunt, iocunda quadam extensione vniuersum corpus torquetur.

Tunc igitur corporis moles imminuenda misso sanguine, & propinata frigida aqua, quæ æstuantium humorum feruorem compescat, si modò sanguis, aut cholera caussationem fecerit. Acoro præterea peculiaris quædam vis inest, qua huiusmodi symptomata sedantur, si radix eius præmandatur, aut certè puluisculus cum iusculo sorbeatur, hoc verò mea quidem sententia præstat ob digerẽdi flatus facultatem, nec minùs coriandrum saccharo contectum proficit.

Iatraliptæ verò, & Reunctores affectum hunc manibus carotides constringendo, donec syncope superueniat, amoliri contendunt. Hoc verò fortasse accidit: quod laborioso motu agitatur spiritus, ascendensque ad cerebrum materias dominando resoluit, sed est plenus aleæ ludus. Quare eousque soporariæ venæ constringendæ manibus, dum homo ferre, & spiritum ducere possit.

* *Seuuerto est extensio quædam præter solitum musculorum totius corporis ad vaporum non acrium in ijs partibus dissipationem instituta.*

De Incubo, seu Ephialte.

CAPVT V.

INcubus est læsæ symptoma imaginatricis, quo correpti inter dormiendum quippiam sibi incumbens, & grauiter comprimens imaginatione percipiunt, hinc spiritus difficulter ducitur, interdicitur vox, motusque adimitur, vt nihil sit propius, quàm suffocatio ob meatuum infarctorias obstructiones, quibus ablatis è vestigio laborans excitatur.

Hoc symptoma aut apoplexiam, aut epilepsiam, aut Maniam portendere consueuit, maximè si à materia ingrauante, & opprimente, non potiùs à flatulento spiritu fiat, qui ad inuehẽdum incubum plurimus esse solet, dum crassior in cerebrum repit, siue à sanguine, siue ab atra-bile, siue à phlegmate initia sumat; Vnde autem deriuetur hinc dignosces, quòd vnusquisque humor phantasma producit concolor, quare si fuerit sanguis, spectra murice tincta, si pituita parens fuerit, pallentia visa, si bilis atra, nigrantia phasmata ludunt.

At verò quia graphicè Platonicus Poeta incubum descripsit, age in medium eius verba seramus.

Ac veluti in somnis, oculos vbi languida pressit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in medijs conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.

* *Capnuacceo est functio corrupta principalis cerebri anterioris dependens ab affectione phantasmatis grauitatis, & suffocationis auctoris.*

Mercato definitur prauum insomnium cum noxa respirationis ob vaporem crassum posteriora cerebri obstruentem.

De Signis Incubi.

CAPVT VI.

MOrbigeni humoris indicia desumuntur à præfatis, nec est, cur actum agamus: Nonnunquam fit ab ingenti frigore noctis caput, dum sopor obrepit, subitò opprimente, quare cerebrũ exprimit, densatque, hinc illa phantasmata producuntur. Hoc præcipuè illis vsu-uenit, quibus imbecille caput est, & innati calidi egenum, aut certè valde intemperatum.

De Curatione.

CAPVT VII.

PHlebotomo, pharmacoque curatur, quo totius humoris moles euellatur stirpitus, & si plurimi, crassique fuerint humores, tale pharmacum erit vsui ℞. Hellebori 3 1. scammonij scr. 1. pulpæ colocynthidos gr. xvj. Anysorum scr. ij. m. & conficiantur, præbeanturque laboranti, si virtus constiterit, sin minùs, dentur pillulæ de lapide lazuli cum stomachicis, puta mastichinis, aut aloephanginis: Hieræ magnæ, epithymusque huc faciunt. Repurgato corpore roborandum caput ijs, quæ aliàs præscripsimus. Hic commendari solent grana pæoniæ quotidie deuorata.

Quod si frigus tale pepererit symptoma, olea calfacientia administranda sunt, roborantia, adstringentiaque emplastra inducẽda, &c. nec enim est, cur in his moram trahamus, quæ millies inculcauimus.

De Epilepsia.

CAPVT VIII.

EPilepsia est animalium functionum interceptio cum prauo motu prostrati corporis ob cerebri ventriculorum obstructionem, maximè verò anterioris, vnde vetito aliquatenus spirituum animalium commeatu motus, & sensus deliteſcunt, vt homo stare nequeat. Et quoniam omnis cõuulsio, quemadmodum demonstratum est, aut à repletione, aut ab inanitione prouenit, aut à noxia qualitate expultricem irritante, pari

ratione

ratione, & epilepsia, sed hæc ab inanitione, ficcitateque non pendet, vtpotè quæ nisi succedente tempore contingat, atqui repentè epilepsia inuadit, quare siccus spasmus huc non attinet, nam antequam ad tantam cerebrum perueniat labem, animal de medio tollitur. Hinc itaque conficitur, vt conuulsio, aut rem noxiam excretricem irritantem, (siue vapor, aut mordax qualitas, aut humor tota substantia exitialis sit) aut copia, & mole quadantenus ventriculos cerebri, & neruorum exordia obstruentem sequatur. Hoc ipsum ex abundanti humoris æstu fieri solet, vnde sublato in bullas humore transitus spiritibus præpeditur, sed quia non est omnifaria occlusio, aliquantus spiritus ad organa commeat, quo fit, vt non omnino sensu, & motu viduentur artus.

Crassum etiam, vuidumque agnoscit vaporem meatus, & spiracula intercipientem, quem admodum Philosophorum coryphæo quoque nisu n est lib. de somno, & Vigilia, totamque causam huic acceptam refert. Itaque cum noxij humoris insultu infarcientis inuaditur extemplo, contrahitur, ut uires ad expellēdum noxium resumat non secus, atque in singultu, & subuersione, aut iectigatione accidit, quibus in affectibus contrahuntur membra, ut strenuè propellāt, quod præsens irritat, atque lacessit. Quare cum cerebrum, quod est neruorum origo, contrahitur, par est, ut soboles parentis motum sequatur, propterea in facie musculi adducuntur, & uarium comparant motum, prout ab origine ducuntur.

Paroxysmo uerò defunguntur, & euadunt aut lacessente succo excreto, aut uapida substantia discussa, aut expugnata antipharmaco deleteria qualitate. Propterea uerò spasmus sontico huic morbo comes it, quòd eadem materia, quæ primò inumbrat cerebrum, neruosum quoque genus incessit, idque triplici ratione contingit, primùm quia nerui substantiam cerebri sequuntur, deinde quia ab eadem causa, quæ cerebro bellum indixit, læduntur, denique quia recrementum ad eorum initia propellitur, hinc replentur, & ingeminatur conuulsio longitudine in latitudinem correpta.

Cōuulsionem autem, haud laffitudinem, haud paralysim indiuiduam comitem habet epilepsia, quòd cerebrum, contrahitur, cogiturque vt vires intendat ad propulsandum: Et sanè paralysis cōsequi non potest, quia cerebrum à se ipso noxium longè propellere, & amouere totis conatur viribus, expulsioque nisi alterna contractionis, dilationisque, & expressionis vicissitudine validissimè haud peragitur.

Cæterùm vniuersæ materiatæ conuulsioni febris superueniens prodesse consueuit, quare si sacro huic morbo succedat, nō erit inutilis. Item si apostemata alicubi emergant, in bonis habendū, solent enim exhausta materia epilepsiam obterere. Frequèns melancholia morbus in comitialem, vicissimque is in atram bilem deficit, prout materia vel corpus, vel animum occupauerit. Non desunt, qui putent, Herculeum hunc morbum fieri posse sine coitu, admissuraque materiæ, qui profectò si hoc sibi velint, fieri quippe à vapida, spiritalique substantia, aut à sontica qualitate cerebrum ad excretionem proritante, erit vtique eorum sententia laudabilis, at si vnam intemperiem intelligunt, ædepol absurdè sentiunt, quoniam si ita fiat, vbi cerebrum eam induit intemperiem, lunaris ille affectus reciproco insultu non lacesset, sed continenter exercebit, quod non visitur, si quidem vt repentè inuadit, ita paulò post recedit, aut iugulat. Quare huiusce modi syncera qualitas in cerebro non est, sed potiùs materia, aut qualitas, quæ aliunde in cerebrum infertur, quæ subinde etiam amouetur, id quod non accideret, si esset cerebro innexa, immobiliterque infixa.

Spuma verò epilepticis accidit ob elisum ad fauces spiritum, & insignem, inæqualemque anhelitus agitationem imminente præfocatione, agitatur autem anhelitus ob conuulsionis motum, at in apoplexia spuma violentiam spiritus excipit, & sanè puerilis hic morbus est quasi peculiaris quædam cerebri conuulsio, sternutamentoque comparatur, sed eo discrimine dissident, quòd in sternutatione materia est pauca, mobilis, excretrix validissima, unde noxium subitò, prorsusque obtruditur, in epilepsia non item.

Memoria itaque repetendum est, quòd vbi Herculeus morbus per idiopathęam committitur, materia in cerebro & succrescit, & delitescit, quæ commota * vaporat, flatusque anfractibus detenti anteriores potissimùm uentriculos semic pplēt, semiobnubuntque.

Hæcque materia aut est sanguis affluentior, aut phlegma, aut melancholia, aut bilis, quæ perraro huc facit, quemadmodum & syncerus sāguis (quamquam pituitosus, aut melancholicus frequens interuenit.) Quidquid sit, familiarissima, & indiuidua epilepsiæ causa aut est merum phlegma, aut cum nigra bile iugatum, sed pituita propria conditione frequentissimè huiusce mali parens est.

Testatur Hippocrates inter bruta oues esse per quam obnoxias sontico huic morbo, quarum capita si incidantur, & aperiantur, intus magna fœtidæ humiditatis vbertas inuenitur. Ac vniuersa primogeneæ epilepsiæ scaturigo ex cerebri vitiata digestione prouenit, quare non potest, quin excrementum aut in cerebri substantia subsideat, aut in medulla (id quod multò est deterius) aut in tunicis, quod est leuius. Cæterùm epilepsia melancholiæ soboles, vt est infrequentior, ita pernicacior, à contrario se se habet phlegmatica, vt enim sæpissimè inuadit, ita promptiùs soluitur, si ad melancholicam conferatur. Illa verò epilepsię species, quam puerorum matrem appellat. Rhas. sequiturque acut. feb. est admodum exitialis: pariterque si identidem epileptici insultus lacessunt, interficiunt.

Epilepsia verò per sympathęam ab alio membro eueniens intercidit, quando multa vaporum supellex ad caput effertur, vbi aggregata, coactaque desciscit, deficitque in pituitam, quæ humoris naturam redolet, vnde deraditur vapor, hinc ob-

 struit,

ſtruit, hinc irritat, & paroxyſmum arceſſit, aut quia vapida exhalatio non copia, non mole noxia, ſed qualitate, frigore, aduſtione, aut deleteria pernicie ſurſum reſpirat, & cerebrum conuellit, ſeu quod illa qualitas mera venefica per partem poſt partem ſucceſſiuè ſe ſe in cerebrum ingerat, ſeu quia vtrumque accidat.

Fons autem, & minera, vnde anathymiaſis effunditur, & caput petens copia, & mole epilepſiã accerſit, aut vniuerſum corpus eſt, aut ſplen, aut ventriculus, aut præcordia, aut vterus, aut etiam cæteræ particulæ. Pariterque corpus totum eſſe poteſt ſcaturigo noxiæ, & malignæ qualitatis, poſſunt eſſe manus, aut pedum digiti. Hæc verò pernicies gigni conſueuit, vbi ſanguis perſpiratu prohibitus ab infarctu innato deſtituitur calore, hinc putreſcit, & in peſſimam, venenatamque qualitatem conuertitur, quæ aut per periodos ſtatis temporibus, aut citra periodos certas inceſſit. Fit etiam ex venenoſi animalis ictu, quom enim neruus V.G. à ſcorpio percutitur, venenum paulatim in cerebrum diſcurrit, qua pernicie ictum ſe ſe contrahit, & conuulſionem parit, & perinde ſe ſe ſuccutit, atque vacuus ſtomachus acerrimo ſenſu præditus, vbi quippiam acre ingeſtum fuerit, quod ille ſingultu excutere nititur, ſingultus enim ſpaſmodes quædam affectio eſt. Quom ergo hac de cauſſa conuellitur cerebrum, totum neruoſum genus in ſympathiam trahitur, & ſimillimo motu cerebro obſequitur. Galenus quidem teſtatur, ſe puluere Diapiperi deuorato, & vino ſuperhauſto ob acerrimum ſtomachi ſenſum in ſingultum incidiſſe, noſque non abſimile exemplum in medium afferre poſſumus, qui & in hoc Galeno adſcribimus dicenti, epilepticos præſentire à pedis pollice neſcio quid ſub frigidi vaporis ſpecie pedetentim in cor, & Palladis arcem irrepens, quod vbi conſtitit paroxyſmum actutũ accerſit. Atque vbi arctiùs ante inſultum crura vinciuntur (eodẽ Galeno teſte) aut intercipitur acceſſio, aut certè lenior accidit, noſque ipſi proteſtamur, admiranda obſeruaſſe. Sunt etiam, qui ſibi inuri pyroticum ſuper pollicem, aut alium quemuis digitum, vnde tollitur aura, paſſi ſunt non ſine fructu bonæ valetudinis.

Huc ſpectat & epilepſia, quam vermes rotundi, & aſcarides pariunt. Eſt præterea quædam ſpecies, quæ ſyncope aſſociatur, cuius propterea hic non meminere Medici, ſed reuera huc ſpectat, & matricis præfocatio, indigitatur, acciditque, vbi menſtrua purgamenta importunè ſupprimũtur, aut genitale virus propter coitus intermiſſionem diutiùs detinetur, & in venefícam degenerat qualitatem, quæ certis, ſtatiſque temporibus cõmoueri ſolet in halitus, qui cor, cerebrumque petentes epilepſiæ obnoxiam mulierem faciunt. Idẽ verò contingere poteſt, ſi ſœtificus lẽtor plurimus in ſpermaticis vaſis coaceruetur, & præcopia non diffiatus temeretur, atque adeò in frigidam, & deleteriam qualitatẽ deſciſcat, optimi enim corruptio peſſima eſt, quia omnis mutatio de contrario in contrarium. Fœta etiam mulier frequẽs ſolet epilepticos inſultus incurrere, at effœta defungitur periculo, quòd retrimenta foras amandentur. Videre interdum eſt, epilepſias, quæ à vertebris, ſcapulis, aut aliunde trahunt originem.

Cæterùm illa epilepſia, quæ ex hypochondrijs, & ventriculo emergit propter crapulas, & cruditates, hinc ſuæ creationis exordia ſumit, quòd in venis infarctus gliſcunt, vnde ſanguis & totus alimẽtalis ſuccus cõtemeratur, & corrũpitur, quare nonnunquam corrupti humoris ad ſtomachum fit palyndrome, à quo chylus inficitur, & ſubinde vomitione reiicitur. Verùm quomodocunque iſthæc ſe ſe habeant, illud certò habendum, niſi læſo cerebro potiſſimùm iuxta anteriores ventriculos epilepſiam non accidere, quoniam præcipua epilepticorum incommoda in viſus, & auditus organis, & in muſculis oris, & in palpebris relucent, tametſi, & reliqui ſenſus, & totum neruoſum genus compatiuntur, id quod non fieret, ni & reliqui ventriculi in ruinæ ſocietatem traherentur, neque intellectionis munia obliterata viderentur, neque reſpirationis actio vitiata maneret.

Epilepſiam porrò conuulſio, vt plurimum antecedit, mox ſacer ingruit morbus, hocque ideò fit, quoniam ſi nocẽte cauſſa expulſa tollitur ſpaſmus, ſimul & ſenſus redeunt, ſin fixus maneat, vnà quoque deletis ſenſibus ſacri morbi idæa ſe prodit, promitque. Dum ſoluitur paroxyſmus interdum per nares, & os expulſus humor manifeſtò emanat.

Accidit nonnunquam morbus iſte citra perceptibilem ſpaſmum, hocque contingit, quoniam materia admodum tenuis eſt, & vi potiùs molis replet, quàm qualitatis noxa irritet. Frequentiſſimè pueros inuadit, vnde puerilis dicitur, ac etiam infantulos mox in lucem editos infeſtat ob humiditatis exceſſum, & neruoſi generis imbecillitatem: Accidit etiam poſt pubertatem; Quare ſi congruam viuendi normam obnoxij ſibi indicant, ante xxv. annum euadere poſſunt, ſin minùs, permanet in ſupremam diem, quare ſummum ſtudium impendendum, vt ante id tempus tam turpe malum, quod homines exanthropos reddit, exantletur. Illi verò puelli huic morbo minùs sũt opportuni, quibus caput vlceribus, puſtuliſque ſcatet, & abſceſſiunculis, quibus è naribus perpetuò ſtyria pendet. Æquum verò eſt, vt illorum, quibus ab incunabulis nimio madore cerebrum vueſcit, humiditas purgatione exhauriatur, quare Nutricibus victus norma iniungatur afficcans, & extenuans, vt congener, & compar fiat lac, hocq; ni ſummo ſtudio, curetur, pueri certò morbum incurrunt; Puerulis verò hæc epilepſia aduentante pubertate, cum ex ephebis exeunt, vt plurimum leuatur, & euaneſcit, ni viuendi ſtudium, & omnino cura negligatur. Quæ verò iuueni poſt xxv. annum aduenit, ſi cerebri ſubſtantia per idiopathiam laboret, comitatur ad capulum, quare dum curantur, non ſanitatem, ſed leuamen, & acceſſionum longiora interualla ægris polliceri par eſt, ſi quidem Hipp. ſcriptis teſtatum reliquit, huiuſmodi epilepſiam commoti, ſenibus rarò ex infarctu aduenit.

Porrò internas, & antecedentes cauſſas externæ ciere conſueuerunt, veluti crapulæ, ſub ſole moroſior incolatus, vnde in caput plurimum materiæ

teriæ prolicitur. Huc faciunt nimius concubitus, nimium delicatula vitæ ratio, quies, & otia, siue à repletione exercitium, hinc enim aucto calore humores excitantur, qui cum omnino non digerantur, vacua loca replent. Huc spectant vniuersæ illæ causæ, quæ cor frangunt, siue formido, siue mœror, siue tumultuosa insultatio, siue quodnis aliud triste sit. Inter causas & ieiunium censetur, vbi uentriculus fuerit imbecillior, item meracissimum vinum epotum, quoniam uentriculo, cerebroque noxam infert, atque hæ causæ remotiusculæ proximas non modò mouent, sed pariùt, propterea de ijs quoque proprio capite agendum erit, vt declinentur.

Eo tandem diligens Medicorum obseruatio peruenit, vt asserant nonnulli, si epilepsiæ obnoxius pellem induat caprillam recenter detractam, & prænadefactam in aqua, quammox paroxysmum incurret, idem eueniet, si suffiatur thymiamate ex caprillo cornu, myrrha, & thymo conflato.

At si epileptico feb. chronica superueniat, veluti quartana, morbi solutio contingere solet, si quidem succedente tempore materia melancholica digeritur, difflaturque, difflationem, & discussionem horror promouet, qui quartanam anteit, inæqualis enim hæc commotio efficit, vt cerebrum expulsione excutiat quidquid noxium, superuacuumque est, accedat, plurimo sudore materiam exhauriri, & absumi.

Cæterùm quemadmodum apoplexiæ succedit paralysis (ni sit pernicioſa) ita epilepsiæ infrequétiùs, & ei sanè tantummodo, quam crebra caducitas vrget. Sunt, qui putent, phlegmaticæ epilepsiæ tremorem, & agitationem associari, quoniam tenue phlegma meatus prorsus non obnubilat, non opplet, at melancholicæ non item euenit, aiunt, quia affatim, & protinus obstruit, hinc minor agitatio; Alij uerò contra arbitrantur validiorem scilicet corporis iactationem sequi modicam materiam, quæ penitissimos meatus non peruaserit, sed horum sententia non est definita. Rufus verò prodidit, vbi in cap. epileptici impetigo, maculæque effloreſcunt, resolutæ materiæ indicium afferri, atque adeò sublati morbi. Morbus hic in melancholiam sæpius desciſcit. Opportunis verò crebriùs accidit, maximè natura humidioribus propter ætatem, vt puellis, aut ex euentu, vt propter prauam uictus rationem, crapulam, cruditatem, australem constitutionem, quæ caput humiditatibus replent; Et sanè accidit epilepsia pueris, & mulieribus, & ijs vniuersis, quibus exiguus ineſt sanguis, isque prauus, & venæ angustiores sunt.

* *Capiuacceo est functio principalis ablata totius cerebri cum amissione sensus, & motus partium neruosarum, & conuulsione totius corporis dependens à causa morbifica cerebrum secundùm poros, & ventriculos lædente.*

Est motus totius corporis conuulsiuus, non tamen perpetuus cum mentis, & sensuum ablatione propter prauam materiam cerebrum irritantem. Mercatus.

De signis differentiarum Epilepsiæ.

CAPVT IX.

INter signa communia pluribus epilepsiæ differentijs censentur lingua lutea, & uirides sub lingua venulæ, permutata corporis temperatio, cap. grauitas, maximè vbi excanduit ira, aut vbi venter flatibus distentus turget, blæsa lingua, somnia nequissima, obliuio, pauor, formido, difficilis spiritus, fatui sermones, excandeſcentia temerè exardeſcens. Porrò non omnis epilepsia curationis capax est: Et certè illa deterior, quam fortis succussio, & scotomia vehementior anteueniunt, subinde hebetudo, & torpor marcidus cum plurima circa os spumea sordes, & difficilis anhelitus excipiunt, hinc enim vt materiæ vbertas colligitur, ita virtutis imbecillitas arguitur, quæ non sufficiat malo.

Cæterùm cum nosse tibi cordi est, sit ne morbus per idiopathiam, an per sympathiam, mentis aciem eò dirigere oportet, an subsit cap. grauitas, vertigo, an caligent oculi, an lingua blæsa, balbutiensque sit, an turbulenti sensus, an motus imbecillior, an facies citreo colore palleſcat; Quum isthæc adesse noueris, & præterea, mentis memoriæque perpetuum torporem, & hebetudinem noraueris, quæ neque superueniente alui fluore iuminuuntur, tunc certò habendum, affectionem in cerebro solidam fixisse sedem. Adhæc certior fiet coniectura, si nullum in neruoso genere, nullũ in liene, nullum in hepate, neque in articulis, neque in extremis digitis uitium præluceſcat, nec æger ex hisce locis exitiosi quippiam decidi præsentiſcat, quod paulatim in caput subrepat.

Leuioris verò epilepsiæ signa sunt, si citò discutiatur acceſsio, statimque redeat ratio, & uerecundia teneatur assurgens, si ad se quamprimum redit, maximè adhibitis sternutatorijs, & attractis in nares odoriferis, aut vomitione procurata.

Nequioris verò signa sunt, spiritus difficilis, agitatio, & subsultus prolixior, dein longior cessatio, & prostratis nullum à sternutatorijs, nullum à thymiamatibus collatum beneficium. Omnium minimè praua est, in qua concussio corporis exigua, & non morosa prostratio.

Signa verò epilepsiæ ex flatu in cerebro consistente genitæ sunt nulla antecedens, aut consequens cap. grauitas, sibilus aurium, non moleſta conuulsio.

Phlegmaticam verò præmonstrant plurima saliua ex ore profluens, spumea, crassaque colluuies, in lotio pituita liquefacto vitro persimilis, hebetudo, pauor, lassitudo, obliuio, omnia grauiora. Idem pituitosa uomitio candidior spuma, sanguis crudior arguit: Huc faciunt ætas, regio, præcedens uictus ratio, uita otiosa, & cessans, pallidior color subtumeſcentis oris, & reliqua, quæ aliàs pituitæ prouentum significare docuimus. At si crudiusculum fuerit phlegma, adhuc magis præfata symptomata ingraueſcent, stolidĩtas, obliuio, grauedo, somnus, ma-

iora, deterioraque omnia, & hæc epilepsia corpus lassitudine enervat, hæque est admodum pernicioſa. Quæ autem falsæ pituitatis soboles est, minore sopore, infirmiore frigore, minusq; incommoda succussione stipatur.

Ea verò, cuius parens est atra bilis, & dignoscitur ex eiusdem humoris excretione, aut rei ferruginæ, & aterrimo sanguini simillimæ, vsque adeò acidæ, & adustæ, vt terram fermentet. Qui huic morbo obnoxij sunt, mentem habent, vt plurimùm erroneam, & deliram, acceduntque propiùs ad melancholicos: Neque recedente paroxysmo ritè sibi constant, sed pristini retinent vestigia erroris: Huiusque humoris excessus innotescit liuido faciei colore, emunctis naribus, ariditate linguæ, præterea prægressa victus formula. Quare si fuerit naturalis melancholia, quæ est sanguinis fæx, & eam in massa habet analogiam, quã amurca in oleo, epilepsia lassitudine corpus fatigat, taciturnitas, & modesta compositio affectatæ videntur, erroneæ cogitationes animum exercent, exagitantque: At si melancholia ex adusta bile mali author sit, tunc lymphatio, insaniaque non est sine dæmoniaco furore, sine blatera garrulitate, siue vociferatione. Epileptici hac de caussa, vt multum succutiuntur, ita facilè euadũt accessionem, vixque esse potest, quin talis epilepsia febrem comitem habeat, maximè si atra bilis fuerit paulò subtilior: At si sanguinea tanti mali parens fuerit, non priuatur cachinis. Et sanè quænam melancholiæ differentia in vitio sit ex vomitione, excretioneq; coniectare licet, nã si fœci sanguinis similis sit, melancholia naturalis est, si vini limo congener, aptaque, atra bilis adusta est, quæ aut est crassa, & pontica fauces exasperans, extremamque siccitatem, & frigiditatem denunciat, aut acida, tenuis cum spuma, & super terram deiecta feruet, bullasque attollit, aut crassior est sine spuma, &c.

At epilepsia, quam syncerus peperit sanguis, his notis stipatur, & quidem si solo sanguinis æstu eueniat, iugulares venæ non adeò turgent, neque intenditur rubor, neque magna ante paroxysmi aduentum præsentitur suffocatio, nihilominùs & grauitas, & stoliditas, & lassitudo, & ptyelismus, & muci cum phlegmate comparent, incalet caput, rubescunt lumina, vaporibus caput impetitur cruentis. At si copia malum gerat, iugulares mole turgidæ distenduntur, præfocans antecedit affectio, ver, ætas, temperies victus ratio lautior.

At bilioſæ epilepsiæ, (quæ rariſſimè, aut nunquam visuntur) acriùs quidem vrgent, at minor, breuiorque conuulsio, concussio verò vehementior est, hancque præmonstrant bilis vomitio, ardor, aliena ratio, otis, oculorumque luteus color.

Porrò epilepsiæ ab ipso stomacho originem trahentis indicia sunt, stomachi subsultus, & palpitatio, præsertim vbi consueta epularum hora præterijt, borborygmi, rugitusque strepunt, maximè accedente paroxysmo, aluineque fœces, & lotium solutis musculis effunduntur, aut etiam fœtificus lentor, cor palpitat, caput acerbiùs dolet. Expungitur, amoueturque vomitione. Et sanè dispositio arguens malam stomachi habitudinem, & epilepsiæ incrementum petitur ex imminuta purgatione consueta, vnde viscida, crassaque pituita reijciebatur. Hæque epilepsia, quia frequentiùs impetit, non rarò de medio laborantes tollit, hoc ex humoris vbertate, multigenaque vaporum copia prouenit; huiusmodique humores vt plurimum sunt pituitosi, quamuis & reliqui vnà coire queant; cuius mehercle signa sunt, si post repletionem accessio, confectisque crapulis decessio fiat, repetatque iuxta victus vitia, & cruditates. Quod si phlegmati comes eat cholera, sitis adest, ardor, cardiogmos, adustio, si acida melancholia, fames plurima vrget stomachum, ructus emittitur acidus, laborans cogitabundus hæret, solus intus obmurmurat, mussitatque, quamquam dominantis pituitæ signa præponderant. Sed enim fieri potest, vt in stomacho humor insideat non copia, sed potiùs substantia, & nequissima qualitate infensus, cuius argumentum est, quòd ieiunis potissimùm hæc vsu venit affectio, cum scilicet materia os stomachi nudum, orbatumque humiditatibus inuadit, vellicatque, quæ, simulatque stomachus laudabili alimonia refotus, humectatusque est, euanescit: Si verò humor acutulus fuerit, hisce notis discernes, quas sæpicule retulimus.

At si ex præcordijs procedat, hæc signa præcurrunt, ructus acidulus, inflatio, rugitus, strophi, incendium in hypochondrijs pertipitur, malumque ingesto alimento exasperatur, neque mitescit priùs, quàm perfecta sit digestio, & cum uacuo, ieiunoque uentre accidit, profectò non alia de caussa fit, nisi quia stringitur aluus, propterea soluta soluitur aluo, maximè si præcordia sursum retrahantur, & tremulo quodam subsultu tollantur, quibus crudioris cibi uomitio superuenire consueuit, accedente maximè corruptione. Nec minùs hinc sublatus ad caput noxius uapor ex bile retorrida malum committit, id quod dignosces ex incendio, ex coloris flauitie, ex mentis emotione non sine rixanda studio, & perpetua manuum, pedumque agitatione. Ex melancholico quoque succo halitus infertur huius criminis author, quem melancholiæ uestigia sequuntur, timor panicus, mœror fatuus, anima graueolens, mortis amor, aut odium, & cætera, quæ tenebrosa phantasmata comitari consueuere.

At verò epilepsiam, cuius parens, aut iecur est, aut certè uniuersum corpus, produnt, color, capilli, cutis siccitas, aritudoque cum fuscedine quadam, aut certè mollities, & pinguitudo, aut macies, aut roridus mador sanguineus euaporans. Pulsus etiam huc spectant, & lotium, & præcedens uictus norma, & omnino præterita uita. Hancque arguunt maximè suppressa alui recrementa, cohibita matricis purgamenta, & quę è uenis, reliquisque conceptaculis educi solent, compressa. Quòd si à præusto sanguine fiat, color rubescit, pulsus undarum more subsiliunt, & instante accessione ęgri subrident. At si à bile, à pi-

à pituita, à melancholia proficiscatur; Suis distingues indicijs.

Quę verò ab vtero primordia sumpsit, suppressis dignoscitur menstruis purgamentis, aut intermissa venere, vnde virus corrumpitur retentum, aut reliquis excrementis cohibitis, quæ per vterum foras exigebantur, dolor circa inguina vexat, in dorso, & in matrice grauitas percipitur.

Quæ autem splenis vitio committitur, hinc pāditur, proditurque, quòd melancholica symptomata se se proferunt, & in sinistro hypocondrio dolor adest, inflatio, durities, murmur, rugitus, strophi, renisus.

Quam denique deleteria peperit pernicies, dignosces, si malum extrinsecùs accessit, exempli loco scorpionis ab ictu, aut phalangij, aut crabronis, Sin malum intrinsecùs ortum ducit, caput vapore impeti persentiscit æger, obtenebrantur oculi, repentino lapsu colliditur, & sane origo mali aut in pede, aut in manu, aut in dorso, aut in pectine, aut in stomacho, aut in vtero delitescit. Signa verò epilepsiæ ex vermibus sunt saliuatio, vermes deiecti, ventris tædia, dentium stridor, &c.

Nil mihi conanti caput hoc conuertere durum
Tam fuit, absurdis implicitumve tricis.

De caussis Epilepsiam cientibus.

CAPVT X.

AEris permutatio vna est caussarum, quę morbum hunc accersunt, quemadmodum rursus solum vertere, & salubrius cœlum quærere confert, caput verò solaribus radijs, ignibusque, frigoribusq; sūmis exponere, aut nimia uenere liquescere, admodū noxiū est. Nec minùs promouendæ Epilepsiæ vim habent pluuiæ, venti boreales, aut Austrini, Septentrionales quidem, quia corpora densando, & materias intus coercendo id agunt, ne digerantur, diffluntque per corporis habitum, meridionales verò, quia per uuidum calorem humores nostri corporis cient, caput repletione aggrauant, extenuantque humores, quos subinde ad caput abducunt. Plurimùm hyberno tempore visitur, sed quæ in septentrione, & autumno, propter humorum corruptelam accidit. Et quemadmodum in Hyperborea regione rarissimè excitatur, ita, si contingat, interficit, quoniam caussarum efficientium magnam vim arguit.

Odora quoque malum hoc commouent, agitatioque, & perniciosissimæ conuersionis ab alta specula inspectus, item longior in balneo mora, aut importunitas, vtpotè ante perfectam digestionem adhibitum, itemque capitis lotio ex tepente lympha. Huc faciunt vniuersa, quæ flatulentum sanguinem, fæculum, turbidumque gignunt, ceu vinum acescens, vetus, aut etiam recentissimum, nondum defæcatum, & illime, neque perfectè elaboratum, œnodes, vappa, plurimum enim per anathymiasim cerebro affert incommodum. Appium verò apprimè declinandum, hoc enim peculiari quadam vi pollere creditur. Huc attinent lentes (melancholicum enim, & crassum sanguinem generant, ni hordeo commisceantur) fabæ, allia, cæpe noxia pariter sunt, tum quia caput vaporibus opplēt, tùm quia prauum generant succum; lac, dulcia, pinguia, quæque crassum, & flatulentum humorem procreant, ableganda. Nec minùs impensè frigida, aut acria, cholericaque passio de eorum sunt numero, quæ Epilepsiam excitant, namque hæc omnia humores concitant, & ad caput afferunt. Ciborum importuna ingurgitatio, malè elaborata concoctio, vigiliæ, animi pathemata, ira, tristitia, timor, similiter sensibiles qualitates vehementissimæ, vt demens strepitus, lucidissimum aspectabile ex tempore lumina feriens, vt sol, fulgur, turbo. Nonnunquam Epilepsia latens emergit ab exercitio post epulas inito, à coitu, à pharmacis Epilepsiam excitantibus, quæ præfati sumus, & quæ Epilepticos detegunt, qualia sunt thymiamata ex galbano, myrrha, capillo cornu, hircini iecoris vsus, odor hircinus, myrrha naribus immissa.

De curatione Epilepsiæ.

CAPVT XI.

PVeri lactentes huic morbo obnoxij curantur correcto Nutricium lacte, quare eò allaborandum, vt lac calfiat, & attenuetur euchymorum alimentorum vsu, intermissione eorum, quæ crassum, & aquosum generant, præterea coitu, & concubitu interdicendum, ne cōcipiat, hinc enim lac temeratur, & maxima infantulo noxa succedit. Adhæc ea cauere oportet, quæ subitum timorem Puellis incutiunt, & tremefaciunt, qualia sunt repentini, & fatui strepitus, taratantara, buccina, fulgur, tormenta bellica, laruæ, lemureue, & alia id genus; cauendum etiam, ne perui gilium incurrant, ne ira incandescant, ne magno caloris, aut frigoris excessu percellantur, ne perperam alimentum conficiant. Interim lenis obambulatio iniungenda, qua interdictum oportet ab ingesto cibo. Quod si pharmaciæ capax sit eius corpusculum, leuissimis phlegmagogis repurgetur. Maximè conferre consueuit vomitio, quæ hydromelle proritanda, ad allioſim usurpandum mel ros. colatum, & Iulapium rosatum, naribus contrita rutha admouenda, hæc enim attenuant humores. Amplius illud est Catholicum, ut cibi laudabilis succi exhibeantur, quibus assicandi modica uis insit, in primis omnis repletio uitanda, declinandæque cane peius, & angue cruditates, si modo ferre uelint uitam frugalem: Ille igitur, qui per consuetudinem tolerare nequit unicum pastum, cibum in tres partes quotidie diuidat, duasque partes in prandio sumat, tertiam in cœna post moderatum exercitium, epulis uerò neutiquam plurimum uinum est intermiscendum, quia cum sit carebaricum, caput mirum in modum replet, quòd si per intemperantiā tantum sibi imperare nequeant, utantur uino pauco, pauciferoque, antiquo, subadstringente. Nil uerò peræquè officit, atque uinum post balneum, atque repentinum frigus, quare caput munien-

dum, ne nalidò calori, aut frigori actutum occurrat, nec in balneo mora protrahenda. Porrò Epileptici ab vsu carnium craſſi ſucci, & multi nutrimenti, quales ſunt ſuillæ, & anſerinæ, quin à carnibus grandium, & grandæuorum quadrupedum abhorreant, necnon & à piſcibus, quorum vice, pullis, perdiculis, attagenis, auiculis dumeta colentibus, galerita, phaſianis, turturibus, * hœdis, turdis. Apri quoque iunioris caro conceditur. Vituperantur dulcia, pinguia, iurulenta, ſimiliter olera, & præcipuè apium, cui (ſi credere dignum eſt) commouendæ epilepſiæ vis ineſt, ſi verò his temperare non poſſit, concedantur fumaria, endiuia, borrago, lactucam verò, & coriandrum non admiſerim (tametſi quidam liberaliter concedunt) vbi verò cholera exorbitauerit, aut ſanguis, modicellum concedo, ſicla verò, & betulæ in aqua elixatæ, & conditæ ante reliquos cibos præmanſæ conducunt, quia aluum ducunt. Rutha præ cæteris tùm cometta, tùm ſubolfacta prodeſt, partimque anethum. Verùm horariorum fructuum omnium vſus eſt ablegandus præterquam acerbiuſculorum, & ſlypticorum, qui ſecundùm reliquos cibos aſſumi debent, vt os ſtomachi roborent, & alimoniam ad ſtomachi fundum deprimant, vt aluum molliant, & vaporum aſcenſum inhibeant. Raporum quoque, & raphanorum, & caulium, acriumque, & vaporoſorum vſus damnatur, qualia ſunt ſynapi, & ſynapiſmi (noſtri vocant muſtardam) qui ſua acrimonia, & thymiaſi lachrimas quoque exprimunt.

In primis declinanda temulenta turpitudo, & crapulæ, & venti: Caput verò nunquam nec calida, nec frigida aqua abluendum, non calida, quia caput effœminat, non frigida, quia ſtupefacit, & animalem ſpiritum extinguit. Quod ſi obnoxius in conuiuio ſe ſe nimium repleuerit, rebus ſuis conſulat vomitione, & frugaliore vita. At verò licèt vinum immodicè hauſtum plurimũ officiat, attamen lymphatum, & modicellum animum exhilarat, ſpiritum acuit, & pro aqua eſt, quæ ſine modo ſumpta multò magis obeſt. Nimius ſomnus præſertim, pomeridianus, & poſt repletionem comprimis fugiendus, ſed & nimiæ vigiliæ ſpiritus reſoluendo debilitant, & caput vaporibus opplent. Itaque ſic regendi ſunt Epileptici, vt eas omnes occaſiones, quæ morbum, veluti crabronem, irritant, è veſtigio vitent, dein præſcribenda animi, & corporis tranquillitas, quod ſi exercitatio ſit ineunda, nè conſuetudo prætermittatur, non niſi vacuo ventre, & matutino tempore fiat citra laſſitudinem, ſubinde quieti ſe ſe dedãt, caput dirigant, nec antrorſum inflectant, nec torqueant, nec mõtitent, ne recrementa eò arceſſantur, ſed inferiora potiùs exercenda, & perfricanda ſupernè deorſum trahẽdo ab axillis ad extremos pedes, frictioque aſperior conuenit, qua crura calefacta rubeſcant, hinc ambulatio ſequatur, ſed in eodem loco quies capeſſenda, vbi gymnade corpus excultum ſatis fuerit, vt deferueat calor, & ſpiritus, nec latum vnguem ſe ſe dimoueat loco priùs, quàm in priorem redierit ſtatum. Vbi igitur his artibus ad inferiora retrimenta ſuperuacua detracta ſunt, atque exonerata aluus perſoluentia pharmaca, cap. pectendum, perfricandumque, vt caleſcat, & eius temperatio permutetur, quò ſpectant ignitæ cucurbitulæ, & cauteria capiti inuſta, hæc enim mirificè cerebrum calfaciunt.

Soluto ventre, & repurgato à quiſquilijs corpore poſt aliquot diecularum quietem balneum præſcribendum, & Medicæ cucurbitulæ hypochondriis affigendæ, caput denique calfaciendum. Et aliquando affligente paroxyſmo inter dentes durum quippiam interijciendum, vt os laborantis apertum maneat, ſed in primis materiam educere, & totum repurgare opus eſt, pro peccantis humoris conditione, deinde caput gargariſmis deplendum tractorijs. Quod ſi certis quibuſdam periodis repetat, & iuxta excrementorum prouentum ſe ſe proferat, vere corpus ſolemni euacuatione purgandum, & peccantis cauſſæ abſciſſione paroxyſmi intercipiendi. Et ſi nihil ſanguinis miſſionem prohibuerit, mittatur, nam phlebotomia ex talari vena vere maximè ineunte ſummopere prodeſſe conſueuit, cauendum tamen, ne quid nimis, ne per ſanguinis iacturam caput refrigeraſcat.

Quem æger ab acciſſione liber ſe ſe vendicarit, non erit inutile (ſi modò ventriculi tædia præcurrant) ſi penna oleo intincta, & in fauces immiſſa procuretur vomitio, hinc enim leuamẽ ſuſcipiet, quamquam crebrior vomitus idiopathicæ epilepſiæ noxius eſt; Atque ex his, quæ deuoranda offeruntur correpto, ſunt aſſa, caſtoreumque in oxymelle diſſolutum. Quæ verò in nates inſufflantur, illinunturque, ſunt pulpa colocynthidos, cucumis aſininus, & eius ſuccus, ſeu ammoniacum, nigella, helleborus albus, lanaria, ſeu ſtruthion, piper, zinziber, myrrha, euphorbium, caſtoreum, ſtœchas, aſſa fœtida, pix ſicca, cedria.

Ex his verò, quæ halitu inſpirantur, eſt pœonia, inter odorata rutha, tùm bona valetudine, tùm afflictionis tempore vſurpanda. Inter cætera verò commendant quidam poma ex gummi agreſtis ruthæ cum farina hordeacea, & aceto concinnata, quæ manibus geſtanda ſunt, & identidem ſubolfacienda.

Inter ſyrupos commẽdant oxymel ſcyllinum, quod æſtate cum frigida ebibi debet, hyeme cum iuſculo tepidiore. Inter linimenta, nihil eſt præſtantius medulla ex Cameli cruribus erута, & cũ oleo roſ. compoſita ad oblinenda tempora, & capitis ſuturas, & pectus.

Inter periapta verò, quæ collo ſuſpenduntur, quãtam vim propulſandæ epilepſiæ habeat pœonia, experta eſt antiquitas: Atqui pharmaca, quæ à carceribus propinantur, ſunt Agaricus, ſeſeli, ſcordion, Ariſtolochię rotundę radix, pœonia ſingulis horis deguſtata. In eo verò plurimi conueniunt, ſingulare quippe eſſe præſidium, quo reualeſcunt non pauci, ſi ſingulis diebus mane, & veſperi, dum ſe lecto obnoxij commendant, Mithridatium auellanę magnitudine deuorent, ſunt etiam, quibus probetur ſpuma maris, nempe alcyonium, bis ſingulis diebus oblitum, & pollium etiam ceu proprietate pollens præſertũ, & aſphodilon, & medicamen ſcyllęum, quod ita conficitur.

tur. ℞. Scyllam, eamque in figulino vase vitro obducto repone, ex quo acetum fuerit exemptum, subinde caput vasis operiatur chorio, & studiosè vinciatur, & quadraginta totos dies soli exponatur xx. ante caniculæ ortum diebus, & singulis horis vas parumper obuertatur, vt peræquè singulæ partes incalescant. Demum vasis osculum recludendum, & scylla iam excocta, & dissoluta accuratissimè expumanda, & succus vna cum melle componendus, de quo quotidie cochlear vnum deuorandum. At si vsus instet, nec tantum interualli patiatur, scylla in oxycrato coquenda, & adiecto melle, oxymel cõflandum. Inter pharmaca laudatur & illud. ℞. seseleos, baccarum lauri ana ʒ. iii). castorei, trochiscorum scylleorum ana aureum vnum, m. cum melle despumato, & fiat electarium, de quo quotidie aliquid offeratur cum oxymelle. Adhæc solum vertere, & cœlum clementius quærere, & peregrinari ad modum prodesse consueuit, aeris enim permutatio ad sicciorem, & subtiliorem perinde se habet, ac ætatis de infantia in adolescentiam permutatio, quæ tanti ab Hippocrate æstimatur in epilepticis, quibus si membrum aliquod torquetur, aut conducitur, illud idem repente hydrelæo dutiusculè perfricare, remedio est.

Cum epilepsia accidit cerebro per protopathiam affecto, euacuationem cum helleboro moliri oportet, itemque cum colocynthide, Diagrydio, Hiera, & Agarici diluto, repetendaque singulis annis purgatio semel, atque iterum, prout vsus postulauerit.

Cæterùm si mittendi sanguinis necessitas ingruat (ex quocunque tandem malum humore dependeat) non est, cur parcas, imò ex ambabus cephalicis mittendus, atque etiam ex venis, sub lingua: Et humidæ cucurbitulæ super cernicem affigendæ, vt de propinquo materia detracta cerebrum leuet, ni caput imbecillius refragetur. Sed interdum opus est venæ sectionem repetere, cumque sanguinem detraxeris, hebdomadam in tranquillo esse conuenit, non negligenda interim protherapia, quæ & humores paret, & vias expediat, tum soluentia sunt propinanda, & actiusculi clysteres injiciendi ex minore centauro, colocynthidis pulpa nodulo inclusa, & kerua, h.e. ricino, &c. Atque interposita quiete affigendæ iterum cucurbitulæ scapulis, cervici, capiti, & cruribus. Subinde ad purgantia pergendum, iterumque purgandum corpus, donec penitus excrementis vacet.

Toto corpore prorsus expiato ad subalterna gradus est faciendus, quare gargarismi, & apophlegmatismi sunt adhibendi, quales fiunt ex seseli, anetho, & amaraco. Interim obseruandum, vt frugaliter semper viuatur, vt paroxysmus occurrat stomacho ab excrementis repurgato, quare maximè confert post cibum vomere, præsertim si praui cibi, vt pisces saliti ingesti fuerint. Purgato corpore, & depleto capite roborandum cerebrum, calfaciendumque ijs, quæ sæpius aliàs inculcauimus, cum ageremus de cap. dolore. Interim caue, ne omittas rutham crebriusculè subolfacere, ita verò sunt alliotica omnia adhibenda, vt non repentè, sed paulatim cap. temperies mutetur, cumque vitiari actiones videris, subsiste. Nullum autem ad purgandum conuenientius pharmacum inuenias Hiera ipsa Diacolocynthidos, aut Hermetis, si modò phlegma prepolleat, si quotidie mane pondo ʒ. 5. & vesperi tãtundè sumatur. Quod si cũ phlegmate subest etiã plethora, phlebotomia vsurpanda, quæ plenitudinem demat, & similiter purgatio obeunda cum turpethio, agarico, stœchade, & hiera Ruffi.

Atqui melancholicum recrementum his pharmacis educendum, quæ alibi præscripsimus, nempè epithymi decoctione, helleboro, lapide lazuli, lapide Armeno, stœchade, polypodio, nigris myrobalanis. Cerebris spondyli, tempora, pectus oblinantur medulla è cruribus Cameli extracta, compositaque cum oleo rosaceo.

In epilepsia vero cholerica eò elaborandum, vt refrigerantia, & humectantia administrentur, maximè per clysteres. Quòd si adusta sit huiusmodi cholera censeri debet inter melancholicos affectus.

Porrò ea epilepsiæ species, quæ infantium mater dicitur, ex quorundam sententia est de genere cholericæ, qua causa præcipiunt, vt ijs balneum indicetur, frigida, & humida præscribantur, queis capiti medeantur, lac super caput effundatur, & vniuersum corpus humectetur. Quòd si infans sit, mandant, vt nutrix frigidis alatur, & humili, subterraneoque inhabitet loco, hancque maniacam epilepsiam appellant, sed reuera apud melioris notæ Medicos hoc nomen non increbuit, neque in vsu est.

Verùm, si ventriculus malo initium præbuerit, inter cathartica probatiora est pulpa colocynthidos cum stœchade, si eadem crebriusculè vsurpetur; euacuato stomacho roborantia assiduè adhibenda, & alimenta euchyma, & eupepta, & parca manu administranda sunt. Diligens ergo studium impendatur, vt perfecta concoctio fiat, & proin longis interuallis sternenda mensa, vt priori alimonia commodè digeratur. Quæ verò epilepsia famescente, & vacuo stomacho inualescit, curetur ea methodo, quam retrò præscripsimus, &c.

Cæterùm in ea epilepsiæ specie, quæ ex vapore aliundè sublato proficiscitur, operæpretium est, membrum arctissimè vincire, quum accessio fatigat, sic enim aut tollitur, aut minuitur paroxysmus; subinde humor particulæ inuncatus euacuatione dissipandus, si modò per vsitata cathartica educi queat, alioquin inuratur pyroticum quiescente ægro, aut vlcerantia admoueantur, aut adurentia, qualia sunt gummi syluestris ruthæ, euphorbium, & alia, quæ alibi censentur, eòque fortassis res deuenit, vt cantharidum, & similiter galbani, & columbini stercoris, & accipitris, & anacardi, & similium vsus sit necessarius.

Verùm in ea, quæ per sympathiam à toto corpore fit, quidam non inscíti Medici proponunt arteriotomiam, scil. earum, quæ apoplecticæ appellantur, deierantque, fore, vt ægri penitus sanescant, ni periculum impenderet, ne cerebrum impensiùs refrigescat, atque adeò apoplexia, exitialius

lius malum, detractis affatim spiritibus, atque exinanitis inducatur, non hæmmorrhagiæ metu, multa enim suppetunt, quæ discrimina tollunt, beneficium autem inde prouenit, quòd intercipitur cursus à toto ad caput, & hercules, vbi summouendæ talis epilepsiæ nulla sit alia spes non video, cur altera saltem secari nequeat, ita enim fiet, vt nec tanti spiritus exhaurtiantur, nec repentino frigore percellatur cerebrum, interim verò cursus intercipiatur, & ægri beneficiis cumulentur.

De Apoplexia.

CAPVT XII.

APoplexia symptoma est in actione animali abolita ob insignem cerebri vẽtriculorum, & meatuum omnium obstructionem. Hinc denegato spiritibus commeatu ad organa respirationis difficillima anima, hinc laqueo suspensorum ipsissima imago, quæ sanè admodum exitiosa est, imbecillitatem enim motricis facultatis, quæ anhelitus machinamenta ciet, arguit. Sed multò deterior illa est, in qua nec spumcæ sordes, nec clangosæ, strepereque voculę, quas strangulati emittere, & blaterare consueuerunt, nec anima halans apparet. At omnium mitissima illa est, in qua ægri minima spirandi difficultate laborant, quum alimenta exhibita per nares non refluunt, sed suis redduntur locis. Non vacat tamen periculo, propterea Hipp. scriptum reliquit, apoplexiam, quidem sortem non sanari, debilem verò haud facilè curari.

Cæterùm ventriculorum cerebri infarctus obstructorij, atque angustiæ alterutra de causa proueniunt, aut ex plenitudine, aut ex constrictione, compressioneque; hancque angustiam dolorifica, atque nocentia moliuntur, dum enim ea cerebrũ cuitat, cogitur, contrahitur, & vnà cauitates subsident: aut etiam validum frigus stipans, & densans cerebrum ponitur in culpa. Atqui repletio aut abscessione comitata. aut sola fatigat, si lateat abscessio, vt premit, & oppilat, ita infarctu, & compressione nocet, & hinc orta apoplexia fortis est, & curatu difficillima, neque refert æstuansne, an algescens sit materia tumoris. Quæ verò citra apostema accidit, frequentior est, tuncque materia, aut in cerebro ipso, aut in vicinia stabulat, quæ verò hic consistit, aut semitas occludit, per quas spiritus è cerebro in alia membra influunt, nempe neruos, sunt enim interius spongiodes, & syringodes, aut certè vias obserat, per quas vitalis spiritus in cerebrum commeat, nempe arterias. Porrò illa, quæ neruos infarcit, aut est sanguinea, quæ repentè, & confertim in cerebri ventriculos impetum fecit, aut est phlegmatica copia, & mole excedens, exundansque, quę arterias, & venas, & omnino meatus occludit, qui spiritus ad cerebrum conducunt, nil est aliud, quàm summa plethora, quæ commeatum spiritibus denegat, atque perinde ijs accidit, ac laqueo suspensis, carotides enim vsque adeò distentæ turgescunt, vt ne aereum quidem corpusculum admittant. Hæque sunt apoplexiæ differentiæ suis annexæ principijs.

Quidam apoplexiæ nomine abuntur, (sed Hipp. patrocinio nõ destituuntur, qui membrum paralyticum apoplecton vocat) dum vtriusque lateris paralysim apoplexiam nuncupãt, licèt caput iutegrum sit. Cæterùm quædam visitur apoplexia, quæ simillima mortis imago est, in qua nec respiratio, nec aliud vitale vestigium obseruatur, paulò tamen post laborans reuiuiscit, nosque plurimos huiusmodi vidimus, quibus anhelitus ademptus erat, aut certè nulla nota deprehendi poterat, & sospites rediere, sed his pulsus non desideratur. Hoc autem ijs duntaxat accidit, queis innatus calor adeò modicus est, vt minima ob frigoris vim ventilatione, & fuliginum propulsatione opus habeat; quare transpiratio loco respirationis illis est. Hinc lege sancitum est, & cautum, vt talium funera in tertiam diem differantur, quo tempore, ni restituantur, nulla spes supereſt, huc enim collinearunt fortassis, quòd intra hocce interuallum singuli humores iuxtà suam idiotropiam commoueantur.

Verùm enim verò apoplexia, vt plurimum in paralysim desinit, quòd profectò ideo fit, quoniam si natura, cui individuum curæ est, materiã in vtraque latera excutere nequit, saltem in alterutrum, quod ad suscipiendum aptius sit, atque paratius, se se expulsione exonerat, & materiam è cerebro in vacua lacertorum spatia disiicit, ablegat, vrget. Hoc verò argumento sit, vniuersos, scilicet cerebri vẽtriculos angustia opprimi, quoniam si posterior duntaxat afficeretur, in anteriore parte sensus feriati haud fatiscerent, sed agerent, id quod non visitur.

Quod ad prognosim spectat, Hipp. auctoritate testatum habemus, ijs, quibus sanis dolor cap. de repentè incidit, & obmutescunt, apoplexiam incurrentes ante diem septimam uitam cum morte commutare, ni febris superueniat, quæ superuacua calore fundat, & per inaspectabilem euacuationem dissipet.

Apoplexiæ ut plurimum senibus obesa, molliaque habentibus corpora, uictuque humectante suffarcinatis, præsertim si huc accedat frigiditas, superueniunt, quæ si natura calidos, siccosq; corripiant, conclamatum est, namque naturæ admodum dissentanea, & ægritudo incongruens, nisi maxima, uehementissimaque de causa non inducitur, quam uires postea longè de gradu suo deiectæ conficere, & profligare non ualent. Verùm apoplexia à caliditate rarò uisitur.

Cum totius corporis resolutio anteuenit, frequens communicata cerebro materia apoplexia succedit, quemadmodum hæc antecedens deficit in paralysim excussa, depositaque in latus materia, quæ præcipuè in posterioribus cerebri ventriculis restagnat. Quòd si apoplexiæ comes eat febris, tunc ut plurimum cerebrum abscessione teneri, colligitur.

Qui melancholici sanguinis ubertate scatent, & ideò frequenti phlebotomia corpus exhauriunt, ij sanè dempta plenitudine leuari uidentur, sed ingraueſcente ætate in apoplexiam, aut alios

conge-

congeneres morbos effœto iam innato calore incidunt. Qui verò statim periodis ingruentem apoplexiam calfacientibus pharmacis arcere conatur, is vtique eam proritat, & ocyùs occupare facit commotis intus humoribus, quare supersedere, parcereque satius est.

De periodis autem apoplexiæ iam verba fecimus, quare non est, cur hic frustra repetantur.

* *Capinacceo est functio ablata animalis cerebri, dependens à facultate impedita secundùm totum cerebrum.*

Subitam, & omnimodam sensus, & motus priuationem ob omnimodam in cerebri ventriculis, & porositatibus angustiam vocat Merc.

De Signis.

CAPVT XIII.

HOc inter attonitum, & caroticum interest, quòd syderatus agentis animam instar fauciùs vocem, spiritumque elidit, & dyspnœa laborat, sed caroticus non item se se habet, citra enim spirandi difficultatem paulatim è sopore in carum labitur, at apoplecticus extemplo concidit. Præterea apoplexiam capitis dolor, venarum iugularium turgens inflatio, vertigo oculos obtenebrans, totius corporis tremor, inter dormiendum dentium stridor, torpor, vrinæ interdum florem æris colore referentes, nigricantesque, & furfureo sedimento crassæ antecedunt.

Eam verò, quam externus error, vtpotè coitus, ictus, aut compassio ex afflictione alterius particulæ peperit, ex proprijs caussis intelliges. Quam verò apostema creauit, ea concomitantur symptomata, ea tecmiria, quæ iam abscessus arguere monuimus.

Puro sanguine satam ostendunt, quæ sanguinis copiam produnt.
Nempè rubræ sandyce genæ, suffusa cruore
Lumina, totius iugula venæque tumentes,
Intermissa diu venarum sectio sueta,
Præcedens victus ratio lautissima, vita
Delitijs, feriis, somnoque sepulta profundo;
Phlegmaticã verò nobis hæc symbola signant;
Decolor os, tumidæque genæ, turpissima naso
Stiria sæpe fluens, mens torpida, marcor, hians os.

Cæteraque, quæ tam frequèns repetiuimus. Quum senem molesta vertigo incessit, apoplexiæ aduentantis periculum portendit.

De curatione Apoplexiæ.

CAPVT XIIII.

APoplexia, quam externa, euidensque pepercit caussarum vis, curatur collimando ad procatarchontes, quemadmodum & ea, quæ per sympathiam fit, studio, & opera in primò afflictam particulam impensa curantiam admittit.

Quæ ex sanguinis affluentia proficiscitur, multo sanguine effuso tollitur (mitti autem debet iam præsente, & vexante morbo) subinde clysteribus venter inaniendus acriusculis, vt è capite materiam detrahant, victus prorsus extenuandus, quare solo iulebo, hordeato, & sero destillato nutriendi sunt ægri, odora interim, sed minùs calida, vtpotè viola, rosa, santalorum genus aliquod, olfacienda offerantur. Si pituita liquens puro sociata cruori tantæ perniciei, tanti sit criminis auctor, mittatur ex communi, aut cephalica vena sanguis, dein acriora clysteria, & suppositoria ex gummi, & bubulo felle conflata in infernum guttur indantur, postea pillulæ fœtidæ, de sagapeno, cocchiæ, de euphorbio, & alia id genus dissoluta in iusculis deuoranda propinentur. Præmissis catholicis hisce præsidijs calfaciente fotu, & perfusione caput, & reliqua membra perfundenda, veluti ex anetho, abrotono, amaraco, folijs lauri, calamentho, thymo, hyssopo, melilloto, origano decoctis in aqua ex arte, & percolatis, similiterque oblinenda sunt oleis harum herbarum virtute imbutis, & oleo ruthaceo, in quo dissolutum sit modicum pyrethri, castorei, galbani, opopanacis, & oleo sulphureo totum caput perungendum; similiter si cariophyllis, macere, nuce-myristica, acoro suffiatur, ad rem præsentem fiet. Pedes, & artus oleo, & aqua salita calfacientibus, calefactisque perfricentur, vertebræ liquido styrace, & euphorbio oblinantur, inio synapismus admoueatur.

Inter olea profectò quod è cucumere agresti exprimitur, summè commendatur, item ruthaceum, scyllæum ex veterrimo confectum oleo, siue quadraginta dies maduerit, siue sit excocta scylla. Sumitur olei mensura vna. i. Kist. i. cotila, scyllæ ʒ. ij. incoquuntur, donec dissoluantur. Huc facit & oleum pyrethri, scyllini more concinnatum, quibus si modicum ceræ commisceatur, euadet accommodatius auxilium, siquidem diutius, & pressiùs hæret; Hac tamen lege topica sunt vsurpanda, vt à leuioribus auspicium ducatur, quæ ni profuerint, ad valentiora paulatim gradus fieri debet. Neque abs re fuerit, si post vniuersam purgationem naribus admoueatur struthion, & quæ caputpurgia vulgo dicuntur, & olea roborantia vsurpentur, quin & candens ferrum, vt inde caput strenuè calfiat, admouendum, quò & emplastra digerendi vi prædita spectant.

Si vomitio penna oleo liliaceo, aut simplici oblita, & in gulam immissa prolici possit, præsertim si stomachi tædia, aut antecedens crapula cruditates subesse testentur, vnde malum originem, & accessionem susceptare queat, maximo erit vsui: Huc aliud commodum ex vomitu accedit, caput scil. calfieri ex præcedenti illo vomendi conatu, quod quidem apoplecticis à phlegmate in bonis habendum est. Ad hæc flatus, qui comites ire consueuerunt, discutientibus dissipãdi sunt, hinc enim leuantur ægri.

Id verò agendum, vt inter dentes aliquid interijciatur, ne comminuantur. Vbi verò ad vomitum deducuntur ægri, modicùmq; euomunt quotidie cum D. ruthæ, & rad. asari, betonicæ, & similium, olei de ricino ʒ. ij. propinandæ, paulatimque procedendum vsque ad ʒ. v.

Post

Post generalem euacuationem quotidie auellanæ quantitate veterem theriacam, aut mithridatium, aut etiam anacardinam confectionem, & similia præbia præbere confert. Ex simplicibus verò castorei scripti. iiij. cum hydromelle, aut oxymelle, aut sagapeni fabæ pondo, aut ℈.ij. sumat. Potui hydromel, aut simplex, aut aromatis medicatum, prout vsus postulauerit, inseruiat.

Alleuato igitur his præsidijs laborante pharmica, & gargarismi præscribenda sunt, & cucurbitulæ super ceruicem, & inion cum scarificatu, aut citrà iuxta materiæ conditionem affigendæ; Diæta deinde conualescentium iniungenda, & balneis post tres hebdomadas destinentur ægri, quorum ab egressu corpora oleis deliniantur odoris.

Inter gargarizonta illud apprimè valet post vniuersalem purgationem, quod sedulò ex D. hyssopi, thymi, origani, calamenthi, & oximelitis simplicis quadrante componitur. D. quoque pyrethri, thymi, staphis-agriæ, & sumachiorum prodest. His autem medicamen præstantius est, quod ex pipere, zinzibere, staphis-agria, nitro, rosis, sumachio concinnatur, teruntur omnia, & cum vino passo componuntur, pharmaci huius nonnihil ad proliciendas pituitates manditur, & portio etiam in D. Hissopi ad formandos gargarismos vnà cum mastiche chya dissoluitur. Huc faciunt longum, nigrumque piper, synapi, calamenthum in pollinem redacta, & cera, masticheque excepta, vt inde mansiles pastilli formentur. Acorus verò ad cerebrum, & neruosum genus roborandum maximam partem confert, sicut & oleum liliaceum in illitus adhibitum neruosi generis superuacua disijcit, & resoluit, & interim odoris suauitate insitum spiritum roborat; eodem censu sunt ol. amaracinum, chamæmellinum, anethinum, schœnanthinum, maximè si super caput infundantur: Hæc cæteris præstare solent in frigidis cap. affectibus, præsertim si hyssopum, thymum, origanum, calamenthum, & similia simul incoxeris.

Alimonia apoplecticis offerenda multò esse debet frugalior, quàm quæ epilepticis. Quare mane solus panis cremor vnà cum caricis concedatur. Vinum autem abdicandum, nihil enim peræquè, ac vinum cibis abundè superingestum officit. Vesperi, si cœnandum sit consuetudine ita ferente, leui exercitio præmuniantur, & laxa membra tractentur. Ab assumpto cibo statim non ineunda quies, sed tandiu vigilandum, dum cibus aliquanta concoctione elaboratus in fundum stomachi descendat, attamen nec diutiùs euigilare iuuat, si quidem hoc cerebrum afficit, alternatque, & ex coctionum officinis crudum vaporem attollit, vigiliæ siquidem coctiones remorantur.

Sunt qui hordeum cum lentibus, vuas passas, & amygdalas, & præcipuè ficus in secunda mensa commendent. Vinum (si modò vti fas decliui iam malo,) non sit recentissimum, quia nondum est illime, & defæcatum, neque antiquum, quia celerrimè caput petit, sit itaque medium.

Si cum apoplexia febris adsit, hanc è re laborantis reputa, propterea triduo obserua, donec apoplecticus detegatur dissipata materia, etenim fortassis tanquam critica ad iudicandum accessit, at si secus res habeat, febrisque, aut ex apostemate, aut putredine ortum ducat, lethale Sinion est.

Illud non omittendum, in apoplexia, & paralysi, poros, & meatus vsque adeò constringi, vsque adeò conniuere, vt pharmacorum euacuantium vim ad coniunctam materiā vix pertinere, atque adeò exigere, & discutere posse putandum sit.

FEN, SEV DICTIO Secunda.

DE ÆGRITVDINIBVS Neruorum.

Tractatus Primus.

CAPVT PRIMVM.

NEruorum originem differentias, formas, naturam, anatomen sat explicatè, ni fallimur, alibi tractauimus, proximum modò est, vt de eorum affectibus verba faciamus. Nerui, vt pleræque partes, similari, organico, (quatenus certa structura constant) & communi morbo obnoxij sunt, quare non est mirum, si tùm naturales, tùm animales functiones vitiantur. At verò laborioſi motus inter reliquas causas maximam vim ad inducendas neruorum passiones habent, etenim cum nerui sint motus machinamenta, (saltem præcipua pars) & operosi motus cum laxata, contractaque resti, & graue pondus leuante comparentur, necessum est, quoties crebriùs, impensiùsque alternis tenduntur, neruos affici.

Signa ægritudinum repetes ex læsa actione, sensus, motus, ex tactu per mollitiem, & duritiem, ex cerebri, & vertebrarum dispositione, ex doloris modo.

Verùm vbi hæsitatur, num sicca, an humida sit neruorum ægritudo, vestigare operæpretium est, qua ratione inuaserit, nam si ex tempore se se prompserit, non est dubium, quin sit humida, quò pertinet illitu factum periculum, nam si vuida particula oleo (exempli gratia) sit delibuta, id difficulter absorbet, at si arens, & hiulca sit, confestim deuorat, & absumit illitum, si modò pars extraneo calore non candescat.

Exercitium à totius corporis purgatione per se cuiusuis membri temperationem permutat, sed paulatim, & pedetentim incundum, & eò vsque pergendum, donec propulsando affectui par sit.

In neruorum curatione ea methodus obseruari debet, siue purgare, siue afficere duntaxat velis, vt præsidia ad frigidas materias dirigantur, cum enim sint frigidæ naturæ, simillima congerunt

runt excrementa, id quod in vniuersum dictum volo. Cathartica verò validiora sint, oportet, vti pulpa colocynthidos, elleborus, maximè albus, (si vomitio sit prolicienda) euphorbium, sagapenum, Hieræ magnæ, & alia id genus. Verùm quæ per inaspectabilem euacuationem neruos iuuant, sunt laconicum, exercitatio mensurata. Quæ temperamenta afficiunt, & permutant pharmaca, cap. de cerebro abundè censuimus, oleaginosa, vnctiuscula, & adipata neruis analoga sunt. Huc faciunt calidorum oleorum fæces, oliuarum, lini, si modò frigiditate, & duritie laborent; Costinum peculiari conditione neruis amicum est. In eosdem vsus succi, & embrochæ vsurpantur; Quæ neruorum affectus curant præsidia, debent esse multò fortiora, vt patientis resistentiam peruincere possint, tum partium tenuitate, & calastica virtute constare, vt poros corporis recludendo sibi viam ad interiora muniant, & densum neruorum corpus quoquouersùs peruadant. Neruoso genere curando dum studemus, occipiti primum, tu lęsi nerui principio topicis occurrendum est (ni oris musculi afficiantur, tunc enim syncipiti potiùs consulendum.)

Porrò neruis quædam peculiariter prodesse, aut obesse consueuerunt, quorum aliàs mentionem fecimus: Nunc paucula, sed singularia in memoriam reuocemus. Roborandis itaque neruis primas tenent acorus nuttitus, castoreum, grana pini, leporis cerebrum assum, stœchas. Sumi debent quotidie ʒ. j. pondo in pillulas redacta ex melle rosato simplici. Item maximè confert mediocris exercitatio, & calfacientia olea allita.

Noxia verò neruis sunt immodestus coitus, ab alimonix ingestione plurima somnus, frigidissimæ aquæ potus, temulentia, vinum liberaliter epotum, mordicat enim, & in neruis acidum euadit, hinc refrigerat: Item acerum, acetosaq; omnia, flatulenta, vehementer frigida, larga sanguinis missiò.

In præsentiarum de neruorum discrasijs, & obstructionibus duntaxat agere consilium est, apostemata, & vlcera in quartum librum referemus. Interim illud non est omittendum, frigidam quidem aquam neruis obesse, quòd coctionem remoretur propriæ humiditatis, quare recrudescit; Ad hæc agaricus tùm calfaciendo neruos roborat, tùm purgando expedit.

De Paralysi.

CAPVT II.

PAralysis * vitium est, in quo voluntarius motus obliteratur, tametsi nonnunquam cum motu & sensus tollitur, facultas tamen principalis non læditur, nec vniuersæ corporis partes soluuntur, si enim ita fiat, non paralysis, sed apoplexia foret. Generatur, dum membro aliquid præter naturam it obuiam, vi cuius motrice facultate musculus uiduatur, & mouendi muuere prorsus orbatur, vnde membrum collabi, collidique necessum est. Definiatur ergo paralysis ablata musculi motio ob frustratam motricem facultatem: Frustratur autem, quia animalis spiritus ad membra non permeat, aut sanè migrat, sed eum partes ob intemperiem, siue calida, siue sicca, siue frigida, siue humida sit, hospitio non admittunt, quamquam calida, (ni vehementer excedat) spiritum ingressu ad neruos haud prohibet, vt videre in Hecticis est, qui & mouentur, & sentiunt, licèt eorum corpora sint thermasia torrida: De sicca intemperie eadem ferenda sententia. Humida verò, & frigida dyscrasia, vt plurimùm sensum, & motum abolet, quod sanè maximè cõsentaneum est, siquidem frigus spiritui aduersariũ sistit, stupefacitque, humiditas verò immodica, hebetudini, & torpori membra præparat, & præmunit. At quemadmodum hæ intemperies sine materia sensum, & motum maximè demoliuntur, ita calfacientibus, & siccantibus facilè expunguntur; Hinc verò exortæ paralyses non particulam nõ alterutrum, sed vtrumque latus vt plurimùm occupant, quòd si vni membro accidat, coniectandum est, fieri coercito spiritu, & vetito, ne in mẽbrum penetret, vetant autem infarctus, & obstructiones, & soluta vnitas, angustia interdum compressis, adstrictisque poris, interdum occlusis ab humore superuacuo, nonnunquã vtriusque caussæ coitu, congressuque contingit, & tunc abscessus dicitur. Quare resolutionis, & paralyseos caussæ, quæ animalem spiritum à membris abscindunt, abdicantque, sunt meatuum adstrictio, infarctus, apostemata, vnitas soluta.

Adstrictio aliquando ex arctiore vinculo prouenit, quæ sublata zona euanescit, atque proin sensus, & motus restituuntur illicò. Accidit quoque ex percussione, aut lapsu vehementi, quando maximè vertebræ rumpuntur, aut loco dimouentur adeò, vt nerui inde exorientes comprimantur. Cæterùm frequentissimè, vbi spondili antrorsum, aut retrorsum flectuntur, tensio, non adstrictio euenit, quandoquidem neruorum processus, vt ex anatome autopsia est discere, non antrorsum, aut retrorsum, sed ad latera procedunt. Quandoque pori propter soliditatem, crassitiemque nerui occallent.

At verò vt occlusio ex infarctu, atque ex plenitudine, ita hæc ex humoris affluxu fit, qui membrum madefacit, & neruorum inania loca permadit, aut certè neruorum origines, & initia opplet, & spirituum influxui aditum perinde intercludit, atque densior nubes solis radios reuerberat, atque excludit. Apostema verò interdum accidit in neruorum principijs, & propaginibus, & meatus occludit. Neruorum verò incisio secundùm longitudinem motui, aut sensui non officit, sed quæ secundùm latitudinem sensum, motumque adimit.

Sciendum interim cerebelli substantiam cerebro ipsi congenerem esse, nec diuersam sortiri naturam, licèt septo quodam distingui videatur, quare purgando, & expellendo superuacua cerebri excrementa rectitudinem lateris seruat, & deponit onus in imbecilliorem, decliuioremq; particulam, quæ tantò promptiùs, expeditiùsque susceptat, si lapsus, aut ictus præcesserit, qui partem infirmauerit, fluxionemque accersiuerit. Quare

autem

autem vnum latus resoluatur altero incolumi, aliàs ediximus.

Interim sciendum ex vehementi animi motu aliquando humores cieri, qui aut soluunt, aut pariunt affectum pro varia corporis habitudine.

Si materia paralysim committens in altero cerebri uentriculo consistat, tunc non modò latus infra ceruicem, verùm etiam subiecta faciei pars resoluitur, at si in origine spinalis medullæ restagnet, totum corpus soluitur præter oris particulas. Solet tamen capitis cutis obstupescere, quoniam è ceruice neruuli deriuantur in caput sensus delatores. Si autẽ materia ad vnũ spinalis medullæ latus declinet, subiecto lateri noxa communicatur facie secluſa. Quòd si nerui ab origine procedentes altiùs immersi afficiantur, aut in vno latere, tunc quod sibi respondet, subditum membrum resoluitur: At si vitium non in origine spinalis medullæ, sed in particulari sit neruo, hebet, stupetque membrum proprium illius nerui, siue in toto neruo, siue in medio, aut in parte consistat. Quod si fuerit in aliqua parte, minùs in alia, tunc membri firmitudo emollitur propter læsi nerui consortium, & sympathiam.

Quædam paralysis colicam per modum crisεos sequitur, in qua motus duntaxat, haud sensus amittitur, quia nerui motorij modò afficiuntur.

Non desunt, qui testentur, populariter colicum dolorem grassatum fuisse, plurimosque de medio fustulisse, eosque, qui euasissent, in paralysim chronicam incidisse, quasi natura materiam ad intestina decumbentem ad neruos ablegarit, & paralysim peperierit, dum enim ad ambitum amandabantur, & propter crassitiem humores in sudorem non poterant conuerti, neruis hæsere, & in hac vt plurimùm permanet sensus.

Est alia paralysis, quæ acutas ægritudines excipit, & mendax est crisis ex decubitu materiæ ad neruos: hocque accidit, quia natura ob imbecillitatem euacuare integrè non valet, hinc materia in cerebro restitat, & dolorem, & grauitatem parit, quam paulò post expultrix vis cerebro consulens in subiectas partes excutiens ablegat, & paralysim committit.

Paralyses vt plurimum hyeme, & Vere propter humorum motum, & affluentiam interueniunt, potissimùm verò in regione meridionali ijs, qui quinquagesimum ætatis annum excesserunt, idq; propter defluxum materiæ è cerebro, quoniã austri capita replent humoribus vuidi.

Paralytici pulsus est vietus, tardus, rarus, nam vbi morbus virtutem frangit, pulsus languescit, frequens fit, & etherorithmus euadit.

Vrina vt plurimum albescit, aliquando etiam ob iecinoris atoniam, debilitatemque in secernẽdo à sero sanguinem, aut ob venarum effœtã trahendi vim, aut propter dolorem, aut propter renum deiectum robur rubescit. In hoc affectu mireris, qui interdum valens particula exardescat, perinde, ac si igne comburatur, paralytica verò æquè rigescat, & stupeat, ac si nine esset obtuta: Pulsusque vtriusque lateris non exiguo discrimine micant, est enim paralytici lateris pulsus delectus, eneruis ob insuetam frigoris insolentiam, & nonnunquam oculus eiusdem lateris ita gracilescit, vt minor appareat. Ea verò resolutio, in qua membrum paralyticum concolor est sano, neque extenuatur, tabescitve, maiorem salutis spem portendit, quàm vbi secus se habet res, vt enim arguitur de tenore suo non esse deiectum calorem naturalem, ita vegetalem vim vigescere.

In paralysim quoque per modũ crisis aliquando permutantur apoplexia, epilepsia, colica, hysterica passio, febres chronicæ, facta in neruorum initia humorum metastati.

Porrò paralysis ex vertebrarum luxatione vt plurimum lethalis est. Illa verò, quæ ab ictu, aut contusione non admodum neruos atterente fit sæpe sanatur, at si magna sit contusio, nulla spes est. Interim illud non ignorandum, in paralysi sanabili, in qua adsunt scopi, auspicium ducendum esse à phlebotomia. Satis porrò, superq; dictum, atque testatum esse putamus, qui paralysis in apoplexiam, vicissimq; apoplexia in paralysim degeneret, deficiatque.

* *Gorræo est priuatio motus, & tactus in toto corpore, aut in parte, talis quidem exquisitissima paralysis est, in qua nerui sensum, & motum amiserunt, imperfecta est, in qua seruato sensu motus amittitur.*

* *Mercato, priuatio est sensus, & motus, non vniuersalis, sed partis alicuius, seruatis tamen vt plurimum internis sensorijs.*

De Signis.

CAPVT III.

PAralysim, quam torsio, lapsus, aut percussio, aut cæsio peperit, hæc eadem significant, arguuntque. Verumtamen quando neruus est profundus, causa in sectione occulitur, quam subitus euentus tamen detegit.

Calidum apostema produnt tensio, dolor, febris; durũ tactus detegit, nodosa enim crassities, & extans in neruis durities, quin & dolor subest, vt plurimum torturam, aut percussionem, aut calidum excipit abscessum. Si autem molle apostema deliteat, tunc difficile dignoscitur, attamen stupor, & lenissima febris concomitans, dolorque alterna vice modò mitescens, modò ingraueſcens promunt. Ad hæc, æger, vbi sese mouendi libido incessit, in eo loco nescioquid impediens, & motum intercipiens percipit.

Qui verò paralysim patitur ab humore per totam nerui substantiam expasso, in totum membri affectum ingrauans extenditur molestia. A neruorum crassitie pendentem laboriosa post contractionem extensio significat, neque membra tam agilia sunt, quemadmodùm in germana paralysi.

Sanguinis verò plenitudinem arguunt iugulares uenæ tumidæ, oculi rubentes, pulsus plenus, & reliqua toties decantata, quæ plethoram renunciant.

Si fiat à nuda humiditate, hanc significant albedo, & multa mollities affluens.

Si colico dolori, acutisque succedat febribus, prodro-

prodromi hi affectus digito indicabunt.

Si à mala intemperie frigida, aut ab humida producatur, vt repentino insultu non lacessit, ita alia signa desiderantur, talisque discrasia ex tactu, & ex caussis præteritis conijcitur, colligiturque.

De curatione paralyseos.

CAPVT IIII.

STudium omne, & cura in quinque neruorum ægritudinibus, nempè stupore, conuulsione, tremore, paralysi, & iactigatione, conuerti debet ad occiput, hæc enim pars primò laborat.

A carceribus, & sub morbi initium non est ad fortia pharmaca properandum, sed differre, sustinereque oportet, donec quarta, aut septima dies pertranseat, & si ægritudo fuerit vehemens, vsque ad decimamquartam parcere, temperareque opus est. Interim adhibenda, quæ extenuant, quæ leniunt, quæ digerunt, & resoluunt, apozemata. Clysteribus sollicitanda aluus. Exacto hoc tempore, & paratis humoribus valida cathartica sunt vsurpanda.

Diæta autem hoc pacto instituenda. In primis pro cibo ptysana hordeacea, aut potiùs hydromel triduo, & si virtus tolerauerit, vsque ad xiij. diem propinetur, at si tandiu tam accisam diætam ferre non potuerit, auiculæ nemorales sunt offerendæ, sed citra saturitatem, bonum enim est, si fame macerentur; tosta, quàm iurulenta, magis proderunt. Sitim diutissimè perferant. Secunda mensa offerantur phistici, quia peculiari vi proficiunt. Aqua porrò magis conducit, quàm vinum, hoc enim cruditates in neruos conuehit, & ipsum in neruis acetosum euadit, nihil verò neruis aceto nocentius. Aqua verò sit medicata aut rad. acori, aut crassiori cinnamomo, paralysis, quæ à tortura, aut compressione neruorum prouenit, curationem proprio cap. de inflexione, & compressione tractabimus. Quæ sit à percussione, aut lapsu, difficilem curationem admittit, attamen, si quam admittit, in eo consistit, vt diligenti studio consideremus, an apostema, an aliarum materierum fluxionem accersuerit, & iuxtà causæ ideã instituatur curatio: Et pharmaca omnino super percussam particulam, & super neruorum originem sunt ponenda, incedendumque versùs membrum paralyticum. Topica enim paralytico mẽbro admota nullum memorabile beneficium afferre consueuerunt, sed circa originem cura conuerti debet, & æquale est, siue medendo inhibere velis apostema, aut calfacere, & permutare complexionem studeas. Et fortasse occasio feret post catholica aphæretica, vt cucurbitulæ iuxta membrum percussum affigantur, ut affluxa materia extrahatur.

At si vera paralysis fuerit propter neruorum scilicet mollitiem, & solutionem, tunc sic regendi sunt paralytici, vt materia euacuetur, & quidem cum pillulis de euphorbio, fœtidis, hieris, maximè Hiera Hermetis, vomitione quoque cum elleboro albo prouocata pars materiæ educenda, aut si mitiorem medelam quæras, tum succo Raphani. Purgato corpore exhibenda theriaca pondo scr. & ascendendum ad ʒ. j. permiscerique poterit cum Sesamo decorticato, & sacharo. Quin sagapenum aliquando potandum datur, & castoreum per se magnitudine fabæ magnæ, & vnà cum melle ros. simpl. omnino verò fortia clysteria, & acria suppositoria sunt administranda, vt ad inferiora materia trahatur. Spondili verò oleis calentibus, & validè calfacientibus sunt inungendi, interdum etiã, vbi amittitur sensus, & malagmata rubificantia parti inducuntur, qualia maximè ex radice lilij contusa conficiũtur, & rachitidi studiosè affricantur.

Præterea cucurbitulæ musculorum capitibus, sed sine scarificatu, & post vniuersalem corporis purgationem affigendæ sunt, sintque strictioris oscoli, & cum multa flamma strenuè figantur, atque refigantur. Interdum etiam scarificatæ conueniunt: Quin vbi affectus admodum communis, & earum vsus necessarius est, & pluribus locis separatim sunt applicandæ, alioquin origini nerui affecti, & ab adhibitis cucurbitis cætera metasyncritica apponuntur, nempè dropaces, calorem que excitantia ex farina gir, seu nigellæ, & rad. lilij contusa cum melle: Sinapysmus quoque huc attinet, qui si debilitetur vsu, identidem permutetur, donec rubeum pars trahat colorem in vesicas sublata. Dropax verò nitro, sulphureque acutus maximè cõfert, similiterq; embrochæ non sine affrictu ex ol. & nitro, aut ex aq. sulphurea, & marina studiosè adhibitæ conducunt. Sed aduertendum, ne vlcerantia admoueantur, cũ enim sensus obtusè sentiat (neque enim prorsus obsoleuit) interdum topica grauiùs partem exulcerant. Explorare itaque opus est, & obseruare, nũ quid metasyncritica admota solam cutem rubore afficiãt (id autem post digiti leuem attactum an cutis albescat, intelliges) quòd si ad subiectam carnem ardor penetrarit, malagmata maioris mali metu remouenda sunt, & alternis admouenda, & dispositiones obseruandæ sunt.

Vnum verò, & singulare est præsidium struthion, si in puluerem redactum in nares insuffletur, quoniam purgat cerebrum mirificè, & materias ex parte affecta auocat. Vino vtendum mediocri, & modiciſſimo in affectibus neruorum, nam plurimo nihil est nocentius.

Acori radix condita mirificè cerebrum roborat. Dum verò Hieræ præscribuntur, paulatim ad summam dosim perueniendum, sed inchoandum à ʒ.j. ad ʒ. vj. ijsque, quarta pars castorei ammiscẽda. Oleum item de Ricino vnà cũ iusculo ex diureticis radicibus confert.

Sunt inter medicos quidam, qui paralyticos hoc pacto curãt; Quotidie Hieræ aureum vnum, & tantundem piperis præbent, & ægri sanantur. Sed vbi tali medicamento vtuntur ægri, potulentum quippiam ingerere non debent, vt diutissimè in stomacho pharmacum moretur, nam tandem aluum soluit, & subducit. Noctu interdum piper cum castoreo aurei pondo deuorandum offerunt. Sed nihil præstantius inuenies theriaca, Mitrodatio, & Anacardina confectione,

Assa quoque fœtida ℈. j. pondo semel, atque iterum quotidie sumpta valde prodest, similiter illita.

At verò postquam restitui cœpit membrum, exercendum est, & vicissim contrahendum, extendendumque, vt integrè redeat. Confert nonnunquam febris, alta, intentaque vox, & vociferationes, sed post euacuationem, & vbi reualescere ægri cœperunt, similiter sicca, atque etiam thermarum balnea ad digerendam impactam membris materiam vsui sunt, sed in vsu resoluentium illud est obseruandum, ne humectando relaxent, partemve remolliant, sed potius stringendo, solidandoque firment, roborentque. Quare resoluentia sint, veluti anysum, styrax, castoreum, schœnanthos, & similia.

Paralysis verò ex colica affectione curatur medicamento ex nuce Romana alibi descripta. Hicque non sunt fortia topica admouenda, sed mitia, vt oleum liliaceum, spiceum, narcissinum, sambacinum, de nuce indica. Nonnunquam etiam topica refrigerantia, & subadstringentia prosunt, quatenus materiam influentem reprimunt, argumento sit, quòd vbi calida vsurpantur, peiùs habent, eaque ratio est, quia subtilior portio latiùs diffunditur. Omnino verò vbi calida vsui sunt, non sunt adhibenda admodum calfacientia, sed topica sint veluti chamæmelum, melilotus, amaracus, mentha, & calamenthum oleis incocta, & cum his alia misceatur, quæ nescio quid stypseos, & refrigerantis habent, sicut liquiritiæ succus, semen endiuiæ, &c. id genus.

Paralysis verò à sectione nerui curantiam non suscipit. Quæ à frigida intemperie orta est, tollunt calfacientia. Quæ verò ab vsu aquæ frigidæ affatim ingurgitatæ venit, laconico curatur. Quãdo febris paralysi superuenit, paralysis post habẽda tantisper, & syr. acetosus iunctim cum melle rosaceo tutò, vtiliterque congruit.

De Conuulsione.

CAPVT V.

COnuulsio generatur cum causa morbifica neruo occurrit, cuius vi nobis inuitis musculi ad suum principium retrahuntur. * Conuulsio itaque est motus praeuus retractionis membri sequens musculos contractos à neruis. Est enim spasmus passio nerui propria, in qua lacerti ad originem suam contrahuntur, & dilatari, explicarique recusant, aliquando tamen redeunt, vt visitur in oscitatione, & singultu. Causa autem aut est materiata replens, aut citra materiam, sicut caliditas, & siccitas inaniens: Et sanè frequentissima conuulsionum origo est phlegma, interdum etiã sanguis, vt quando musculi inflammantur, aut abscessione tenentur, aut etiam melancholicus succus, quum scilicet materiæ portio attenuata in nerui substantiam peruadit, & mole eius longitudinem corripit. Porrò materia spasmi genitrix, aut vniuersam musculi substantiam inoccupat, obligatque. Aut certo loco coercita manet, cui tractæ reliquæ particulæ in obsequium veniunt, sicut in spasmo abscessus sobole ex plaga prorsus vsu venit. Imò non est adeò adynaton, quin conuulsio fiat à flatu crassiore, quæ sane vt citò accidit, ita citò recedit. Conuulsio item fit per materiæ metastasim, & translationem, vt fieri solet ab angina, pleuritide, aut phrenitide, translata scilicet à laborante particula materia ad neruosum genus.

In spasmo autem ab inanitione fit nerui contractio secundum omnem dimensionem, adeò vt longitudo breuietur, latitudo compingatur, & perinde se se cogit, colligitque, ac tergora igni admota. Scitum autem fidiculæ hyeme, & humecta tempestate replente madore corripi, æstu verò propter exhaurientem siccitatem.

Fit etiam spasmus sine vlla materiæ admissione solo rei noxiæ occursu, quam nerui refugiunt, & ad expellendum veluti conantur vires contractione resumere, & ingeminare, hæc verò vt plurimum est materia quæpiam dolorifica, calida, mordax, acrior, aut certè venenata est; quæ ad cerebrum sublata, vt irritat, ita vniuersum neruosum genus in consensum pertrahit, quod contingit, cum scorpio, aut scarabæus neruos pupugit. Accidit etiam ob qualitatem minimè deleteriam, vt quum succedit vehementissimo frigori, quo musculus vnà cogitur, conglaciatque simul.

Porrò vt paralysis pro neruorum, membrorumque diuersis initijs varia subit discrimina, ita & conuulsio, & vtrobique una ratio cluet, est siquidem, quæ ceruice tenus angit, est, quæ supra, est, quæ antica, est quæ postica parte magis infestat, & quemadmodum propria materiati spasmi causa est repletio adducens, frigiditasque, & humiditas ad nerui concretionem, crassitiemque veluti synætia, & adiutrices causæ conueniunt, sic inanitio immateriati, caliditasque, & siccitas unà cooperantur per diaphoresim. Hoc verò interest, quòd materia conuulsionum parens non remollit, non laxat, quia fibrarum substantiam non ita penetrat, peruaditque, vt neruus humectetur, sed in meatibus coercita subsistit. Quamobrem spasmus quodammodo dici potest membri particularis epilepsia, quemadmodum epilepsia est totius corporis conuulsio. Hoc autem discrimine dissident, quòd epilepsia quibusdam repetit periodis, & citò soluitur, non item spasmus. Sed sunt etiam quædam conuulsionis differentiæ, quæ subitum ortum, obitumque agnoscunt, vt spasmus humidus, qui pueris lactentibus, aut qui uino nimio madentibus euenit: In uniuersum pueri ob neruosi generis imbecillitatem in conuulsiones labuntur, sed ob hepatis, cordisque robur, & ob molliculam corporis substantiam, & humorum tenuitatem facilè defunguntur difficilis humoribus, licèt post febres acutas emergens semper perdat & pueros; Qui si septimum annum excedant, non admodum conuelluntur, nisi ex praui simam, diutinaque febre.

Et subita formido animum percellens, spiritusque repentè cogens, dum musculos deserunt

hanc

hanc perniciem inuehit. Quæ nec minùs contingit, vbi prauè membra disposita manent, quò fit, vt eò confluens humor iuxtà priorem situm, & figuram eadem contineat, obligetque. Fit etiam ex percussione, aut ex graui pondere sublato, aut ex incommodo decubitu super duriusculum cubile, sed inde exorta conuulsio nullo remouetur negotio. Nec minùs hoc idem accidit ex materiæ metastasi offarciente spiritus semitas, quò fit, vt coactus spiritus gradum sistat viam inuiam penetrandi impotens, hinc membrum dilatari, extendique nequit, ast vbi dissipata materia, spiritui panditur iter, dilatatio succedit; Nec absimile quippiam ab extensione visitur, præsertim à somno experrectis, quo tempore contracta remanent membra, nec extenduntur etiam, quoniam spiritus per soporem obtorpescit, quare vt foras ad sensuum caulas minùs prosilire studet, aut curat, ita in interiora declinat.

Spasmus autem siccus alius soluenti pharmaco succedit, similiterque cuicunque aliæ euacuationi, & est perniciosus, alius vrentium febrium soboles est, præcipuè ex phrenitide propter laboriosos musculorum, & totius corporis, & animi motus, & alia symptomata, sicut sunt vigiliæ, angustia, timor, anxietas, & iste spasmus frequèns ad exitium ægros ducit. Alius item spasmus est, febricitantibus familiaris, qui non est admodum pernicialis, & ex eo trahit originem, quòd calor febrilis materias fusas in neruorum substantiam abducat; Interdum per consensum ab ore ventriculi prouenit lacessito, quem vomitio submouet: Qualis qualis tandem sit, non est adeò prauus, vt qui incendiarias febres, vt qui phrenitida excipit, quæ neruos, musculos, cerebrumque ipsum æstu torrentes exhauriunt: Huc facit & spasmus ille, quem imbellis cerebri siccitas peperit, qui vt ex tempore, & extemplo fit, ita etiam tracto in ruinæ societatem neruoso genere, citò decedit, nec hercle mirum est, etenim quæcunque causa cerebrum exhaurit, eadem & sobolem, siue pharmacum sit, siue vigilia, neruos scilicet, & spinalem medullam humore, & mollitie priuat, hinc pauperes nerui trahuntur, quamquam siccitas cunctanter inducitur, abduciturque, vt ferè visitur.

Vbi verò natura studiosè cerebro sufficientem madorem comparauit, membra rectum conantia in priorem dispositionem redeunt: Hanc labem & vehemens frigoris vis generat, hinc enim cerebrum cogitur, compingiturque, cui consentientes nerui conuelluntur.

Quæ verò ex noxia, & irritante qualitate prouenit conuulsio, est, ceu quæ ab elleboro, hic enim non modò inaniendo per catharsim, sed multò magis irritando, & mordicando per delereriam qualitatem, quam nerui refugiunt, conuulsionem parit. Huius generis est conuulsio à vomitu æruginosæ bilis, quæ ori ventriculi noxam infert, & quæ propter acerrimum oris stomachi sensum sequitur, quum ad ipsam effunditur cholera, & quæ propter consensum cerebri cum vtero, cum vesica, & reliquis afflictis partibus euenit, & quæ ab ictu scorpij, aut cuiusuis alterius venenati animalis succedit, aut nerui sectionem, aut erosionem excipit, omnino quamcunque audio ab æruginosa bile profectam, siue os stomachi lancinet, siue matricem vellicet, siue neruosum quoduis corpus torqueat.

His compar est conuulsio ex vermibus, quando intestina mordicant, & sonticam auram cerebro transmittunt. Est etiam labijs sua conuulsionis species, & genis, & linguæ, quæ sanè vt à cerebro malè affecto deriuantur, ita quippiam calamitosius impendere prænunciant.

Porrò conuulsio aut fit ad posteriora, quando musculi dorsales contrahuntur, & dicitur opisthotonos, aut ad anteriora, vbi musculi anteriores conuelluntur, & dicitur emprosthotonos, si spinales musculi tùm anteriores, tùm posteriores conducantur, dicitur tetanus, siue rigor; Interdum verò vsque adeò vehemens conuulsio fit, vt collum torqueatur, & dentes strideant.

Quòd si quis à conuulsione intereat corpore præcalido existente, existimandum est, hoc ideò accidisse, quòd æger lenis respirationis instrumento conuulso, & motu penitus abolito præfocatur. Quæcunque verò conuulsio vulneratum cerebrum excipit, eadem lethalis esse consueuit, iuxta illud Coi Dictatoris. Conuulsio ex vulnere lethalis.

De Signis conuulsionis.

CAPVT VI.

IN vniuersum conuulsis pulsus varii sunt, & multiformes, quà enim tolluntur, quà demittuntur, nec peræquè veloces, aut tardi sunt, præreliquis membris arteria calet, colligiturque coarctata, non sicut accidit ingruente accessione febrili, & infestante rigore, aut sicut vsu venit post longas ægritudines, in quibus obdurescunt pulsus, aut sicut contingit præcordijs dolentibus, verùm peræquè accidit pulsui, atque intestinis, vbi extrema coeunt, & extensa coadducuntur, quantum enim prolongantur, & tenduntur, tantùdem rotunditas coit, cogiturque vnà.

Signa verò conuulsionis ex repletione sunt subitus insultus, illita non exarescunt illicò, nisi ex euentu incaluerit membrum.

Indicia conuulsionis à siccitate, inanitioneque sunt, tardi, productique paulatim exortus; Adhæc chronicæ antecesserunt ægritudines, pharmaca aphæretica, cholerica passio, aut quæuis alia inanitas, quæ corpora exhauriunt.

Simion verò conuulsionis factæ à re nocente, & irritante innotescit per extrinsecas causas præcurrentes, & per ea, quæ assumuntur, sicuti sunt euphorbium, thapsia, helleborus, & id genus alia.

Hanc conuulsionis speciem, si à stomacho proficiscatur, intelliges, si æger in stomacho nauseam, angustiam, & compressionem persenserit, nonnunquam eodem tempore & spasmus, & stomachi tædia infestant, si ab æruginosæ bilis vomitu prouenerit, iam præcessit vomitio, similiter conuulsio illa, quæ ex acerrimo oris

stomachi sensu inoritur, ex appulsu noxiæ materiæ ad stomachum irritantis, & erodentis. vnde cerebrum, & nerui in consensum pertrahuntur, facilè colligitur. Quæ autem ab vtero, & reliquis membris, ex præcurrentium ægritudinum insultu deprehenditur, præcedit enim dolor vehemens, & nocumentum manifestum ante spasmum in membro laborante prælucet. At primarias conuulsiones aut dolor concomitatur, aut subsequitur, nequaquam antecedit.

Quæ ab apostemate, dignoscitur per præfata. Signa verò portendentia sunt parui pulsus, tarditas primùm, paulò post etiam veloces, & conuulsi. Identidem facies rubescit, torquentur lumina, & demittuntur, spiritus interciditur, dyspnœa fatigat, risus sardonicus incidit. Aluus subsistit, & negligens excernendæ fæcis officio supersedet, vrina seguiter redditur, ac etiam diutiùs retinetur, interdum ocyùs effluit ampullis affluens. Præcedunt singultus, vigiliæ, dolor capitis, tremor, dolor circa articulos, & præcipuè sub articulis colli, & inter scapulas, & inter lumborum, & coccygis iuncturas.

Quem verò febris peperit arguunt strabismus superueniens, stridor dentium, nigredo linguæ, & tensio cutis capitis, vrinæ primò rubentes, subinde ad caput sublata materia albescentes, temporum venæ micantes, strictæ, stypticaque, conuulsaque aluus.

Hoc verò inter prognostica habendum, melius esse de Hippoc. sententia febrem conuulsioni superuenire quàm feb. conuulsionem, nam febris materiatæ accedens soluit, at succedens feb. perdit, sicca enim est, & inanis dispositio. Cæterùm si febricitanti superuenit spasmus non propter febris vehementiam, aut diuturnitatem madorem partium neruosarum exsiccantem, tunc conuulsio illa non est adeò pernicialis.

Signa verò pernicioſa in spasmo à repletione, sunt flatus multiplices, qui ventrem inflent, maximè in principio, vrina acuta, & ignea, significat enim maximam caliditatem. Circa præcordia dolor pulsans, & subsultus; Subesse enim aliquod apostema. aut certè summam emaciationem, renunciat.

Signa verò, quæ arguũt futuram conuulsionem per metastasim materiæ anginam, pleuritidem, aut phrenitida committentis, sunt pulsus permutati, anhelitus contractior, palpitatio, trismos, strabismus, colli torquens inflexio. Quibus succedit, subitque conuulsio.

De curatione Spasmi.

CAPVT VII.

COnuulsio plagæ pediſſequa effracto hordeo, ex chamæmeli flosculo, ex altheæ turione, & fœnograeci semine, & ex similibus comparatis embrochis curatur.

Quæ à noxia, & irritante qualitate producitur, siquidem venenatæ rei haustus præuenerit, curatur vomitu, & alexipharmacis alibi exaratis.

Quę a febre, assiduo cerebri neruorum, & lacertorum illitu cum malacticis, ægrotantis accubitu in humili, vuidoque loco morantis, tollitur.

Quæ à dolore, paregoricis, anodynisque, & remotione efficientis causiæ exigitur, quæ si fuerit scorpij ictus, ea cura adhibenda, quæ proprio capite censebitur.

Quæ ab apostemate, eo modo, quo abscessus neruorum, expungitur, vt sup cap. dicetur.

Quæ verò à siccitate, difficillimæ est curationis, si qua tamen est, nulla conuenientior balneo, & illitu iugi ex humectante oleo, puta amygdalino dulci, quæ sanè præsidia identidem repeti debent, (si modò non subsit febris, quæ non tepescat, tunc enim cunctantiùs, & maturiùs agendũ:) At verò balneum ex lacte, si copia fiat, omnibus scopis respondebit, alioquin fiat ex aquis, in quibus folia salicis, hordeum perfractum, viola, nenuphar, cucurbita, citrulli ebullierint: Aut cõfiat ex conquisitis succis congeneris naturæ. Clysmus confletur ex herbis humectantibus adiectis pinguiusculis, sic enim maximè prodesse solet.

Perpetuò verò articuli, & musculorum capita oleis oblinenda, idque crebrius repetendum, nec interim cerebri cura negligenda, sed huic quoque admouenda manus, & auxilium per nota humectantia præstandum. Quod si febris ægrum non infestauit, lac hauriendum præbere decet recens mulctum: At si febris affuerit æstuans, aqua hordei, aut cucurbitæ vnà cum iulebo violaceo propinanda, his interdum, si per febris absentiam, aut dimissionem liceat, commiscetur vini tantillum ad penetrationem. Sed omnium instar erit balneum ex tepente oleo, in quod immergi debet laborans. Non sunt interim humectantia caputpurgia negligenda, quæ narrauimus, & super ptyllij semina, & rosaceo oleo madentia linteа indormiendum. Manna iusculis dissolutum conferre consueuit, maximè puellis, qui si sumere pharmacum renuant, nutricibus propinetur.

Cæterùm à repletione conuulsionem patienti, maximè si vires fatiscant, carnes non sunt abnegandæ ficiusculæ, veluti auicularum dumeta colentium, turdorum, attagenum, perdicum, turturum, alaudæ, atricapillæ. Quod si virtus sibi constiterit, pythagoricæ mensæ destinandus æger, nempè pane, & melle nutriendus, & adijciendum erit nonnihil piperis, aut synapi, & pro potu aq. decoctionis ciceris porrigenda. His verò, qui sicco spasmo correpti laborant, contrarius victus instituendus, nempè humectans, & reficiens, vtpotè sorbitiones pinguiusculæ, ptysana hordeacea, obsonia oleo dulci amygdalino condita, & saccharo purissimo, iuscula ex agni, aut hædi carnibus, quibus aliquando herbæ incoquuntur, vbi iuris caliditatem infringere opus est. Non erit tamen absonum, aut à ratione alienum aliquid vini dilutissimi offerre, quo ventriculi coctio absolutiùs obeatur, & reliqua alimonia quoquouersùs meliùs deferatur, distribuaturque.

Cæterùm conuulsionis humidæ curatio super eo cardine vertitur, vt superuacua retrimenta foras exturbentur validioribus pharmacis sumptis, & iniectis: Et si affluentis sanguinis indicia se se prompserint, curatio à sanguinis missione auspicanda.

canda, maximè si repletio ex immodico vini vſu originem traxerit; Hac tamen cautione phlebotomia adhibenda, vt non pro plenitudinis ratione sanguis educatur, sed parciùs, etenim viribus consulendum futuris, quas vigiliæ, & crebri dolores in spasmo resoluunt. Huc faciunt balnea ex thermalibus aquis concinnata, & insessus in oleo vulpino, aut lupino, quæ tamen post catholicam purgationem sunt vsurpanda, similiter illitus ex ol. de lilio, & ex adipibus luporum, aut etiam enchantismus ex aquis, in quibus medicamenta attenuantia incocta sint, veluti abrotanus, cyperus, calamus aromaticus, lauri folia. Aduertendum autem longam moram non esse trahendam in balneo, siue ex aqua componatur, siue ex lacte, siue ex oleo, nam præ diuturnitate virtus exsoluitur, mora autem compensari debet repetitione, quare bis singulis diebus in labrum deducantur ægri. Vnicum præsidium tetanum patientibus præscripsit Hipp. nempè in frigidam immersionem, sic enim roborato calore, & ad interiora collecto per antiperistasim materia digeritur, sed hoc minimè tentandum, nisi in corpore benè carnoso, firmo, iuuenili, vlceribus minimè scatente, & æstate media.

Cucurbitulæ quoque vsui esse solent, sed musculorum extremitatibus admouendæ sine scarificatu, ni vehementior fuerit conuulsio, tunc enim scarificatio facienda, ne per attractam materiam, & non diffipatam noceant. Loca, in quibus applicantur ventosæ cucurbitulæ, sunt ceruix, dorsi vertebræ vtrinque, partes lacertosæ pectoris, ante vessicam verò, & super renes non admouentur, nisi quum metus est, ne sanguis effluat. Cucurbitulæ verò non sunt identidem repetendæ, & confertim, sed ex interuallis iustis, & loca scarificata diligenter à frigoris iniuria sunt defendenda, frigus enim inimicum est neruis, & materiam compingit, compellitque.

Vniuersalibus præsidijs tentatis membrum cõuulsum paulatim, leniterque reducendum est in naturalem situm. Inter præsidia, quæ conuulsis debentur, febris quoque censetur acuta. Hinc Hipp. scripsit, melius esse febrem superuenire cõuulsioni, quam conuulsionem febri.

Huc spectat & quartana, quæ prodesse solet propter sudoris copiam, & molestam concussionem, vnde excutiuntur è neruis excrementa, hinc quartana laborantes rarò spasmis corripiuntur.

Illud est mirabile præsidium, quod tamen experientia probauit. Renes triti cum pinguedine conuulsis artubus admouentur, & tãdiu relinquũtur super membra, donec exarescant, quo tempore remotis sufficiuntur recentes.

Cæterùm in tetano, & toti corpori communi spasmo cerebri cura (vt ediximus) non est negligenda, sed potius apophlegmatizonta, & sternutatoria ad caput deplendum sunt vsurpanda. Cõfert etiam huiusmodi conuulsos obducere mollissima lana, & calidiusculum oleum superfundere continenter. Balneum siccum item mirificè conducit. Ægri includantur dolio cooperto, vt solùm pateat, quà caput exponatur, supponatur cacabus, in quo cephalica, & nertalia bullierint, aut super ignitos lateres effundatur vinum, quò corpus calidis vaporibus circunfusum expiret, & in sudores soluatur. Inter emplastra mirum in modum, confert illud, quod fit ex styrace liquido castoreo, euphorbio, & cera citrina. Plurima alibi censentur, quæ non est, cur hic apponam; oleum de lilio, sesaminum, muccagines sem. fœnogræci conueniunt, sal calfactus, & positus super lacertorum extrema confert.

Quæ verò hausta febrem excitant, sunt castoreum, opopanax, assa fœtida, cum melle nucis iuglandis magnitudine sumpta: afferunt hæc quidem febrem, sed conuulsionem illicò auferre consueuerunt. Maximè verò conducit, veterem Theriacam, & reliquas antidotos sumere magnas. Confert apozemata diuretica exhaurire, quæ sanè rationi, & experientiæ consona sunt. ℞. rad. fœniculi ℥.ij. contundantur, & bulliãt in aquæ ℔. ij. ad tertias, de colatura tepente hauriat ℥.iiij. cum ol. amygd. D. ℥.ii. hoc apozema confert præcipuè in Opisthotono. Huc facit & calamenthum montanum. Summi verò emolumenti est haustus opopanacis pondo aurei vnius, si laborans fortis sit, alioquin minuenda dosis est; roborandus verò stomachus in primis est, hinc enim effœminari, emollirique solet. Assa itidem fœtida confert sem. orobi pondère exhibita ex aquæ ℥. iij. Item mel cum D. hissopi propinatur; similiter ammoniacum. Verùm castoreum maximè confert, & minimè noxium est, proin huius tantillum sæpe cum hydromellis propinandum duobus aut tribus cochlearijs, post alimenta deuorata præberi potest, sic enim innocentius est.

Porrò validè digerentia olea sunt admouenda, vtpotè oleum de cucumere agresti, de ricino, de rutha, de castoreo, nardinum, de pyrethro, narcissinum, hoc quoque vsui est. ℞. olei nardini Kist. i. ℔. j. & 5. ceræ ℥. ij. olei de lilio Kist. pollij, amomi, styracis, mastiches ana ℥. j. piperis, euphorbij ana aureos quatuor, spicæ, olei balsami ana ℥. j. m. ℞. Huc spectat emplastrum de euphorbio.

Puellis verò lactentibus, si corripiantur, oblinantur articuli malagmate ex melle addita lilij radice contusa, anyso, & modico croco. Ad hæc membra immergenda in aquam decoctionis chamæmelli, meliloti, fœnogræci. Quin solum chamæmellinum oleum vsurpandum. Vinum verò, vt in vniuersum dicam, modicellum conuulsis obesse non assolet, siquidem, ceu febris, resoluit, plurimum verò, & affatim epotum perquam noxium est. Vsurpandum verò antiquum vinum non recens, & inter comedendum pitissandum.

Illud verò non est prætereundum, quòd, vbi spasmus totum corpus præter faciem exercet, topica præcipuè circa spõdylos ceruicis sunt admouenda; at si musculos faciei corripit, tunc cura circa caput vertitur. At si propter stomachi vitium contingat, tunc à vomitione inchoanda curatio, vomitu enim fortè acrior bilis reijcietur, & laborans restituetur.

De Tetano.

CAPVT VIII.

TEtanus symptoma est in actione deprauata facultatis motricis, in quo nerui ad suũ principium præter voluntatem retrahuntur, vt corpus neque antrorsum, neque retrorsum flecti possit, sed stare cogatur rectum. Scire autem licet in hoc capite agi propriè de * Chuzez Arabum, quod sanè nil est aliud, quàm subitus, & vehemens dolor ex tentione neruorum, cuius generis est spasmus ille, qui Venetis (Granfo) indigitatur, quare ceu analogum diuersos habet significatus, aliquando enim significat conuulsionem, quę à lacertis clauiculæ incipit, eosque ad anteriora, aut posteriora, aut ad partem vtramque tendit. Nonnunquam omnem arguit tensionem, interdum ipsam colli inflexionem, sæpicule ipsum tetanum, qui duabus constat conuulsionibus, seu tensionibus vtrinque neruos contendentibus, nec minùs nomen hocce significat illam tensionem, quæ fit ex frigore congelante: Tetanicaque passio verè opponi germanæ conuulsioni, nomenque participare tantùm communione generis videtur, quando contraria sub eodem genere continentur, in conuulsione enim pars ad vnam dispositionem trahitur, at tetanus duabus contrarijs conuulsionibus constat, adeò vt conuulsa pars rigescat, nec moueri, flectiuè antrorsum, aut retrorsum valeat. Quare cum tetanus ex duabus aduersis conuulsionibus confletur, reliquum est, vt cæteris deterior, & acutior existat. Quin aliquando non ex duabus conuulsionibus, sed ex gemino germine tetani conflatur, nec potest, quin dolor vehemẽtissimus torqueat, quod quidem actu intelligendum non est, sed secundum vim caussarum, &c.

Cæterùm caussæ *Tensionis* (proprio enim nomine analogum signare libet) partim similes sunt caussis conuulsionis, partim absimiles. Similitudo in eo consistit, quoniam hæc tensio quandoque à repletione, quandoque ab inanitione, interdum ab irritamento neruosarum partium, aut ab apostemate pendet: In eo verò discrepat, quòd conuulsio rarò à flatulento spiritu extendente inoritur, vt plurimùm verò tetanus, qui etiamnum, quando ex duobus tetanis componitur, flatulentæ substantiæ est soboles, maximè vbi frequèns, vicissimq; irrepit, & molestissima euadit affectio: imò quando particulæ vni spasmus accidit ex flatu, affectio despectui haberi non debet, siquidem toto corpore dominantis flatuosæ materiæ indicium præbetur, quare si in simplici spasmo præpollente ventosa substantia, luctus vbique timor, & plurima mortis imago est, quid sentiendum in duplo, arguit enim caloris, & virium imbecillitatem. Alio quoque discrimine distinguitur, nam in spasmo materiato ita retrahitur membrum, vt extendi nequeat sine cruciatu, quia nerui secundùm crassitiem, & molem dilatantur quidem, sed secũdùm longitudinem corripiuntur, at in *Tetano* res non ita se habet, nam materia committens affectum villorum vacuitatem peruadit, ubi inculcata gelascit, & hinc fit, vt membrum difficulter abducatur, retrahaturque, aut certè ita incurrit fibrarum substantiam, vt repleat quidem, sed hinc fibrarum proportio diuersa fiat, & tota villorum longitudo imbuta maneat coextenta. Atqui materia spasmum inducens diuerso modo neruorum inanibus insidet, neque similiter poros peruadit. Materia verò *Tetani* perinde neruorum substantiam penetrat, atque humor paralysim efficiens, hoc tãtùm interest, quod humor paralysis auctor fluxilis est, & tenuis, & laxans, materia verò tensionis crassa, congelansque est, neque membrum flecti, aut contendi patitur. Illa etiam differentia notatur, quòd materia in *Tetano* musculi, aut tendinis, aut nerui medium non occupat, sed capita duntaxat, & initia, hinc fit, vt musculus producatur, nec præ dolore contrahi possit. Quare materia vniuersa *Tetanum* pariens in musculorũ principia influit, aut fibrarum inania occupat, & membra, ne dolor ingeminetur, producta consistunt.

Et hæc tensionis species interdum laboriosam vomitionem, aut superuacuam euacuationem stomacho læso compatientibus neruis excipit.

At si caussa sit ariditas, hinc fit, quoniam lacerti contracta, coactaque ex internæ humiditatis resolutione latitudine longitudo produci videtur, quo fit, vt motrix facultas laboriosè ad mouendum peruadere, atque adeò membrum commodè agitare valeat, cum maximè nerui duritie renitantur: Et sanè conuulsio ab inanitione penes longitudinem, latitudinemq; neruorum eius aliquam refert speciem, & squalliore, rigoreq; æquari uidetur, ea tamen aliquanto deterior, & exitialior, quoniam in tetano secundùm latitudinem tantum dissipatis humiditatibus, quæ sunt inter uillos, & membra, contrahuntur. Porrò sicut paralysis aliquando sectionem nerui excipit, ita tentio vulnera sequitur: Nonnunquam similiter, atque germana conuulsio ortum ducit, nimirum ab infarctu obstruẽte, & rigidum membrum reddente, obstruente, inquam, spirituum animalium meatus, hinc membra rigentia permanent, neque contrahuntur, aut certe cõtracta in eodem situ persistunt, donec spiritibus aditus concedatur: & hæc tensionis species ut plurimùm fit à somno, quoniam tunc calor ad interiora collectus est. Accidit etiam stupor iste, & tensio propter prauum membrorum situm, & incongruẽtem dispositionem, unde intercipitur uirtus, & membrũ sic dolitat, sic afficitur, ut ad declinandum dolorem in ea figura, & positu consistere iocundum sit perinde, atque illis, qui fune distenduntur, aut qui graue aliquod pondus subleuant, aut humeris sufferunt, aut humi dormiendo dorsi lacertos oblæserunt, & contudere, aut percussi, aut lapsi, aut sectis, aut igne ambustis, hi enim omnes dolitant, & præ cruciatu non audent disposita membra contrahere, ne conduplicetur dolor. Interdum materia flatulenta aliundè transmittitur, nonnunquam in ipsis aggignitur neruis. Adhæc quemadmodum sola faciei conuulsio malum portendit, sic sola genarum, labij, aut linguæ tensio nescio quid deterius prænunciat.

Accidit quandoque tensionis species quædam

sicca,

ficca, quam perpetuæ febres cum anxietate, fletu, delirio, pallente colore, oris ficcitate, linguæ nigredine, alui stypticitate, cutis asperitate, & tensione præueniunt, quæ malo est, significat enim phrenitida.

Omnis tensio à percussione cum singultu, punctura, delirio lethalis est, accidunt enim hæc symptomata ob cerebri calidū apostema, quo lacerti arent, & succi inferuescunt quo fit, vt musculi in longum producantur, & in ea figura membrum, iam penitus tabefactum destituunt.

Tensio infantibus etiam accidit, quæ tanto solutu facilior est, quanto tenerior, & mollior est eorū natura. Tetanum interdū antecedit plurima corporis flectigatio ob flatuum copiā, grauitas, lingua blæsa, lacertorum, & vertebrarum non obsequiosa durities, deglutiendi difficultas, pruritus sine voluptate scalptus, quòd materia sit altior non superficie tenus.

Quum verò vrina puris instar emeitur rupto apostemate quopiam, horrorque infestat delata ad sensiles particulas materia, & tenebris offunduntur ocelli ex nimia spirituum, & virium diffla tione, & caput, & ceruix sudant, hinc futura tensio in ambobus lateribus significatur, quoniam huiusmodi sanioſa materia plurima congeritur, (ni integrè per aluum, & vesicam exigatur) quò fit, vt pars in cerebrum repens dolorem, laboremque pariat. Cumque communis tensio corripit

Clauditur os, atque ora rubent, dolor improbus vrget.
Sorbile reijcitur quoduis, palmique molestant,
Inuitis multo lachrymantur lumina rore.

Differt autem hæc tensionis species à spasmo, hic enim incipit cum motu musculorum, illa verò ab immobilitate exordia ducit. Hæc tensio, rigorque interdum pleuritidi, phrenitidi, anginę per materiæ ab vno in alium locum metastasim succedit.

Visitur frequenter hoc malum in regione meridionali, in qua vigent Austri, qui capita replent, & humores cient, maximè phlegmaticis. Accidit etiam in Septentrionali regione, vbi ob frigus recrementa intus coercita, maximè fœmellis ob neruorum imbecillitatem, fiunt mali primordia. Laus Deo.

De Signis.

CAPVT IX.

VNum tetani, siue tensionis symbolum est, vt musculi non obsequantur, temperentque contractioni, qui si occupet anteriora, his stipatur notis: laborans præfocati instar oculos habet exertos, faciē tumētē, videtur ridere, sed risus sardonicus extat contractis lacertis, qui buccas mouent, caput antrorsum flectitur hinc ad latera faciem æger conuertere nequit. Nonnunquam vrina extentis abdominis musculis, & expultrice efficta intercipitur; Interdum etiam præter voluntatem emeitur, aliquando ruptis ex vehementi tentione venis effunditur cruenta. Singultus lacessit. Quòd si ad posticam partem passio conuertitur, caput, scapulæ, lacerti ad posteriora trahuntur. Interdum accidit hinc tensio ad posteriora compatiente sphincter musculo, vnde quod in recto intestino recrementum stabulat, continere nequit; neque deponere, quod in gracilibus intestinis moratur. Conueniunt verò hæ species in eo, quod præfocatione, vigilijs, dolore aquex vrinæ profluuio stipantur, flatulenta substantia molestat, &c.

De Curatione.

CAPVT X.

HÆc geminatæ conuulsionis species eodem ferè modo curatur, quò ipsa mera conuulsio, sed hic plurimus siccarum cucurbitarum vsus, vt calor reuocatus materias digerat. Scarificatæ & super ceruicis, & spondylorum neruos, super hypochondria figunt. Vnum hoc præcipuè obseruandum in hoc affectu, vt, quando patientis corpus propter doloris vehementiam, aut propter pharmacum deuoratum sudore perfunduntur, non sit permittendum, vt sudor circa corpus refrigerascat, sed leniter detergendus, & lana molli fouendus. Vsus interdum balnei ex oleo ad validam resolutionem præcalfacto conuenit. Opopanax ad ʒ. j. tutò exhibetur, quemadmodū & assa fœtida. In hac tensionis specie procrastinatio, quàm in ipso spasmo, periculosior est, quoniam hæc citò præfocat, & interficit.

In hac cura nihil præstantius (quemadmodum & in cura spasmi) aut iusculo anethi, in quo castorem, aut taxum, aut canum, aut vulpis catulos vsque ad dissolutionem incoxeris. Præscribitur infessus in hunc succum, & mirandum confert in modum, fiunt etiam perfusiones, prout partis conditio tulerit: Huc faciunt, syluestris aselli, Leonis, Vrsi, Cerui, pinguedines, siue solæ, siue cum alijs iunctim adhibeantur. Iniecta clysteria ex D. Centaureæ oleo ruthaceo, & castoreo, aut suppositoria acuta cum nitro, & pulpa colocynthidos conueniunt, atque his similia, quæ si impensiùs intestina exusserint, mitior clysmus injiciatur ex lacte asinæ, aliquanto butyro adiecto. Nihil verò præsentius castoreo si modò frigida, humidaque fuerit affectio, quare huius vsus frequentior esse debet.

Diæta frugalis instituenda, & cibi sorbiles porrigendi, si quidem laboriosa valde illis deglutitio est, & interdum cibus magno cum labore reijcitur, & hinc ægri molestè agitantur, & malum augmenta capessit. Cæterùm pharmaca, & litus, quæ huic ægritudini conueniunt, & capurpurgia alibi referemus. Sed styrax liquidus hic prærogatiua quadam pollet ad ciendum ster nutamentum ruthaceo, aut ol. vulpino coniunctus. Sed si febris sponte superueniat, hæc omnium instar esse solet auxiliorum.

De

De tremore, & differentiarum signis.

CAPVT XI.

TRemor * symptoma in actione motricis facultatis deprauata à vitiatæ compositionis morbo pendens est, in quo quantum facultas debilis membrum attollere nititur, tantundem mẽbri grauitas renititur, adeò vt motus mixtus partim ab anima, partim à natura factus videatur, vt igitur in stupore virtus sentiens, ita in tremore dejcitur motrix.

Huius vitij causſa aut in organo, aut in facultate, aut in utroque delitet. In virtute quidem, vtpote quom horrendarum formidine rerum percellitur, aut propter aſpectum ex edito loco consternatur, siue quòd coram habenda sit oratio, vnde timor, & verecundia negotium faceſſunt, per hos enim affectus intrò colliguntur ſpiritus, & deſerunt artus, hinc tremor inoccupat. Huc facit gaudium etiam, & triſtitia, quæ ordines ſpiritalis ſubſtantiæ pertutbant, & tremorem pariunt, animi enim ægritudo, & lætitia vario modo ſpiritus cient, illa enim initio recolligit, hæc foras copias explicat. Huc & virtutis imbellis, infirmuſque tenor ob coitum à repletione plurimum ſpectat.

Tremor autem ab organi imbecillitate fit, vbi nerui citrà tamen paralyſin, remolleſcunt, quò fit, vt rectè motui haud temperent, vt ijs accidit, qui nimio vini potu madent, aut præter conſuetudinem, & intempeſtiuè frigida aqua replentur. Hoc idem ob aliquãtam in neruis obſtructionem ex nimia repletione prouenientem, dimiſſa exercitatione conſueta, & liberiore paſtu inito contingit; Hinc ſpiritus in membra influere pro vſu prohibentur, & imbecilliùs artus mouentur. Interdum membrum ipſum mobile vſque adeò inaruit, vt difficilè reflectatur.

Vitium autem vtrique commune nempè virtuti, & organo eſt veluti externum frigus vehemẽs, thermaſia, ſeu aduſtio, ictus, ſeu morſus deleterij animalis; hinc enim non modò inſtrumento, ſed & virtuti impeditio, & noxa euenit. Nonnunquam ſuo vitio virtus ſeorſum, & ſuo etiam membrum tentatur duplici de cauſſa frangitur robur, viſque motionis.

Quandoque ſingulis membris, interdum manibus tantùm, aut capiti accidit, prout hic, aut ille muſculus laborat; interdùm aliquos manibus trementes videas, non item pedibus, prout origo mali haud ſpinalis medullæ initio, ſed duntaxat neruulis ad manus perrepentibus inſidet, aut ineſt quidem, ſed præ robore ad latus propinquius ablegatur, depoſiturque, natura enim totius ſtudioſa ſemper conſeruationem machinatur, quantum poteſt; Hoc idem etiam ideò contingere poteſt, quòd ſpiritus motiuus in inferioribus corporis partibus ſit fortior, & vegetior, prout harum partium vſus exegerit, hinc fit, vt non niſi ex valida cauſſa patiatur, quæ eius reſiſtentiam peruincat.

Nulla autem tremoris cauſſa frigore neruos, & ſpiritus debilitante, aut madore neruos citra paralyſin eneruante frequentior eſt. Hinc Hipp. ſcriptum reliquit. Cui in febre cauſo tremor accidit, ſuperueniens alienatio tremorem ſoluit, & licèt Galenus hunc Aph. ab Hippocratis germanis reſcindat, non eſt tamen à ratione diſſentaneus. Deterior autem tremor eſt in ſiniſtro latere inchoans, qui in ſenibus curationem non admittit. Signa autem ſunt præfatæ cauſſæ.

* *Capiuacceo eſt motus prauus aſſiduus totius mobilis neruoſi dependens à facultate motrice mouere tentante præter naturam onerata.*

De Curatione.

CAPVT XII.

CVratio ſuper eo cardine vertitur, vt obſtructiones expediantur, remolliens neruos materia euacuetur, nerui roborentur, humectentur, ſi præceſſerit ægritudo aſſiccans, & debilitans; calefiant, ſi præceſſerit frigus repentinum. Summum ſingulis cauſſis ſuum contrarium opponatur, quare poſt generalia præſidia balnea ſulphurea, aut nitroſa, aut ſalſa conueniunt. Si tremor accidat ex vſu immodico aquæ frigidæ, fiant ſuffitus ex nitro, & ſynapi, & nerui coſtino oleo vngantur. Si temulantia, euacuanda ſuperuacua excrementa ſunt, pars ol. de cucumere aſinino, & ſemine cannabino fouenda: ſed proprietate quadam pollet oleum de handacocha, h. e. de trifolio vulgari: ſeu mauis ex Ægyptia Loto. (Sic enim mauult Mathiolus) in infarctu neruorum cucurbitulæ ſuper primam uertebram admouendæ, membrumque in labrum oleo tepente plenum, aut iure carnium animalium mactatorum immergendum. Neque caſtoreo unquam roſaceo melle ammixto parcendum. Adminiſtrentur Hieræ magnæ, pilulæ ex rutha, & ſcolopendria concinnatæ pro alliotico præbeantur.

Cerebrum uerò leporis peculiari facultate cerebro, atque adeò neruis prodeſſe creditur, quare eius uſus frequens eſſe debet, dummodo Clinicus illud præaſſet, & arte coquinaria condiat. Mirum in modum Syr. mellinus ex Maluarum, & foliorum lauri D. proficit, ſuccus item eupatorij ex iuſculo. Summùm therapia paralyſeos huc ipſa facit.

Caput tremulum habentibus nihil peræquè prodeſt, atque ſtœchas, hiera picra, & mel roſaceum, aut anthoſatum, ſi frequenter adhibeãtur. Huc ſpectant pill. cochiæ pondo ʒ.i.s. ſi ſingulis denis diebus deuorentur, mirificè enim iuuant. Cibus ſit leuis, vinum circumcidatur, maximè merum, & immodicum, ſimiliter aqua eſt noxia, omniumque minimè pluuialis. Hic copioſa phlebotomia nocet.

De Stupore.

CAPVT XIII.

STupor * ſymptoma in actione tactoriæ facultatis minuta à ſpirituum animalium aliquanto defectu prouenies, qui ad membra commodè per-

permeare nequeunt, interdum tremori, nonnunquam etiam paralysi consociatur, maximè dum malum incrementa capessit.

Stuporis caussa aut à virtute petitur effœta, sicut acutè febricitantibus, aut syncopen mox incursuris, aut animam agentibus contingit: Aut ab ipso organo, vtpotè quum eius temperamentum vitiatur, siue hoc propter vehementer refrigerans pharmacum, siue ob aquatici scorpionis ictum, siue propter torpedinis contactum, aut propter opiatæ potionis haustum accidat, hæc enim spiritum animalem crassefaciunt, & vim ipsam enervant; Nec minus ob æstus hyperbolen accidit, vt ijs, quos serpens momordit, aut ijs, qui longiorem in prælido balneo moram contraxere, aut acutis, & incendiarijs febribus implicantur vsu venire consueuit. Hoc idem ob nervi ipsius crassamentum, & duritiem, quam spiritus peruadere haud valent, contingit: Propterea si pes cum vola manus conferatur, obstupescere ille videbitur, occalluit enim quandantenus, & terrosum crassamentum contraxit nervus. Nec minùs obstructio neruorum huc spectat, siue à sanguine, siue à phlegmate, siue ab atra-bile fiat, nec ab hoc censu ableganda bilis flaua, solet enim interdum interuenire saltem ceu vehiculum.

Huc facit, & angustiæ illa species, quæ ab apostemate, aut vinculo comprimente, aut ex praua membri dispositione, aut ex dolore vehementi proficiscitur, ex quo sanguis accersitus, aut alius humor plurimus obstructionem peperit. Quare aut permutato situ, aut refluente humore eò, vnde primùm emanauit, sensus redditur.

Accidit nonnunquam ex immodica siccitate, vbi villi contrahuntur, & occæcatur substantia nervi, & hic stupor incurabilis est. Interdum nervi ex humidiore temperamento citrà materiæ affluxum coeunt, hinc enim remolliuntur nervi; & meatuli conniuent, subsidentque. Aliquando stuporis caussa cerebro ipsi insidet, & tunc stupore vniuersum corpus obtorpescit, & lethalis existit.

Quandoque origo mali in principio spinalis medullæ consistit, quandoque in vno spondylo, quandoque in neruorum propaginibus occultur.

Quom stupor frigidus perseuerat, & producitur, ad paralysim definit, ad hæc etiam apoplexiam, epilepsiam, conuulsionem, rigorem, & vniuersalem paraplegiam portendit. Qum particularis quilibet stupor, vbi perseuerat, & inualescit, aut paraplegiam, aut properantem conuulsionem minatur, proin stupor faciei torturam prænunciat. Sæpe, peripneumoniæ, pleuritidi, phrenitidi subit. Si ab euacuatione permanet, & vertigo succedit, apoplexiam. Porrò illud non prætereundum, semen hortensis eroci in enemate positum neruos mirandum in modum præcalfacere.

Capiuacceo est receptio imminuta obiecti tangibilis nervi sensitiui dependens à frustratione tactus.

De Signis, & curantia.

CAPVT XIIII.

CAussæ stuporis præcurrentes eædem euadũt indicia, quare vt intenduntur, aut remittuntur, ita stupor mitior, aut vehementior significatur. Eodem ferè modo curatur, quo tremor ipse. Quod si à sanguine proficiscatur, & plethoræ signa se se protulerint, nempè venarum maximè iugularium tumor, & extuberatio, corporis grauitas, somnus, faciei, & oculorum rubedo, &c. tunc mittendus est vbertim sanguis. Nonnunquã natura ipsa sola victus ratione adiuta frugaliori morbum tollit.

At si ex procathartica, & externa caussa proueniat, puta ex frigore ambientis, aut ex imbribus caput, & collum madefacientibus, tunc curantia stupido membro non est adhibenda, sed potiùs studium adhibendum circa initium nervi procedentis ad membrum stupidiusculum. Nil verò peræquè confert, atque assidua illius membri exercitatio, & commotio.

De Tortura faciei.

CAPVT XV.

TOrtura * oris est musculorum præter naturam motus, propter quem vna faciei pars ad partem non naturalem trahitur, naturalisque tum vultus, tùm labiorum, & genarum dispositio, & concinnitas de medio tollitur.

Caussa continens aut est musculorum paralysis, aut spasmus, si resolutio, tunc pars sana ad se laborantem vtpotè sequaciorem, & humectiorem adducit, vt stat sententia Gal. & Pauli, quibus non sic temerè danda manus est, si conuulsio, quæ sanè frequentiùs contingit, tunc conuulsa particula ad se sanam pertrahit, & eædem caussæ censentur, quæ spasmi.

Omnis cynicus spasmus excedens sex menses non curatur. Tortura colli frequens aut paralysin, aut apoplexiam portendit; quare animaduertendum, nunquid symptomata epilepsiam, an Apoplexiam antecedentia comitentur, & à valido cathartico inchoanda purgatio. Quidam nimiculosi ex oris tortura intra quatriduum subitã mortem exhorrescunt, quod si illud spatium excedant, in tuto rem esse credunt, illud autem ideo sibi persuadent, quod talis affectio fortem epilepsiam præsagiat.

Cappiuacceo est figura præter naturam faciei dependens à motu præter naturam suorum musculorum.

De Signis.

CAPVT XVI.

DIgnoscitur, quoniam exsufflatio, & mucida saliua ex latere foras exilit nolentibus, & dolor capitis persæpè comitatur, maximè si oris distensio conuulsionem sequatur. Vtra verò par-

tium

tium sit læsa, quî cognoscatur, hinc discendum. Quum ægra pars reducitur, sana sponte in naturalem statum remeat.

Vtrum verò oris distentio proueniat à resolutione, an à conuulsione, hinc conijcitur, & quidem si à paralysi, motus frangitur, turbantur sensus, cutis mollescit, lacerti laxantur, non tendantur, inferior gena demittitur, & ægræ particulæ respondens membranula palati mollis apparet, humecta, laxa, hocque patet, vbi deprimitur lingua, quæ tunicam communem habet cum tunica palati, plurima saliua diffluit.

Torturæ autem ex conuulsione prouenientis signa sunt, sensus non vsque adeò turbulenti, cutis extenta, adeò vt rugæ nullæ appareant, duri musculi: saliua minima, retractio cutis ad collum maior, reditus difficilior. Futuræ verò torturæ signa sunt, dolor ostocopos oris ossa lacessens, cutis stupescens, subsultus circa oris regionem frequens.

De Curatione.

CAPVT XVII.

CYnico spasmo implicitus quiescere, & se continere ad quatuor, & plures dies debet, subtili, & attenuãte dieta, pota cicerum iusculo cum oliuo condito nutriendus. Siccantia, vt mel, vt turricolæ, quæ in stomacho diutius morantur, & aluum stringunt, palumbes, paululum ablegenda. Quod si aluus fuerit stricta, stypticaque, quãprimum leniente clysterio proritanda est, nam procrastinare hic noxium est. Primis autem diebus parcere oportet gargarismis, quoniam excrementa aliunde accersunt, & insita minimè resoluunt, & spasmus interim vires comparat. Euacuatio non est tentanda debilibus, quæ subductioni non sufficiant, sed præmittenda aliqua digestio, & præparatio, nam vt pharmacũ forte citra præparationem exhibitum materias exagitat, ita neruos impendiò reficcat, quare difficulter medicamenti vis subinde peruadit, proptrea cunctari expedit, & progredi medendo, vt in paralysi, & spasmo.

Experimento autem constat maximopere cõferre illud præsidium, nempè si laborans quotidie Hieræ Hermetis ʒ. ij. per mensem deuoret. Item periculo probatur acori, aut zinziberis conditum quotidie mane, & vesperi nucis magnitudine deuoratum: Pro potu concedi hydromel debet.

Indiæ quidam inquilini asserere non dubitarunt, inter perfectissima medicamenta, quibus cynico spasmo medemur, censeri syluestris animalis capiti, membroq; læso carnis admotionem elixæ, veluti lepusculi, vulpeculæ, gliris, taxi, cerui, onogri. Si pars nimio madore diffluat, in naturalem dispositionem reducenda, & retinenda ligaculis. Si spasmus verò fatigat, in primis mitigandus, leniendusq; est, dein resoluendus. Quod si affluentis sanguinis signa subsint, vena sub lingua aperienda est, & spondylis primis affigendæ cucurbitulæ. Namque non est dubitandum, quin materia spasmum committens neruorum principijs, & lacertis faciei insideat, hinc commendantur metasyncritica ruborem inducentia vertebris superpositæ colli, atque super mãdibulam etiam, quia plurimæ neruorum fibræ hinc per totam faciem propagantur. Quare anterior pars cerebri purganda, & spondyli suffitu siccandi, mandibulæ, caputque ieiuno ventre fricandum.

Inter cætera, quæ iuuãt, est illitus faciei ex aceto decoctionis synapi, præterea inclinatio faciei super decoctionem absynthij (sceham Gentil interpretatur stœchadem) abrotani, lauri, & serpilli, & similium, aut excipiat æger fumũ thamaricis, & Alathel arboris in Ægypto frequentis, cuius fructus, & semen impinguant, pro qua sufficiatur tæda.

Quòd si pharmaca non profuerint, adhibendum cauterium est ponè aures, & gargarizatu frequentiore vtendum, masticatoria præscribenda. Radicis Acori, nucis moschatæ, pyrethri, nigræ myrobalani condimenta mandenda, & ad partem læsam identidem deuoluenda sunt. Mandandum præterea, vt æger loco obscuro detineatur, apophlegmatismus ex sellibus Gruum, Accipitrum, Leporis, aut ex succo cannabis, & maioranæ, amaracive, modico oleo de euphorbio adiecto præscribendus ex lacte muliebri. Omnino caput purgandum eo studio, quod aliàs iniunximus.

Inter experta est Auellana Indica præmansa, & præcipuè eius cortex superior, Auricula-muris, cucumeris asinini, Cyclaminisque succus, his aliquando commiscentur pharmica, vtpotè castoreum, nigella, & similia. Nullum autem est præstantius caputpurgium eo, quod confit ex ʒ. ij. aq. Auriculæ muris adiecto modico sagapeno, nempè gr. 10. & ol. ʒ. j. hoc enim intra pentameron sanat.

Tali affectu laborantes intueri specularia iubentur, vt tùm obirascantur, propter tantam deformitatem, tùm vt in concinnando ore laborẽt, sed speculum sit ex terfissimo chalybe. Pueris verò tali affectu correptis exhibeatur Triphera minor per septimanam, & tenui dieta, vt cicerum iusculo macerentur.

De subsultu, & palpitatione.

CAPVT XVIII.

PAlpitatio * est lacertorum, & cutis commotio, atque adhærentium partium à flatulento, crassoque spiritu (symptoma toto genere præter naturam, morbi solius opus) dependens, quod autem ita sit, illud argumento est, quòd subitò fit, subitòque deficit, quòd frigidis duntaxat naturis accidit ex frigida causa, quòd sedetur, & summoueatur calfacientibus, quòd autem crassior sit flatus, indicio est, quoniam nisi magna partis exercitatione, quæ calorem, spiritusque cieat, non excutitur.

Quòd verò affectio, propria sit lacertorum, carnium, & neruorum, Simion esto, quòd in parte leni, laxaque, quale cerebrum est, flatus non coercentur, neque in parte dura, quale os est,

est, sed substantiæ mediæ inter duritiem, & mollitiem accidit.

Subsultum sanè efficiunt omnia infrigidandi, & humectandi vi pollentia, quin ex animi pathematis hoc symptoma sæpe originem trahit, gaudio, mœrore, & reliquis, quoniam insueti spirituum motus materias in flatus resoluunt. Palpitatio toti corpori communis apoplexiam, aut rigorem nunciat, quando perseuerat in hypochondrijs, melancholiam morbum, & epilepsiam, portendit, vbi verò faciem exercet solam, tunc cynicũ spasmum minatur. Palmos, qui sub ossibus thoracis latitat aliquando conditum in membrana significat abscessum, hoc enim tecmirion esse consuevit.

* *Gorræo palpitatio est diastole præter naturam in aliqua parte facta.*

De Curatione.

CAPVT XIX.

PArs correpta subsultu suffiatur calido thymiamate, ol. calfacientibus oblinatur, à leuioribus tamen inchoandum, & subinde etiam validiora adhibenda. Quibus si non remouetur affectus, pharmacum soluens est propinandum. Castoreum non est omittendum vnà cum sambacino oleo, his enim magna vis inest. Aqua, vinum plurimum, & refrigerantia omnia, atque flatulenta sunt ableganda. Hactenus verò de ægritudinibus neruorum, De Apostematibus, & solutione vnitatis sermonem differemus vsque ad librum quartum, si nostris conatibus præito erit Deus Optimus Maximus.

FEN, SEV DICTIO Tertia.

DE DISPOSITIONIBVS Oculorum.

Tractatus Primus.

De Anatomia Oculi.

CAPVT PRIMVM.

VIsifica virtus vectore spiritu per neruos opticos in oculos corriuatur. Tunicæ verò neruorum, vbi ad oculos peruenerunt, vsque adeò latè tenuantur, ampliterque collatantur, vt humores complectantur, inter quos præcipuus est chrystallinus, qui nisi ab anteriore parte comprimeretur, rotundo schemate foret, comprimitur autem, vt formæ, & imagines rerum obiectarum ampliùs imprimantur, & minima quæque oculis subiecta fidelibus commodam habeant sedem, in qua locentur, neque dissiliant figuræ. Hinc summa eius extremitas prætenuis est, vt formæ aptiùs permeent, organumq; ipsum intimè iciant! Medium autem situm humor chrystallinus occupat, quoniam hic tutior existit.

Secundùm chrystallinum manet vitreus humor, qui chrystalloidi cedit in pabulum, neque enim ex sanguine puro, putoque glacialem ali par erat, aut decens, ni priùs in vitro similem succum cruor facessiuisset, vitri autem liquefacti color cum perspicuitate nonnihil retinet ruboris, pellucet sanè, quoniam ex eo nutriendus est epiphanes humor, nempè glacialis, modicè verò rubescit, quoniam sanguine nutritur, quem planè assimilare nequiuit, quare ruboris vestigia nonnulla relucent. Alimentum verò retro susceperat è cerebro demandatum sibi per mediam retiformem tunicam, & à postica parte chrystallini medietatem complectitur arctè, atque vniter fouet.

Anteriore verò parte manet humor albugineus, quem ceu recrementum chrystallinus reposuit, qui cum perspicuitate, & claritate summa donatus sit, non est mirum, si & eius excrementum eadem dote refulgeat. Antestat verò tum cautelæ, honestamentique caussa, tùm vsus gratia, tutelæ quidem studio, quoniam ceu paranymphus præoccupet viam, & præmuniat, æquum est, vsus verò gratia, luminis excessum vt infringat, & chrystalloida veluti clypeo protegat ab incursu puri luminis.

Porrò nerui extremitas collatata, latèque explicata vitreum, & glacialem amicit, atque ad albuginei humoris limina terminatur, vitrei verò humoris antermina retiformis est tunica, ex cuius extremitate oritur arachnoides tenuissima, atque pellucidissima, ad quam pertinent fibræ partis choroidis, cuius suo loco mentionem faciemus, & illa profectò tunica intercurrit inter glacialem, & albugineum, vt inter tenue, & crassum aliquid sit interiectum ueluti discerniculum, & ut ei alimentum appellat ab antica parte. Porrò tametsi choroides tanta tenuitate non splendeat, quemadmodum arachnoides, proximè tamen est, & certè non alia de caussa, nisi, quia si esset solidior, & prostaret chrystallino, non posset, quin ad chrystallinum aditum luminis opacitate præcluderet. Cæterùm extremitas tenuis tunicæ uenis referta est, quoniam ipsa reuera alimentum deuehit, sed non est opus, ut universæ eius partes ad conuehendum nutrimentum, & præparandum destinentur, sed duntaxat illa posterior pars, quæ dicitur choroides huic muniri sufficit. Portio autem illa, quæ prætergreditur ad anteriora, densior quadantenus euadit, & crassior, coloremque medium obtinet inter albedinem, & nigredinem cæruleum æmulans, hoc autem ideo effectum est à sagacissima natura, ut lumen congreget, & moderetur ea temperatione, qua uti solemus dum oculos claudimus, ubi plus luminis hausimus, quod etiam officiat, tunc enim oculos demittimus, & tenebras quærimus. dein etiam ut ueluti medium, & sequester interijciatur inter humores, & inter corneam, quæ insigni duritie prædita est, atque ut ipsam corneam enutriat eo sanguine, qui sibi à secundina communicatur; Anteriorem hæc partem non obuelat, ne specierum ingressum in chrystalloidem

ſtalloidem inhibeat, ſed anteriore parte foramen obtinet vuæ perſimile, ad quod idola delata intrò ſubeunt. Quum ergo foramen hoc occluditur, viſio aboletur, & in parte anteriore vueæ tunicæ eſt rugoſa quędam perplexitas mollis, qua obuiat chryſtallino, vt ſimilior ſit raro, atque leni, læuique, & minus nocumentum accidat tactui. Duriſſima verò partium eſt anterior, quâ corneæ tunicæ duriuſculæ annectitur, & qua parte foratur, ne latera præ mollitie coeant, & connitueant, atque foramen eſt humore, ſpirituq; lucente reſertum, id quod extenuatio, & tabes imorituris arguit.

Secunda verò membrana eſt ualde denſa, vt tutò retineat oculum, ne exorbitet, & anterior pars totam amplectitur pupillam, & eſt diaphana, ne viſio intercipiatur, & colorem cornu læue, politumque refert, & propterea etiam cornea nominatur. Solidiſſima verò cæterarum eſt anterior, & re vera hęc tunica ex quatuor vnione membranularum veluti ex tot bracteolis ſuppoſitis coaleſcit; quare diuelli, & diſtingui poſſunt ſine noxa, & præcipuè qua parte opponitur vueæ foratui, quoniam locus ille tutela, & propugnaculo magis indiget.

Tertia tunica dicitur adnata, ſiue coniuncta, quæ comprehendit muſculum pupillam torquentem, & albida carne conſerta eſt, & pinguedine obſita, vt leniter cum oculis, & cum genis agat, & vetet ne oculus exareſcat. Mouentis autem oculum lacerti meminimus in anatome. At verò ſupremis genis pili ideò inſerti ſunt, vt ceu aggeres quidam prætendantur, ne aliquid noxium in oculos incidat, ſiue è capite delabatur, ſiue aliunde proficiſcatur, & vt lumen nigredine ſua temperent, modeſtiuſq; reddant, radicanturque in panniculo quaſi cartilagineo, vt fixi, ſtabileſque permaneant, & ne facilè deffluant, & vti muſculus aperiens oculum validam baſim, columenque habeat, quo ceu oſſe tutior fiat motio. Partes autem genarum ſunt tegmen, membranarum adeps, lacertus, altera ſumma tunica, & hæ partes ſuperiori genæ aſcribuntur, non inferiori, cui deſiderantur muſculi. Interim illud non ignorandum, ſectionem circa muſculum aleæ plenam eſſe, nam periculum impendet, ne ſuo ſuperſedens officio genam reſoluat.

De cognitione diſpoſitionum oculi, & eius temperamentis, & ſermone vniuerſali de ægritudinibus eius.

CAPVT II.

OCuli diſpoſitio ex tactu, ex motu, ex venis, ex figura, ex colore, ex magnitudine, aut paruitate, ex propria functione, ex varijs habitudinum circunſtantijs deprehenditur. Ex tactu quidem, quoniam hic ſolus ceu critirion dignoſcit, vtrum oculus calidus ſit, an frigidus, vtrum durus ſiccus, an leuis humidus ſit; ex motu quoniã ſi motus oculorum ſit pernix, percituſque, caliditatem, ſi grauis & conctans, frigiditatem, madoremque arguit, ex venis quidem, quoniam ample, & tumentes caliditatem, exiguæ, & minutulæ frigiditatem renũciant, ſi vacuæ, & ficcæ ariditatem, plenæ, extanteſque ſanguinis vbertatem. Ex colore, quoniam color foris efflorescens prodit humorem intus latentem, ſiue fuerit roſeus, ſiue pallẽs, ſiue venetus, fuſcuſve. Ex figura quidem, quoniam optima oculorum concinnitas optimam oculorũ habitudinem, contraria contrariam præſefert, ex magnitudine, quoniam hæc eadẽ ſuas arguit cauſas, vt in præfato capite edictum eſt.

Ex proprio munere quoniam ſi oculus minima quæque eminus, comminuſque diſcernit, nec à fortiori obiecto læditur, admodum laudabilis tẽperamenti, & valens cenſetur. Si à contrario ſe habeat, oppoſitam habitudinem indicat. Quod ſi admotum viſibile quantumuis exiguum haurit, conſpicitque, remotum verò minimè, tunc arguitur quidem ſpirituum paucitas, ſed eorundem ſanitas, & perſpicacitas. Quidam Aſclepiadæ hoc ideo fieri dicunt, quòd ſpiritus tenuis non ſufficiat remotiuſculo attingendo viſibili, & per ſpiritum intelligunt radium, quem credunt eſſe de ratione ſpiritus, qui emittitur, & viſibili obiecto it obuiam. Quòd ſi viſile diffitum quamuis minutulum oculus haurit, ad oppoſitum caligat, ſpiritus multus quidem, ſed craſſius, turbulentus, humectuſque proditur, eaque ratio ſubijcitur quòd talis ſpiritus non niſi longiore motu caleſcens tenuatur, declaratur, areſcit: Si verò nec remota, nec propinqua diſcretè ſentiat, tunc ſpiritus eſt tùm paucus, tùm turbulentus, tùm effœtus. Ex propria uerò diſpoſitione, quandoquidem ſi oculus aret, nec lippam parit, tunc ſiccus eſſe creditur, ut enim ſuperuacua retrimẽta humiditatem, ita uacuitas ſiccitatem ſignificat. Ex habitudine uerò ad patiendum, quoniam ſi calidis facilè lædatur, calidus creditur, ſi à frigidis frigidus, qui uerò medio modo ſe habet ad has affectiones, temperatus cenſetur, ſed duntaxat nimis acutè diſcernens.

Porrò oculis omnia morborum genera accidere poſſunt, nempe intemperies, morbi in compoſitione, & in ſoluta unitate. Afficitur quidem oculus non modò penes cernendi munera, ſed dum nictandi, palpitandique crebritate laborat, dum uitioſè clauditur, recluditurue, dum lachrymis, aut colore fœdatur. Ad hæc oculi laborant, aut per idiopathęam, aut per conſenſum, conſentiunt autem cerebro ob uiciniam, dein ſtomacho.

Atque illud in primis reticere nefas, affectus oculorum procedentes per conſenſum à membrana exteriore nempe à pericranio eſſe multo ſalubriores.

De Signis diſpoſitionum oculi.

CAPVT III.

SIgna oculos indicantia pati per conſenſum à cerebro ſunt præcurrentia in cerebro ſymptomata, nam ſi per conſenſum à mænyngibus patiãtur, circa altiſſimam eorum partẽ dolorem ſentiunt; ſi à materia calida lædantur, adeſt frequens ſternutamentum, & narium proritatio, ſi à frigida

frigoris

frigoris molestia percipitur. Raròque hic consensus fit ex sola intemperie. Quòd si materia è pericranio defluxerit per frontem, percipitur decubitus, & venæ turgent, frons distenditur, & noxa secundùm palpebram luculentior apparet. si doleant, afficiantur ve oculi per sympathiã à stomacho, stomachi tædia præcedent, nausea, vomitus, fastidia, & id genus alia. Si imagunculæ oculis hac de causa obuersentur, affectio vacuo stomacho minuetur, repleto inualescet, laborantis verò per idiopathæam oculi signa sunt, & quidẽ à sanguine grauitas, rubedo, lachrymæ, inflatio, venæ turgentes, pulsus temporum, lippitudo, tactu percipitur calor. A phlegmate verò, grauitas vehementior, albescens rubedo cum colore quodam thalassico, lenis, sordibusque veluti glutino constrictæ palpebræ, lippitudo, tumor, pauciores lachrymæ. A cholera dolor punctilis, rubedo pallida, tenuissimæ lachrymæ, mordacissimæ, glareosi oculi, glutino non committuntur palpebræ, calor immodicus. A melancholia verò grauis dolor, fuscus color, lemæ, glutinumque paucissimum, quo palpebræ solent vicissim hærere. Cæterùm simplices intemperies sola grauitatis absentia, & madoris vacuitas significant. Instrumentales verò ægritudines, & communes proprio capite censebimus.

De canonibus vniuersalibus curationum oculi.

CAPVT IV.

CVrantia opponi debet ægritudinum formis, quæ triplices esse solent, nempè ad similarem partem attinentes, dicunturque intemperies, vel ad instrumentalem, fitque morbus in compositione, aut vtrique parti communes sunt, scilicet similari, & dissimilari, & soluta vnitas appellatur, quare curatio aut ad permutandam intemperiem, aut ad commoderandum organum magnitudine, aut conformatione demissum, aut ad sysarcosim, & vnitatem sarciendam dirigitur. Ab oculo igitur euacuationem bipartito moliri contingit, aut alio irruente materia tracta, & conuersa, aut prorsus ab eodem euulsa. Conuertitur, auertiturque materia totius corporis purgatione primùm si fuerit cacochymum, tum cerebri piamento, apophlegmatissimis, masticatorijs, & leuibus etiam errhinis. Resolutio autem per medicamenta lachrymas exprimentia fit. Complexio permutatur proprijs pharmacis. Soluta verò vnitas per pharmaca non admodum exiccantia, nec exasperantia, aut mordicantia reducitur.

In omni materiata oculorum ægritudine dieta frugalis est instituenda, cibi optimi succi adhibendi, flatulenta omnia, & dyspepta ableganda. Quom humor ex alio membro oculis communicatur, phlebotomia quàm mox humoris impetus reuellendus, si fluxionis author sit pericranium, scapulis cucurbitulæ admoueantur, fronti, temporibusque apocrustica, quæ cursum intercipiant, applicentur.

Venæ, quæ oculorum causa cæduntur, sunt cephalica, & venæ capitis, posteriores quidem nempè quæ ponè aures magis retractationi, si secentur, inseruiunt, anteriores verò venæ cęsæ magis ad euacuandum & deriuandum alio conducunt; permutatio verò materiæ de loco ad locum nulla commodior, quam quæ ad nares, si modò materia actu in oculos non irruat, tũc enim nasalia fluxionum impetum potiùs exacuũt. Huc spectant cætera caputpurgia.

Pharmaca verò quæ intemperiem permutant, & primò calidam, sunt succus solani, aqua virgæ pastoriæ, endiuiæ, lactucæ, rosarum, & succus earum, & psyllii, & seminum cydoniorum mucidus lentor. Frigidam rependunt calfacientia ceu moschus, piper, acorus, & radix maioris Cholidonij, seu potius montanum Siler, & similia. Siccam expungunt humectantia vt lac, vt seminis lini, althęæ, fœnugræci mucago, vt amygdalarum dulcium succus. Humidam exhauriunt thutia, antimonium vitrificatum, cadmia, sarcocolla. Adstringunt quædam, vt glaucium, vt aloe, crocus, rosa. Alia leniunt, vt lac, oui candidum, mucago. Alia sunt maturantia, vt aqua fœnugręci, crocus, defrutum, in quo panis sit infusus. Alia sunt stupefacientia vt poma mandragoræ, papaueris capitula, & opium. Si afflictis oculis consocietur dolor capitis, oculis non est admouenda manus priùs, quàm capiti per paregorica fit consultum.

Vbi pharmaca tùm alliotica, tùm euacuantia, tùm diætetica non conferunt, tunc arbitrari decet, aut nequissimam, perfixamque inesse oculis intemperiem, aut certè materiam mordicus tunicis impactam, quæ alimentum huc appellens vitiet; Aut certè cerebrum vsque adeo debile est, vt excrementa perpetuo pariat, quæ subinde in oculos prouoluuntur.

De his, quæ tonum oculi conseruant, & euertunt.

CAPVT V.

QVi tuendis oculis studet, caueat sibi cane peius, & angue fumum, puluerem, prælidum, aut rigens cœlum, turbines, reliquosque ventos impendiò calentes, aut frigidos, fixos obtutus in obiectum vnum, in primis plurimum fletum, aspectum minimarum litterarum, nisi exercitij gratia, somnum prolixiorem, immodicam venerem, repletionem, ebrietatem, cibos, & potus crassiores, acria omnia, vt allium, cæpe, porrũ immodicè siccantia, vt plurimum sal, omnia vapida, vt caulem, lenticulam, & his similia, legaria omnia, quæ non est, cur hic recenseam. Somnus, atque vigilia vtraque si modũ excedant, oculis officiunt.

Cęterũ conducibilia, conferentiaq; sunt ea omnia, quæ ex antimonio præparato conflantur collyria, thutia cum aqua sampsuci, fœniculi, quo si assiduè oculus abluatur, mirandum in modũ prodest. Huc spectant collyria tùm quæ ex dulcibus punicis malis, tùm quæ ex acido dulcibus conflãtur cum melle in æneo aheno ducta. Ea verò, quæ abstergunt oculum, & aciem acuunt, sunt oculorum in limpidam aquam immersio, & in hac eadem crebra reclusio.

Inter ea verò, quæ vsui officiunt, quędā opere, motuq; continentur, quędam vitę, victusq; genere censentur, quædam habitudine: operationes, & motus sunt omnia quæ siccant, vti plurimus coitus, luminis aspectus, lectio minutulorum. Aut effectio, somnus scilicet illicò à cœna, aut super repletionem initus, qui enim oculis suis consultum vult, somno non anteuertat digestionem oportet. Omnis repletio, quæcunque obsiccant, aluumque stringunt, noxia. Quidquid sanguinem turbidat, siue salsum fuerit, siue acutum, & acre, officit. Ebrietas turpis, & incommoda. Vomitus partim nocet', partim iuuat, iuuat quidem, quâ stomachum lustrat; nocet, quâ multam anathymiasin ad cerebrum, & oculos effundit quare cauendus, si fieri potest, alioquin procuretur à pastu, si sine labore sequatur. Balneum nocet, immodicus somnus, & lachrymæ damnantur, item crebræ phlebotomiæ, & frequentes incisiones admotis cucurbitulis proscribuntur. Cibi salsi, acres, vaporosi os stomachi lædentes, qualia sunt cæpe, allia, porri, ozimum, oliuæ maturæ, anethum, caulis, lens amandentur. Ea verò debet esse victus ratio, vt optimi cibi adhibeantur, & ea copia deuorentur, vt minimè stomacho laborem afferāt, imò concoctu faciles sint, nec multos ad caput vapores remittant, reliqua verò in singulis prosequar capitulis.

De Ophtalmia, & conturbatione.

CAPVT VI.

Lippitudo alia vera est, & genuina, alia notha, quæ Græcis taraxis, seu perturbatio dicitur, quæ nil est aliud, quàm immodica calfactio, aut humectatio, quæ ab externa origine excitatur agitante, & exasperante oculum, qualis est Sol, puluis, fumus, frigus boreale, dolor capitis ex adustione, percussio, aquilonis stridens boatus. Hæc quia ab externa causa pēdet, & fouetur, nec altiorem egit radicem, facilè remouetur. Quòd si primitiua causa incrementum suscipiat à dispositiua excitata, & antecedente, periculum est, ne extemplo manifesta inflammatione commutetur, quemadmodum ephemeræ febres in putridas facessunt, si subiectum capax nactæ fuerint, præfueritq; apparatus. Quum igitur taraxis transit in germanam lippitudinem, tunc Græcis affectus æphrihem appellatur.

Quædam species ophtalmiæ est, quæ oculi scabiem, scalptumq; excipit, & veluti taraxis apparet sub initio, neque sedari potest, nisi sublata scabie.

Germana verò ophtalmia inflammatio adnatæ membranæ est, cuius quidem alia est simplex, quæ præter venarum tumorem, lachrymarum cursum, & dolorem nullo alio symptomate stipatur. Alia est vehementior, quæ naturalem oculi molem excessu vitiat adeò, vt album super pupillam efferatur, eamque tegat, & impediat, ne oculus claudi queat, & dicitur Chemosis, & apud Arabes dicitur Alguatdensi, quæ vt plurimùm puerulis ob humiditatum vbertatem, & oculorum infirmitatem accidit. Aduertendum autem, quòd lippitudo non modò fit à materia calida, sed etiam à phlegmatica, & melancholica.

Sed age pręssiùs congrediamur, ophtalmia est apostema in coniunctiua membrana. Atqui omne apostema, aut à sanguine, aut à cholera, aut à pituita, aut à melancholia, aut à flatulenta quadam substantia proficiscitur, igitur fieri nō potest, quin ophtalmia vnam, aut alteram causarum agnoscat.

Præterea aduertas, quòd humor inflammationis parens localem nonnunquam habet generationem in ipso oculo, aliquādo aliunde in oculos influit, vt à cerebro sub forma catarchi, aut à pericranio, aut à mænynge, omnino ex partibus eius, namque vbi excrementa plurima in cerebro coaceruantur, & plethora subeat, tunc vix fieri potest, vt molliculi, spongiodesque oculi lippitudinem incurrant, ni admodum robusti fuerint. Interdum fluxio ad oculos ab arterijs superuacuis succis sca tentibus, tam internis, quàm externis trahit originem. Interdum neque à capite, neque à partibus eius, sed aliunde dimanat in oculos, id quod maximè accidit, vbi oculi aliqua intemperie laborant, vnde debilitantur, & ad suscipienda aliorum excrementa proniores fiunt.

Inter lippitudines quædam visitur, quæ statis incessit periodis, prout humor certa hora excitur, & influit in oculos.

Cæterùm doloris acrimonia, aut propter mordacissimum humorem tunicas erodentem, aut propter copiam distēdentē exasperatur, aut propter crassiusculum vaporē, qui prout subitā creationem subit, & subitò etiam difflatur, varium, inconstatēq; parit cruciatū. Huc autem, vt præfati sumus, materię conuehuntur, aut ex vniuerso corpore, aut ex capite ipso, aut aliunde per venas ipsas, & arterias. Nōnunquā humor non aliunde influit, sed localem habet in oculis ortū à prava tunicarum complexione, quā aut detenta recremeata, aut producta lippitudo peperit, adeò vt illæ imbecilles illectum nutrimentum contemerent.

Quicunque porrò oculos habent extantes, & prominulos ophtalmijs sunt opportuniores, & vt facilè tentātur, ita citò ob mollitiem, & pororum laxitatem defuguntur. Sæpè frigidarum lachrymarum prouentum à cruditate videre est. Soluiturq; frequēs hæc ægritudo cita aluo.

Præterea animo habendum opthalmiæ nequitiam, atque pranitatem ex prava materiæ qualitate, magnitudinem ex copia, & affluentia peti. Et quemadmodum hæc affectio in meridiana regione identidem repullulat, ita celerrimè defloreſcit, denascitūrque, crebrò autem visitur ob aeris conditionem, qua humores fluxiles fiunt, & capita repleta grauantur, citò verò sanescunt tùm ob meatuum raritatem, tùm ob alui laxitatē, qui tamen, si repētè superueniæ frigus, difficile curātur, quia difflatio, & resolutio à frigore intercipitur; Et qui in frigida, & hyperborea zona, aut sub Ioue frigido versant, rarò ophtalmijs infestantur, sed quæ cōtin gunt, diriores sunt; infrequēter sanè accidūt, quia humores frigore concrescunt. nec funduntur leui de causa, sed manent, & sede sua consistunt; nequissimæ verò existunt, tùm quia maximam eausam arguunt, quæ resistentiam patientium euicerit, tùm quia fusi humores difficillimo negotio difflantur, resoluunturque propter meatuum, &

poro-

pororum occlusionem, angustiamque, hinc vsque adeò extendi solent membranæ, ut scindantur, disrumpanturque.

Ad hæc lippitudinum prouentus esse solet, vbi hyems borealis fuerit, & ver australe, pluuiumque sequatur, æstasque nubila, & frequenti caligine fœda. Similiter populariter vagari consueuere, si hyems australis fuerit, & subcalida, subinde succedant verna tempora boreali impulsa tumultu. Hinc enim fusi humores ex præcedenti aeris constitutione compinguntur, exprimunturque in oculos, vbi ophtalmias committunt. Multiplicari etiam, & increbrescere videas lippitudines æstate, si ver australium præcesserit, & borealis hyems.

Liceat verò corpora dura Hyperboreis, rara autem, & mollia meridionalibus conferre. Atque sicut cœlum æstuosum lippitudinum ferax est, ita balneum valde calens, & frequens initum ophtalmias ciere consueuit.

Cæterùm vbi post sedulam medendi methodũ adhibitam adhuc lippitudo perseuerat extrema etiamnum præsidia negligens, tunc certò habendum, subesse in ipso oculo nequissima retrimenta, quæ accedentem alimoniam vitiant, corrumpuntque, aut certè rheumatica affectio adest, quæ affectum indefinenti influxu fouet.

* *Fernelio Ophtalmia est oculi phlegmone ex oculorũ angulis in totam hærentem membranam effusa.*

* *Capiuaccio est tumor tunicæ adnatæ oculi procedens à materia morbifica.*

* *Taraxis Manardo est humiditas oculi cum rubore & præternaturali calore extrinsecùs occurrente causata.*

De Signis.

CAPVT VII.

OCuli interdum mordicante, & corrodente dolore cruciantur, interdum extendente, & vellicante lancinantur, illi sanè materiam praua qualitate præditam, isti affluentem, aut flatulentam substantiam produnt. Inter ophtalmias illa ocyus definit, in qua maius lachrymarum effluuium apparet, & mordacitas acrior angit, à contrario illa segnius, seriùsque senescit, in qua nullæ manant lachrymæ. Properantis verò ad maturationem lippitudinis indicium sunt gramiæ, ni crassioris materiæ sint soboles.

Quippè lippitudo celeriter ad vigorem properans, nullo se se interim sæuo proferente symptomate, sed sola grauitate molesta significat materiæ crassitiem, at quæ ab initio pepasmi indicia præbet, in qua oculus leniter circumuoluitur citra molestiam, ocyssimè resoluitur. Illa verò deterior est, in qua pauciores læmæ, gramiæque visuntur, æque crassiores. Quum verò palpebræ glutinosa sorde cohærent, tunc concoqui cœpit, sicut dum aquosus ichor manat, adhuc cruda est, & in principio affectio.

Taraxis autem & perturbatio oculi primò ex affectus leuitate, tum ex præcurrentibus causis primitiuis, & absentia apparentis phlegmones panditur.

Ophtalmiam verò per consensum à capite genitam cephalalgia grauedo abundè demonstrant. Quod si fluxionis scaturigo sit pericranium, Frons contenta manet, turgescunt sanguine venæ, Inflatæque tument palpebræ, & membra genarũ; Fronte calor, pulsusque micat, rubor igneus urit: quod si mænynges huic dent rudimenta fluori, vt ea signa desiderantur, ita hæc præsto sunt, narium pruritus, oris cœli irritatio. At si per compassionem à stomacho fiat.

Plurima præcurrunt stomachi fastidia læsi.

Sanguineam verò ophtalmiam rubentia lumina produnt, venæ turgidulæ, temporum pulsatio, & reliqua, quæ redundantem in cerebro sanguinem significare alias diximus, hic plurimæ lachrymæ non visuntur, sed læmæ copiosiores, quæ palpebras glutino dormientibus obligant.

Cholericam lippitudinem significant dolor punctilis, vrens, vehementer ardens, modica rubedo, tenuissimæ lachrymæ, sed acerrimæ; hic aliquando vlcus est cernere ab acri materia prodiens, interdum etiam lachrymæ desiderantur, palpebræ inter dormiendum haud coeunt sordibus euinctæ. Huiusmodi generis quædam visitur, quæ vt rubedine se se prodit, ita subdolæ, & nequissimæ conditionis est, vt quandoque cauterij instar oculum inurat, & vlcus pariat exedens, & dysepouloticum. Est & alia species ophtalmiæ cholericæ, in qua oculi molesta quadam prurigine tentantur, aridique cum rubore exiguo, modicissimaque gramia apparent, neque incendium vllum faceſſit negotium, neque lachrymæ manãt. Hanc materia quidem tantula, sed admodum acutula, pertinaxque committit.

Phlegmaticam verò prænunciant graue onus, leue incendium, sordium prouentus, queis tumidulæ palpebræ mutuo inuiscantur, oraque pendula pallent. si malo ventriculus semina dederit, nauseola, vomituque frequens deprenditur author. In hac specie ophtalmiæ vsque adeò adnata tunica extuberat, exorbitatque præ phlegmones magnitudine, vt oculi nigrum obtendat, quo modo in nubibus fieri casma scripsit Aristot. attamen hic nec magna rubedo cernitur, nec dolor acrior, & pro lachrymis læmæ apparent.

Melancholicam verò lippitudinem sæua grauitas, caligo fusca, ariditas auara, peruicax constantia, glareosi oculi, ferruminatio nulla exponunt.

Flatulentam verò tensio profert, absentia ponderis, & lachrymarum onus, licet aliquando rubedo ob extensionẽ interueniat accersito sanguine.

De curatione conturbationis.

CAPVT VIII.

TAraxeos, atque eius etiam, quæ leuis ophtalmiæ nomine dignatur, absoluendæ curationi vnius externæ causæ remotio, & abscissio satis esse solet, cui si auxiliatum veniat sanguis, aut alius humor, illi inaniente antispasi, quæ cursum coerceat, lacte tepente infuso, ve dolor mitescat, qui humores ciet, inducto oui

albumine, vt roborato lumine repercutiatur influxio, prorsus repugnandum. Si plaga tanti criminis author fuerit, tepente columbæ sanguine instillato rependatur, aut spongiola calente lacte, aut lentium iure imbuta oculi foueantur, aut

Fœmina fœta ægri sortem miserata dolentis
Mite manu larga lac fundat ab vbere ocellis.

Quibus si non concedat dolor, properandum ad fœnugræci decoctionem, atque ad pastillos, quos Arabes vocant album Sief: &c.

Perturbationi verò, quam frigoris vis peperit, balneum succurrit, ni defecta in germanam lippitudinem affectio, & summa capitis, totiusque corporis plethora dehortentur. Fotus item ex decocto chamæmelli, & tenue vinum tribus horis à cibatu perhaustum cõferet, præsertim si prolixior somnus irrepat, siue malum Sol ipse ferat, seu frigora lædant.

Ophtalmiæ verò, quam scabra scabies induxit, auxiliantur scalptus, & dexterrimi fictus, à quibus ad cætera præsidia accedendum, ni sponte euanescat. Quod si scabies agria fuerit, neque molliculam frictionem ferat, attenuantia, lenientia, & detergentia suppetiatum veniunt, vt malum paulò obsequentius euadat, & se tangi, tractarique patiatur.

De communi ophtalmiæ differentiarum curatione, & effusione fluxuum ad oculum.

CAPVT IX.

HOc catholicum sit in omni lippitudine, & in reliquis oculorum materiatis affectibus, vt vita frugalior instituatur, alimoniæ sint tenues eupeptæ, & euchymæ, vaporum & dyspepsiæ exsortes, item motus, venus immodica, acetosa, salsa, acria, acuta, Bacchi immodicus vsus, hæc omnia longè arcenda, assidua verò alui laxitas commendatur, iuxta illud: lippientem alui profluuio corripi, bonum. Omnibus lippitudinum differentijs sanguinis missio ex cephalica vena respondet.

Hoc præterea alta mente tenendum, ne correpti respiciant albore nitentia, neu lumine conspicuo lacessita, immo eorum oculis obijcienda sunt pulla, aut virentia, adeò vt nihil aliud oculos feriat, quocirca mandandum, vt se recto recipiant subobscuro, pictisq; aulæis culta cubicula legant, in quibus alta quies petenda, quæ pharmaci optimi instar esse consueuit.

Ad hæc illud auxilio esse solet sæpissimè scilicet barbam abradere, & capillos tondere, dum enim in recisorum locum noua excrementa trahuntur ad nutrimentum, amoliuntur.

Vbi verò catholica auxilia antecesserunt, & humor lippitudinis author in venulas effusus crassior est, & iam declinare cœpit affectio, tunc balneum extenuandæ materiæ, & excitandæ, discutiendęque meri potio confert. Et sanè balneũ post generalia præsidia est præsentissimum remedium, maximè si hinc vapor quispiam etiã oculos iciat, & ad diffiationem momentum conferat, & dolorem præcipuè mulceat.

Inter præcepta vniuersalia & illud cadit nempè, vt puluinar non demissum, sed extans, & eminens supponatur. Patientes præterea sibi caput odoris oleis, aut vnguentis emolliri, effœminarique non ferant, neque in aures rosaceum, aut alterius generis olea infundi, hinc enim peius habent, & asperatur affectus.

Cæterùm si materia passionis alumna aliundè huc transferatur, tunc fons exhauriendus euacuatione, & commota per cataclysmum, aut per pharmacum aluo, fluxio retrahenda est, aut phlebotomia cephalicæ venæ, quæ si satis abundè non fecerit ad arteriotomiam exercendam circa arterias, quæ ponè aures micant, vt via præcipiti succo intercipiatur, si modò per externas arterias in oculos irruat, pergendum. Quumque necessitas fert, vt capitis arteriæ cædantur, abradendum prius caput est, & considerandum diligenter, quænam illarum exilium arteriarum magis pulset, tumescat, calcatvè, illaque sectioni eligatur, tantumque sanguinis trahatur, quod satis sit. Quando verò arteriæ temporum inciduntur, necesse est vincire in primis arteriam, dein cædere. Eligendaque inter minimas maior, calentiorque, & ante sectionem, vt prædixi, inferior pars filo sericeo vincienda, & vinculum diù dimittendum, tùm ponè arteria secanda, quumque sanie emarcuit ligaculum, eximere integrum est, & sanè huiusmodi vinculum necessarium est, vbi maiuscula cæditur arteria, vbi exilior sufficit profundior scarificatus, ut sanguis emanet.

Humida uerò cucurbitula in inio affixa, atque refixa peræquè prodest, quemadmodum & hyrudinum admolitio frontalibus uenulis. Quæ auxilia si non contulerint, aut suffecerint, extans in lachrymali angulo, aut uena frontis tundenda, tametsi scarificatæ cucurbitulæ super nocram. h. e. ceruicis initium extremi emolumenti esse soleant.

Quod si ægritudo in longum producatur, ad localia gradus erit faciendus, & collyria administranda, concinnentur ex ære, & atramento ustis, & quandoque ex unica aloe. Quibus adhibitis si non concedit malum, animo ducendum subesse in tunicis intemperiem, aut certè labefactam materiam, quę attractum alimentum contagio fœdet, quare recurrendum ad ablutam thutiã permixtam ceruſſę, caduię ablutę, amylo, gummi. Hinc quandoque cauterium uertici necessariò inuritur, ut intercipiatur, retrahaturq; catarrhus.

Cęterùm ubi mẽynx ipsa fluoris origo est, curatu difficilis affectus suscipitur, qui nisi ualidissimis pharmacis, quę radicitus materiam euellant, non cõcedit, à quibus etiã roborantia capiti sunt admouenda, quale foret emplastrum ex spica, acacia, rosa, cum aqua uiridis coriandri coactum addito modico croco, quod sanè per horã super caput relinqui debet, dein remoueri. Interdum enchyta glutinantia, ac acutas materias attẽperãtia vsurpare licet, quo cẽsu sunt omnia lactis genera, sed hac lege, ut paulò post detergeantur, uicissimque renouentur, nam mora coacescunt, & nocent. Huc spectat albumen oui, quod sanè non tam citò remoueri debet, immò innoxiè diù

retineri

retineri potest, quo nomine lacti præstat, tametsi lac detersorium magis, & paregoricum est; Albumen quidem cogit, lenit, læuat, at poros constringit adhæsu. D. fœnugræci similiter aggregat, mulcet, maturat, læuigat & dolorem sopit. Huiusmodi est oleum rosaceum.

Hoc præcipuè cauendum, ne medicamina oculis adhibita maximè in lippitudine sint exasperantia, neque acria, amara, aut acidi saporis, & vt sint læuia oportet, & quàm fieri potest maximè intendendum, incumbendu nque calfacientibus affectato sapore priuatis. Interdum caputpurgia adhibentur lenia è sicla, & eius generis, & errhina mitissima, quæ partem materiæ deriuant, & interim nouam ad oculos fluxionem non excitant, quod valida quidem nasalia importunè vsurpata efficerent. Palati agitatiunculæ, quas vocant gargarismos, vsui esse consueuerunt.

Inter localia commendatur fotus ex spongia, seu mauis ex lino, vt mandat Hippocrates libro de Medico, aut lana tepida aqua mebriata, quæ semel atque iterum adhibita aliquando profuit, interdum diuturniore vsu opus fuit, prout ophtalmia fuerit mollior, aut firmatior. Cui quidem aquæ si melilotum, aut fœnogræcum incoxeris pro fotu præstantissimum topicum concinnaueris. Interdum super frontem apocrustica, & fluxionē intercipientia admouentur, maximè quando fluxio à pericranio originem trahit: Hæc verò adstringentia sunt, vt cortices Indici melonis, glaucium, caprifolium, sem. rosarum, sarcocolla, aqua solani, virgæ pastoris, Rhamnus, hordeum fractum, & cum multa aqua coctum, solanum, cydonium. Quod si superuacua excrementa impendiò calida, & tenuia fuerint, emplastra adstringentia erunt administranda ex gallis, balaustijs, tribulis; hoc enim compositum malagma, & super viam fluxionis adhibitum summæ est efficaciæ, & hoc quidem vsurpandum, si materia calida fuerit, sed si fluens humor frigore nocuerit, tunc topica admouenda sunt, quæ obsiccent, adstringant, & roborent membrum non sine calfactione, sicut epithema ex sambuco, sulphure, & nitro.

Necessum autem est, vt iugi studio oculi à lippitudine detergeantur ex instillato lacte, aut ex albumine oui conquassato cum aqua rosacea maximè in principio. leniter autem contingendus oculus, ne indolescat. Quod si vehementior fuerit ophtalmia, instituenda phlebotomia, vel vsque ad animi deliquium, plurima enim sanguinis perfusio momento persanat.

Collyria differri vsque ad tertiā diem ego quidem consulo, interim verò euacuantia, & retrahentia sunt vsurpanda, & quærenda habitacula, quæ diximus: Quibus ritè adhibitis si collyria vsurpentur, non erit abs re, his enim diligentijs citrà aliud studium curari solet lippitudo. Post phlebotomiam necessaria est alui solutio, quæ humorem sanguini præpollentem exigat, &c.

Fomenta, & balnea importunè adhibētur oculis ante totius corporis purgationem, ita enim aliquando fit, vt plurimum attrahatur materiæ, & oculorum tunicæ disrumpantur. Nec vehementer adstringentia, & styptica in principio conueniūt, siquidem vsque adeò tunicas densant, vt difflationi, resolutionique omnis via intercludatur, interdicaturque, quin dolorem etiam ingeminant. Debiliter verò adstringentia, & repercutientia in principio cum affluxum materiæ non prohibeāt, hoc detrimenti afferunt, quod tunicas incrassant, & densant, materiamq; contumaciter impingunt, quibus erroribus subinde obuiam eundum est fotu ex aqua tepente, aut ex collyrio albo dissoluto in aqua meliloti, fortiora enim tutò vsurpari nequeunt capite nondum depleto.

Atqui dum lippire quis incipit, omnia prorsus
Discussoria mitte procul seruata vetustis.
Hypnoticis pariter stringentia mixta lituris
Noxia si fuerint oculis, vel melle luatur,
Sacchareoue liquore lues, quæ fortè dolorem
Si exacuant, quæ non incrassent, frigida tollent.

Sed imprimis detergendæ lippitudini incumbendum, lenissimèque hoc opus obeundum, ne exasperentur oculi, solent enim sordibus elotis leuiùs habere, & dolor mulcetur, pharmacaque admota cuncta cumulatissimè proficiunt. Sed interdum adeò sæuit dolor, vt topicis stupefacientia admiscere sit necessum, qualia sunt pomorū mandragoræ, lactucæ, papaueris succus sumachio immitti tantillo addito, sed isthæc, quoad fieri potest, prætermittantur. Quæ, si necessitas requirat, cautè adhibentur, & sat sit albumen oui conquassatum cum papaueris succo, aut iusculo, modico fœnogræco, tùm ad promouendam resolutionem, tùm ad corrigendam stupefacientium noxam, & ad dolorem sedandum adiecto. Quod si materia fuerit erodens, & tenuis, actior, non equidem absurdum arbitror vti opio, & reliquis stupefacientibus, hîc enim opium sanat, & dolorem adimit, tametsi aciem oculorum obtundit, quo nomine noxium est. Quidquid sit, vti opio, & stupefacientibus in immani dolore oculorum à materia erodente profectò non est absonum, aut atopon, imò maximè cōducit. Et sanè dolor mordicans emollitur conglutinantibus, refrigerantibusque, nonnihil attenuantibus. Tensiuus verò lenitur malacticis, & digerentibus, quorum materiam alibi vberrimè recensuimus. Verùm si passio diutissimè protrahatur, & morosa fiat, ex lachrymalibus educendus sanguis, & arteriæ, aut venæ ponè aures incidendæ.

Qui sunt lippitudinibus, & catarrhis obnoxij, vitent capitis odorata linimenta ex oleis, & vnguentis, & auricularias perfusiones. Quid plura? lippitudo commodum curatur, quemadmodum, & cæteræ phlegmone, primò repercutiētibus, tùm resoluentibus mixtis, demum digerentibus, ob membri conditionem hæc omnia dexteriore modo peragenda sunt, quare repellentia, attenuantia, resoluentia, abstergentia debent esse læuia, mollia, lubrica, ne tactum exasperent, proin styptica sint temperata, oportet, resoluentia modestè mordicent, quæ si citra morsum digerant, præstantiora euadent, propterea lacte, aut ouorum albumine frangenda, temperandaque, his enim excipti læuissimi puluercs efficiunt laudabile collyrium.

Quum verò materia est euacuata, & dolor non admodum fatigat, administrari poterit collyrium nominatum Vnius dici, quòd ob vim agendi citò operatur, quale est citrinum, & commiscere cum oui vitello, parum enim aberit quin hoc ipso die sanescat æger, quo die vesperi balneum ingredi poterit, quod verò ad residuum digerendum accommodatur collyrium, erit de Spica. Interdum necessitas monet, vt in vsũ veniat *Sief. Alipsithan*, seu spiceum collyrium (valdè acre, & digerens à Mesue descriptum V. Canonis) primo die modicum, secundo plusculum, & hinc sæpè salus paratur. Quumque materia contumacior fuerit, & ophtalmia antiqua, tunc aliquid adhibendum simile succo cucumeris asinini discutiens, & digerens.

De curatione Ophtalmiæ calidæ cholericæ sanguineæ, Erysipelaceæ.

CAPVT VII.

COmmunis methodus curandæ ophtalmiæ à materia cholerica, aut sanguinea super eo cardine vertitur, vt superuacua toras exigantur, sanguisque vitiosus exhauriatur. Etenim si mali origo sanguis cholericus fuerit, aut syncera bilis cum phlebotomia etiam purgantia adhiberi debent, puta myrobalanorum D. addito tantulo turpetho propter caput pituitæ metropolim, quibus si materia fuerit paulò crassior, aut tunicis impactior cerebri, adiiciendum nonnihil Hieræ picræ, vt acuatur, & fortè aloe, ni absterreat amaror, in aqua endiuiæ, aut pluuia infusa suffecerit. Hic vel ab initio refrigerantia oculis adhibere decet, à quibus oui albumen cum lacte asellæ instillandum, aut album Sief dissoluendum cum aqua plantaginis.

Sed his diutiùs non est insistendum, quoniam tunicæ densescunt, succi concrescunt, & dolor acerbior emicat. Quum verò materia partim propter euacuantia fuerit detracta, & retartecta, partim per apocrustica repulsa, tunc pedetentim ad peptica gradus erit faciendus, quibus tamen reprimentia sint admixta veluti aqua rosacea. Inter maturantia verò censentur lactium genera, & Psylli; lentor præterquam reprimit, lenit, concoquit, digeritque mediocriter, cui cydonia semine præstant. Sed fœnogræci liquor ad pepsim illitus aptè in primis facit, attractusque mulcere dolorem est potis, hinc à principio tutò vtimur ipso. Quod si incrassandi maior necessitas vrgeat, mucagines vsurpandæ potiùs, si frigerandi, succi præferendi, inter experta censetur succus tribuli, qui à carceribus adhiberi debet. His peractis transeundum ad decoctionem meliloti, in qua dissoluta sit sarcocolla albæ mulieris, aut asellæ lacte nutrita. Vbi verò affectus declinare cœperit, resoluentia sunt vberiùs vsurpanda, proin confert sarcocolla dissoluta in aqua fœnogræci, aut fœniculi, & euaporatio ex aqua decoctionis croci, & myrrhæ. Adhæc balneum est administrandum, si expiati cerebri signa præcesserint. Et post cibum aliquot horulis præbendum nigrum merum modicum tamen, & antiquum, vt caput petat. Nam balneum mero succedens, & euaporatio tepentis aquæ summè prodesse consueuit.

Similiter in practica reuocanda collyria (Græci Hygrocollyria vocant) alibi narrata, quæ declinãti ophtalmiæ conducere constat. Quod si materia fuerit sanguinea, post venæ sectionem adhibẽdæ sunt scarificatæ cucurbitulæ, & extrema tùm vincienda, tùm perfricanda, & prælati succi in principio vsurpandi, quibus intundẽda panis medulla, & imbuta, inebriataque succo oculis admouenda, quibus si dolor acerbior infestauerit, etiam opium adijci poterit.

Quod si materia fuerit cholerica, post phlebotomiam cholagogo educenda bilis, & balneum administrandum ex dulci, tepidaque aqua. Interdum super caput, & oculos frigida infunditur, vt ardor remittatur. Interdum confert faciem oxycrato abluere. Sed aduertendum confidentiùs, tutiùsque stiptica in principio cholericæ lippitudinis vsurpari.

Cæterum in erysipelacea educta per cathaticum, atque per enæmata bile admouenda emplastra ex cortice granatorum discocto in sapa, & cũ succis contuso, compositoque, & oculi fouendi calente spongia aqua imbuta: Confert item malagma ex radice liquiritiæ. Et continenter oculus lacte abluendus, & iugi refrigeratione, humectationeque attemperandus, sed caue, ne nimia refrigerandi diligentia curationem trahat, & aciem oculi obtundat.

Quòd si dum ægritudo resoluitur, reses oculos afficit rubedo, conflandum erit cataplasma ex assa vitello contuso cum croco, & melle, & reliquis, quæ erysipelati conducere scripsimus alibi.

De frigidæ ophtalmiæ curatione.

CAPVT XI.

IN lippitudine à frigida materia procreata euacuanda sunt excrementa, & quidem repetenda euacuatio siue per pharmacum, siue per clysterem, nec subalterna præsidia omittenda, sed curationem auspicari oportet à repellentibus non admodum frigidis, sed sint huiusmodi, vt admittant aliquam attenuandi facultatem, sicut myrrha, sarcocolla, & Sief (Xerocollyrium dicunt Græci) de spica dissolutum in aqua rosarum, & si in tunicis pupillæ nulla adfuerit noxa, concinnandum erit collyriũ ex croco, chalcytide, melle, & aqua. Quod si fluxio à pericranio ortum duxerit, ei intercipiendæ vnguentum diachalciteos fronti alitum destinetur. In principio profuerit etiam genas oblinere theriaca, sulphure, & tantulo Arrhenico addito, quin theriaca epota iuuat. Certo experimento quidam folia Alkeruæ (pentadactyli) trita & cõmixta cum alumine, & folia maluæ decocta in vino probant.

Quid quæris? Fœnogræci ipsa, & semina lini
Mucidulo lentore iuuant marcore tumentes,
Algentesque oculos, & multo frigore pressos.

Dein rubeum collyrium, & sarcocolla in succo folio-

foliorum capparis dissoluta, & emplastrum ex foliis capparis solum.

Est tenuis, tenuansque diæta est omnibus apta,
Balnea præterea, necnon mera vina per vsus.

De Chemosi, seu magna lippitudine.

CAPVT XII.

CVratur Chemosis phlebotomia, arteriotomia, & cucurbitulis athxis, & si materia fuerit calidior post vniuersalia, & subalterna admouenda sunt collyria, & quidem inter repellentia ab initio repetenda confert pastillus albus Rhasis (Sief vocat Pœn.) Emplastra verò exterius admouenda fiunt ex modicello croco, foliis coriandri, meliloto, vitello oui assi, & pane infuso in succo vuæ acerbæ, quibus aliquando nonnihil narcoticorum est admiscendum. Alia quoque linimenta confiantur ex memithe. i. minori chelidonia, Lycio Aloe, quæ non sine iudicio adhiberi debent (*Gentilis negat memithen esse minorem chelidoniam, quam Mathiolus affirmat, sed herbam esse dicit corniculato papaueri similem. Apud Gordonium capite de cancro in cornea, legimus memithen esse Glaucium Dioscoridis, quod sanè est consentaneum, idem sentit Manardus.*)

Inter cætera experimento constat vitellum oui cum adipe Vrsino emplastri modo appositũ prodesse, qui, si dolor acriùs lacessat, priùs infundi debet in succo vuæ acerbæ, tum cum vitello concorporari. Quo præsidio si non concedat dolor, instillandus crocus cum lacte muliebri, & aqua coriandri.

In hac affectione sunt, qui contenti sint solis externis præsidijs, vtpotè lacte triduo in oculos instillato. Quod si affectus ex crassa materia proficiscatur, purgandum corpus cum Hieris, & collyria adhibenda lenientia facta ex succo caulis, aut ex D. eius, cui aliquando necesse est permiscere aquam solani, interdum myrrham, & crocum.

* *Chemosis*, inquit Actuarius, *est vtriusque palpebræ euersio à vehementi inflammatione, in qua vix oculus integitur, & album oculi nigro sublimius euadit, & nigri multam partem occupat.*

De flatuosæ ophtalmiæ curatione.

CAPVT XIII.

HÆc discutiente fotu, balneo, & vaporante milio, quo nil præstantius, de medio tollitur. Quidam verò audaciſſimi non verentur in acerbissimo dolore narcotica adhibere, vt dolor mox deliteſcat, qui profectò sedatur, sed paulò post multò acerbior excitatur prohibita flatulentæ substantiæ diaphoresi.

Compendiosa medicaminum ophtalmicorum vsitatorum recensio.

CAPVT XIIII.

COllyrium, quod Arabes Sief, (nos communi nomine collyrium posthac vocabimus) albam conglutinat, refrigerat, dolorem mulcet, lenitque, humorisque acrimoniam temperat. Huic opium interdum commiscetur, vbi dolor acerbior infestat, sed propter stuporem, & cruditatem inductam, vt malum producit, ita visui nocet. Huc spectat lythargiros, tragacanthum, lycium, rosa, antimonium, acacia, santala, galla, terra sigillata, solutum gummi, succi, & similia.

Quæ verò crassas concoquunt, digeruntq; materias, sunt myrrha, crocus olibanum, spica, castoreum; vsti æris modicum, maximè aloe, amomum, comæ cerui torridum, operæ verò pretium est aliquando frigida calidis intermiscere pro humoris conditione, & qualitate peccantis, & prout res exigit.

Inter autem probatissima repellentia, & dolorem vehementer sedantia ex crassa materia est encaustum (nigra coctura, qua coriarij lora tingunt ac perpoliunt) cum melle puro in aqua fœnograci dissolutum, instillatumque in lachrymalem canthum. Multa alia collyria composita de industria prætereo, cum alibi exarata, explicataque inueniantur.

TRACTATVS Secundus.

IN QVO DE RELIQVIS OCVLI affectibus agitur, qui maximè ad compositionem, & vnitatem spectant.

De Phlictenis.

CAPVT PRIMVM.

OCulis nonnunquam vesicæ hydatoides in cornea tunica innascuntur; quæ ex quatuor vnione membranularum tenuissimarum coalescit, & hæc aquea substantia inter has tunicas coercita manet, & quò profundiùs radices egerint eò deteriores euadunt, quò maiores, & peiores, & diuersitatem non modò penes locum, & magnitudinem sortiuntur, sed etiam penes colorem, & saporẽ quandoque suum insipidum, aut acutum, & erodentẽ. Quæcũque verò earum est ad corticem primum, & ad superficiem, nigret, & non prohibet, quin visus vsum comprehendat, at altior prohibet, quoniam radius est remotior, quàm vt ipsam peruiam efficere queat, quare videtur alba.

Plurima aquositas acuta mala est, quoniã duplici nomine lædit extendendo scilicet, & erodendo, &

do, & quantò est profundior, tantò magis tendit, dilatat, lancinat, lacerat. Ea verò, quæ vuæ opponitur, & ipsi pupillæ, visui impedimento est, & maximè vbi erodit, & vlcerat.

* *Capiuacceo est tumor corneæ procedens ab humore aquoso.*

Morbus est, ait Sennertus, *in aucta magnitudine, simulque in intemperie, & soluta vnitate, oritur ab acri quodam, & seroso humore in membrana adnata.*

De Curatione.

CAPVT II.

CVrantur exiccantibus si paruæ fuerint, & tergentibus, quale est medicamen ex luto Samio, nempè ex creta, qua figuli vtuntur ad concinnanda fictilia vasa, sumuntur huius luti torrefacti ℥. iij. thutiæ ℥. j. cadmiæ ablutæ, antimonij abluti ana ℥. ij. Scoriæ æris abluta ℥. j. opij ℥. ij. gummi ℥. iij. Teruntur omnia in aqua pluuia, & confiunt collyria, quorum singula administrantur cum aqua fœnogræci. Vbi verò vesicæ fuerint maiores, & sæuiores, curantur ferro, quod enim medicamentum non sanat, sanat ferrum.

De vlceribus oculi, & corneæ.

CAPVT III.

OCulorum vlcera acrium, adustorumque humorum appulsus vt plurimum parit, continentur specierum numero quatuor, sunt in superficie corneæ, quibus eius læuitas exasperatur, prima species ceu fumo super corneam effuso, sparsimque dilatato deprehenditur. Altera species, vt altior, ita candidior, nec tam latè pateat, nubesque appellatur. Tertia species ideò coronalis dicitur, quòd nigri coronæ insideat, interdum tamen egreditur in limites albi, tunc rubente proditur colore. Quarta dicitur vlulatrix, & lanea, quæ super pupillam effunditur, quòd floccos laneos præseferat.

Cæterùm aliæ tres species vlcerum sunt altiores, & re vera vlcera sunt, superiora enim vix eo censu haberi debent, sed potiùs ad morbum in numero puta, ad leucoma, aut nephelion reuocari. Quorũ species dicitur Βοθριον (Actuario fossula) seu scrobiculus, quod instar fossulæ ab alto se immergat in imum, & hoc vlcus angustum est profundum detersum. Secunda species dicitur cauitas, Græcis cælema, & hoc vlcus non est adeò inditum, sed latiusculum. Tertia est vlcus, quod epicauma, & adurens dicitur, & est sordidum, & crustis obductum, & non sine metu detergi potest, humor enim propter corrosionem tunicarum confluit, & oculus labefactatur. Vlcera verò oculorum aut succedunt lippitudini, aut variolæ, aut sunt primigenia, proceduntque ex mordaci quodam humore intus existente, & tunicas erodente.

Hic quidam primam, & secundam speciem non inter vlcera censent, Sed corneæ humiditatem existimant cum Galeno lib. de cauf. sympt.

Quod tali affecti morbo veluti per fumum, aut per nebulam aspiciant.

* *Capiuacceo est soluta vnitas cum magnitudine imminuta corneæ producta à causa mordaci.*

* *Hic Manardus Auic. carpit lib. 7. epist. 2. ad Michaelem Sanctannam. Sennertus Auic. applaudere videtur.*

De Signis.

CAPVT IV.

VLceris in oculo existentis Simion est, siquidem in pupilla punctum album subapparens, si in adnata rubrum, vndique dolor, & pulsatio molestant, & vbi subiecta sanies, quæ inuenitur sub pannicnlo albicat, vt modicissimum dolorem, ita insignem atquit pulsationem. Si verò cum pallore liuescat, aut tenuis sit, si rubore tincta niteseat, mitius est pathos.

De Vlceris curatione.

CAPVT V.

PAtiens in oculo dextero vlcus incumbat dormiẽs in sinistrum latus, & si in sinistro, in dextrum indormiat, & victus ratio omnino tenuis esse debet. Quum vlcus ad sarcosin perducitur, victus non sit adeò tenuis, ne virtus effæminetur, exoluaturque, & vlcus non solidetur, & superuacua interim excrementa succrescant, redundentque, effœta enim virtute œconomia corporis soluitur, sed repletio tamen fugienda est, & clamor, & sternutatio, nec balneum est adhibendum nisi declinante malo, quo si vti velit, longior mora in eo trahi non debet. Caput interim repurgandum, & materia deorsum trahenda euacuantibus. Quare singulis quaternis diebus propinandum pharmacum soluens, cruribus affigendæ cucurbitulæ cum scarificatu, nec saphenæ phlebotomia omittenda. Pharmaca verò in primis choleram, & acres humores educere debent.

Præmissa totius corporis purgatione topica oculis admouenda erunt, quæ simul dolorem sedent, & vlcus consolident. Huius generis est collyrium de cerussa dissolutum ex lacte mulieris, instillatumque. Quod si fluxio infestarit, aliquid fluxionis impetum cohibens admiscendum erit; Sũmùm ad curanda oculorum vlcera ea sunt vsurpanda medicamenta, quæ sine morsu obsiccant. Huc facit collyrium de olibano (collyria sæpè voco, quæ à Barbaris Sief dicuntur, ad euitandam cacophoniam.)

Quod si vlcus fuerit sordidum hydromelle, aut lacte mitis Asellæ retergendum, quibus collyrij conuenientis portio subigenda est, & si corrosio vehementior fuerit administranda erunt collyria cohibentia, ea tamen esse debent, vt sine morsu, & acrimonia tergeant, quale est collyrium ex olibano, & olibanum ipsum, & cerussa, & vstum, ablutumque plumbum, & collyrium album, & cinis

ostra-

ostracorum, testarumue ablutus. Descriptio collyrij optimi. ℞. cadmiæ aureos xvij. ceruſſæ ablutæ ℥. j. amyli, opij, tragacanthi ana aureos ij. terantur cũ aqua pluuia, & conficiantur cum albo oui lentore. Aliud collyriũ. ℞. cadmiæ adustæ, ceruſſæ ablutæ ℥. viij. myrrhæ aureos vj. plũbi adusti abluti aur. j. lithargiri aureos vj. talchi ana ℥. iiij. tragacanti ℥. iiij. terantur cum aqua, & cum albumine oui cogantur vnà.

De ruptura Corneæ.

CAPVT VI.

COrnea tunica aliquando ab vlcere præcedente, & penetrante, aliquando ab externa causa, puta ab ictu, casu rumpitur, tuncque vuea subapparet. Quod si modicum sit, quod inspicitur, formicæ, aut muscæ caput specie refert, prout maior minorue fuerit noxa. At si solutio latior fuerit, vt grano vuæ conferri possit, tunc dicitur vuea, maior adhuc dicitur vesicalis, Græcis inclon. Atqui si ualde egrediatur vuea, adeò vt palpebris obtegi nequeat, claualis nominatur. Et vbi vuea albescit, de sanitate actum esse putandum est.

Cæterùm sciendum est, quod quando cornea per longitudinem scinditur, albedo non uidetur, sed scissura, per quam splendor quidam emicat.

Sed âge moliore methodo differentias percurramus. Solutio igitur in omnibus corneæ partibus excitatur, intusque turget, rumpitur integris, inoffensisque extremis, quæ ad uueam pertinent: habet enim ea tunica plurimos cortices, quibus cæparum instar superinducitur, quare potest pars aliqua rumpi, aut discindi corneæ, illæsa vuea, & tunc proptosis, siue oculi eminentia similis est vesicis, sed quando tota cornea disrumpitur, aut tota emergit uuea, aut particula, tunc quatuor proptoseos species constituuntur. Quædam parua muscam referens, aut formicam miocephalos dicitur; si minor fuerit, similis euadit vesicæ molli, aut duræ, sed in eo differt, quòd colore nigrum uuæ acinum refert, aut cæruleum, diciturq; staphyloma. Quod si differat color eius à colore vuæ tunicæ etiamnum vesica est. Hoc verò deprehenditur verissimum considerantibus, nam si iuxta eius radicem albida res limbelli circundantis instar appareat, profectò nihil aliud est, quam extremitas ruptæ corneæ. Secunda species dicitur vuea, quia specie refert granum vuæ, Græcis Staphiloma. Tertia maior est, & occalluit, & vetat, ne palpebris oculus tegatur, & claualis dicitur, quia claui caput refert. Quarta vesicalis nomen sortitur, quæ chronica est, coniungiturque cum corneæ eminentia, & dicitur orbicularis, & est similis armillis, seu appendiculis quibus mulierculæ vtuntur non ad brachiorum ornamenta, sed ad comparanda fusis torquendis pondera.

* *Capiuacceo est situs præter naturam rhagoidis procedens à soluta vnitate corneæ.*

Alluarius definit proptosim vuæ tunicæ procidentiam, quæ erosa, ruptaue cornea tunicula contingit, hæc autem prout maior, minorue cernitur, varia quoque nomina cepit, quæ singula ab ea re, cui similia fuerint, denominantur.

De Curatione.

CAPVT VII.

QVando affectus isti perseuerant degenerantq; in vlcera, & perinde curantur, atque vlcera, & pustulæ curari consueuere, nempè præmittenda totius purgatio per phlebotomiam, & pharmacum, subinde balneum dulcis, & teporis aquæ maximè si natura fuerit biliosior, adhibendum. Interim aduertendum, ne in solio diù commoretur, ne caput identidem in aquam immergat, neque caput oleis illinat, horum enim quædam fundendo ad oculos fluxiones excitant, quædam densando humores exprimunt.

Cibi sint boni chymi temperati, frigidi, humidi, & reliqua vitæ ratio compar esse debet. Dum igitur malum est à carceribus, concoquere opus est, & vlcerum more curare. Vbi verò pergit malum ad germana vlcera, adhibenda sunt styptica abstergentibus mixta, qualia sunt cydonia, lentes ex melle coctæ, flores punici mali, oliuæ, oui uitellus, crocus, malum punicum ãcidum ex aceto coctum, & omphacio, donec in emplastri formam redigi queat.

Vbi autem cornea disrupta est, curatur similiter, atque reliquæ solutiones. Formicalis cohibetur adhibitis adstringentibus, & suffitu ex aceto, & aqua, & uino austero, aut ex aqua D. rosarum. Aut styptica collyria applicentur. Inter succos commendatur, qui ex foliis oliuæ, & uirgæ pastoriæ exprimitur, & certè nihil spica, & rosa, & adusto plumbo, & terra cimolia, sigillataque, & ceruſſa præstantius est. Multa passim collyria præscribuntur, quę hic narrare supersedeo, unum tamen, aut alterum non pigebit subscribere, quorũ alterũ fit ex cinere fusorij, in quo ęs purgatur, croco, amylo, tragacantho albumine oui exceptis recentissimi. Aliud ℞. Antimonij ãdusti abluti aureos iiij, ceruſſę, plumbi usti abluti aureos vj. Lycij Indi aur. xvj. spicę aureos viij. acacię citrinę aur. xx. polij aureos ij. cadmię ustę, & ablutę aureos viij. castorei aur. vij. aloes tantundem, gummi Arabici aureos xx. terãntur cum aqua fluuiali, & collyria concinnentur.

Vbi igitur proptosis incipit, & topica adhibentur, necessum est ita collocare patientem, ut supinus iaceat, & ita oculo adaptare medicamenta, ut adhęreant per uinculum superiniectum. Clauum uerò referens curationem non admittit, quamquam non defuere, qui pulchritudinis comparandę gratia prociduam particulam abscindere non dubitarunt, & ęgro malum conduplicarunt, nam materiam in affectum oculum fluere consueta in sanum irruens eandem labem accersit.

De

De pustula in oculo.

CAPVT VIII.

ABscessiunculus super corneam quidem existens albicat, super verò adnatam erubescit, hæc enim venulenta est, illa minimè. Phlebotomia, & instillato in oculos sanguine palumbino tepente, quemadmodum cap. de Hypospagmate dicetur, & fotu ex lana imbuta oui albumine conquassato cum vino, & oleo rosarum, præterea instillato lacte D. seminum Marathri curatur.

* *Manardus cum Paulo vocat synchisen, signaque communia facit cum argemo, quod ad tertiam speciē exituarum reducitur.*

De Hypopio.

CAPVT IX.

COmmittitur hoc vitium, dum pus sub cornea latitans, siue altè, siue superficie tenus continetur, & locus ille tunc specie refert vngulam albam.

Curatur ex Pauli sententia calasticis, & digerentibus, vt D. seminum fœnugræci, melilothi, mucilagine seminum lini, althææ, raphani decocti, & humentis taleolis oculo appressis, collyrio de olibano. Detergitur locus succo fumariæ; collyrio de myrrha. Quod si non adfuerit vlcus, hoc collyrium vsui erit. ℞. vitrioli, croci ana ʒ. i. myrrhæ ʒ. 15. mellis ℔. j. m. Hoc facit, & medicamen ex magnete ad vngulam eximendam præscriptum, pariterque collyrium de luto samio cap. de phlictenis exaratum.

* *Capuacceo est tumor sub cornea procedens à materia purulenta.*

De Cancro in oculo.

CAPVT X.

CAncer vt plurimum accidit corneæ tunicæ, cuius signa sunt dolor vehementior, venarum oculi contentio, punctilis molestia, qua tempora etiam afficiuntur, oculorum tunicæ rubedine suffunduntur, dolor capitis molestat, appetitus cibi deijcitur, calida omnia siue assumpta, siue admota nocent. Malum hoc in eorum albo est, quæ sanationem non admittunt, licèt dolor mulceri possit & remitti, qui sanè solet esse acerbissimus, nullibi enim cancer talem dolorem, qualem in oculo excitat. Quare si topicis calfacientibus vtaris, nihil intolerabilius, nihil nocentius potest accidere, malum enim, dolorque mirabiliter inualescunt.

Quando igitur curari nequit, saltem dolor mitigari debet, & pallio, vt dicitur, procuranda emollitio, piandum ergo, & ab excrementis immune corpus reddendum, & caput præcipuè à sęculento humore deplendum, & victus ratio instituenda, quæ chymum laudabilem gignat, panis triticeus proin, & lactis genera prosunt. Inter topica oui candida cum succo melilothi, addito croco modicello, collyrium album, & omnia quæ confiunt ex amylo, cerussa, gummi, & opio, & cęteris lenientibus, & stupefacientibus commendantur. Huc epichrista ex oui vitello, & oleo rosaceo spectant. Videndi sunt Paulus li. 3. vbi de carbunculo, & carcinomate agit, & Aetius lib. 1. sermone 3.

De Aegylope, & lachrymalium apostemate, Anchylopeue.

CAPVT XI.

IN maiori oculorum angulo nonnunquam tuber erumpit tactu mobile, sed minimè frangitur, aut hiat, quod ad glandularum genus ideò referri potest. Oculis extante quadam rotunditate se se promit, & tactu comprimente percipitur non sine dolore quodam. Interdum concrescit tumor ex collectione excrementitiæ materiæ, qui subinde rumpitur, dehiscitque, & in fistulam vt plurimum degenerat. Hoc verò commune est ambobus tuberculis, quòd vnumquodque digito dimouetur, & vbi comprimitur, occulitur, & concedit intrò, remoto digito resilit foras, & priorem situm occupat. Interdum verò tuber siue abscessus intus adeò delitescit, vt foris nihil appareat eminentiæ, dignoscitur tamen, percipiturque digiti compressione, & pruritu quodam indolenti. Et sanè Ægylops est fistula maioribus oculi angulis aduenies, quæ sæpissimè abscessus, aut rupta tubercula excipit. Et quoniã membrũ hocce est tenuissimæ substantiæ, totum vtrinque uisu peruaditur, adeò vt uniuersa cauitas inter oculũ, & latera nasi insinuata inspiciatur. Quamobrem quum disrumpitur, descendit, penetrat, & difficile solidescit, quoniam oculus humore scatet, & præterea fere semper agitatur, & propterea vlcus hoc in fistulam deficit, descisćitque. Abscessus verò interdum foris, interdum intus rũpitur ad dextrum, aut ad sinistrum latus, interdum ad vtrumque, sed plurimũ ad nasum pertinet vomica, ideòque sanies eò prouoluta aliquando perniciem ossibus nasi machinatur, cartilagineśque palpebrarum tabo inficiuntur, sanièque oculi replentur amara, quæ pollice apprimente exprimitur.

* *Fernelio Aegylops est phlegmone praua inter maiorem angulum, & nasi radicem.*

Capuacceo tuberculum iuxta magnum angulum oculi, procedens à materia morbifica.

* *Tuberculum definit Sẽnertus modò cum inflammatione, modò citra eam inter maiorem oculi angulum, & nasi radicem.*

* *Actuarius abscessum, qui inter maiorem oculi angulum, & nasi radicem rumpitur, sed Aegylops priusquam rumpatur, anchilops dicitur.*

De Curatione.

CAPVT XII.

ÆGylops est diuturna ęgritudo, reluctansque, nouissima tamen curatu non est adeò difficilis,

ficilis, chronicæ mederi licet inustione potissimùm, & clauali cauterio. Sed curationis auspicium sumendum est à detersione fistulæ, pennicillum melle rosaceo imbutum intrudi debet. Sunt, qui existiment exempta carne putrida, & nect ii affecta, si indatur hapsus bombycinus in oriatus succo filiquarum Nabatæarum maximo conferre opere. Porrò si quis curationem tentare maluerit citrà cauterium, exprimend is diligentissimè locus, vt quidquid purulenti subest, erumpat, tùm fistula vino styptico abluenda. Quod si è locis patuit, aut nihil expresseris, supersedendum, intermittendumque aliquod temporis spatium, tùm denuò expressio facienda, donec excrementum emanet, subinde fistula subluenda. His peractis instillandum erit collyrium Rhas. 9. ad Almans. descriptum, dissolutum in gallarum aqua Omphacitidum. Hac autem lege collyria immittenda, vt horula vna saltem interponatur. Interim tentare specillo expedit, quanta sit eius profunditas, & hapsus bombicinus medicatis succis inebriatus radio affabrefacto insinuandus.

Vbi oculis medela adhibetur, panno obuelari, constringique debent, & quies præcipuè inennda. Inter probatissima collyria hoc vnum est. ℞. Arrhenici rubri, atramenti, cantharidum, calcis, salis Ammoniaci, aluminis an.p. æquales, congerantur, & cum vrina puelli terantur, arefiantque in vmbra, & arida adhibeantur in vsus. (Huius Haly author. 5. Practices cap. 60.) Antequam verò abscessus disrumpatur, expedit aliquando superponere atramentum, ammoniacum, sagapenum, aut tancidulam nucem, quò materia digeratur (neque enim hic pepasmum præstolamur, sed cæsura anteuertimus papasmum.) Nonnunquã contunduntur folia ruthacea, & affuso lixiuio cataplasma effingitur admouendum Kakilo, h. e. tuberculo durusculo, antequam os abscedat, quod si contingat, consolidat, carnem reparat, & reficit idem. Huiusmodi verò præsidia in principio adhibita quoquo pacto vellicant, sed morsus paulò post euanescit.

Porrò in lachrymali fistula curanda hæc communis norma obseruanda est, vt in primis accuratè detergatur, atque purificetur, subinde solidetur, & ad sarcosim deducatur. Inter verò detergentia præcipua est lanugo, seu medula in interiore parte arundinis prope radicem inuenta, quæ melle delibuta in fistulam intruditur, qua exempta subluendus locus hydromelle, & interdum sola lanugo immissa sufficit. Inter probata remedia est Sief memithe (h.e. succi minoris chelidoniæ, si credatur Mathiolo) crocusque cum aqua Altaraxacon (Endiuiæ) si identidem adhibeatur. Huc faciunt limates integræ cõtusæ, & commixtæ cum myrrha, & aloe: Mirabile verò præsidium censetur rutha cum aqua granatorum superposita, nullum enim mali vestigium relinquit, sed eximit, deletque, licèt nonnihil mordicet, sed tolerandum illud malum, quo deterius truditur.

Inter ea verò, quæ abscessum rumpunt, censetur malagma ex pane cum semine nari, & olibano ex lacte muliebri conflatum, aut ex croco, & succo erucæ, aut ex myrrha cum gummi Arabici, & vaccini sellis tertia parte concorporata, hæc admoueri debent loco, donec abscessus disrumpatur, & sanescat. Porrò inter medicamenta ad Ægylopem conferentia & illud censetur, quod conflit ex flore æris cum olibano, & ammoniaco.

Indi existimarunt præmansum mel (mes quidam legunt nempè eruiliam, nonnulli mesch. i. dictamnum) ad sanandum satis esse, quidam præterea solam myrrham superpositam satis esse in animum induxerunt. Huc facit & puluis chelidoniæ cum tertia parte pulueris ammeos. Sed re vera puluis hic conferre solet concinnatus ex æris scobe, alumine, & sale ammoniaco. Extremum verò remedium est illud. ℞. atramenti, aloes, sarcocollæ, corticis thuris contriti minoris chelidoniæ partes æquales; conterantur, cribroq; cernantur, & in lachrymalem fistulam immittantur. Sola etiam aloe cum cortice thuris confert. Huc plurima alia aliundè referri possunt.

Quod si malum ad os peruenerit, neque pharmaca profuerint, tunc incisione opus est, & morticina caro eximenda, & quidquid noxij subest, subducendum, donec ad os peruentum sit, quod sanè si sanum fuerit, liuorem detergere sufficit, si appareat, & subinde medicinis solidantibus sinus implendus erit, & vincula accommodanda, quæ imposita pharmaca contineant. Atsi in osse maior læsio videatur, cauterium inurendũ erit, quandoque corruptum terebrare, & vsque in oculi, nasique ima peruadere necesse est, tuncque cauendum, ne adnata lædatur, quare ad litera nasi paulum declinandum, adeò vt quum locus vno foramine, aut tribus exiguis redditur peruius, sanguis in oris cœlum, & in nares deuoluatur, tuncq; profundum cauterium inurendum ea cautela, vt non lædat oculum, quare omnino oculus argenteo cochleari protegendus. Cauterium aliquando abundè fuit, vt foratu non fuerit opus. Ab inusto cauterio illico medicati pulueres injciendi sunt, & spongia frigida aqua imbuta superponenda est, aut conduplicatum linteolum niue madidante frigidum applicandum, quod vbi incaluerit, permutandum.

De Enchantide, & Rhyade.

CAPVT XIII.

CAruncula maiori oculorum angulo innascẽs aliquando vsque adeò augetur, vt visũ præpediat, & aliquando adeò decrescit, tabescitque, vt deliteat, atque subinde lachrymarum cursus succedat, id quod sanè sæpè per medici ignauiam contingit, dum vngulam eximere conatur. supercrescens igitur hæc caruncula, quam Graij Enchantida vocant, pharmacis incidentibus curatur, aut cæsura, sed non est vt dicitur, vsque ad viuum, & ad radicem resecanda, ne epiphora succedat, quam remedijs amoliri nequeas. Quod si Rhyas haud incisioni, sed aliæ imputetur causæ, curatio minùs adynatos censetur, quare sarcotica admixtis stypticis erunt admouenda, vt aloe, succus minoris chelidoniæ, crocus cum vino, ocymum cum vino. Sed aloe per se prodest in pulueren redacta,

& im-

& impoſita, & vinum etiam ſtypticum decoctionis malicorij, & balauſtiorum cõfert, nec eſt quod quiſpiam obijciat ſarcoticis adſtringentia miſceri, quod prohibet Galenus, nam excrementum ſicum retinetur, huic reſponſum tale reponimus, carnem lachrymalem alterius eſſe generis nempè vtcumque ſpermaticam, proin illi regenerandæ non ſecus, ac cuti adſtringens conuenire, quod epulotico fortaſſe ſimilius eſt, quàm ſarcotico.

* *Capiuacceo encanthis eſt magnitudo aucta carnis lachrymalis pendens à portione ſanguinea aucta præter naturam. Rhyas eſt quantitas deficiens anguli maioris, procedens à caruncula lachrymali in quantitate deficiente.*

* *Fernelio enchantis caruncułæ anguli maioris oculorum eminentia immodica. Rhyas eiuſdem caruncułæ imminutio, aut abſumptio.*

De Albugine.

CAPVT XIIII

ALbuginum quædam tenuis eſt, diciturq; nebula ſolam oculi ſuperficiem maculans, quam Græci nephelida vocant, alia craſſior, profundiorque exiſtit, quæ verè albugo nominatur, Græcis Leucoma.

Tenuis quidem tenellulis corporibus accidens curatur aſſiduo aquarum calidarum fotu, dein ſtudioſo, & indeſinenti linctu, præſertim ſi puer marathri ſemina mandiderit. In hunc ſcopum commendantur ſucci papaueris rubri, & minoris Centaurij, & puluis radicum chelidoniæ cum tertia parte ammeos, puluis ſarcocollæ, ſacchari optimi, Alcionij, nitri, Ariſtolochiæ, & omninò omnia, quæ leuiter detergent. Huc ſpectant & alia collyria, puta Aſtarmachõ & alcohol alabar forte. de ceruſſa, & aſtafethicham, & thacaatichum.

Craſſa verò, altaque, & antiqua albugo in corpore robuſtiſſimo, frigida, diuturna diutiſſimè mollienda fotu tepente, balneo, irrigatu iugi. Poſt malactica digerentia vſui ſunt, diſſoluta in aqua acori infuſionis ſalis gemmæ, quò ſpectat & æs vſtum oculis impoſitum poſt balneum & inter cętera collyria commendatur, quod ex cornu cerui fit, & ex puluere ſolo ſtercoris lacerti, aut commixto cum ſale gemmeo, aut obuſto ære. Validius verò eſt hyrundineum, aut ſtellionis, aut Salamandræ ſtercus cum melle ſubactum, & illitum mane, & veſperi.

Inter experta verò collyria eſt Sandonichum, ſchęha, ſeu Romanum abſynthium, ſtæchas arabica, tribulus aduſtus cum cancro marino, & cadmia pondo vnius aurei commixtus. Quum verò profundior eſt albugo adminiſtrare licet minorẽ chelidoniam, myrrham, lacerti ſtercus pari modo. Interdum albugo ad decorem tingitur, vbi deleri non poteſt, & ad hoc valet illud medicamentum. ℞. balauſtiorum, acaciæ, vitrioli albi, gumi ana ℥. j. antimonij gallarum ana ʒ. iij. diſſoluantur cum aqua. Si flores granatorum deſiderẽtur in eorum locum ſufficiatur corticis interioris, & albæ tunicæ grana intercurre tis tantũdem, dein gallarum, acaciæ an. ʒ. ij. chalcitidis ʒ. i. m. f. tinctura, vel ℞. plumbi vſti abluti, croci, gummi omnium aureos ij. cineris furni, in quo funditur æs, abluti ex aqua pluuiali an. aur. ij. ſcoriæ æris ablutæ aur. ſ. m. f. alcohol, vel ℞. atramenti citrini, gallarum viridium ana aur. iiij. reſoluantur ex aqua, & identidem adhibeantur, nam maximo conferent opere: Vel ℞. gallarum, acaciæ ana partem j. calcanthi dimidiam, terantur cum Iachaichaluhaman. (cum aq. florum papaueris rubri.)

* *Fernelio nebula eſt tenuis humor corneæ inhæreſcens, cuius adhæſu putat laborans ſe per nebulam, aut per vaporem res omnes intueri, qui craſſeſcens etiam albuginem parit.*

De Sebel Arabum, h. e. vnguis genere magis tenui, & albido.

CAPVT XV.

SEbel eſt affectus communis adnatæ, corneæq; ſuperficiei inductus panniculi ſimilitudinem referens, craſſiuſculis, rubriſque venulis contextus adeó, vt fumei vaporis inſtar viſum obnubilantis appareat. Atque huius affectus cauſa ſunt fętæ ſanguine venæ, aut alia quapiam materia per tunicas illas illapſa, & cohærente turgidæ, quod ſanè contingit tùm propter capitis repletionem, tùm propter oculi imbecillitatem. Hęc paſſio aliquando pruritum quendam, & lachrymas ciet, oculi ad ſolis, & candelæ lumen caligant, vnde etiam æſtus inducitur. Quo fit, vt quidquid admouetur potius irritet, quàm mulceat. Interdum etiam patientibus pupilla tabeſcit, & imminuitur laudabilis alimoniæ penuria. Et ſanè malum hoc hæreditaria ſucceſſione propagatur, quin perinde, ac lippitudo facilè inſpicientibus communicatur, & in alios demigrat.

* *Manardus reducit Sebel cum Paulo ad genera vnguis.*

* *Semmertus vocat tuniculam adnatæ, ſeu pannum totam adnatam cooperientem.*

De Signis.

CAPVT XVI.

SIgna Sebel, ſeu apparentium, & eminentium in oculo venarum (nil enim aliud eſt Sebel Arabum) ſunt ea, quæ ſæpius recenſuimus, nempè faciei rubedo, vehemens temporum pulſatio externarum venarum, & maximè corneæ, & coniunctiuæ epiphania, ſeu extantior apparitio, quàm in alio lumine.

De Curatione.

CAPVT XVII.

NEceſſum eſt, vt hoc affectu implicitus in primis declinet ea omnia, quę interdicuntur etiam patientibus ad oculos rheumatiſmum, & fluxionem, quorum cum antea mentio facta ſit, non eſt, cur fruſtra repetantur, oportet autem, vt euacuantia, & detergentia adhibeantur, quę innuimus,

nuimus, & olea malagmataque capiti nullatenus sunt inducenda. Sunt quidam adeò cauti (inter quos Rhasis) & adeò meticulosi, vt caput purgia etiamnum caueant, ne Camarinam moueant, sed ego non is sum, qui ab eorum abhorream vsu. His Galenus vinum concessit post generalem, & subalternam capitis purgationem, & sanè vbi leuiòr affectus est, concedi potest. In rebelli verò, & contumaci Sebel necessaria est incisio, & quidem talis fieri debet, vt serica fila multa acutiore acu ducta tumentibus illis venis supponantur, quę vbi coniunctæ fuerint, trahi ad superiora debent, vt Sebel subleuetur, dein acutæ cuspidis forfice incidendæ, ne quidquam supersit, subinde ea sunt administranda, quæ inhibent palyngenesiam huius affectus satis cap. de Pterygio commemorata.

Quod si oculus doleat ex incisione, vitellus oui subactus, calensque oculo admoueatur, hic enim dolorem mulcet, aut pomum ex lacte coctum, & cataplasmatis forma inducatur, sedato dolore adhibendum erit Rubeum collyrium, & Viride, vt si quid supereſt materiæ, digeratur, & oculus perspicuus, & nitidus euadat. Nullo autem opportuniore tempore opus hoc incisionis absolui potest, quàm Vere, aut Autumno, sed antea corpus vniuersum, ne superuacua excremẽta ad oculos confluant, & dolores ingeminent, sedulò repurgandum.

Pharmaca verò localia non conferunt nisi nouissimo Sebel, & experimento constat, corticem oui gallinacei recentissimi, si x. dies in aceto ferueat, colatum, & in vmbra siccatum, redactumque in pollinem mirabili modo conferre. Hic pariter puluis ex cinere, & lapide pyrite concinnatus probatur. Ad hæc vrina impubis puelli, in qua per diem Cyprij æris limatura maduerit, commendatur. Ex compositis planè extant, quæ dedita opera missa facio, vtpote quæ alibi exarata videntur, quæ à Rhasi, aut ab Haly decerpta in vsum colligi possunt. Quando cum scabie affectus copulatur, probatum est collyrium de sumachio solum, & quando commiscetur aliquid gummi Arabici, & sarcocollæ, fit præstantius collyrium, quod vtrumque adimit.

De Pterygio, seu Vngula.

CAPVT XVIII.

PTerygium morbus est in numero, in quo tunicæ adnatæ aliquid superadditur, quod vt plurimum à domestico oculi angulo ortum ducit, & se se ad coniunctiuam exerit, vt aliquando corneam contegat, & pupillam obnubilet.

Quoddam interdum pterygium admodum lene, & tenellum, aliquando admodum difficile, atque renitens reperitur, omninò verò aut flauo, aut rubeo, aut veneto colore se profert. Ad hæc quædam uisitur ungula, quæ adnatæ ita cohæret, vt sine laceratione eiusdem eximi nequeat, quædam uerò leuius hæret, vt etiam integra adnata amoueri queat.

* *Fernelio neruosa dura, & albicans, membrana est ex angulo se se obtendens & plerumque pupillam obtegens.*

* *Capinaccio est numerus præter naturam auctus in oculo procedens à carne adhærente tunicis oculi externis.*

* *Alluarius pterygion quasi alulam vertit, neruosamque adnatæ tunicæ eminentiam definit, quæ ex angulo maiori orta ad coronam vsque peruenit.*

De Curatione.

CAPVT XIX.

NVlla tutior curatio, quàm quæ ferro tentatur denudando abscindendoque excrescentem substantiam, maximè si leuior sit. At durior ungula non sine detrimento eximi potest, quare necessum est, vt uncinulis apprehensa suspendatur, vt incisio tuta, faciliusque fiat, quod si suspendi nequeat, aut subducatur serico tenuissimo innexa, & tali pacto diuulsa detrahatur. His non conferentibus utilis erit cæsura (encharaxin uocant) cum ferro minimo acutulo, necessum enim est eam omnino euellere, ne pupillam integat, eaque abscissa cyminum cum sale præmansum admouendum erit oculo, & dolori pomo cocto in lacte, & admoto, aut luteo oui, & oleo uiolaceo, aut rosaceo, succurrendum. Quod si cyminum cum sale præmansum, non admoueris, proculdubio coniunctiua genæ inhæresceret, & propterea oculi continenter agitandi, ne tocant. His peractis, triduoque transacto acuta collyria sunt administranda, ut quidquid supereſt exedatur. Sed acuta, acriaque medicamenta parum proficiunt in crassiore ungula, & interim pupilla acribus vehementer lacessitur; talia enim debent esse localia, ut ualidè detergeant, & præterea putrefaciant. Plurima uero, quæ huc faciunt, scribuntur alibi.

Inter probata censetur illud, quod fit ex æquis æris usti, albi atramenti, & hircini follis partibus: Aut ℞. Albi atramenti, salis gemmei ana partem unam, gummi dimidiam, misce, fiat collyrium cum uino. Aut ℞. æris usti, chalcanthi, corticis radicum capparis, salis ammoniaci, fellis hircini; aut uaccini parem modum, misce cum melle, & confice, siue mel ipsum cum felle misceto, & utere. Aut ℞. magnetis, floris æris magræ. i. terræ rubræ, qua utimur ad signandum, ammoniaci ana partes binas, croci partem unam, horum unicuique unciæ mellis additur cotyla una. i. ℥. ix. Fit etiam mirabilis puluis ex calcantho, & Ammoniaco sale.

Hoc autem medicamen uiribus æquat incisionem. ℞. testam catilli, eximè internam læuigatam, perpolitamque superficiem accuratè, residuum contere, puluis commisceatur oleo de seminibus cucurbitæ, & iterum simul lauentur, dein radio hoc medicamine imbuto crebrò ungula inuratur, hinc enim solet adeò extenuari, ut tandem euanescat: Sed ante usum digerentium, & exedentium pars calasticis, malacticisq; fouenda, proin oculus diutissimè tepentis aquæ uaporibus incũbat oportet, donec purpureum induant ora

colorem, aut certè adhiberi debet fomentum. Interdum læuissimæ, & recentissimæ vngulæ exterendæ sufficit tritum thus tamdiù in aqua calida subactum, donec vna hora pertranseat, subinde colo transmittitur.

De Hyposphagmate, seu sugillatione.

CAPVT XX.

HYposphagma, siue hæmalopan affectus est, quo oculi sanguine suffunduntur, & vt plurimùm punctum sanguinis purpurei, aut liuentis apparet, suffunditur autem aut rupta propter plagam vena, aut alia de causa puta plenitudine, apostemate, clamore, laborioso risu, feruidiore in venis sanguine; & interdum ex percussione eruptio quædam tenuis in pupilla visitur, quæ deterior est, quàm quæ in coniunctiua, hæc enim cæteris paribus est salubrior.

* *Capinacceo est color præter naturam cornea procedens à sanguine effuso è venulis tunicarum oculi.*

De Curatione.

CAPVT XXI.

SVffusa sanguine lumina instillato è tenerrimis alarum pennis in oculos sanguine turturis, aut columbæ curari consueuere. Quòd si affectus fuerit in principio, non erunt repellentia omittenda, qualia sunt terra cimolia, bolus Armeniæ, sub finem verò resoluentia vsque ad Arrhenicum cum luto sigillato sunt administranda; Lac muliebre cum thure infuso, & aqua salita, & maximè in qua dissoluta sunt sal gemmeum, & sal ammoniacum, præsertim vbi huiusmodi aqua apponitur cum thure priùs infuso, siue in oculum instillatur. Huc facit collyrium Diuaricon, & medicamen ex piperis, & sarcocollæ æquis partibus, & Arrhenico ad pondus omnium, & interdum etiam sal gemmeum commiscetur, & fit collyriũ. Extrinsecùs etiam malagma ex columbino stercore, aut ex passulis enucleatis cum aceto apponitur cretum. Huc caseus recens modicè salitus, cortices raphani, & melilotus cum sanguine draconis, radices lilij, crocus, vitellus oui faciunt. Inclinato ore excipiunt halitum aquæ decoctionis hyssopi, origani, chamæmelli, meliloti; Fieri solet etiam cataplasma ex foliis caulis contritis, & decoctis priùs in aqua, quidam admouent nodulum decoctione hyssopi tepente madidum.

Si verò antiqua sit affectio nec reliquis concesserit, admouendum erit emplastrum factum ex sicubus, & synapi dimidio, aut affricandum erit Arrhenicum cum lacte. Huic si adnatæ ruptura iungatur, cyminum, & sal cum saliua præmansa emollita oculis admouenda, quibus cataplasma quoque ex foliis salicis mirum in modum conferre consueuit.

De lachrymis, siue epiphora, quam defluxionis impetum vocat Actuarius.

CAPVT XXII.

IN hoc symptomate, * quod ad ametriam excreto pertinet, oculi aquea quadam humiditate semper madent, manantque, & interdum etiam lachrymæ profluunt, quarum sanè scaturigo, aut connaturalis est, aut certè ascititia, harum iterum quædam etiam sanis semper insunt, aliæ morbos excipiunt, quæ disparent summota inualetudine, vt febricitantibus plurimis vsu venit.

Profectò accidentariæ lachrymationis causa, aut est effœta retentrix, aut alteratrix debilitata, aut imminuta caruncula, quæ operculi instar maiori angulo prostat, siue importuno acuti collyrij vsu, siue perperam succisæ vngulæ vulnere, siue fortè deficiat. Principium verò, & fons huiusce humiditatis cerebrum est, unde in oculorum angulos continenter influit. Natiuæ autem, siue propter defectum caruncuiæ lachrymalis, non sanescunt epiphoræ. Lachrymæ verò, quæ febribus, & acutis passionibus comites eunt, sequuntur cerebri noxam, siue apostema, & vt plurimùm succedunt illis febribus, quas vigiliæ pertinaciores stipant, quales sunt acutiores. Sunt, quæ plurima frigora, aut frictum sequantur, istæque omnes abeunte causa recedunt.

* *Fernelio est tenuis humoris impetus lachrymarum specie in oculos factus.*

* *Capinacceo est excrementum serosum affligens oculum, procedens à frustratione facultatis alteratricis cerebri.*

De Curatione.

CAPVT XXIII.

CAtholicum præceptum in curatione est, vt moderatè styptica adhibeantur. Si verò pathos ob perperam succisam vngulam, aut ob corrosam pharmaco caruncuiam fiat, medela est puluis citrinus, trochisci de croco, collyrium de aloe; puluisculus è thure (& maximè suffitus è thure) aloe, succo chelidoniæ concreto, seu æranthe, & croco. Sed aduertendum operam ludi, vbi penitus consumpta sit caruncula.

Illa verò caruncuiæ imminutio, quæ non succedit vngulæ succisæ, curatur thutia præparata, & maximè insufflato thutiæ polline, & præterea omnibus collyrijs, quæ viscciditate prædita sunt, qualia sunt collyrium album de sarcocolla, & id genus alia. Experimento autem certo probauimus collyrium è succo granatorum, quod sic cõcinnari potest. ℞. succi malorum punicorum acidorum ℔.j. coquatur ad dimidias, cui adde aloes Succotrinæ, lycij veri, croci, Sief è minori chelidonia ana aureos ij. moschi gr.iij.lx. diebus in vase vitreo clausa insolentur. Præterea & illud experimento constat esse efficax remedium, nempè iciuno ventre balneum ingredi, & commorari,

& eo

& eo tempore identidem oxycratum in oculos instillare, sunt, qui multum tribuant radiculæ erithrodani. Natiua verò epiphora difficili remouetur negotio.

De Strabismo.

CAPVT XXIIII.

STrabismus * interdum propter musculorum oculos mouentium mollitudinem, interdum ob conuulsionem accidit, vnde perperam distorquentur lumina. Vt vt fit, semper contingit aut obnimium madorem, vel ob siccitatem, vt in febribus acutis. Et sanè potissimùm euenit ob eorum neruorum contentionem, qui ad latera oculos torquent. Emergit verò frequenter huiusmodi affectus post quasdam cerebri ægritudines, puta post epilepsiam, phrenitida, scotomiam, & similia, neruis illis nimirum ex adustione nimium siccatis, aut certè impendiò repletis. Nemo porrò nescit, oculos sursũ, aut deorsũ impulsos id agere, *Se vt duplices Thebæ referant, & corpora bina.*

Sed ad latera contentio tantam non infert hallucinationem.

* *Fernelio oculi conuulsio est, qua is in obliquum ita torquetur, vt nequeat amborum vnus aspectus esse.*

* *Capiuacceo est visio inæqualis oculorum, dependens à motu præter naturam musculorum motiuorum.*

* *Actuario oculi distortio dicitur, quæ adultioribus ob conuulsionem accidit, infantibus ex praua intuendi vnum obiectum consuetudine.*

De Curatione.

CAPVT XXV.

STrabismus ille, qui ab incunabulis ortum traxit, non sanatur, nisi beneficio ætatulæ infantilis admodum vuidæ, si nondum obfirmata fuerit affectio, oportet autem, vt ita aptentur cunabula, vt infantulus semper eodẽ aspiciat, & oculos conuertat suos, siue lucis causa solaris, siue appositæ candelæ gratia, & studio, sic enim fit, vt in oppositum oculis continenter conuersis vitium emendetur.

Illud etiam studium est elegans. Alligandus quippe iuxta opposita tempora murice tinctus pannus, aut quippiam aliud ludicrum, quod oblectet, vt oculos in illud torqueat, & vitium strabismi corrigatur, si enim in vnam partem inclinent, indesinenti aspectu in rem oppositam tandem æquabilis, & recta concinnitas comparatur, quæ attinet ad videndi elegantiam. Applicita siquidem res illa videndi curiositatem ingenerat, sed cũ videri non possit sine laboriosa luminum conuersione, maximè conducit ad summouendam affectionem. Ad hæc obtutus firmus in rem quampiã maximo solet esse vsui.

Qui verò grandiuiores tale vitium, aut propter paralysin, aut propter spasmum à repletione subortum incurrũt, generatim magnarum Hierarum vsu, tenui, & tenuante dieta, balneis, & discutientibus fomentis piandi sunt.

Inter subalterna præsidia, quæ strabysmis conferre consueuerunt, censetur caputpurgium ex succo fol. oliuarum. Quod si spasmus à siccitate, & inanitione proueniat, fotibus humectantibus occurrendum erit, puta lacte Asinino, si abfuerit febris, oleisque madore pollentibus, præterea victus norma, ratioque ad humectandum collimet, oportet. Sanguis ad hæc turturis in oculos instillatus, & emplastrum appositum ex albumine oui oleo rosaceo, & pauco vino, idque frequens repetitum, ceu euporistum conferre consuecuit.

De Ecpiesmo, seu oculi exitu.

CAPVT XXVI.

OCuli exorbitant aut ex nimio inflatu, aut ex graui repletione, aut ex arctiore thorace, qui ceruicem, iugulumque stringat, aut emollitis, & laxatis musculis, qui lumina sustinent. Quæ accidit proptosis propter repletionem, inflationemque immodicam, aut flatulẽtæ, aut humentis substantiæ soboles est, quæ rursum vel per protopathiam, vel per consensum succrescit à cerebro, vel à toto corpore, vt cum menstruis, aut hæmorrhoidibus suppressis succedit.

Illa verò oculi procidentia, quę eximiam sequitur angustiam in præfocatione, in validissima cephalæa, in vehementi vomitione, ira, clamore, in parturiente fœmella, in difficili egestione, in omni denique ingenti conatu planè visitur. Hoc ipsum interdum materia ad oculos declinante interuenit, vbi titè mulier non repurgatur, aut fœtus cõplexio siue per putredinem, siue per obitum labitur. Ea porrò, quæ lacerti mollitiem, & resolutionem excipit, vbi musculus opticum neruum cõtinens laxatus, nec in situ sustinet oculos, frequẽs visitur, id quod interdum accidit ex sola musculi resolutione, & tunc visio non laceßitur, quamquam aliquando uitiatur.

Interdum lumina ambo extra turgẽt orbitam, ut præfocatis, peripneumonicis, & deliris ex summa mænyngum phlegmone contingit, tuncque uel magnam compressionem, aut insolentem plenitudinem, aut uehementem sanguinis incursionem abscessum committentis in cornea causari licet.

* *Capiuacceo est situs præter naturam oculi procedens à musculo non valente oculum firmare.*

De Signis.

CAPVT XXXI.

VBi oculi extra orbitam aguntur, ex materia plurima ad pupillam congregata, tunc unà adest etiam magnitudo. Quam angusta peperit compressio proptosim, si præsto sit alienæ materiæ confluxio, adulta moles arguit, si desideretur, protenta intus foras oculorum dispositio abundè utramque indicat. Quæ uerò propter musculi laxamentum accidit, nõ pupillam maiorem

habet, neque uehemens tentio percipitur, & pupillam interim loco mota peræstuat.

De Curatione.

CAPVT XXVIII.

LEuissimæ proptosi satis esse consueuit vitta oculis arctiùs inducta, quæ intrò regerat, item supinus decubitus, cibus exiccans, tranquillitas, genæ tenaciter clausæ remedio sunt, cui si propositæ non sufficiant, admoueatur collyrium è fumachio. Enormis, verò (si materiæ subsit impuritas) toto corpore, & capite repurgato tùm pharmaco, tùm phlebotomo, tùm cucurbita inio admota, necnon acutis clysteribus curantiam suscipit. Et sanè ea, quæ fit per sentinam euacuatio, admodum consentanea, & commoda euadit, similiter ea reuulsio, quæ fit admotis cucurbitulis supra ceruicem, vniuersis procidentijs vtilis esse consueuit.

Adhæc opus est, oculos lana in aceto infusa fouere, & faciem respergere aqua salsa frigida, & præsertim ea, in qua styptica, veluti punici mali cortices, balaustia, senticem. i. spinam albam, papauer, endiuiam, pastoriam-virgã incoxeris. Hæcque topica semper vsurpari queunt, ni plethora impediat, & materiæ infarctus, tunc enim deplendum, atque resoluendum ante, quàm apocrustica admoueantur.

Quòd si ex musculi laxamento proficiscatur, tunc magnis hieris totum corpus repurgandum, adhibendaque sunt gargarizonta, suffitus, & odoramenta, quorum aliàs meminimus, à quibus administranda erunt topica adstringentia, & roborantia.

Quæ verò succedit laborioso partui, si quidem fiat propter lochiorum, & purgamentorum paucum effluuium, aut propter corruptum fœtum, curatur procuratis menstruis, & expulso fœtu. At si fiat præ sola compressione iuguli, styptica admota sufficiunt remotis comprimentibus. Inter verò summè conferentia censetur illud emplastrũ, quod fit ex farina fabarum cum rosis, thure, & albo oui lentore, quò faciunt & nuclei dactylorum adusti cum spica admoti.

De oculorum profunditate, seu Atrophia.

CAPVT XXIX.

HViusmodi oculi frequèns in febribus à peruigilio contumaci, ab hypercatharsi, à mœrore, & longa tristitia visuntur. Et sanè quod succedit vigilijs pathos somniferos oculos, graues palpebras perhibet, quæ difficilè mouentur, quamquam pupilla quoquouersùm torquetur, & huc, illucque prospectum effundit, id quod mœrore, & animi ægritudine confectis vsu non venit. Hi enim immotam retinent pupillam, vt videantur entheastici, rapti. Sunt qui acceptum ferunt contrarijs dyscrasijs puta frigori, aut calori, & qua parte frigus viget oculus tabet, conditur, qua parte calor, alter oculus extat.

* *Manardus vocat oculi imminutionem procedentem ab innutritione.*

De oculorum glaucedine.

CAPVT XXX.

GLaucosis aut tunicarum, aut humorum vitio contingit. Et quidem humorum vitio, si albugineus epiphanes quidem, sed mediocris, chrystallinus autem humor sit plurimus, aut si mediocris, situs tamen eminentior, & paulò editior sit, (maximè si tunica vuea nigredine non obstiterit;) Quod si modicus hic, albugineus verò plurimus, & non asynthetus fuerit, tunc quædam fuscedo, obtenebratioque emergit instar altissimæ aquæ stagnantis. Item si glacialis intus reconditus, profundusque fuerit, oculi pullo colore micant.

Verùm si tunicarum causa fiat, & vuea quidem tunica nigra subsit, tunc oculus profectò nigrescet, quod si fuerit cyanei coloris glaucophtalmos euadet: Rhagois verò cæruleo virore imbuta videtur, aut pepasmi egestate, atque defectu, vt nouellis plantis contingit, nam vbi expullulant vix vllo colore pollent, quin albicantes videntur, ampliùs adultæ perfecta iam digestione virescere incipiunt, qua causa & infantium ocelli rauidi apparent, & variegato quodam colore distinguuntur, hæcque puerorum glaucedo tùm ex summa vuiditate prouenit, tùm prorsus humore resoluto, atque exhausto, in cuius vices aer sufficitur, perinde, atque in planta, cuius humiditas vbi impensiùs digeritur, exalbescere incipit, & hæc vitiditas, seu glaucedo immodicæ siccitatis soboles est. Hac de causa senum, & laborantium oculi variegati fiunt, nempè quia innata humiditas resoluitur, & excrementitia succrescit.

Porrò aut huiusmodi color tunicæ germanus, natiuusque est, non aduenticius ex humoris claritate, à quo progenita est, hoc sortitur, quod sanè visionis præstantia, aut vitio internoscitur, nam si ex humoris claritate proueniat, oculorum acies bona est. Cæterùm varietas colorum prouenit coitu, admistaraque causarum, quæ nigrum, glaucumque colorem perficiunt. Quòd si varietas, h. e. glaucedo proficisceretur ab igneo excessu, vt ratus est Empedocles, quin etiam Plato, glaucus oculus læderetur deficiente thermasia, quæ sensorium perficit.

Quibusdam nigris cæsios cernendi acumine præstare, vbi glaucedo ab extrinseco inoritur citra organi labem, palam est. Ea verò est ratio, quoniam nigredo, quæ à plurimo albugineo humore prouenit, colorum species prompte, discretèque non admittit, quoniam penetrationi reluctatur, quemadmodum & illa, quæ propter humoris cõfusionem, aut propter copiam vuidæ fit substãtiæ. Nam si multitudo subest, non obsequitur eximio, excellentique obtutui, nec ad exteriora radiosa qualitas effunditur, vt decet. Quod si oculus fuerit cæsius ob humoris albuginei paucitatem, noctu perspicaciùs, quàm interdiu cernet, ut contigit Tiberio Imperatori, nam lumen extet-

num

gum innatum exhaurit, & obfuscat, quo fit, vt cęcutiat non secus, ac oculus secundùm egregiam lucem tenebris redditus. Oculus verò niger ab humiditate minùs noctu discernit, quoniam plurimo ictu, & motu opus habet, vt sensio fiat, adhęc multa materia segniùs, quã pauca mouetur, verùm hoc peculiare habet niger, vt aciem videndi mirum in modum congreget.

* *Glaucedo, inquit Amatus cent. 5. curat. 77. est chrystallini humoris in cæsium mutatio.*

* *Fernelio est chrystalloidis, aut vitrei humoris in glaucum, aut fuscum colorem mutatio.*

* *Capuacceo est densitas cum crassitie morbosa corneæ procedens à causa cicatrizante.*

De Curatione.

CAPVT XXXI.

SÆpè factum est periculum ad oculorum nigredinem collyrij ex hyosciamo albo in aqua decocto ad melliginis consistentiam, siue ℞. Antimonij lucidi ʒ. iij. margaritarum, moschi, camphoræ ana ℈. j. fuliginis ellychnij ex oleo oliuarum, aut ex oleo sambucino, croci ana ʒ. j. vniuersa compingantur, & administrentur trita priùs ex arte. Crocus item, & eius oleum, similiter solanum in succum redactum atratam pupillam reddit, siue ℞. succi tribulorum ʒ. ij. gallarum vstarum ʒ. j. olei è nucleis oliuarum denigratarum in arbore, olei sesamini non adusti ana ʒ. j. decoquantur omnia lento igne, donec pullum contrahant colorẽ, & fiat inde collyrium.

Inter experta est auellana adusta, & cum oleo admixta, infantisque cæsios oculos habentis vertici inducta. Illud quoque admodum præstat, si immittatur radius in humidam colocynthidem, & fiant enchyta, quæ tanti æstimantur, vt etiam Æluri oculos cæsios nigræfacere posse iudicentur, similiter valent cortices Auellanæ contriti. Aut sumantur acaciæ pars vna, gallarum sexta cum æqua papaueris erratici parte concorporentur, aut cum eiusdem succo, & fiat illitus. Huc & succus Bengi nempè Viticis, & succus corticis malorum punicorum attinet.

TRACTATVS Tertius.

DE GENARVM, SEV Palpebrarum dispositionibus, &, quæ eas comitantur, vitijs.

De pediculatione palpebrarum.

CAPVT PRIMVM.

IVmens, putrescensque materia ad cutim protrusa, calorque præter naturam, qui segregatam materiam similem constare facit, & ad vitam suscipiendam disponit, quod in morticinis videre est, pediculorum parentes sunt. Obnoxij porrò huic malo, (quod phtyriasin Græci vocarunt) esse consueuerunt, qui varia, & plurima cibaria indiscretè deuorant, qui ocio marcescunt, qui situ sordescũt, nec balneas frequèns adeunt, nec amicula mutãt. Hoc morbo Pherecydes Syrus, Sylla, Plato interiere, ficusque huius fœditatis authores frequèns sunt.

De Curatione.

CAPVT II.

AVspicium curationis sumi debet à totius corporis purgatione, & subinde caput, oculique tergendi, deplendumque particulatim caput gargarismo ex aceto, & synapi confecto, oculi verò perfundendi, abluendique sunt marina, aut sulphurea aqua. Superciliaque, & cilia oblinẽda alumine, nitro, aloe solutis ex oleo amygd. amararum, aut ex aceto Scyllino. Sed staphyagria vnà cum nitro allita instar omnium erit.

De Silac, seu Ptilosi.

CAPVT III.

* *CRassities blepharæ fertur vitiosa ptelosis,*
Materiæ soboles praua, germenq; nitrosæ,
Propter quam illa rubet, vallo & spoliata pilorũ
Glabret, succeduntque locis priùs vlcera læsis
Luminæ perniciem quam mox offensa sequuntur,
Seu phlegmona priùs, seu labes quælibet vltra
Lassaritque modum, vitioque parauerit ipsa,
Quæ aut læsisse nouo, aut antiquo tempore gaudet.

* *Alluario est palpebrarum callosa, rubicundaque crassities ex crassiusculis, & corruptis humoribus genita.*

* *Manardo est pilorum casus cum rubore, & calore, & crassitie palpebrarum.*

De Curatione.

CAPVT IV.

SI recens sit malum, malagma è lentibus coctis in aqua rosarum conferre solet, cataplasma item è contusa portulaca, endiuia cum oleo rosarum, & oui albumine, quod sanè noctu potissimùm debet admoueri, à quo balneum est incundum. Aut certè confiat ex lentibus decorticatis, sumach, pulpa granatorum, rosis, noctu applicetur topicum, postea interdiù balneum adhibeatur mane, quod mirandum in modum reuellendo & euacuando, & humores etiam mulcendo prodesse potest.

At verò in chronica dispositione opus est crurum scarificatu, venæ frontis incisione, & iugi balneo. Inter topica verò hæc accensentur. ℞. æris vsti ʒ. v. tragacanthi ʒ. iij. piperis, croci ana ʒ. j. terantur cum vino pontico, donec acquirant mellis crassitudinem, & inducãtur palpebris exterioribus.

Quæ verò ophtalmiæ succedit, expungi solet hoc topico, quod recipit vitriolum attramento scriptorio idoneum, crocum, spicam æquali pondere, lapidem hęmatitem partium decem pondo, & hinc collyrium inducendum palpebris, &c.

De Sclerophtalmia, & Xerophtalmia, Auic. Gessa palpebrarum.

CAPVT V.

ACcidit * palpebris (palpebras hîc voco cum vulgo, quas presse genas vocari scimus cũ Plinio) hæc ægritudo, vbi difficulter apertæ clauduntur, aut occlusæ reserantur, interim rubedine, & cruciatu lacessitæ langueſcunt, à somno laboriosè aperiuntur, & vt plurimum hæc affectio hyulca, & siccitate aspera videtur, & sanè crustosæ apparent palpebræ, vel citra affluxum vllius materiæ, quia hæc dispositio propter humorem viscidum, & valde siccum accidit. Dolor verò ferè comes it, & rubor. Quæ verò prouenit ex pruritu sine materiæ vllo prorsus affluxu, oculi ariditas, seu vredo perhibetur, sed ita viuam, plerumque subest calida intemperies, & plurima crassa materies euacuationis indiga.

* *Manardus vocat palpebrarum duritiem cum dolore, & rubore citra materiam, & difficili motu.*

* *Aridam lippitudinem vocat Actuarius Xerophtalmiam, in qua oculus citra humoris affluxum ægrè, & cum dolore mouetur.*

De Curatione.

CAPVT VI.

OCuli perpetuò fouendi spongia tepẽte aqua inebriata, & balneum continenter adhibendum ex aqua dulci temperata. Tempore verò somni imponat sibi super oculos oui albumen conquassatum cum oleo rosaceo, & continenter verticem, & coronariam suturam oblinat humectantibus oleis, & caput etiam irriget, nasalia etiam adhibeat ex oleo violaceo, nenupharino, &c. *Quòd si excedentem bilem tibi simia monstrent*, aluus *Volubili* (hæc enim veluti proprietate quadam pollet) aut alio quopiam chalagogo turbari debet.

Si materiæ crassities, & ariditas malactica, & diaphoretica desiderent, mucagines seminum fęnogræci, & sem. lini extractæ ex muliebri lacte admouendæ erunt. Huiusmodi enim litus illas durities emollire, & humorem digerere solent. Huc facit etiam gallinaceus adeps experimento probatus, item mucago sem. lini, cera, & oleum rosac. si commixta superponantur continenter.

Nonnunquam collyria sunt admouenda, quæ lachrymas cient, veluti illud *Erasistrati*, plurimum enim in chronica dispositione confert lachrymas allicere. hæ namque crassiorem materiam resoluunt, & fluxilem reddunt, & ex tenuibus succis attrahunt duntaxat, qui leniunt & disijciunt affectum.

De palpebrarum crassitie.

CAPVT VII.

AFfectus hic scabiem vt plurimum sequitur, aut linimenta frigida super palpebram applicita, & hercules eius curatio absoluitur collyrio ex lapide lazuli, & lapide Armeno, & ex nucleis dactylorum adustis, & ex duplici spica, nẽpe Celtica, & Nardi concinnato, ad hæc fotu, balneoque iugi, interim vini meracioris vsus circuncidẽdus. Quãdoque attrectare prodest radio oblito leui collyrio rubro, sed saccharo affrictus aleę plenus est accersita fluxione.

De palpebræ inflatione, seu emphysemate.

CAPVT VIII.

HViusmodi * affectio contingit affluxu tenuis, aqueæ materiæ, & ob vapores ex cruda, indigestaque substantia sublatos, vt accidit in febribus post longas vigilias. Interdum præcurrit, portenditque cachexiam, & hydropem. Interdum sequitur intestina apostemata, vt lethargum peripneumoniam, & quando conualescentibus talis affectio acciderit, futuram minatur recidiuam, præsertim si reliqua membra integra sint remanente mordicus mali vestigio in solis palpebris. Curatur affectus remotione causæ facientis, atque fouentis, & fotu carminante, digerenteque, &c.

* *Manardus vocat laxum, & indolentem tumorẽ.*

De palpebrarum grauitate.

CAPVT IX.

PAlpebrarum grauitas, aut inflationem, eiusque causas, aut virium imbecillitatem, sicut hecticis contingit, aliquando ignauam crassitiem, interdum instantem febrium accessionem consequitur.

De Ancyloblepharo, siue palpebrarum coalitu.

CAPVT X.

NOnnunquam palpebræ, aut cum coniunctiua, aut cum cornea, aut vtrisque conglutinantur, & quandoque ad vtraque latera inhæreſcunt, aliquando circa medium, interdum circa alterutrum ita committuntur, vt deglutinari nequeant. Huiusce affectus causa aut est vlcus, aut quælibet alia soluta vnitas, vt quando ex oculo Sebel eximitur, aut scalpro detegitur vngula, aut ex palpebra scabies scalpitur, neque cauterizatur locus cum cymino, sale, & consimilibus, neque reliquæ circunstantiæ ritè adhibentur, vt decet, &c.

De μυοφθαλμῳ.

CAPVT XI.

ESt postula carnea oculo innexa, quæ si maiorem occupet canthum, satius est, vt incidatur, subindè therapia fistulæ lachrymalis adhibeatur, aut curetur collyrio Basylico, aut medicamẽto de violis, (Sed prius purgetur corpus, ante quam ad localia deuenias) & omnino ijs, quæ vngu-

vngulæ conueniunt maximè verò collyrio ex Arrhenico, & si colore exalbescat, aut nigreat, tunc veluti vngula tractetur.

* *Carnis pustulosam eminentiam vocat Manardus, quam ad Sycosin refert.*

De Lagophtalmo, seu palpebræ inuersione.

CAPVT XII.

HVius affectus tres species statuuntur, altera vbi contractior, & breuior est palpebra, quàm vt protegere queat oculi album, hocq; aut ab incunabulis accidit, aut ex euentu, nempè incisione, & talis oculus leporino nomine dignatur ab Alpharabio. Secunda species media it, cum.s. aliquanto commodiùs candidum operitur, & ab eadem causa, sed minore, infirmioreque prouenit. Tertia differentia est, vbi superior palpebra inferiorem haud obtegit, haud concludit, hocque accidit, aut ex glandula, aut ex adolescente caruncula, aut ex conuulsione musculorum, aut ex vlcere coalescente, & consolidato adeò, vt palpebra adducta corripiatur, vt non possit cum inferiore committi.

Curatur illa, quæ fit ex contractione, incisione cutis citra futuram, ita enim fit, ut quadantenus per intermedium callum producatur. Similiter, secunda curari potest plùs minùs, prout usus exegerit. Quæ verò ex glandulosa, & carnea substantia supercrescente fit, curatur, rescinditurq; ferro, pariterque illa, quæ succedit vlceri corripienti palpebram, recisione, & consolidatione curatur. Quæ verò spasmum sequitur, pharmacis accommodatis exigitur.

* *Gorræo lagophtalmi dicuntur, quibus superior palpebra sursum reducta est adeò, vt totum oculum tegere non possit, sed per somnum etiam oculus apertus maneat, sicut & leporibus. Id vitij aliquando naturaliter prouenit, aliquando à causa præter naturam, vt vlcere, cicatrice, sutura latiore, & malè facta, interdum etiam senectute.*

De grandine, seu Chalazio.

CAPVT XIII.

GRando * est crassa, concretaque humiditas, ac veluti lapidescens sub inferiore parte palpebræ latitans, quæ interdum concretione, & albedine grandinem refert.

Curatur linimento ex sordibus alueorum apũ, & reliquis concinnato, quibus aliquando adijciũtur ol. rosatum *Albotin*, h. e. terebinthina, & sarcocolla, aut certè inducitur ammoniacum ex aceto subactum, & galbano, & assa fœtida. Huc facit & linimentum, Oribasij (*hunc Gentil. vocat Aureum Iesum perperam*) cap. de Hordeolo relatũ.

* *Manardus vocat mobile tuberculum, quod huc, illucque impellitur.*

* *Actuarius vocat humoris cuiusdam otiosi collectionem in palpebris.*

De Hordeolo, Græcis Κρίθη.

CAPVT XIIII.

HOrdeolum * est durum, oblongumque tuberculum extremis innascens palpebris, quod quia hordeum specie refert, ideò hordeolum nuncupatur, eius substantia, vt plurimũ inutilis sanguis est.

* *Fernelio tuberculum calidum in abscessum ferè desinens, quod è palpebræ margine, atque è cilio prorumpit.*

* *Actuarius vocat oblongum abscessum in palpebræ cilio aduenientem.*

De Curatione.

CAPVT XV.

COrporis cacochymia, si subsit, pharmaco eximenda, vt hiera picra, subindè locus oblinendus sagapeno in aqua soluto, hoc enim summis pollet viribus. Item litus ex adipe dissoluto, aut fotus ex calefacto pane identidem superposito conferunt: nec minus farina hordei cum galbano, & fermento adhibita. Huc faciunt potissimùm illitus ex oleo muscarum capitulis recisis, aut ex aqua decoctionis hordei, aut sanguinis columbæ, aut turturis fomenta. Similiter ad rem fiet, si modicum nitri, & plurimùm galbani sumatur, & commixtis, simulq; hordeolo appressis linatur. Huc spectat & linimentum Oribasij, quod ℞. Olibani, myrrhæ ana par. j. ladani quartam partem, ceræ aluminis, nitri Armeniæ omnium partem dimidiam, vniuersa cum oleo liliaceo componantur, & affectæ inducantur particulæ.

De superiore palpebra morbosè impinguata, Arabibus Asarnae dicta.

CAPVT XVI.

HIc affectus * nil est aliud, quàm appendiculum arginosæ membranæ superiori palpebræ accidens, quod sanè adeò eam ingrauat, vt difficulter demissa recludatur, attollaturque, & præterea eam molliusculam, eneruemque efficit. Hæc verò affectio vt plurimùm contingit infantibus, & plurimùm humiditate scatentibus, & quibus lachrymæ affluunt, & ophtalmiæ: Signa huiusce mali inde colliguntur, quòd si palpebras digitis comprimas, subinde eminentia quædam in medio subsilit.

* *Manardus vocat hydatidem. Sennertus aquulam, seu palpebrarum aquositatem, seu substantiæ vncluosæ in superiori palpebra tale incrementum, vt difficile tolli possit, humorem perpetuò fundens, & aquam inter cutem in palpebris repræsentans.*

De Curatione.

CAPVT XVII.

CVratur manuali operatione, quæ hoc pacto absoluitur. Æger sedere iubetur, & caput eius ad postica retrahitur, & cutis contenditur frontis. Palpebræ interim subleuandæ, inuertendæque, & medicus easdem prehendat, oportet, inter indicem, & medium, & comprimat parumper, sic enim fiet, vt materia compressa cogatur vnà inter duos digitos. Is verò, qui caput retro flectit, id imprimis curet, vt cutem supercilij abducat mediam, & qua parte cumulatior tumor

pandi-

panditur, incidatur, vt decet, nec tamen alta fieri debet incisio, ne offendas, cautè omnino agendum, & tutiùs etiam fiet, si paulatim sectio obeatur, quàm si confertim, intrepidèque.

Quod si post primam sectionem extat, quod eliminare curæ est, ex voto est, at si non emersit, noua fiat cæsura, donec se se prodat apertiùs, tunc si ea materia separata abundè fuerit, manu lineo panno inuoluta affectus, affectaque particula tractetur, vltrò citròque disijciatur, & si quid residuum obnitens, atque resistens obmanserit, salis modico puluerizati superasperso exedatur. Quòd si tunicæ vehementiùs inhæserit, quod separatum est, excerpatur, eximaturque, reliquum adusto apposito absumatur sale. Quo peracto pānus aceto imbutus inducendus est. Transactis duobus diebus, si nullum lippitudinis periculum affuerit, conglutinatio procuranda, maximè lycio, Sief è succo minoris chelidoniæ, croco.

Nonnunquam ita afficiuntur palpebræ, vt diduci sine vncinulis, aut sine radio nequeant, quod quidem opus etiamnum cum acuto caudice pennæ absolui potest. Hoc tamen cautè agendum, ne altè nimis mucronem adigas, quoniam si incisio palpebrarum impendiò tendit, aut cutem perforat, & panniculum, malum, hinc enim emanat adeps, vbi digitis comprimitur, & dolor leuior acuitur, aut phlegmone sequitur, resesque materia obdurescit, renititurque curationi, & fortè musculus attollens oculum lædit, & palpebræ laboriosè sequuntur. Recentem verò hunc affectum resoluentia tollunt citra chirurgica præsidia.

De Moro Arabibus Alchute.

CAPVT XVIII.

EST hæc ægritudo * mollis caro interiori palpebræ aduenies (morbus in numero) vnde sanguis identidem rubens, niger, & viridis emanat, quæ sanè curatur abstergentibus, siccantibus, corrodētibus, & acutis collyrijs. Quum verò morum corrosum fuerit, tunc sarcotica inspergūtur, quæ in vlceribus palpebrarum dicentur, & omnino ijs auxilijs curanda hæc affectio, quę ptæscribūtur acerrimo pruritui, & scabiei.

* *Manardo affectus hic ad fortem scabiem refertur, diciturque susati.*

De palpebrarum lapidosa duritie.

CAPVT XIX.

DVrities hæc * est exiguum tuberculum sanguinem præferens, quod succedente tempore vsque adeò durescit, vt lapidem æmuletur. Huius affectus curatio pendet ex chirurgico opere, quo exedi ptimùm, eximique debet, tùm ea adhibenda præsidia, quæ palpebrarum vlceribus conueniunt.

* *Manardo dicitur tumor ab inflatione, pituita, vel atro humore genitus.*

De palpebrarum vlceribus, & rupturis.

CAPVT XX.

CVm mala hæc oculis pateſcant, proximū est, vt curationem auspicemur ab emplastro ex discoctis in aceto lentibus, malicorio, phisticis cōcinnato, & affectæ particulæ admoto. Cumque corrosio cohibita fuerit emplastri vsu, tunc vitellus oui modicello croco admixtus ex arte adhibeatur, hinc enim vlcus coalescet, & solidabitur, quod si collyrium ex olibano, aut de thutia, seu *Asialiticon, leneue Rubeum* superadmoueris, in primis conferet. Atqui palpebrarum rimæ curantur perinde, atque cutis, quemadmodum proprio capite edictum est.

De scabie, & pruritu, seu Trachomate.

CAPVT XXI.

AFfectus * isti salsæ, nitrosæque materiæ, & acuti sanguinis germina sunt, qui pruritum primò parit, tùm etiam scabiem, hæcque mala oculorum vlcera excipere consueuerunt, siquidem hæc ægritudo cum exiguo pruritu primùm adoritur, subinde vredo, & asperitas succedunt, rubescuntque palpebræ cruore suffusæ, sequiturq; ceu ficus granulum, & vlcusculum, propterea dicitur ficosis, postremùm accedunt grana prædura rimis hiantia patulis, pruritu graui, & phlegmone stipata, quæ dicitur tylosis.

* *Actuarius internæ palpebrarum regionis asperitatem* (aspritudinem vocat Celsus.)

* *Sennerto dicitur internæ palpebrarum partis asperitudo cum rubedine, & pruritu, aliquando cum tuberculis semina ficus referentibus ab acri, & salso humore ortum habens.*

De Curatione.

CAPVT XXII.

QVum scabiei comes it inflammatio, hęc priùs de medio tollenda, subinde ad scabiem curationis studium dirigendum, siquidem hæc tutò curari nequit, nisi sublata phlegmone, siue alia sit ægritudo, citra quam scabies eximi non valeat, semper enim vrgentiori incumbendum, atque ei, quod causæ rationem subit, aut certè impedimento est. Sed enim vbi apostema, & vlcuscula inspexeris, caue, ne acuta adhibeas collyria, ni sublatis priùs affectibus effatis, quo tempore leuia, leniaque primùm vsurpari debent, alioquin maximæ fluxionis, & noxæ authorem te faceres. Verùm in secunda, aut tertia specie necessaria est frictio, siue ferro vtaris, siue medicamento, quale est maris spuma, seu Alcyonium, & maximè lapis pumex, & folia ficus, licèt etiamnū plura simul confudere, puta puluerem Arboris Sedar, quo vtuntur Sarraceni in balneis, crocum, & pyritim, & cum succo fœniculi collyrium conficere, & particulam eodem confricare.

Quæ verò citra manuum operam suscipit curationem, ita tractari debet, vt nimirum & phlebotomia, & crebra deiectione corpus inaniatur, saltem bis singulis mensibus. Confert item lachrymales venas, quæ ad maiorem oculi canthum intrò deferuntur, succedente tempore pertundere. Confert item balneum, frequēns pedibus adhibitum. Caueant interim affectu tali laborantes, ne se vltrò fumo, puluerulentoque aeri exponant, ne vehe-

vehementiùs vociferentur, ne collum obstringant impendiò, amiciantvè angusto & arcto pallio, ne ira incandescant, ne prolixiùs, intentiùsque loquantur, ne plano, acclíuique puluinari incumbant, ne diù in faciem proni iaceant, id agant omnino, ne materiæ sursum trahantur, aut certe trãsmittantur. Et sanè in principio valdè vtile est collyrium Rubrum leue; subinde etiam Viride (describuntur in Antid.) Quod si ne his quidem concedat affectio, valentiora collyria erunt vsui, qualia sunt Tarthamation Erasistrati, & collyrium de croco. Hisce succedunt sutillum fel, ammoniacum sal, thutia, æs vstum, calcanthum separatim, aut iunctim adhibita, & Basylicon, & collyrium Cineritium, & medicamen Erasistrati. Et inter cætera quæ conferunt, illud etiam censetur ℞. Karabes partem vnam, corticis granatorũ partes duas, æris modicum, confice cum melle, siue ℞. Aloes partem vnam, salis ammoniaci dimidiam componantur cum melle, & in vsum conuertantur, siue ℞. æris vsti xv). aur. piperis vij. aur. myrrhæ croci aãa ij. aur. sl. æris v. aur. gummi xx. aur. terantur, & misceantur cum aqua pluuia.

De palpebris tumentibus Arab. Alintisae.

CAPVT XXIII.

TVmor iste apostema est frigidum cum pruritu, in quo nonnunquam præpollet flatus, fitque pneumatosis, nonnunquam tenuis pituita, & fit œdema, interdum etiam aquea superfluitas, aliquando etiam melancholicum recrementum, sequiturque scyrrhodes affectio.

* *Arabes*, inquit Manardus, *meminerunt & lapidis, qui ad grandinem referendus est, & dicitur Alintisae tumoris videlicet ab inflatione, vel pituita, vel aqua, vel humore nigro geniti, qui non videtur esse proprius morbus, sed sub generali tumorum diuisione reponendus, sicut acrochordones, quorum meminit Paulus.*

De Signis.

CAPVT XXIV.

TVmor à flatuosa substantia inde dignoscitur, quòd repentè accidit, vergitque ad lachrymalem cãthum, atque perinde se habet, ac si musca particulam ore pupugisset, contingitque sensibus æstate potiùs, quàm hyeme, nullaque grauitas premit. Quem verò peperit phlegma frigore, & grauitate molestat, & si digitum apprimas loco, compressionis vestigium seruatur in horam, in aquoso verò non item vsu venire obseruatum est, neque dolor vllus subest. Tumor verò à melancholia communis est oculo, & palpebris durior, & tensior adeò, vt supercilia, & suprema maxilla in consensum trahantur, nullus tamen dolor molestat, cum interim locus nigrore liuescat. Hic tumor vt plurimum accidit post ophtalmiam, & variolas.

De Curatione.

CAPVT XXV.

CVrationem auspicari oportet ab euacuatione totius, & subindè capitis, inter localia verò, quæ maximè phlegmatico tumori debentur, ett cataplasma ex folijs althęæ, aut si fortius malis, ex contritis folijs alkeuæ (cataputiæ, vel pentadactyli) vnà cum alumine, admotaque spõgia calens imbuta posca. Confert item linimentum ex aloe, lycio, collyrioque chelidoniæ, auellana Inda, croco ex aqua solani.

De crebra palpitatione, nictationeque.

CAPVT XXVI.

NIctant oculi rei leuiculæ puta culicis occursu, & offendiculo lacessiti, nictant tetano, ecthymatisque obnoxij. Quòd si acuta ægritudine implicitis superueniat, tensionem, tetanumque minatur.

De Salycio, Mylphosive, seu pilorum decidentia.

CAPVT XXVII.

BIpartitò accidit, vt pili ex oculorum locis defluant, aut ob materiæ, aut ob loci conditionem, materiæ quidem causa, si deficiat v. g. vt in fine ægritudinum acutarum, prauarumq; vsu venit, aut ob vitiosæ materiæ coitum, admissuramque, dum enascuntur, vti contingere consueuit in alopecia, aut quod in interiore parte palpebræ materia nitrosa salsa subsit, cum extrinsecùs interim nulla appareat noxa, sed intus lateat anguis pilis non innoxius ipsis. Denique fit particulæ ratione, vtpote quando crassa, solidaque subest duricies, quæ impedimento est, ne terrestris, & vapida illa fuligo, vnde conflatur pilus foras redeat, aut certè abscessus, aut corrosio subtus adest, & angit, quæ rubore, & mordaci dolore se se coram produnt.

* *Mylphosin vocat Actuarius palpebræ pilorum defluuium ob humorem quempiam partes omnes peruadentem, vel in toto corpore, vel in capite tantùm, vel denique in solis oculis collectum.*

De Curatione.

CAPVT XXVIII.

SI loci vitio pili decidant, curationem instituere oportet pro affectus idea, quare si materia deficiat; corpus alimonia instauretur, & vitalibus haustibus, & loco admoueantur attrahentia, quæ diximus, & quæ alibi edicta sunt. Quod si corruptæ materiæ vitio fiat, id agas, ut caput, & pars purgetur, subinde admoue localia pilis generandis idonea, qualia sunt lapides Armenus, & lazuli, qui à Rhase commendantur, ad hæc ℞. ossium dactylorum immitium adustorum ʒ. iij. spicæ nardi ʒ. i j. fiat ex eis puluis subtilissimus.

Inter ea verò, quæ experimento constant, est spica nigra subtilissimè trita, & radio administrata. Fit etiam ex mucerda una cum melle illitus, aut certè aduratur, & fiat puluisculus. Aut sumatur terra, in qua vitis enascitur, una cum croco Romano. i. Flore Carthami (est Regio Arab. Alchalithi dicta) æquis partibus, & fiat puluis.

Inter experta & illud censetur, vbi maximè adest prurit⁹, rubedo, corrosioque, nempè malum punicum integrum in aceto discoquitur vsque ad tabitudinem, & parti admouetur, ad hæc omnia

uiscida,

uiſcida, & mucore lenta conferunt. Item iuuat cadmiæ, atramenti citrini, atramenti ſcriptorij æqua portio trita, & adhibita. Nec minùs inter ea, quæ experiri licuit, ſunt ſtercoris leporini aduſti ʒ. viij. ſtercoris hircini ʒ. iij. tritæ & admotæ. Aut fiat pollen ex muſcis acephalis, & areſactis. Aut aduratur auellana, & pinſatur, & unà cum adipe caprillo, aut Vrſino componatur in illitus, ſic enim fiet, ut non modò cito enaſcatur pilus, ſed etiam, ut nigreat. Item ℞. Antimonij aduſti partem unam, piperis tantundem, plumbi uſti par. iiij. totidem croci, utriuſque ſpicę partes tres, nucleorum dactylorum aduſtorum par. ij. ducantur in puluerem pilo trita.

De pilis inuerſis, & additis, ſeu de diſtichiaſi, & phalangoſi.

CAPVT XXIX.

SVprema curatio horum pilorum hiſce modis fieri debet, nempè aut glutine, aut cauterio, aut acu, aut palpebrarum decuſſione, aut pilorum euulſione, interimque prohibendum, ne renaſcantur, compoſiti uerò, & coaptati hoc glutino continentur, quod ex gummi pini, ammoniaco, glutino piſcium, aloe, ſarcocolla, tragacantho, thure diſſoluto in albo oui mucore conflatur, quo ualentius eſt ol. Alſcini, & gluten ex caſeo, quo fabrilignarii utuntur.

Quæ uerò acu tentatur curatio hac lege; Acus inducitur ab interiore parte in externam palpebram, & in foramine acus pilus inſinuatur, traduciturque in oppoſitam partem, ſolidèque diſtringitur, quòd ſi difficulter foratui accommodari poſſit, muliebris capilli extremitas utraque in acus oſculum indatur, & ita coaptetur, ut inſtar fibulæ, aut hamuli pilum itretiat, tum acu in aliud latus traiecta capillus ſequitur trahens innexum pilum, qui ſubindè arctius conſtringi debet. Quòd ſi neceſſum fuerit tantùm iterare laborem, alia parte traijciatur acus, ne repetitus foratus amplior fiat, & retinendo pilo ineptior. Sectio uerò abſoluitur è palpebris pilorum radice reuulſa; Sunt qui mandent, ut præſcindatur ea particula, quæ ad extremum attinet oculi, & conſolidetur, ſic enim fiet, ut ſupercreſcens catũcula pilum atterat, & inuerſionem protelet.

Cauterium uerò fit candentis acus obtuſo, pãdatoque mucrone, & paſſis palpebris, quod ſemel, atque iterum inuri poteſt, ne rurſus renaſcantur. Euelli item poſſunt, &, ne renaſcantur, prohiberi admotis frigidis apocruſticis, quæ proprijs locis diſpoſita ſunt.

De Trichiaſi, ſeu pilis additis.

CAPVT XXX.

HÆc affectio ſoboles eſt copioſæ humiditatis putridæ, quæ circa oculorum palpebras congeritur.

De Curatione.

CAPVT XXXI.

CVratio inchoanda eſt ab expiatione capitis, & totius corporis, & oculi notis pharmacis tractandi, ſubindè admouenda ſunt collyria palpebras tergentia, qualia ſunt collyrium Rubrum acutum, collyrium Viride acutum, collyrium de myrobalanis, maximè ſi lachrymæ adfuerint, item Alhaſalicum, & Ruſcenum, & ſimilia ex Arabum officinis eruta. Quod ſi prædicta non fuerint ſatis, euellantur pili, & particula pilis denudata oblinatur ſanguine Hyſtricis, aut felle Dorcadũ (Gẽtilis interpretatur Dannulæ) & Arietum, aut felle vulturum, & caprarum. Interdum expedit fella iſta, & cruores permiſcere vnà cum caſtoreo, & collyria concinnare ſquammarum piſcis inſtar, quæ vbi vſus adfuerit, cum ſaliua diſſoluuntur, & admouentur. Qui verò tali collyrio vtuntur horam ſaltem illud parti inhærere ſinant. Inter cęteras verò curationes illa præcipuè laudatur, quæ perficitur felle Echini (*terreſtris Ericij*) & felle vulturis, & caſtoreo æqua mole remixtis, & cum ſanguine columbæ vnà coactis, vt inde paſtilli conflentur. Inter præſidia cenſentur ſanguis tinearum .i. Cecarum inuentarum in canibus, quas Aris: vocat Sylueſtres pediculos, item ſanguis ranarum, ſed horum præſidiorum efficacia euentu nõ probatur, ſolet tamen promptiùs reſpondere, ſi commiſceantur cum Alkitram, pice liquida. Item commendantur Vulturis fella cum cinere, & ſale Ammoniaco, & ſucco porri, maximè quando in ſartagine inferueſcunt, donec coeant, queis ſi oſtracorum cinerem adijcias, præſtantius efficies. Cæterum ferri rubigo æruginoſi cum ſaliua hominis admota non ſine dolore primas tenet. Inter experta numeratur tinea ligni cum ſale Ammoniaco, maximè verò cum vſta Aſelli vngula ex aceto forti trita, pariterque huc facit Alcyonium, (ſpuma maris) cum mucagine pſyllij, vbi enim frigidorum vſu locus obſtupeſcit, piloſa haud repullulat ſeges.

De palpebris viciſſim hærentibus.

CAPVT XXXII.

HOc accidit ſymptoma poſt ophtalmiã, quare, ne deinceps palpebræ cohæreſcant, inſpergatur puluis concinnatus ex ſarcocollæ, & ſacchari optimi æquis partibus, & ſpumę maris quarta parte, hic enim puluis reglutinat.

TRACTATVS Quartus.

DE VISVS DISPOSITIONIBVS, atque eius actione.

De debilitate viſus, & eius noxæ, ſeu Amblyopiæ.

CAPVT PRIMVM.

VIdendi imbecillitas, atque noxa, aut ſiccam cum materia temperationem ſequitur, vt in tertiana, & quartana febre viſitur, aut certè ſiccam citra materiam, vt in hectica febre vſu venit. Hanc imbecillitatem frequenter parere conſueuit uapor ex toto corpore, & præcipuè è ſtomacho ſublatus,

tus, item frigida, aut calida intemperies nuda, aut materiæ consors. Huc faciunt, & notæ cerebri ægritudines, quæ ipsi substantiæ cerebri, aut ventriculis anterioribus insident, ceu angustia à compressione, & percussione, hinc enim orbantur lumine lumina. Vt plurimùm verò superuacuæ humiditati, aut squallori succedit, qui aut longas ægritudines, aut immodicos corporis, atque animi motus, aut nimiam excipit inanitionẽ, per quæ vt virtus de tenore suo cadit, ita materia concreta durescit. Nec minus ob peculiare spiritus visui, & reliquorum organorum, puta nerui optici, humorum, & tunicarum vitium accidit: Spiritus quidem vel nimia densitate, vel tenuitate, vel crassitie, vel copia, vel defectu laborat.

Crebrescens quidem spiritus visui in primis cõfert, subtilis vero agilis, vt siccitatem plerumque, ita & vehementem disgregationem agnoscit, ceu quum Sol, aliave spectantur fulgida, idem immodicam congregationem sequitur, quæ cogendo exprimit, resoluitque inflammando, quo fit, vt primò spissescat, dein fine modo tenuetur, vt ijs, qui diutiùs in tenebris morantur, accidit, crassiorem verò superuacua, immodicaque congregatio, atque coitio efficit non adeò tamẽ, ut coactus inflãmet, atque adeò attenuẽtur spiritus. Nõnũquã malum ab ortu ob vitium compositionis emergit.

Pauci quidem spiritus aliquando ab ipsa natiuitate, nonnunquam proficiscuntur ob ascitam siccitatem, aut immodicam euacuationem, aut insignem imbecillitatem anterioris cerebri, aut prauam ægritudinem caput disponentem, vnde spiritus dissipantur.

Ea verò visus imbecillitas, quæ tunicarum ratione maximè exteriorum prouenit, aut in earum substantia consistit, aut certè in meatu, & via. Quæ substantiæ insidet, prauam sequitur complexionem, aut vapidam nubeculam tunicis impactam, aut superuacuam humiditatem annexam, aut phtysim, afficcationemque nimiam, aut nigrationem, aut corrugationem, maximè vueæ, & corneæ, frustratur quoque, si superficies vitium contraxerit ob vlcera apparentia, aut occulta. Si ophtalmia diutissimè durauerit, quæ diaphanum submouerit, si color adsit alienus, insinuatusque in tunicas, sicut in morbo Regio, aut hypospha gmate visu venit. Si color proprius absit, vt accidit corneæ, quando est nimis peruia, & diaphana, vt lumen externum nimia disgregatione internum tum lumen, tum spiritum exhauriat. Nonnunquam ob firmatum, morosumque aeris, luminisque innexum ita spiritus, & humores resiccantur, & æstuant, vt sublato tenore lumen recto tramite nullo moderamine fractum repentè chrystalloida feriat, & lædat. Idem prouenit si tunicis innascatur etherogenes quid, vt in pterygio visitur, aut si venæ inflentur crassescantque, vt in Sebel.

Quæ verò à morbo in meatu ortum trahit, vel quia præter naturam stringitur pupilla, vt proprio capite dicetur, vel quia dilatatur, obstruitur assatim, vel semiobturatur, vt in catarrhacta contingit, quæ omnia sigillatim persequemur.

Atqui infirmitas, quæ humorum causa euenit, vt puta chrystallini, fit, quoniam æqua natura eorum aut penes crassitiem, aut penes tenuitatem variatur, vnde specierum delatio, & luminosi coloris ingressus præpeditur. Nec minus vitia humoris albuginei huc faciunt, aut si admodum augescat, aut crassescat, unde diaphanes, atque transparens esse desinat, si huc humores, aut vapores delati concrescant, & diaphanum perdant, nam si alieni, forinsecúsque accedentes fumi id efficiunt, quid ni multò efficaciùs interni, & domestici? Huc spectant omnia carebarica, & admodum vaporantia, qualia sunt grana quædam legaria.

At verò noxia ex vitreo, hyaloideque, primò ei haud imputatur, nisi quatenus nocet glaciali eius naturam peruertendo, dum alimentum incongruens suppeditat.

Cæterùm visus debilitas propter neruum opticum accidens nullam aliam causam agnoscit præter obstructionem, aut apostema, aut rupturam.

* *Capuacceo læsa visio est functio præter naturam oculi dependens à frustratione visus citra morbum oculi euidentem.*

* *Æstuario est videndi obscuritas, quæ manifestam quidem habet causam, sed oculis non deprehenditur.*

De Signis.

CAPVT II.

OBtusa oculorum acies ob consensum à toto corpore ex temperamento prædominante dignoscitur, cuius signa constant. Quæ verò prouenit à cerebro, signis, quæ cerebrum malè affectum arguũt, & præterea ex reliquorum sensuum noxa discernitur, affecto enim principio, quæ subsunt pariter affici, necesse est, hinc maximum ducitur argumentum debilitatem s. ex cerebro originem ducere. Nonnunquam ob propriam organi diathesin frustratur, quare ut afficitur odoratus, sine auditu, ita commodùm uisio deficit integris cæteris sensibus, hocque potissimùm usu uenit, ubi casus ad faciem, aut percussio ad anteriora pertinet, hinc enim ex affluxu materiæ ad oculos, qui sunt spongiodes, angustiæ species quædam inducitur uisui noxia. Quare caligant oculi auribus integris.

Quando uerò causa spiritui sit imputanda, hinc colliges, siquidem spiritus tenuis, & paucus cominus rem, & sine magna difficultate, non item eminùs, & rem longè dissitam legit. Plurimus, isque tenuis cùm propè, tùm longè etiam obtutum effundit. Verùm ubi spiritus acuties nimia fuerit, ille certè oculus rem splendidam, & luculentum lumen diù non sustinet, quin disgreget internum, dissiperque. Si spiritus crassior, isque multus, ut longinquum obiectum commodè tuetur, ita proximum perperam. Et huius quidem discriminis ratio apud Perspectiuos est, quoniam uisio sine radiorum egressu ex oculis non obitur, quibus obiectum uisibile obijcitur, obuiamque fit, quare cum motus ad longinqua ob ascitum calorẽ spiritum crassiorem attenuet, & ad æquabilem redigat naturam, aptiorem ideò ad uisionem edendam reddit, quemadmodum verò motus ille ad

longin-

longinqua confert, vbi species crassior est, ita obest, vbi acutior inest, sic enim exhauritur, antequam ad obiectum perueniat. Cæterùm apud Peripateticos aliud responsum inuenire est. Dicunt enim perspicuum species rerum visibilium in oculos conuehere, quare cum de longinquo obiecta in chrystallinum deferuntur, illum vehementer iciunt, feriuntque, hincque crassior spiritus attenuatur, tenuis autem exhaustus vehementiore ictu dissipatur, maximè si paucus existat. Vtra verò harum opinionum verior sit, non huius est operis decernere, sed ad Philosophos spectat.

Quæ verò videndi imbecillitas tunicarum, atque humorum intus contentorum vitio succrescit, difficilè dignoscitur, quum nulla intercedit alia causa. Nonnunquam visionem tunicarum, humorumque praui colores, nonnunquam crassities, & dittentio, aut corrugatio, & extenuatio vitiant, similiter oculorum paruitas, aut ascita humiditas, quæ iridis speciem referat. Huc facit & immodica oculi siccitas, & perturbatio, quæ foris manifestò cernitur, cum species scilicet figitur, & foris imago apparet, sed intrò ob siccitatem non commeat ad chrystallinum, qui est videndi præcipuum organum, quamquam sint, qui reticulari tunicæ hoc officium adscribant.

Hoc vitium item ex cornea repetendum, nec minùs ex humore albugineo, id quod vbi accidit ea de causa, qui cernit semper ob oculos nebulas se videri arbitratur.

Quòd si conturbatio duntaxat in pupilla nentiquã in reliquis corneæ particulis appareat, quòd vitium in humore albugineo subsistit, arguitur, qui non est pellucidus, quòd si perturbatio per totam corneam effundatur, non est dubium, quin ipsi corneæ noxa insideat.

Sed quispiam ambigat, an vnà & humor albugineus afficiatur, necne? Nõnunquã humor albugineus succescit ita, vt quædam particulæ eius vnà cogantur, & concrescant, quædam non ita, atque adeò diaphanum illæ amittant, hæ retineant, & tunc intuentes sibi per senestras, aut per tribrum cernere videntur. Idem corneæ vlcera cicatrice obducta pariunt, cernentes enim sibi rorem ob oculos cadentem imaginantur.

Cæterũ de dilatatione pupillæ, de suffusione, & de dispositione nerui optici posteriùs verba fient.

Illud interim noris, quòd omnis imbecillitas à siccitate incrementum capescit inediæ, & validioris exercitij tempore, quòd resoluat & præcipuè circa meridiem, quo tempore ob æstum maior fit dissipatio. Quod si ab immodica humiditate prouenit, secus accidit.

De Curatione.

CAPVT III.

SI videndi imbecillitas soboles sit siccitatis, cõferunt humectantia, puta serum depuratissimum, lactis vsus, atque eiusdem super caput perfusio. Item olea conducunt eadem vi prædita, si inducantur capiti, quo tempore ægri maximè conualescunt. Somnus, requiesque maximè optãda, & errhina administranda, quæ humectent præsertim ex oleo nymphæato. Cæterùm ea visus debilitas, quæ tunicarum causa prouenit, difficilè tollitur. Quòd si malum ab immodica humiditate ortum trahat, in primis superuacuum educere oportet; tùm digerentia, & siccantia adhibenda. Vomitus quidẽ, qui facilè sequitur, prodesse consueuit, præcipuè senibus, sed qui difficilè, magnopere obest. Huc faciunt oris agitatiunculæ, seu gargarizatus, quæque è naribus pituitatem eliciunt, errhina, itemque sternutamenta. Inter cætera verò, quæ conferunt, solet esse potus olei de Kerua, ideſt de Ricino, cui nonnihil aloes infusum fuerit. Nec minus conducunt, quæ vapores à capite auertunt tempore somni, puta Triphera, itẽque exercitia iciuno ventre inita partium maximè extremarum, præsertim pedum, puta inambulatio. Quare si eisdem partibus frictiones adhibeantur, non erit inutile.

Quod si debilitas à crassitie pendeat curationem auspicari oportet à detergentibus, quæ suo loco narrauimus, quæ hac lege adhiberi debent, vt vnà sytticis vtaris, & inter hæc censetur thutia abluta, & aqua nutrita sampsuci, aut fœniculi, aut ruthæ, aut prassij. Hinc collyrium ex lycio frequẽs adhibitum confert egregiè, & oculorum tonum diutissimè conseruat. Item si ex contritis myrobalanis, & cum aqua rosarum coactis fiat collyrium, summè prodesse solet, maximè vbi subest tenuis ichor, & humiditas cum calore, & pruritu. Huc spectant collyria, quæ ex sellibus conflantur, ceu ex Alcubugi. i. perdicis, Albazi ideſt, ossifragi Alsabuch, ideſt, varioli, & Alrachame animalium Arabum fusca caligine obtutorum, tauri, vrsi, leporis, hirci, gruis, hirundinis, passeris, vulpis, lupi, felis, vertagi, dorcadis, Alhabari, id est, Turdi, cui mirabilis ineſt proprietas, Scari callionimi. Inter olea verò præstant oleum de kerua .i. Ricino, narcissinum, de baccis lauri, raphaninum, de sem. fœnugræci, & liliaceum, & de maiorana, & chamæmellinum, & oleum Alcoen .i. cotulæ fœtidę, seu matricariæ, nec minùs iuuat collyrium ex melissa, & ex succo ozymi.

Inter medicamenta temperata censetur & illud; Binæ aduruntur nuces, & triginta nuclei myrobalanorum citrinarum teruntur, & commiscẽtur cum non vsti piperis aureo, & hinc concinnatur Xerocollyrium; sed valde prosunt succi granatorum acidorum, si coquantur ad dimidias, & discoctis dimidium mellis adijcias, & diù soli exponas, subindè administres. Hoc similiter pacto conflatur collyrium. Amborum punicorum malorum nempè acidorum, & dulcium vinum exprimitur, & soli ardenti æstuante cęlo duobus exponitur mensibus, subinde colo trajcitur, cui percolato additur aloes, piperis longi, salis ammoniaci (quod aliquando etiam omittitur) æqua portio optimè trita, quarum ea est proportio, vt pro singulis succi libris tres puluerum drachmæ adijciantur. Sic obturato uase seruantur, nam mora diuturniore, & uetustate uim nanciscuntur præstantiorem. Huc faciunt acorus, & chelidonia in pollinem diligenter redacta, item collyrium ex

succo

succo cęparum, & melle compactum. Et sanè inter cętera collyrium ex fellibus est admodum acre. Et inter fortia fella censetur fel Accipitris, & Vulturis, Scari: Aut in æneo mortario pilo æneo aceti, lactis, & mellis stilla diutissimè ducatur, & teratur, donec nigrescat, & hinc collyrium cõcinnatur. Quæ verò proprietate aciem oculorum acuunt sunt Alsegliem, (vbi perperam Gentilis carnes interpretatur) .i. rapa frequèns esitata, siue assa, siue elixa adhibeantur, nam antiquam remouent imbecillitatem; Quod si quis imperare posset sibi, vt viperinam carnem esse posset, eo modo præparatam, & coctam, quemadmodum fit in Theriaces syntaxi, & ea ratione, quam cap. de lepra docemus, sanè is summum præsidium hinc experiretur.

Inter medicamina, quæ lippientibus senibus conferunt, & debiliter tuentibus ex coitu, atque etiam ex alia causa, censetur thutia non abluta, (Nil dicitur oculis prodesse Vulgo) si huius sex partes accipiantur, olei balsami plusculum, & modicum vini, prout conuenit, thutia conteritur, subinde ol. balsami proijcitur, postremò vinum, & diù simul ducuntur, & tandem reponuntur in vsus.

Sed age in medium ducamus medicamen, quod tantæ efficaciæ esse, & oculum ita roborare creditur, vt & Solem innoxiè quis intueri queat. Rx. lapidis magnetis, aluminis albi, & lapidis hæmatitis, Sedenegi .i. fructus granati syluestris, calamenthi, lanariæ, omnium ana partem vnam, fellis Aquilæ, fellis viperini (huius loco malim Scari, aut Callyonimi fel tutius) amborum partem dimidiam, & fiat collyrium.

Confert visioni sæpè caput pectere ducto è syncipite in inion pectine, maximèque senibus prodest, quare identidem hoc factitandum longè tamen à pastu, si quidem vapores ab oculis ad superiora auertit. Item in aquam claram crebra immersio, & apertio est admodum vtilis, mirè enim roborat oculos, maximè iuuenibus.

Ille verò qui infimis oculis ex sublatis à stomacho vaporibus, aut à nimia humiditate caligat, is profectò ante initum pastum iusculo decoctionis absynthij pontici, & oxymelle scyllitico, omnino ijs omnibus, quæ tergent, & incidant, & superuacua è stomacho subducunt, sedulò vti debet.

Quæ visui sunt noxia repetuntur.

CAPVT IV.

QVæ visui officiũt alia operationis, & motuũ, alia eduliorum numero censentur, alia verò ad regimen, & normam victus spectant. Operationes autem, & motus sunt omnia, quæ arefaciunt, vt plurima Venus, longus, & morosus in rem splendidam intuitus, minutulorum assidua lectio. In quibus si modum teneas, prodesse potest; Nocet item ociositas, lectus à crapula, à cœna subitò initus, nam qui cęcultat, ante perfectam digestionem non debet ire cubitum. Omninò quidquid naturam arefacit, & inanit, quidquid pariter replet, noxium est. Salsa omnia acutula, acria, & quidquid sanguinem turbat, officit. Huc spectat & ebrietas.

Vomitus verò vt stomachum lustrat, prodest, vt verò materias, vaporesque in caput impellit, obest. Quod si is necessarius est, post assumptum cibum, & sine labore ciendus, Balneum item frequèns nocet, capitisque lotio. Item prolixior somnus & fletus crebrior, & plurima sanguinis missio, maximè verò p cucurbitulas sępius repetitas.

Inter cibos verò noxios censentur salsi, acuti, vaporosi, & omnes, qui stomacho iniurij bellum indicunt.

Turbida item huc spectant generosi munera Bacchi,
Cępitium, porrumque obolens, atque ozyma lædunt.
Et caules, lenteſque graues, & mitis oliuæ
Maturi fructus, & semen olentis anethi.

De Nyctalopia, siue nocturna cæcitudine.

CAPVT V.

HOc affectu impliciti interdiù vident, noctu nihil, in crepusculis erepere. Causa verò huiusce affectus repetenda est ab humoribus, eorumdemque crassitie, aut certè ab immodica spirituum humiditate, & crassitie. Hoc symptoma vt plurimum accidit habentibus oculos nigros non glaucos, & gracilitati pupillæ, eique potissimùm, cui in oculis colores multifariam obiiciuntur, & refringuntur, hoc enim ex spirituum paucitate contingit ab incunabulis. Hic porrò affectus interdum accidit ob primogeneam oculorũ affectionem, interdum per consensionem à stomacho, & à cerebro, hæque sympathia dignoscitur per propria signa, quæ aliàs censuimus.

De Curatione.

CAPVT VI.

SI plethora subsit, cephalica cędi poterit, item venæ, quæ angulos oculorum perreptant, lachrymales dictæ, nec minùs cætera euacuantia vsui erunt, quæ corpus ritè piatum reddant, qualia sunt diagrydium, & castoreum, sed materia priùs concoqui debet hausto serapij de hyssopo quatuor ante pastum horis, aut certè hyssopo, & rutha in pollinem redactis ore sumptis, & superhausto iusculo decoctionis euphrasiæ, expiato corpore ante pastum, atque etiam perfecta chylificatione, vt cibum è stomacho citò proueheat, ne per moram in caput euaporet, confert delibare modicum meri veteris.

Inter medicamenta verò vsu comprobata est iecur caprillum, quod dum assatur radio perundi debet, vt sanies effluat, quæ collecta Indo sali, & longo piperi puluerizatis commiscetur, vt fiat collyrium. Hæc eadem interdum inspergunt ipsi hepati, dum super prunas torretur, & thymiasis oculis excipitur. Hepar quoque estur coctum, & confert, nonnunquam sic præparatur, vt secundùm latitudinem per taleolas incidatur, subindè taleolæ coaptentur inuicem interstrato longi piperis polline, & in craticula, aut clibano sic assatur, vt tamen non arescat, tùm exprimitur, &

liquor seruatur in collyrium. Eodem pertinet hepar lepusculi, & collyrium ex pipere. ℞. piperis longi, zingiberis, seu mauis Alchekengi, spicæ ana partes æquales, & fiat pollen. Fella item animalium proficiunt, vtpotè hircorum, & dorcadum, similiter collyrium ex oleo balsami cum exiguo opio conquassato, vt diutius hæreat, & pulueris ex trium piperum generibus simul commixtorum, & alumen Ægyptiacum. Nec minùs collyrium ex melle, & aqua fæniculi in oculos instillatum, qui subindè claudi diù debent, vt vis medicamenti intrò subeat, valde profuerit, sed eo fortius hoc est collyrium, quod conflatur ex melle, sale, ammoniaco, & alumine. Confert item collyrium concinnatum ex sanguine animantium calidioris temperaturæ. Huc spectat & collyrium ex succo cucumeris asinini conquassato cum semine portulacæ, & collyrium Alcali, & collyrium ex ęris flore. Prodest item stercus cuiusdam terreni animalculi magnitudine tripalmi similis lacerto, & stercus scyachorum. ℞. sellis Alhada, h.e. Milvij partem vnam, piperis partes binas, ammoniaci partes tres cum melle fiat collyrium. Diximus in principio si subsit copia sanguinis conferre incisionem venarum lachrymalium.

De Myopisi, seu diurna cæcitate.

CAPVT VII.

HÆc affectio contingit vbi spiritus tenuissimi sunt & pauciſſimi, quo fit, vt ex multo Solis lumine lacessiti dissipentur, qui in tenebris coacti visioni sufficiunt, vt contingit felibus. Interdum causa est infirmior, & proin die etiam vmbroso in loco, & nocte visionem edunt, non item in lumine Solis. Hæc affectio humectantium, & incrassantium vsu longiore curatur.

De imaginibus, seu pararosi.

CAPVT VIII.

NOnnunquam visa quædam ob oculos versantur perinde, ac si in re extarent, causa verò est crassioris rei interpositio inter chrystalloidem, & obiectum visibile, quæ diaphanum, & perspicuitatem adimit. Quod verò visitur, aut nusquam videri consueuit, neque comprehendi nisi ab eo, qui lyncæis fuerit oculis, aut Argi oculos sit mutuatus, aut certè, quod videtur, non egreditur limites proprię potentiæ, imò sæpè oculis legi consueuit. Primum sanè contingit ex nimia visus acutie, quæ xysmata, & volitantes per æthera athomos conspicit cæteris alioqui incomprehensibiles, quarum aer plenus est, quare cum ob insignem exiguitatem, & analogam aeri naturam speciem non imprimant cognobilem, duntaxat oculos fatigant, hoc idem accidit ex minutulis vaporibus tunicis intercluſis, à quibus oculorum conditio minimè subuertitur. Verùm hæc hallucinationis species contingit duntaxat ijs, qui cum Democrito summo visus acumine præstant, & sanè hoc imperfectioni non est imputandum, sed potiùs integritati. Imagunculæ verò, quæ sub consuetæ visionis usum cadunt, aut in tunicis oculorum consistunt, aut in humoribus. Quæ in tunicis hærent, vt plurimum latent in cornea, vtpotè labecula à variolis, aut ophtalmia, siue pustula, minutissimusve abscessus, quæ foris non apparent, nec oculos intuentium feriunt, quia densitate corneæ concreuerunt, nec species foras exiliunt, & hinc fit, vt duntaxat phasmata intus videantur quodammodo, ea igitur de causa reliquis inuisibilia phænomena videntur, quòd athomi illæ diaphanum adimunt, visileque intercipiunt, vt veluti per cribrum, aut per transennam obtutum effundant, & qua parte visile non cernitur, culex, filum, aut alterius figuræ imago se se oculis referat, & re vera illud vestigium si foris esset, admodum tenue, & exile foret, nec est, quòd quispiam obijciat, visile super oculos positum nō cerni, nam illud omninò accidit, vbi lumen prorsus intercipitur, attamen in pupilla existens magnum esse videtur, quum præpediat.

Illæ verò imagunculæ, quæ humorum vitio apparent, bipartito accidunt, vbi scil. albuginei particula quædam concreuerit, vel extrinsecùs humori quippiam accesserit, per quod asinthetus euasit, vel quòd humoris complexio aliena facta est, unde color etiam mutatus est, qui diaphanum, & perspicuitatem expupugit, hinc minimè pellucet illa particula, siue ob frigus, siue ob humorem id contingat, siue ob calorem, æstumque bullas tollentem, aereamque molem cientem, huius enim proprium est, cum permiscetur tenuissimę humiditati perspicuę lacteum colorem reddere spumosum, non pellucidum; aut propter siccitatem corrugantem, & ualde densantem.

Illa uerò, quæ accidit ob quippiam ipsi humori superueniens extrinsecùs, aut certis interuallis afficit, aut est uapida quædam substantia, quę modò adest, modò abest, quæque ex toto corpore, aut à stomacho, aut ipso è cerebro in oculos incidit, quæ cum sit tenuis, citò etiam resoluitur, ut contingit in crisi, in ira, in uomitu. Aut certè quod uisitur fixum est, & stabile, hocque suffusionem portendit. Hæque imagunculæ modò magnitudinis, & paruitatis discrimine, modò craſſitudinis, & tenuitatis, modò situs, modò raritudinis, & densitatis diuortio discernuntur.

Quin discrimina proponunt non parua figuræ,
Hic etenim paleas, cimices, muscasve volantes,
Hic aut fila legas, aut cernere spectra comarum est.

* *Pararosis est depranata visus actio, cum oculis colore figura, magnitudine, situ mutata videntur.*

Symptoma in actione depranata videndi, dependens à vitio organi.

De Signis.

CAPVT IX.

IMagunculæ, siue spectra, quæ acici acumen sequuntur, ut leuia sunt, minutulaq; ita subvna specie haud sese offerunt, sed multiformibus modis, imò

imò hæc visuntur sanitatis tempore nullo in visione subsequente detrimento, nam vt potentia agendi definitur maximo, ita potentia patiendi definitur minimo, quare oculus ille, qui minima quæque legere potest, perspicaciſſimus censeri debet. Cæterùm visa ea, quæ vitio corneæ apparent, hinc cognoscuntur, quòd diutiùs consistunt, neutiquam tamen visionem subuertunt, nec vllum aliud inferunt detrimentum. Quæ verò simulachra oculis obuersantur humoris albuginei non asyntheti vitio, siue quòd aliqua parte sui concreuerit, siue quòd quippiam extrinsecùs accesserit, quod impurum reddiderit humorem, haud diaphanen, hinc dignoscuntur, quòd diutissimè durant citra tamē magnum visus incommodum, & graues ophtalmias, aut certè variolas, vbi etiam causas impendiò refrigerantes, aut calfacientes excipiunt, quæ quidem causæ potiùs ratione, quàm sensu colliguntur, quando maximè cornea tersa apparet, nullumque vitium in oculo panditur. Præterea imagines hæ, quæ hinc trahunt originem stabiles, immobilesque sunt, & vniusmodi, neque nocent.

Verùm enimverò illa phasmata, quæ à vaporibus è stomacho, aut è toto sublatis apparent, inde cognoscuntur, quòd post crapulas post deuorata vaporosæ naturæ edulia, post motus importunos, post vertiginem incrementa capessunt, neque vno modo semper, sed magis, & minùs pro causæ ratione efficientis afficiunt, neque vni tantùm oculo imò ambobus obuersantur: è stomacho proficisci euidentiùs colliges, si adsit nausea, & vomitus. Quando hinc malum inoritur, curationem orditi oportet ab Hiera picra, quæ mitè stomachum lustrat, à frugaliore alimento, tenui scilicet, & attenuante, & curam impendere oportet digerendis pituitosis recrementis, quæ subinde extirpari desiderant, quibus eductis confirmare oportet oculos ijs, quæ paulò ante diximus, necnon stomachum roborantibus ipsum. Signa autem, quæ albuginei siccitatem præmonstrant iam notauimus.

Scire interim decet, quòd si hæc visa sex menses incesserint citra visus detrimentum, superuenientis catarrhactæ suspicionem adimunt.

Illæ verò imagunculæ quæ sunt suffusionū prodromi, & anteambulones, continenter incrementa capessunt, visumque perturbant, donec succedat hypochisis, quæ sanè citra semestrem accedere consueuit. Quum verò Idola modò abeunt, modò redeunt, modò augentur, modò minuuntur, hæc non solent suffusionem portendere. Item si obseruaueris fixas imagunculas, quæ longo post tempore visionem non vitiarint, coniectari oportet, has catarrhactam minimè parituras esse.

De Curatione.

CAPVT X.

STudium omne impēdi debet ijs imagunculis, & spectris, quæ futuram suffusionem minantur, si quidem ijs, quæ siccitatem sequuntur, auxiliari oportet vuidis, & humectantibus. Quæ humiditatem agnoscunt, collyrijs mederi necessum est, quæ abstergunt. Cæterùm in illis visis, quæ portendunt cęcitatem ob futuram catarrhactam, in primis corpus expiare oportet, maximè verò ventriculum, subindè caput purgandum gargarismis, masticatorijs, & caput purgijs, sternutatoria verò qua purgant tenus prodesse possunt, qua verò humores tenus cient, & ad oculos proliciūt per neruum opticum obesse consueuere. Nil verò peræquè iuuat, quemadmodum hiera picra, pariterque pilulæ aureæ, & medicamenta, quæ tùm Centaurum, tùm galbanasmata recipiunt. Sed quid plura? Cum in curatione doloris capitis abundè actum sit, quomodo purgari, & qualiter debeat. Oportet autem identidē purgare corpus usu hieræ picræ, pilularum aurearum, & præcipuè Asaiareth. Neque collyriis digerentibus, & attenuantibus, & abstergentibus ante vniuersalem, & subalternam purgationem vti fas est.

In principio inchoantis suffusionis conferre cōsueuit arteriotomia earum, quæ ponè sunt aures, arteriarum. In primis verò orditi oportet collyrijs lenibus, quale est, quod confit ex fœniculi succo, & melle. Prodesse consuevit etiam sampsucus frequenter subolfactus ijs, qui opportuni sunt hypochymati, nec minùs olei de sampsuco attractio in nares vtilis est. Sunt qui hyrudines uenis temporalibus inchoante malo admouent. Nonnūquam sufficit collyrium ex semine Alchanæ, quam nostrates ligustrum uocant, quod tanti esse solet, ut incipientem catarrhactam de medio tollat. Quod si collyrijs mediocribus uoti compos nō fias, paulatim ad ualentiora gradum facias, puta ad sagapenum, & similia. ℞. Sagapeni partes tres, assæ fętidæ, hellebori albi an. partes x. mellis cotylas viii. Inter pharmaca experta illud censetur, quod conflatur ex capite hirundinum præusto, & in pollinē redacto, & cum melle in collyrium reducto; Huc facit collyrium Asiaticam, & uniuersa fella, quorū cap. de usus debilitate meminimus. His fortius est collyrium de fellibus Almacaltani. i. Nosocomij, quo Rhasis utebatur, & etiā Alcohol Aumalis, extrahitur ex trunco arboris in respersione sem. nēpe elæomeli (est ol. spissum sicut mel,) & etiam Alcohol dictum in Antidotario cum felle testudinis. Huc facit & medicamen Oribasij cum aq. fęniculi, & collyrium è maiorana, & ex rutha, & ex succo Marrubij, & oleum Balsaminum instillatum. Præterea inter ea, quæ ab initio iuuāt, est fel vituli uegetioris, quod poni debet in uase æneo, & dimitti ad decem, & etiam usque ad xiv. dies, subinde ℞. myrrhæ, croci, optimè tritorum, fellis testudinis syluestris, olei balsami ana ʒ. ij. omnia simul cum felle uitulino commisceantur in collyrium. Item ℞. Hellebori partem unam, tantundem assæ fętidæ, sagapeni partem quintam, & unius partis decimam, & ex commixtis fiat collyrium, siue puluis ad oculos (sic enim sonat Alcohol.) Itē ℞. Helleb. albi, piperis partem unam, ammoniaci partē tertiam, & cum succo raphani formetur collyrium.

Interim illud sedulò aduertere oportet, ut pisces, & cibi crassi, & incrassantes, uaporosi uitentur, item plurimæ aquæ, aut uini potus declinandus, item caue, ne frequenter, aut per phlebotomum, aut per cucurbitulas sanguinē mittas, imò hoc uitari debet, quantum fieri potest, ni te cogat

magna neceſſitas, ut quando imminet phlegmone, aut copia ſanguinis ſubeſt, nam vt ſanguis præſens calfacit, & reſolutionem adiuuat, & ſpirituũ vbertatem efficit, ita abſens refrigerat, & ſpirituum opulentiam adimit, quæ vitiant aciem, obtundunt actumque videndi.

De Mydriaſi, ſiue pupillæ dilatatione, & platicoria.

CAPVT XI.

HIc affectus nil eſt aliud, quàm pupillæ dilatatio maior, quàm vt naturæ conueniat, quæ ſane aliquando poſt diuturnum capitis dolorem contingit, aut certè aliquam externam occaſionem puta caſum, aut percuſſionem ſequitur. Nonnunquam nimium dilatatur ex cauſa in oculo latente, nempè in vuea, aut albugineo humore, ſiquidem vbi albugineus humor vueſcit, & augetur, comprimit vueam, & ex compreſſione pateſcit. Ad hæc albuginei ſiccitas per ſe non efficit mydriaſim, verùm ex euentu quatenus eam ſequitur vueæ ſiccitas, quæ ſanè perinde extenditur, atque lora perforata, quæ vbi aruere, dilatãtur foratus, & hiant. Nonnunquam pupilla ob humiditatis alienæ admiſſuram patentior fit, quæ ipſam craſſefacit, hinc latiùs dehiſcit meatus. Nonnunquam ex apoſtemulo morto panditur. Nonnunquam connaſcitur ipſi oculo, & nocet viſui, ſiquidem qui habent pupillam maiuſculam, res minores, quàm re vera ſint, legunt. Nonnunquã eſt accidentalis, & fit ſimiliter. Et interdum eo progreditur, vt phantaſticum quippiam obuerſetur. Aliquando ita pateſcit, vt dilatatio ad oculi Iridem attineat, & tunc ferè viſio aboletur. Cæterùm illa mydriaſis, quæ ſequitur caſum, aut percuſſionem, non curatur.

Non eſt, cur ſigna notemus cum abũdè in cap. de viſus debilitate actum ſit.

* *Capuacceo eſt amplitudo præter naturam foraminis rhagoidis producta à cauſa morbifica.*

* *Morbus eſt, ait Sennertus, in via, ſeu meatu præter naturam dilatato.*

De Curatione.

CAPVT XII.

NAturalis pupillæ dilatatio incurabilis eſt, ei verò, quæ eſt aſcititia, à ſiccitate procedenti humectatio debetur, ſicut ei, quæ ſoboles ſuperuacuæ humiditatis eſt, conuenit phlebotomia, ſi ſubſit plenitudo, necnon poſt generalẽ euacuationem inciſio venarum lachrymalium, atque temporalium, particulatim enim ex oculis humores exhauriunt. Confert item capitis ablutio ex aqua ſalita cum portione acrioris aceti commixta. Neque hic cathartica admodum conducunt, cum non educant, quod oportet, & interim infirmentur vires, quare ſufficit, ſi ſingulis decem diebus ʒ. 1. 5. pillul. coechiarum exhibeatur. Inter alimenta verò commendantur ciceres cum oleo ſeſamino. Interim oculis inſpergi poterit puluis ex thutia præparata, vt roborentur, poſſunt item ea topica adhiberi, quæ cap. de Imaginibus, & cap. de ſuffuſione cenſuimus.

Conferre conſueuerunt cucurbitæ ceruici adhibitæ, quòd humorem retrahant. Cæterùm dilatationi ei, quæ ſuccedit caſui, aut percuſſioni congruens eſt phlebotomia; & cucurbitarum admotio circa ceruicem, & inion, ſubinde frigida ſunt adminiſtranda. Inter localia commendatur malagma ex deglubitarum fabarum, & hordei farina cum ſucco foliorum ſalicis, aut endiuiæ coactum, item lana inebriata vino conquaſſato cum ol. roſarum, & modico vitello, item ſanguis turturum inſtillatus, aut columborum paruorum, poſt quæ triduo lac inſtilletur, & reliqua huiuſmodi. Omnino curatio perinde abſoluenda eſt, atque calidum apoſtema requirit, ſubinde ℞. Thuris, croci, myrrhæ ana partem vnam, arrhenici partem dimidiam, & fiat collyrium. Hoc præ reliquis ſolet admo dũctile viſui. ℞. fellis miluij, fellis gruis ana aureos ij. croci ʒ. j. piperis clxx. grana, ſucci liquiritiæ partem quintam, ammoniaci aureos ij. mellis q. ſ. m. cum aqua fœniculi & f. collyrium.

Dilatationi ei, quæ ſuccedit percuſſioni, eius collyrij medius aureus confert, ſi teratur cum ſucco raphani, & reſiccetur, & puluiſculus adminiſtretur. Item ℞. fellis hirci aureum, ſtercoris lacerti, & ſtellionis ſicci aur. j. & ſemis, nitri aur. ſemis, piperis, fellis gruis ana aur. ij. ammoniaci ſemiaureum, Helleb. albi aur. j. terantur, & cum aq. fœniculi, & melle fiat collyrium.

De conſtrictione pupillæ, ſeu Phtyſi.

CAPVT XIII.

PHtyſis eluceſcit, vbi vueæ foramen ſtrictius eſt, quam pro natura. Quòd ſi eſt naturalis damnanda non eſt, at ſi ex euentu ea deterior eſt mydriaſi, ſi quidem ducit ad obturationem. Huius autem affectus cauſa eſt, aut ſiccitas vueæ cõgregans, atque corrugans, hinc conſtrictio accidit, atque obſtructio, aut certè ſuperuacua humiditas vueam è lateribus ad medium adducens, hinc meatus arctatur, hic enim peræquè conſueuit euenire, quemadmodum in cribris, quando madefiunt, & molleſcunt, quòd in partes contenduntur. Aut certè eſt uehemens ſiccitas humoris albuginei, quare & tunica ad defectũ ſuppoſiti humoris concreti tabeſcit. Et ſanè hic affectus, vt plurimùm ſequitur ſiccitatem. Signa iam enarrauimus in cap. de viſus imbecillitate.

* *Capuacceo eſt angustia præter naturam foraminis rhagoidis producta à cauſa morbifica.*

De Curatione.

CAPVT XIV.

EA oculi conſtrictio, quæ ſiccitatem ſequitur, curatur humectantibus, qualia ſunt deſtillationes, & perfuſiones ex ſuccis humidis, quos ediximus, huc faciunt & cibi leues, pingueſque. Quin aliquando neceſſum eſt ea adminiſtrare, quæ ſint calida, vt attrahant humiditatẽ neceſſariam ad oculum. Hinc etiam cap. & oculorũ, & faciei frictio cõfert viciſſim abſoluta adeò, vt poſt

frictio-

frictionem cap. sequatur faciei, hanc verò frictio oculorum, hocque breui tempore absolui debet, vt concessum humorem oculus attrahat, siquidem admotio purè humectantium interdum officit, quando alterna vicissitudine modò calida attrahentia, modò humectantia sunt adhibenda.

Ei verò, quæ succedit nimiæ humiditati contrahenti conferunt ea, quæ censuimus cap. De debilitate visus & imagin. Et præterea hoc collyrium profuerit. ℞. Ammoniaci, fl. æris an. partem j. croci partem, atque alterius tertiam, aloes partes v. moschi parte dimidiâ m.f. collyriũ. Item ℞. Ammoniaci aur. ij. fl. æris aur. iiij. stercoris lacerti aur. iij. croci aur. ij. gummi aur. j. conficiantur cum melle in vsus. Item ℞. piperis, ammoniaci ana partes ij. olei balsami nonam vnius partis, croci partem vnam, resoluatur ammoniacum cũ aq. fœniculi, & proijciatur super ipsum oleum balsami, & cum melle concinnetur collyrium, quod est admodum congruens.

De suffusione.

CAPVT XV.

CAtarrhacta est affectus ad morbum in meatu pertinens, pendetque ex crasso humore inter corneam membranam, & albugineum intercepto, hinc visibilium species ad chrystallinum humorem peruadere nequeunt. Hæc affectio diuersitatem indipiscitur cùm penes quantitatem, tùm penes qualitatem, penes quidem quantitatem, vbi materia vsque adeò copiosa est, vt totum vueæ foramen inoccupet, quò fit, vt lumine orbetur oculus, interdum exigua est, neque vniuersam semitam infarctu obstruit, sed duntaxat particulam, quare pars obstructa manet, pars peruia, perspicaxque: Hinc obiecta, qua parte ipsum est organum haud ferriunt sensum, haud figillant, propterea dimidiatæ, mutilæque species se se in conspectum dedunt, ni pupilla diducta situm, positumque mutet. Sic enim fit, vt integræ subeant oculos, quæ paulò ante mãcæ apparebãt, atque à contrario, vbi namque circa eam pupillæ particulam, quæ inoffensa est, visibilia recta versantur, prorsus in chrystallinum interò commeant, & visionem pariunt, (ab obiecto enim, & potentia, vt est philosophicum proloquium paritur notitia) vbi autem in particulam obsepram, occlusamque è regione impingunt, animum non pulsant, non ineunt, neque visionem edunt. Hæc dimidiata, imminutaque obstructio modò supera, modò infera pupilæ partem obsidet, interdũ medium tenet, & circumpositæ partes peruiæ, perspicuæque sunt, tuncque non nisi rerum extrema visui se se offerunt, centrum latet, peripheria obuia sit, medium fugit, hinc patientes imaginantur, visa veluti feneſtrata esse, aut certè oculos excutire, nilque præter tenebras videre (est enim sensus vtriusque oppositi, quique nihil videt, tenebras videt.)

Cæterùm qualitatis discrimina pariunt cùm tenuitas, tùm crassities materiæ, subtilis enim peruia est, Solisque, & luminis aspectum admittit. Quædam etiamnum à colore differentiæ petuntur, nam alia candida est, gypsumque refert, alia puros vniones, quædam viridem, cæruleumve, quædam aureum, aut citrinum, aut cinereum, aut æthereum præfefert colorem, quædam nigricat. Sed profectò illa promptiùs curationem suscipit, quæ alba est, aerea, & margaritas refert, quæque ad glaucedinem, & ad colorem lapidis Michois pãrumper deuergit; Quæ autem gypsea est, virore nigricans, aut liuens, turbulenta, citrina, eã non admittit curationem, quæ manu, acuque perficitur. Porrò inter crassas quædam species est, quæ vsque adeò solidescit, vt sit ueluti concretum gelu, cui nequicquam manum admolimur. Quod verò ad substantiam attinet, illa hercle curatu facilior est, quæ puritate, subtilitateque anteit, quã vbi sedulò inspexeris, perpenderisque ad dubium lumen, obseruandum, num digito compressa extemplo disiiciatur, dissipeturque, & subinde coeat, & cogatur, nam si ita fiat, ea curatio speranda est, quæ acu absoluitur. Illud tamen periculum haud frequens factitari debet, namque hinc exasperatur suffusio nouæ fluxionis origine. Alia adhæc arte, an curabilis sit, explorare licet. Oculis apponimus hapsum, molliculosue flocculos, dein in ipsos vehementi efflamus spiritu, postremùm detracto flocco diligenti animaduersione inspicimus, nunquid catarrhactæ motus quispiam tremulus supersit, nam si præsens sit, sperandum, si absens conclamatum est. Hinc denique etiam omen capitur optimum, si uno clauso oculo, alterius amplè panditur pupilla. At at illa, quæ lapsum, cerebrique morbos excipit, difficillimè curatur.

* *Fernelio est humoris præter naturam in pupilla, inter rhagoidem, & chrystallinum concretio.*

* *Capiuacceo est obstructio foraminis vueæ pendens ab humore excrementitio. Sennerto morbus est in via.*

* *Mercato est inter chrystalloidem, & corneam circa pupillam humoris aquei concretio.*

* *Oculi, inquit Hipp. prout validi fuerint, ita & reliquum corpus.*

De Signis.

CAPVT XVI.

ADuentantem suffusionem renunciant simulacra quædam ante oculos obuersantia, quæ modò musculas, modò minutiora animalcula specie referunt. Quid verò sint huiuscemodi imagunculæ, alibi monitum est. Tantò verò magis futuræ suffusionis discrimina reformidanda sunt, si oculi splendor obturbetur, si alter uitio iam sit obnoxius, si penfilis lychnus feriat gemino lumine lumina, dupliceſque Thebæ offerantur.

Hoc autem inter catarrhactam, & opticam obstructionem interest, quòd in ea ubi oculorum alter apprimitur, occluditurque, amplificatur alter, non item in hac, ea verò est ratio, quod uno intecto oculo spiritus in alium refilit, sed ubi semitæ spiritus obstructæ sunt, non permeat. Verum verò illud est, ni catarrhacta summa crassitie

concreuerit, ni sit innexa obstructio, ni meatus infarctu impediantur, his absentibus vno ictricto oculo latè explicatur alter.

De suffusionis curatione.

CAPVT XVII.

ÆDepol virum studiosum nouimus, qui rationi appetitum manciparat, cui catarrhacta superuenerat, quam ipse ieiunijs, assorum alimentorum vsu, ablegatis humectantibus iusculis, præterea aphæreticis, collyrijsque tenuandi, digerendique facultate præditis euicit, sicque à cæcitate se se vindicauit. Cæterùm ea suffusio, quę veteri possessione confirmata est, non nisi acu expũgitur, deponiturque loco. Quare tali morbo obnoxius ita se comparare debet ad viuendi normã, vt omnem crapulam, vinum præsertim multum, merumque, coitum cane peius, & angue refugiat, meridie frugaliter prandere satis est, interim fructus, pisces, carnes suillas, bubulas, crassioris substantiæ, atque adeò difficilis digestionis euitet. His prælibatis comminus ad curationem per pharmaca accedamus.

Vomitio sanè vt ad lustrandum ventriculum confert, ita primariæ, germanæque suffusioni nocet, quare declinari debet. Non est autem, vt frustra repetam euacuantia, quæ cap. de imagunculis inculcauimus, cùm huc eadem referri possint, & pro plenitudinis, & cacochymiæ ratione adhiberi possint, peculiaria igitur duntaxat vsu probata in medium afferam.

Age ergo. Cape baccarum lauri partes denas gummi partem vnicam, omnia simul terãtur cum vrina impubis, impollutique pueri, (est enim pueri vrina obsiccantior) & ex pura aqua in liquidum collyrium redacta suffusis oculis adhibeantur, cæcis etiamnum profutura. Quidam Asclepiada nomine Alathius, viperinum fel melli commixtũ præsentaneo esse usu deierauit, nec est, inquit, quod venenum reformidemus, namque experientia constat, fel tãli pacto vsurpatum prorsus innoxium fuisse. Sed apage, dum tutiora suppetunt, qualia adscribemus. Accipe igitur malorum punicorum succum, chamædrin, & corallia ad ʒ. iiij. vnãq; cum succo fœniculi componantur in collyrium, vt artis munera poscunt.

Verùm enimverò ea curatio, quæ manuum opera perficitur, sic ineunda est, vt ante omnia corpus à quisquilijs repurgetur, & caput subalternis præsidijs ab excrementorum mole immune, vacuumque reddatur, propterea redundante sanguine, vena communis tundenda, vt phlegmones pericula arceantur. Caue hoc interim spatio, ne, qui curari debet, capitis dolore laboret, atque impendeat periculum, ne accersita fluxione tunicis caussatio superueniat, ne sit opportunus destillationibus in thoracem, ne iracundia vehemẽtiùs incandescat, nam ea sunt animi pathemata, vt affectum redintegrent, & conduplicent. In primis Baccho, & Veneri parcat, oportet. Præterea hæc chærurgica operatio non nisi absoluta suffusione, remotaque omnis fluxionis suspicione obeunda est, temporisq; opportunitas quærenda est, qualis Vere nouo decrescente Luna efflorescit. Hic sine vitio sanguinis obita phlebotomia admodum incommoda esse consueuit. Omnino autem frugaliter viuendum, vt superuacuorum occasio adimatur, solo proin cicerum iure per aliquot dieculas alendus laborans, cui manum admoliri nefas est, priùs quàm materia constet, & adhæreat loco, ad quem chærurgus acu detruserit, propterea à carceribus, & antequam maturuerit, opus hoc despectui habetur. Proin cordatus artifex ad promouendam perfectionem, si desideretur, mandat, vt æger his cibarijs vescatur, quæ impendiò humectant, & crassefaciunt, qualia sunt ostrea, pisces, & alia id genus, quæ affectum conduplicant. Dum conditiones extant, admouenda manus est, sed interim tecum ipse recolas animo, atque recogites, quòd neque admodum tenuis, neque iusto crassior catarrhacta manuum operi accommodata est.

Vbi ergo stat alto corde voluntas operis perficiundi ferreo machinamento, criticè præcipiendum, vt patiens oculos, obtutumque maiorẽ angulum versùs conuertat, ut eodem situ fixum, immotumque teneat oculum, & ne luculentius lumen officiat, opus hocce minimè tentandum aperto cœlo, aut iuxtà feneſtram. Tum chærurgus accommodatam instituto acum dexterè inter tunicas insinuet, & vsque ad foramen penetret, vbi ceu in vacuo quodam consistit superuacua materia. Sunt, qui acutam cuspidem paulatim immittunt inter tunicas proximè foramen, subinde ferrum adigunt vsque ad terminum, quo concretam materiam è pupilla paulatim deturbant, detrahuntque deorsum, neque priùs ab opere desistunt, quàm oculus clarus, perspicuusque appareat, materia verò subtus corneam deprimi debet, neque confestim perfecto opere ferrum eximendum, ne fortè materia adhuc concita resiliat in priorem locum, sed tantisper immorandum, dum resideat humor, tùm ferrum extrahendum. Perpẽdendum autem, an affectus reualescat, & si repullulat idẽ, eadem repetenda sunt remedia, donec omnis sublata sit suspicio mali. Quod si pertinaci renisu materia reluctatur, neque cuspidis depressionem sequitur, in eam deriuanda est partem, ad quã sponte declinauerit. At si inter curationem semel deposita materiæ colluuies in priorem locum refluxerit, tunc in idem foramen (neque enim citò coalescit) inducto ferreo machinamento iterum deprimenda est. Vbi verò sanguis in uuluusculum confluit, necessum est, illum resoluere, & dissipare, ne circa pupillam concrescat, nam si conglaciet, curationem subindè refellit.

Cæterùm ubi chirurgicam hãc functionem obieris, quam mox oculo conquassatum cum oleo uiolaceo uitellum oui superponas, quin etiam sanus oculus vitta claudendus est, ne motus infirmum oculum exagitet; Triduum supino manere corpore expedit, in tenebris detineri, illitum sæpiùs iterare, & formam, situmque præscriptum per hebdomadã obseruare, maximè si symptoma aliquod emerserit, ut dolor, ut phlegmone, qua præsente leniter agendum, relaxandæ uittæ, mol-

liter

liter attrectandus oculus. Quid plura? omnino satius est, vt æger situm, prioremque positionis formam obseruet, donec euanescat dolor, neque vincula soluenda, nisi tribus exactis diebus, quo tempore fotum ex rosacea aqua, aut saligna, aut cucurbitæ, aut pastoralis virgæ oculis adhibere opus est, tùm collyrium renouandum. Quidam verò circa catarrhactæ curationem diuersa vruntur methodo, nam inferiore n corneæ particulam diripiunt,& hinc superuacuam exhauriunt materiam, sed plenus aleæ ludus est, quoniam cũ excrementitio aliquando etiam albugineus humor foras erumpit.

De abolita visione.

CAPVT XVIII.

CAusse visum hebetantes, si eædem cumulatiores inualescant vim habent inducendæ cæcitatis, quæ symptoma est in visoria actione abiata, nunc eam, quæ aut ex cerebri,aut aliarum partium pathemate primario oculos in sympatheum trahente prouenit, missam facimus. Destruitur itaque visio, aut externis oculi partibus inoffensis, aut certè violatis adeò, vt noxa spectabilis sit. Nos in præsentiarum de priori sermonem habere volumus, nam si partes oculi apparentes illæsæ, integræque fuerint,& affectus soboles sit recouditioris causæ, tunc aut secundùm, aut præter naturam foramen existit, si primo modo, obstructio non inhæresceat pupillæ, sed neruo optico, pendebitque aut ex materiæ fluentis decubitu in oculos, aut ex siccitatis, aut humiditatis, & mollitiei excessu, aut certè circumstantium musculorum phlegmonen sequetur, quæ spiritus semitas comprimit,obstruitque, aut anterioris cerebri incumbentis compressionem, aut denique attritum excipiet.

Hoc vitium non minùs accidit, si glacialis humor non stet è regione pupillæ, sed distorqueatur, si genuina temperatio omnino sit sublata, corrupeaque, & incongruens successerit, qualis ex immodica humiditate, aut siccitate prouenit, vtraque enim concretionem, corrugationemque parit, hæc; ægritudo glaucoma nuncupatur, quod nullam suscipit curationem, nam oculus hinc siccitate, rugaque contrahitur, glaucescit, de statu deijcitur. Postremùm vel in foramine vitium foris extat, videturque aut ampliot pupilla, aut certè contrictior,obumbratiorque.

* *Amaurosis, inquit Galenus comm. 2. in 1. Prorrhet. est totius in oculo lucis impedimentum, acutis morbis accidens, qua est imbecillis animalis facultatis signum,&c.*

Obturationem nerui visui vocat Dioscorides Incolumi pupilla, citra dolorem aliquem.

Cæci à natiuitate prudentiores sunt mutis, & surdis à natiuitate. Arist. de sensu, & sensili.

Cæcutiunt oculi, inquit Hipp. cum ad venas in oculis peruenerit pituita, aquosior enim fit visus, & turbulentior, & splendor in oculis non similiter splendidus est, neque in ipso comparet, si videre volucrit, sicut ante, cum splendidus, & purus esset.

CAPVT XIX.

De Signis.

CAtarrhactæ, mydriaseos, & phthyseos oculi, & reliquorum indicia abundè proprijs locis prompsimus, prodidimusque, proximum est, vt reliqua prosequamur, vt verò ea cæcitas, quæ optici nerui infarctum sequitur, facile deprehenditur per signa cap. de suffusione exarata, ita difficillimè intelligitur, à qua præcipuè causa obstructio proficiscatur, humanaque sapientia fortassis non capitur. Verùm tamen quando cum pulsu,rubore,& dolor adest, tunc in neruo visorio subesse phlegmonen, conijcere licet, si grauitas sine dolore fatiget, frigidi apostematis significatio præbetur, quod si molestior grauitas incessat, vt nimius oculi mador, ita impendió humens materia arguitur, si siccior oculus, & gracilior appareat, præsens detegitur melancholicus humor. Et quando caput percussione colliditur, præcepsve lapsus oculos exturbat, & extra vrget orbitam, dein oculi veluti cauo scrobiculo conduntur, & lumine orbantur,neruum opticum attritum,contusumque esse,animo ducendum est.

De oculis splendorem, radiosque refugientibus.

CAPVT XX.

HOc vt ab imbecillitate proficiscitur, estque symptoma imminutæ actionis visoriæ, ita igneos, inflammatosque, & tenuissimos spiritus arguit, & plerumque aduentantem phrenitida portendit, nisi hoc ob palpebrarum scabiem accidat. Curatur autem refrigerantibus,vt notum est.

* *Quærit Aristot. in Probl. cur melius cernimus manu præ Sole, vel lucerna obiecta? Respondet, quia Solis lux nostris occurrens oculis, ob nimietatem infirmiores reddit, vt quæ rem sibi cognatam præ exuperantia corrumpere possit, at manu prætenta,vt visile obtunditur, ita perspicacius oculis hauritur.*

De oculis nimio lumine, aut albedine lasis.

CAPVT XXI.

HOc symptoma tùm ex luminis, tùm ex albedinis nimietate prouenit, quando scilicet candor, aut vberior splendor oculis obijcitur, & hebetantur, & cæcultant, vt nisi comminus cernant,hocque ob spiritus imbecillitatem,atque vbi colores intuentur, candicare putant, quód intus existens,vt dicitur, prohibet extraneum, oculi autem albore imbuti alba cuncta renunciant.

Oculi ex duabus causis, & duobus modis turbari possunt, dum ex luce ad tenebras transeunt, & dum ex tenebris ad lucem. *Plato Dial. de Republ.*

* *Visum corrumpunt, inquit Albert. M. excellenter fulgidum, & opacum, hoc quia spiritus auertitur per tenebras, & succedens frigiditas oculi porum obturat, &c.*

De

De Curatione.

CAPVT XXII.

Hisce præcipimus, vt frequèns viridis, aut cærulei coloris aspectu oculos recreent, vt ob oculos nigrum, pullumve sericum teneant, quòd si muneris offendiculo etiam frigiditas à niue inducta comes eat, aqua tepens decoctionis triticeæ paleæ in oculos infundatur, nonnunquam collyrium ex melle, & succo allij inducitur, nonnunquam thymiasis ex vino super candentem molarem lapidem insperso in oculos excitatur, aut certè ex decoctione herbarum resoluentium, & attenuantium, quales sunt hyssopus, chamæmelum, melilotus.

FEN QVARTA

De affectibus Auris.

TRACTATVS VNICVS.

De Auris Anatome.

CAPVT PRIMVM.

AVris pars est corporis auditui destinata, quam de industria chartilagineã, & multis anfractibus sinuosam natura effecit, vt cõceptas voces retineat, & recentarium edat sonitum. Est verò multis meandris obsitum foramen, ne citissimè, integrisque viribus aer intrò subiens calore, aut frigore officiat, id quod accideret, si organum esset peruium, non sinuosum. Foramen verò desinit in illud cauum, in quod innatus aer coercitus immoratur, cuius superficies neruo à quinto pari diducto cõsita est, neruus autem peculiari duritie constat, tùm vt instar timpani sonum edat, tùm ne pronus sit, & obnoxius quibuslibet aeris excessibus, atque adeo vel ictu, vel qualitate afficiatur. Vbi igitur sonus ad internum illud organum peruenit, auditur, & sanè neruus iste expansus perinde se habet, atque chrystallinus humor in oculo, & reliquæ auris particulæ instar sunt membranarum, & humorum, qui glacialis gratia comparati sunt, vt nimirum vsum quendam, & famulatum præstent: Porrò meatus auriculæ respondet vuea foramini.

Verùm natura chartilagineam, non corneam, aut membraneam produxit auriculam, ut fornicis, & cameratæ sinuositatis formam seruaret, nã si ossea foret, collideretur, & fractura periclitaretur, si caducitas, aut quippiam violens intercederet, quin etiam proximis partibus esset incommoda: Si membranea foret, haud sustineret formam. Sagax igitur natura eam chartilagineam uoluit, lenem, lęuemque, & flexilem. Vtrinque verò iacent ad latera prominulæ aures, quoniam locus anterior luminibus dignitate potioribus debebatur, præterea subter capillata capitis parte, ne fortè capillitium, aut pileus aures obtegeret, & auditionem præpediret. Opportunæ autem sunt auriculæ multigenis ægritudinum speciebus, sed interdum dolores (maximè si phlegmones soboles sint) exitiosi esse consueuere, & sæpe acutæ febres, & ancipites aurium affectus excipiunt.

* *Vt aures magnæ stoliditatis, ita paruæ malignitatis indicia sunt. Arist.*

Cur sordes aurium amarescunt? Quòd putri sudore colligantur, qui amarus, & salsus est. Aristot. Problem. 32.

De conseruanda aurium incolumitate.

CAPVT II.

ILlud in primis cauere necessum est, ne frigoris, aut caloris occursus, ne ventorum impetus, neu res alienæ aures percellant, ne aqua, & bestiolæ in anfractus insinuentur, neu sordibus madeant. Quod si singulis hebdomadis semel tepens ex amaris amygdalis expressum oleum in aures infuderis, miram præstabis opem. Ad hæc diligenter animaduertere oportet, ne apostemata, pustulæ, vlcerave ingenerentur, quoniam summopere auditum lædunt. Si tubercli, pustulævè periculum impendeat, succus minoris chelidoniæ cũ aceto mixtus in aures instilletur, singulis enim septimanis semel adhibitus adeò præmunit, roboratque auriculam, vt nullis posthac fit obnoxia fluxionibus. A contrario nil peræquè auditui, reliquisque sensibus noxium est, atque nausea, satietas, repletio, husque superueniens diurnus somnus.

Auditus est potestas animæ, per quam id, à quo possidetur intercedente quadàm in se immutatione res audibiles excipere, & internoscere natum est. *Alex. Aphrod.*

De Auditus noxijs.

CAPVT III.

PEræquè afficitur auditus, quemadmodum reliqui sensus, vt verò hi trifariam lædantur, ita portò auditus, nempè imminuitur, vt neque integrè, neque ex longinquo voces percipiat, deprauatur, & fit obauditio, vbi perperam obitur, vt in sonitu, tinnitu, sibilo, aboletur verò auditio, vt in surditate, quæ aut est ab incunabulis, aut certè post ortum, natalemque diem accidit (siquidem surditas est præter naturæ intentionem) illa euenit quando (Samach) intrinseca cauitas desideratur, quam eandem in aure analogiam habere diximus, quam habet vuea in oculis continens innatam auram, quæ voces propter symbolum primò suscipit. Sunt etiam quædam species grauis auditus, (quas Arabes tharacem, & guacrẽ vocant) quæ ideò contingunt, quoniã ad aures vis sentiens, seu potiùs spiritus non defertur, quæ parum à priori differunt, quantumuis cauitas subsit. Est præterea quædam surdigo (auditus difficultatem vocat Actuarius) quæ vomitionibus succedit, hæcque facilè curatur. Atqui natiua surditas nulla curationem admittit, similiterque aliæ species, quæ organi malam compositionem, neuique deferentis vitium sequuntur. Alia præterea ex euentu surditas accidit, quæ si tempore inualuit, habitumq; contraxit, vix, ac ne vix quidẽ

curatur,

curatur. Recens autem, quique ex euentu aduenit grauis auditus, curatur.

Cæterùm læsi auditus causæ interdum sunt neruo, auribusque propriæ, & proximæ, aliquando remotiusculæ, ceu cum cerebro, & alijs propinquis partibus, vt dolenti denti, aures compatiuntur. Porrò morbi aurium, aut ad similares particulas spectant, suntque intemperies, aut ad organicas, & sunt morbi in compositione, aut cõmunes, & sunt solutæ vnitatis morbi. Et sanè singulæ intemperies tam simplices, quàm compositæ, tum cum materia, tum citra materiam auribus contingere possunt, sed nulla familiarior, aut magis noxia, quàm frigida intemperies, siue pura, siue coniuncta cum materia pituitosa, melancholica, biliosa, flatulenta. Inter causas & biliosæ diarrhoeæ intempestiua suppressio censetur, & aliarum etiamnum euacuationum quæuis interceptio.

Inter morbos organicos præcipuus est nerui auditorij infarctus ab humore crasso, aut saniè profectus, sunt magnæ phlegmone, sunt frigida etiam apostemata, & scyrrhosa, sunt sordes obturantes, est inflatio comprimens. Inter communes sunt vlcera à corrosione. Itaque si vitiosa auditio à morbo in meatu pendeat, plerumque obstructionem agnoscit, quę aut intrinsecam, aut extrinsecam causam insequitur, intrinseca quidem est, ceu verruca, aut apostema, aut hypersarcosis, aut vermiculus, aut plurima sordium colluuies, aut crassus, viscidusque humor, aut concreta in vlcere sanies. Extrinsecæ sunt, quæcunque in aures incidunt vt arena, vt lapillus, vt nucleus, vt sãguis, qui secundùm illam partem, quæ restitit, cõcreuit, in grumosque facessiuit, quod vel repentè accidit, vel succedente tempore. Præterea auditus superueniente etiamnum crisi aliquando hebetatur, ob metastasim scilicet materiæ ad aures, interdum etiam sublata quidem febre, sed superstite capitis dolore, & grauitate obtunditur; Nõnunquam symptoma hoc criticæ perturbationis propago est, quæ paulò post euanescit, interdum etiam eódem ablegata materiæ colluuie mordicùs hæret, hæcque surditas vt vomitionem, aut hæmorrhagiam portendit, ita superueniente alui fluxu tollitur.

* *Surditas* Κωφωσις *est actio auditus abolita à causa aliqua præter naturam, vel læsa audiendi facultate, vel primario instrumento, quod est animalis spiritus in aurem affluens, aut læsis organis, quæ natura comparauit ad audiendum.*

* *Hipp. quibus in feb. aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut. aluus turbata morbum soluit. Item in coac. in feb. acut. aures obsurdescere furiosum est.*

De Signis.

CAPVT. IV.

VItium sanè per consensum à cerebro dependens inde dignoscitur, quòd cæteri etiamnum sensus afficiantur, quòd motrix vis hebescat, nihil verò peræquè hanc communionem significat, atque lingua blæsa, præsertim si cerebri apostemata, & alienæ mentis errorem sequatur, intempestiue cerebri signa se se prodiderint. Vitium verò nerui proprium arguit cerebri integra incolumitas, & valetudo, meatuum perui us aditus, & repentina symptomatis inuasio. Quod si calidum quoddam apostema neruum inoccupet, febris acuta tremore, atque horrore stipata arguit, cui torpor, & mentis emotio comes it, & si apostema post edomitam pepasmo materiam nõ erumpat, ægri in periculo versantur. At si inflammatio minimè neruum obsideat, sed quampiam aliam particulam, minimè febris aderit, nisi fortè diaria, interim grauitas, micansque, & pulsatilis dolor lacessent. At si à dolore ingrauante vitium pendeat, quæ apostemati inesse diximus signa, eadem propemodum conueniunt, si vapida, flatuosaque substantia symptoma pepererit, vt grauitas omnis abest, ita sonitus, tinnitusque adest. Vlcus verò ex emanante sanie, dolore, pustulis, pruritu colligitur, cõijciturque. Aduertas autem sæpè cum grauitate, rarò citra deprehendi obstructionem, quam si agnoueris, nullaque discrasiæ suspicio subsit, coniectare licet, victum antecedentem eum fuisse, qui obstructorios infarctus pararit. Si à comprimente carbunculo, aut compari phlegmone angustia prouenial, ex micante, pulsatilique cruciatu intelligitur. Si malum à concreto sanguine procedat, qui priùs foras erupit, abundè testatur.

Surditatem verò insignis discrasiæ sobolem esse altus sine tensione dolor significat, quæ si frigida est, frigidis cumulatur, & circa crepuscula, quæ sunt diei frigidiores partes, exalperatur, at si calida sit intẽperies, efferatur calidis, frigidis leuatur, præterea incẽdium intus percipitur, quibus si vnà comes eat materia, insignis grauitas molestat, præsertim cum caput inchoatur. Si aridior intemperies symptomatis parens sit, iurati testes sunt, pervigilium, inedia, macies, oris, oculorumque tabidus marcor. Vermis autem insolentiam suspicari licet ex perenni commotiuncula, quæ statis horis inualescit.

De Curatione.

CAPVT V.

ILlud primùm alta mente tenendum, vt, quæcunque auri instillantur, sint tepidiuscula, non frigida, non impendiò calentia. Hocque in vniuersum dictum sit. Quod ad causarum species attinet, vbi cholera affluenter abundat, cholagogo imminuenda est, nam quemadmodum intempestiuè suppressa diarrhœa surditatem inducit, ita liquidissima aluus & prodest, & de medio prorsus eam tollit. Si mera caliditas infesta sit, frigidis expungatur oleis, vel malorum punicorum succo vnà cum rosaceo, thure, & aceto in proprio cortice mixto, & excocto, donec crassescat, aut aqua lactucæ, solanive infundatur.

Verùm frigido intemperamento cum materia coniugato vniuersa olea calfaciendi vi prædita conueniunt, vt costinum, sesaminum, chamæmellinum, amygdalarum amararum, vt succus absynthij, in quibus modò castoreum, modò vaccinum

adipem

adipem, aut taurinũ fel dissoluimus, aut pulpam colocynthidos, aut eius fibras incoquimus; Sed inter cætera oleum balsami præstat. Sunt, qui grandi experientia taurinum lotium ammixta myrrha, & succo agrestis cucumeris efferant. Sed aduertas, hæc alliotica topica eo duntaxat tempore opportunè vsurpari, atque adeò ex arte, vbi pharmacis tota cacochymiæ moles fuerit exempta, & corpus penitus repurgatum à frigidis quisquilijs, & impuritatibus, subinde caput subalternis deplendum errhinis, apophlegmatismis, præterea embrochis ex D. foliorum, & baccarum lauri afficiendum. Hic corporis exercitatio in primis conducit, nec minùs ad aurem obstrepera inclamatio, siue bucca, siue buccina, vel clangore fiat. Nonnunquam tubuli, aut infundibuli osculum in aurem inducitur, vt per ipsum digerentium decoctionum vis, & thymiatis in aures deferatur. In eosdem vsus commendatur succus ruthæ cum melle, & ol. anethino, cum lotio, & felle caprillo, maximè verò cum castoreo, & galbano commixtus. Inter vsu probata sunt huiusmodi trochisci. ℞. Castorei ʒ. iij. nitri, hellebori ana ʒ. iij. m. fiant trochisci, qui dissoluti in aures instillentur. Item ℞. condisi, croci, castorei, omnium partes æquales, nitri partes quatuor, dissoluantur ex vino & instillentur. Huc faciunt aloe, castoreum, pulpa colocynthidos, euphorbium, bubulum fel, quadam verò probata prærogatiua excellunt ol. raphaninum, de staphisagria, succus absynthij, raphani cum sale modico, maximè si aures madore, & infarctu laborẽt. Licinium ex trito synapi cum ficubus, & modicissimo nitro concinnatum præsenti solet esse vsui. Marina item aqua tepens infusa iuuat. Item helleborus, & caprillum fel cum rosaceo mixta, & instillata. Sunt, quibus apprimè iuniperus probatur, qui vnà cum ol. sesammo in sartagine ferbuerit, donec iuniperi bracteolæ nigrescant, tum ol. tepens in aures infunditur. Quid plura? conferunt ol. anethinum, laurinum, liliaceum, nardinum cum castoreo, aut cum ruthæ, aut absynthij succo coniunctum.

Quod si à siccitate surditas procedat, balnea, alimenta, & vina humentiora prosunt, nec minùs hydrelæum capiti superfusum, item ol. nenupharinum, salignum, violaceum, cucurbitinum. At verò infarctoriæ obstructionis soboles ea methodo curatur, quam cap. de oppilatione innuimus, præterea iniecto in aures oleo è sem. canabis, & succo humidæ colocynthidos. Quæ verò apostemata sequitur, toties præscriptis remedijs curatur, calida, quidem frigidis, frigida calidis præbia admouendo. Subitæ surdigini decoctio, aut succus absynthij taurino felle, & oleo rosaceo commixtis prodesse consuevit, item helleborus, & serpentis senecta aceto infusa iuuant. Quæ diuturnum capitis dolorem excipit, succo raphani, & rosaceo leuatur. Quæ morbi, mentisque alienationi succedit, pharmaco tollitur ex hiera-picra, deinde rosaceo cum castoreo instillato, aut costino solo, aut amygdalino dulci, aut laurino cũ rosaceo, aut cum succo raphani.

Inter apharetica verò, quæ surditati ex obstructione, flatu, & nimio madore conferunt, pillulæ huiusmodi censentur. ℞. Turpethi ʒ. xx. colocynthidos ʒ. x. sarcocollæ ʒ. ij. ʒ. tragacanthi ʒ. vij. mirobalanorum ʒ. x. m. f. pill. ex arte, quæ ʒ. j. pondere deuorentur. Sed age repetantur vniuersim ea præsidia, quæ in graui auditu, dolore, sonitu, tinnitu, & flatu conueniunt. Si frigida materia pariat symptoma, post generalem, subalternamque purgationem, nitrum cum oxymelle auribus infusum, aut ouillum fel cum oleo oliui, & vino iuuat, pariterque cum oleo amygd. amararum, huc spectat succus porri, aut cæpe cum melle, ampliùs lac muliebre, reliquaque in dolore cap. narrata. Illud non est omittendum, binas saltem guttulas liquidæ picis mane, & vesperi instillatas maximè conferre, item vtrumque helleborum cum oleo præsertim liliaceo, aut aq. anysorum, aut absynthij, aut corticum raphani succo dissolutum præsenti vsui esse. Huc faciunt oleum D. spolij serpentis, aut baccarum lauri, imprimis præstare videntur castoreum, & euphorbium oleis dissoluta, & in aures iniecta, pariterque oleum balsami, & petrolæum. Aut ℞. glutinis. i. terebinthinæ ʒ. j. ol. Keirini ℥. ij. ol. amygd. amararum ʒ. v. omnia simul ebulliant, & tres stillæ mane, & vesperi in aures immittantur. Mel styracis cum keirino oleo, & aq. colocynthidos recentis, & succus dracunteæ præclaram præstant operam.

Quòd si hæc symptomata infantibus accidant, leniuntur oleo dededi .i. cataputiæ D. ruthæ, & maioranæ in aures immisso; & si nutrix præmandat origanum, & gemmeum sal, & hinc enatam saliuam in auriculas infantis infundat, proderit. Extrinsecùs autem adhibentur suffitus, & fotus ex D. chamæmelli, meliloti, anethi, fol. lauri, sampsuci, & pyrethri, vapor aure excipitur, & collum, circumpositæq; auribus particulæ foueantur. Hæc eadem decocta angusti oris vasculo includuntur, & auribus immittitur rostrum, vt solus vapor intrò peruadat. Quod spectat ad euacuationẽ, ego eius sum consilij author, vt in surdigine purgatio identidem quidem fiat, sed non contertim, tùm vt vires seruentur, tùm ne validiore pharmaco materiæ perfectio impediatur, quòd si tanti mali parens sit apostema, de medio tollatur notis præsidiis.

De auris acerbissimo sensu.

CAPVT VI.

DOlorem auris excitat, aut intemperies, aut phlegmone, aut pustula, aut quippiam repentè continuum soluens. Intemperies quidem aut est calida, & immateriata, vt quæ ab aeris, & venti æstu repullulat, maximè vbi de frigore ad calorem extemplo transitus fit, aut quam calentior aqua in lotionem adhibita (siue actu, siue potestate talis sit, nil refert) & in meandros fortè illapsa commisit. Aut denique est calida cum materia sanguinea, aut biliosa. Similiter aut frigida est à contrarijs caussis, nempè aere, & ventis algidioribus, aut frigidissimæ aquæ illapsu, præsertim si repentina fiat mutatio de calore ad frigus, de hypocausto ad boream, & ad glaciale stagnum.

Rursus

Rursus hæc est aut cum flatu, aut cum uiscido, frigidoque humore. Item qui pustulas, & apostemata sequitur dolor, aut calorem, aut frigus ascisci. Qui verò continui solutionem excipit, aut ab extendente flatu, aut erodente vlcere, aut vulnere, aut denum à rheumate committitur. Soluunt autem continuum non modò intus geniti flatus, sed & aqua irrepens, aut animalcula in internam auris cauitatem se se insinuantia, aut certè in eadem aure prognata. Huc spectant lapsus, & percussio, & euulsio auricularum. Verùm nullus acerbior, nullus nequior, aut perniciosior illo, qui altum apostema acuta febre, & mentis emotione stipatum excipit. Qui verò dolor extimas chartilagines lacessit, vt neque acutiem habet, ita nullum incutit metum. At dolor à phlegmone tã exitialis est, vt interdum laborantem repentè perimat perinde, atque apoplexia, & iuuenes in maiori versantur periculo, quàm senes, & correpti solent septima die obire diem. In senibus non rarò suppuratur, non item in pueris ante fata, quòd si ad pepasmum perueniat, & reliqua bona signa cõueniant, euadere possunt. Ad hæc dolor aliquãdo molestat cum pruritu, aliquando citra pruritum insolenter exercet.

* *Oculorum affectus*, inquit Celsus, *in ipsis consistunt, sed aurium, citissimè ad cerebrum migrant.*

* *Hipp. in coac. Auris dolor pertinax cum febr. acuta, & alio quodam signo aliquantum maligno iuuenes quidem septima die occidit, et citiùs delirio correptos, si non multum pus effluxerit ex aure, aut sanguis è naribus, neque aliud bonum signum compareat, seniores autem tardiùs, & minùs tollit, nam & aures suppuratione præueniunt, & minùs delirant.*

De Signis.

CAPVT VII.

VNiuersa signa notauimus in superiore capite, vbi eam surditatis speciem tractauimus, quæ ab apostemate pendet.

De Curatione.

CAPVT VIII.

ILlud ante omnia obseruandum, vt, quicquid in aurem instillatur, siue refrigerandi, siue calfaciendi vi polleat, tepens sit, temperatumque, & si capitis repletio emicuerit, deplendum, inaniendumque ea ratione, quam plenitudinis conditio poscit, plethora quidem phlebotomia, & alijs præsidijs subalternis, quæ calidam capitis cacochymiam exigunt, at crassa viscida, frigida humorum moles pillulis cochijs, aggregatiuis, & apophlegmatismis detrahitur. Quòd si humor adhuc à purgatione auribus tenaciter hæreat, humidi suffitus, fotus, & lenes, molliculæque infusiones vsui erunt, secundùm quæ vsurpari poterunt ea, quæ à læsa particula materiam euocant, dissipantque.

Cæterùm si dolor à caussa præcalida proficiscatur, notis refrigerantibus capiti consulendum, rosaceum auribus infudendum, oui albumen, ac si dolor vehementiùs exercuerit, nonnihil caphuræ adiiciendum, quin violaceum, cum caphura conuenientius videtur, quoniam emolliendi, & sedandi doloris vim habet potiorem, quam etiam præcipua quadam dote possidet recentis oui albumẽ. huc facit aqua solani, aut coriandri cum lacte, quod sanè præclariùs, & efficaciùs dolorem emulcet, si ab vbere in aurem emulgeatur. Rosaceum in quo terrestres lumbrici incocti sint, mirè instillatum iuuat, similiter limaces eodem modo coctæ, & si dolor pulsans vrgeat, rosaceo subtripla aceti portio adijci potest, atque ebullitio tandiu permittenda, donec vniuersum acetum euanuerit, tunc que guttatim infundendum oleum. Huc spectant ol. salignum, nenupharinum, cucurbitinum, atque eiusdem generis succi, & extrinsecùs admota refrigerantia cataplasmata. Sunt, qui dicrant, nil præstantius aqua volubilis, aut humidi canabis succo inueniri.

Sed enim vbi acerbiores circa auriculam pulsationes, doloresque spasmum minitantes (pepasmi properantis præsagia) percipiuntur, tunc emollientia vsui sunt, nihil autem peræquè prodest, ac vaccinum butyrum vetus tepefactum, cuius vices supplet fistula affabrefacta in aurem immissa è pelui tepente aqua plena, vt inde vapor in aurem tota copia efferatur, iste enim vapor tam egregiè aliquando contulit, præsertim si emollientia, aut narcotica incocta sint, vt ad ualidiora, aut stupefacientia recurrere non fuerit opus, quorum vbi præ doloris uehementia usus est, certè succus mamithæ, siue glaucii, aut œnanthes cum opij tantillo cum lacte muliebri in aures infusus omnium instar mihi esse uidetur.

Quod si in aurem illapsa aqua doloris parens sit, ea methodo utendum, quam paulò post præscribemus. At si fixi, profundiq; frigoris noxiam dolor agnoscat, quid opus erit facto? Profectò calfacientia olea sunt adhibenda, ut ruthaceum, ut anethinum, ut spiceum, ut laurinum, ut balsaminum, ut cataputianum, & similia, quibus aliquando incoximus allium, piper, castoreum, euphorbium. Exempli gratia ℞. ol. beeni drach. ij. galliæ ℈. 5. m. guttatim in aures oleum infundatur. His præscribimus liberaliter uinum merum, somnumque longiorem, hisce enim dolor obtunditur.

Verùm si flatuosa substantia lancinans cruciatus huius author fuerit, præter reliqua, quæ cap. de tinnitu recensebuntur, cucurbitulæ medicę tepente aqua semiplenæ, auri circumpositæ commendantur, nec minùs succus ruthaceus, & amomum cum melle mixtum, & oleum liliaceum decoctionis abrotani, sãpsuci, & castorei colo transmissum, & immissum iuuat. huc nitrum cum rosaceo, & aceto mixtum, huc & serpentariæ succus facit. His ualidiora sunt oleum costinum cum euphorbio, cum costo marino, cum aristolochia. Fomentum aridum ex millio torrefacto, ex mappis, glomere, aut filtris præcalfactis & admotis egregiè confert. Leuandi uerò doloris à pustulis, uermibus, aut illapsa lympha oriũdi modum propriis capitibus præscribemus.

Proximum iam est, ut gradum faciamus ad dolorem, quem æstuans, profundumque peperit apostema, cui ob uicinitatem mitandum in modum cerebrum

rebrum compatitur, & antequam ad pepasmum perueniat, minatur grande periculum. Quare mittendus sanguis pro vitij ratione, repurgandum corpus, reuulsionum genera tentanda, tum ad topica deueniendum, quæ leniant, & refrigerent, in primis commendatur lac muliebre in aures per vices emulctum vsque ad tertiam dieculam, similiterque rosaceum cum aceto coctum, dein adhibita prius sem. lini, & althææ mucilagine transeundum ad fænugræci lentorem ex lacte muliebri detrahendum, quo tempore & aqua volubilis vsui esse solet, & contritum sesamum experientia probauit. Vaporationes autem, & fotus ex calastico, dulcique oleo nunquam non sunt adhibendæ, in quod hapsus alligatus radio immergitur, & in aurem viciſſim inducitur. Huc facit & cataplasma ex maturantibus cõflatum, & foris admotum. Quod si vires ferendo vix sint, si principium elapsum sit, vulpinus adeps, aut lacertæ, aut vnguentum basylicum ex rosaceo dissolutum, vel ol. ligustricum, aut anserinus, aut anaticus adeps in aures guttatim instillandus. Foris verò illitus ex gallinæ aut anatis aruina fiat. Verùm enimuerò, quãdo phlegmone non admodum flagrantia exardescit, tunc liquentem capreæ adipem cum pari modo mellis, sappæ, aut œsypi adhibere licet. His autem valentius præsidium, idest ℞. Lithargyri, cerussæ an. ʒ. j. thuris, farinæ volatilis, gummi pini ana ʒ. iij. ol. ℔. j. adipis suilli, aut caprilli ʒ. ij. succi sem. lini q. s. m. f. emplastrum. Si doloris acrimonia narcotica quærat, ea iuxta methodum, quam apponemus, præscribenda. Sed ad pepasmũ promouendum omnis lapis mouendus, omnis cura adhibenda; proin foris etiam hoc cataplasma admoueatur. ℞. mucilaginis sem. lini, farinæ tritici in hydrelæo subactæq. satis est, cum rosaceo, aut chamomællino fiat cataplasma.

Cæterùm si apostema foris appareat, & extra aurem consistat, vt nullum periculum adesse significat, ita sola hordeacea farina ex oleo subacta curari solet, concinnantur tamen & alia emplastra in eundem vsum ex farina fabarum, & puluere chamæmelli, nec non ex farina hordeacea cũ puluere violarum, melilоti tepente aqua, & oleo violaceo affusis. Sed farina triticea cum solano, & ol. sesamino cocta in cataplasmatis formam omnium instar est. Dolorem verò à pustulis prognatum tollit hapsus, seu pennicillus ficuum, & tritici decoctione inebriatus, & in aures immissus. Nonnunquam fistulam auri aptamus, per quam vapida thymiasis aure excipitur ex suppositа tepente lympha, in qua si ferat necessitas narcotica incoqui possunt.

Inter communia præsidia, quæ aurium cruciatui destinantur, præsertim si à frigore procedat, oleum omphacinum commendatur, in quo viuus scarabæus incoctus sit; aut millepedę, aut terreni lumbrici incocti sint, cui vel piscium fel, vel vulpinus, vel lacerti adeps, aut gruis sit commixtus, sed præ cæteris valet oleum scorpionum. Huc recentis sampsuci aqua, & terreno um lumbricorũ decocta in iusculo myrrhæ colatæ reuocanda sunt adiecto anatis adipe. Quod si frigus vehementius vrgeat, & excruciet, fel taurinum ex Keirino oleo excoquitur, dum vniuersum fel resolutum sit, tũ oleum reponitur in vsus in aurem, est enim egregium remedium. Verùm si dolor fuerit adeò demens, adeòque vastus, vt tolerari nequeat, tunc narcotica cautè usurpari debent, nempè aut philonium, aut croci, aut stellæ trochisci, aut opium cum castoreo, & croco dissoluto in lacte muliebri, sed caue, ne temerè his vtaris, citraque magnę necessitatis vim, ad euitandam scilicet syncopen, præsertim si dolor à frigore oriatur. His adhibitis si noxa quæpiam emergat, solo castoreo expungitur. Sed enim ad excludendam omnem damni suspicionem castoreum cum opio ex meracissimo vino componi solet in pastillos, qui vsu tempore dissoluuntur, & instillantur in aures.

Quid, si cruciatus ab erodente vlcere proficiscatur? Lycium cum opio in lacte dissolutum immittatur. Aut ℞. amygdalas decorticatas nu. xx. opii, nitri, thuris ana ʒ. i. ʒ. croci, galbani, myrrhæ ana ʒ. i. ʒ. omnia ritè terantur aceto respersa, & resiccentur, & cum usus postulauerit huius pulueris modicum rosaceo dissolutum infundatur in aures, & si se se protulerit sanies, pro aceto suffriatur uinum, aut mel, aut oxymel.

De Tinnitu, Sonitu, & Sibilo.

CAPVT IX.

AFfectus iste auditus phantasticus appellari potest (symptoma in deprauata actione,) quum aliquid citra exteriorem impulsum vsque percipitur, ac sanè tali affectu correpti perinde in audiendo falluntur, ac qui imaginosis lacessuntur, illudunturque imaginibus, quoniam huius sonitus causa est ictus aeris, qui sensum ferit, sed quia exterior aura non colliditur, nec adeò sonitum edit, necessium est, internam innatamque auram affici, à substantia verò quadam uapida in cauitate latitante percellitur. Porrò hæc undosa commotio (ubi enim aer impellitur uel Hipp. teste undas agit) aut est exigua, ut sensum lateat, quam tamen à vapore in cauitate coercito cieri, iudicamus; Aut certè paulò euidentior, & concitatior est. Si sensum lateat commotio, & sit de earum genere, quæ caueri difficile possunt, & quibusdam duntaxat naturis contingat, sed peculiari quodam modo, non prorsus, ut quibusdam aliis in tinnitu usu uenit, tunc animo ducendum imaginosum hunc auditum ex sensus acutie proficisci, aut ex sensorii summa imbecillitate, propter quam minima de causa impellitur, sicut infirmissimo frigus à qualibet uel minima aquæ guttula accidit, calor à qualibet ignis fauillula, debilitatem uerò pariunt singulæ intemperiei species. Quod si præter latentem sensus acrimoniam, præter sensorii infirmitatem alia causa proxima est, certè alia non est, quàm uapor alunde concitus, & impulsus, qui innatæ auræ quietem insolenti ciet agitatu; Vapor hic nonnunquam in capite gignitur, interdum à sanie auris efferuescente efflatur spiritus, interdũ latitantes, & motitati uermiculi in anfractibus auris auram motitant.

Antecedentes uerò causæ sunt, turgescentes, æituan-

æstuantisque humoris in toto venoso genere commotio, sicut vsu venit in feb. & in accessionibus febrium, superuacua totius corporis repletio, præsertim capitis, vt accidit secundùm temulentam turpitudinem, aut commotio quædam, & agitatio sursum respirans, vt in difficili contingit vomitu ritione, aut lapsus, aut denique plaga. Interdùm hoc ipsum accidit non propter motum, sed propter visciditatem materiæ, quæ calore subacta in flatus degenerat, atque ex perenni flatuum genesi perennis euadit passio. Pamescentes, & ieiuni hoc symptomate sæpe tentantur, quòd calor naturalis ociari nescius succos toto corpore fusos exagitat, natura enim consuèto destituta alimento in domesticos conuertitur succos, eosque exercet, & depascitur. Pharmaco assumpto interdùm sonitus auditur, quòd eius sit ingenium, & conditio cerebro vapores mittere, aut ciere. Interdùm sonitus causa intrinseca est auri, interdùm extrinseca, patiturque per consensum à ventriculo, & ab alijs membris halituosos spiritus halantibus.

* *Hipp. tinnitus in acutis, & sonitus in auribus lethale.*

* *Est*, ait Sennertus, *aurium sonitus sensus cuiusdam molesti inter ipsas aures, etiam cum foris omnia silent.*

De Signis.

CAPVT X.

PRofectò assidui tinnitus causa est quippiam præter naturam in cerebro inhærescens, qui si certis interualis temporum euanescat, secundùm verò crapulam, repletionem, inediam, exercitium, insignem æstum, aut acutum frigus inualescat, consensione fieri argumentum est. Præterea tinnitus, sibilive modus causam ipsam renunciat, namque aliquando rei sursum respirantis, & repètis sonitum refert, tuncque per consensum à stomacho, aut à toto corpore fieri, coniectura colligitur, nonnunquam arborum se se vicissim collidentium fragorem exprimit, tuncque magna vaporum copia inuicem bellantium significatur. Et si febris adsit, horrorque simul, tunc purulenta collectio in aure arguitur. Et quando clanculum citra vllam euidentiorem causam perpetua successione inoritur, tunc huiusce symptomatis parentem esse viscidum, lentumque humorem putandum est. Verum qui sensus acrimoniam sequitur, cæterarũ causarum absentia, ieiunio, & pharmaco purgante detegitur, etenim hisce exasperatur affectio. Qui siccitatis propago est, nutriculas, asseclas, & comites habet causas inanientes febriculas morosulas, inedias. Qui sensorij imbecillitatem agnoscit, ex magno recrementorum prouentu conijcitur, quæ mutua successione congeruntur, huiusque debilitatis causa modò est calida discrasia, modò frigida, illa illicet afficit, hæc serò fit, & afficit.

De tinnitus curatione.

CAPVT XI.

HViusmodi affectibus obnoxij solem, balnea, laboriosam exercitationem, vomitionem, dementem strepitum, concubitum, cruditatem cane peius, & angue refugiant, soluendæ autem aluo comprimis studeant. Et sanè in sibilo per consensionem eò allaborandum est, vt particula primò affecta, siue stomachus sit, qui frequens est, siue aliud membrum, iustretur prorsus, tùm cerebro robur myrthino oleo, auribus amygdalino amaro conciliandum, sed in confirmanda recipiente particula innatam temperiem perpendere opus est, eamque iuxta methodum intendere. Si repletio subsit, à qua symptoma & substantiam, & incrementum suscipiat, ea penitus purgante pharmaco summouenda, & capiti etiam subalterna præsidia admouenda sunt, nec minus tenuis victus ratio instituenda. Qui febricitanti superuenit tinnitus, curatione non indiget, vtpotè qui paulò post vnà cum febre euanescet. Quem nimia sensus acrimonia excitat, sunt qui stupefacientibus, & acutiem obtundentibus curent, vt oxyrhodino cum opij tantillo, aut ol. de papauere, aut de hyosciamo cum modico castoreo ad corrigendum frigoris excessum adiecto. Sed illud tutius, præclariusque præsidium est. Pini grana, & castoreo vnà conteruntur, dissoluunturque oxelæo, auribusque infunduntur. Quem pus peperit, curatur ijs præsidijs, quæ & apostemati, & vlceri debentur.

In conualescentibus autem, queis natura succescit, hiatque, tinnitus tollitur sola humectante alimonia, illitu ex ol. quæ modò calorem, modò frigus ascisciunt, prout exigit vsus. Qui sensorij imbecillitatem secundat, sequiturque, reuocatur ascititiæ intemperiei sublatione. Qui ex metastasi, & translatione materiæ pendet, siue sint phrenitidos reliquiæ, siue alia crassior materia alitunde ad aures collecta, non alia ratione curatur, quàm aphæreticis, & allioticis, vt in curatione doloris capitis edictum est. Quod si calido apostemati, & præsertim febri succedat, nil peræquè iuuat, ac succus absynthij cum oleo rosaceo, aut cum aceto, & oleo liliaceo, experientia enim constat, valde conferre.

Tinnitui verò ab humore frigido, viscidoque prognato conueniunt trochisci, quorum sæpe fecimus periculum. ℞. Hellebori partes tres, croci partes quinque, nitri decem, m. & fiant ex arte trochisci, & prout vsus postulauerit, adhibeantur. Inter communia verò probata præsidia, quæ tinnitui tam ab humore crasso, & obstructione, quàm ab imbecillitate prouenienti conueniunt, illud commẽdatur, quòd ℞. caryophillorum, sem. porri ana ʒ. s. moschi ℈. 5. ex aqua sampsuci, aut ruthę, aut ex D. fol. pini, aut buxi, aut lauri, aut ex vino in aures infundantur.

Hoc autem commune omnium esto, vt cœnæ parcant, abstineant, temperent; Quidam ex antiquis sapientibus deierauit, nil esse conducibilius ad tollendos aurium sibilos mẽthastri, seu ca-

lamenthi ſucco, namque aſſerunt à Deo non efluxiſſe præſentius præſidium. Huc ſpectant hyſſopi, & fol. lauri decocta infuſa, ſed interim animaduerte, & recogita, quæ dicta ſunt inter communia, & generalia remedia cap. de ſurditate, & dolore aurium.

De curatione ſaniei, & vlcerum.

CAPVT XII.

ANte omnia eam victus normam inſtituere oportet, quæ tenuet, quæ temperatum, & laudabilem ſanguinem aggignat, ſiue carnes ſint, ſiue olera, quæ offeruntur, omnino victus ea qualitate prædituſ eſſe debet, quæ exceſſui, ſi quis ſubſit, opponatur; Quod ſi calidum temperamẽtum id exigat, vt ptiſana hordeacea, & ſimilia præbeantur, non erunt deſpectui habenda, imò & exercitium erit intermittendum, ne calor augeatur. Interim materia ad nares per errhina, & ſternutatoria, ad os per gargariſmos deriuetur.

Portrò vlcera, aut intus latent, aut foris extant, hæc tractantur hoc pacto. Primùm oxycrato, aut oxymelle, aut hydromelle abluuntur, in quo interdum myrthi, & roſæ incoquuntur, poſt deterſionem puluis afficcans ſtatu intruditur, qualis ex vſto tragacantho conſic. Nonnunquam magno ægri commodo oleum cannabis infundimus, & ſanè purulentis auribus adſtringentia non adhibere, vtile eſt, (dummodo modum non excedat emanatio) imò confert detergentibus vti, vt myrthino oleo, amygd. amararum, ſucco fol. virentis oliui cum melle.

Vlcera verò latentia, & profunda, alia recentia, alia vetera ſunt, illa quidem curationi concedũt, atque in hanc rem faciunt trochiſci mamithæ, h.e. min. chelidoniæ, aut glaucij aceto diſſoluti, aut trochiſci de roſis cum myrrha, & aloe, œnomelite diſſoluuntur, & guttatim in aures infunduntur. Interdum acerbioris vuę ſuccus cum melle infunditur, nonnunquam ſalignus ſuccus. Siue ℞. Aluminis aduſti, myrrhæ ana ʒ.j. teruntur, & cum melle mixta injciãtur in aures. Siue ℞. ſanguinis draconis, ſpumæ maris. i. alcyonij, ſarcocollæ, nitri Armeni, myrrhæ, thuris troch. mamithes partes ęquales in puluerem redacta ſuper licinium melle delinitum inſpergantur, & inducantur in aures.

Si dolor excruciarit, iniecta ferri ſcoria contrita, ammixtoq; tragacantho, aut quopiam alio exſiccatorio, & anodyno ex aceto mulceatur, hoc autem eſt oleum amygd. amararum cum myrrha, aloe, croco: interdum tantus eſt dolor, vt opus ſit aliquid opij adijcere. Huc faciunt cephalica præbia, quæ ſiccitati anodynam vim conſociatam habent. Non eſt, cur hic plurima deſcribam, quæ in Antidotario præſcribuntur. Illud non omittam, quòd ℞. nucleorum myrobal. gallarum aduſtarum q. ſ. m. cum ol. Alkeirino, & fęce ol. de ſem. lini. Item vtile eſt vnguentum de ceruſſa, & baſylicum mixta, & inducta.

Antiqua verò, profunda, & latentia vlcera curatu admodum difficilia ſunt, vt aliquando vſque ad oſſa perueniant, eaque detegant, id quod meatuum amplificatione colligitur, intelligiturque, nec non plurimæ, fœtidæque ſaniei excretione, quamobrem in his validè ſiccantibus opus eſt, vtpote pice cum melle mixta, vel coruino, vel teſtudineo felle cum muliebri lacte temperatis, & iniectis. Sunt, qui cordumeni .i. cardamomum, & nitrum cum ficubus miſcent exemptis granulis, & concinnant licinium inſtar ellychnij, & immittunt abſterſo à ſordibus vlcere. Inter fortia verò deterſoria ſunt ſcoria æris cum arrhenico, & melle, & aceto, rubigo, aut ſcoria ferri frixa, & pertrita in pollinem, quæ aceto diſſoluta coeat in mellis craſſitiem. Neceſſitas aliquando cogit in ſordidiſſimo, & vetuſtiſſimo vlcere emplaſtrum de flore æreis vſurpare. Mediæ autem virtutis ſunt alumen vſtũ cum equali parte mellis, quibus aliquando dactylus admiſcetur. His valentior hæc eſt præſcriptio. ℞. fl. æris, ſquammarum æris ana ʒ. iiij. ſucci porri ℥.j. mellis optimi ℥.j. m. in vſus.

Cæterùm vbi pus vbertim ſuccreſcit, licinium taurino felle imbutum immittere expedit, aut infantuli lotium puriſſimi, his verò multo valentius præſidium eſt ferri ſcoria in ſartagine ſæpius frixa, & abluta, & ex aceto decocta. Verùm vbi cum vetere vlcere purulento adeſt etiam dolor, tunc vinum maturum cum roſaceo, aut ſucco porri, aut piſcium muria injcere expedit.

Sed quando per ſiccantia præſidia ſordes, ſanieſque intus coercetur, opus eſt roſaceum inſtillare, vt cruſta cadat, & obturamenta, objceſque de medio tollantur, tum deterſo vlcere ſarcotica adhibeantur, ſed caue, ne virulenta ſanies intus coercita detineatur, cuius generatio ſiccantibus vlcus vetari debet. Verſutuli quidam Mediculi purulẽtam aurem obturant, ne quid excidat, prohibentque minitantes in latus, inque aurem indormire, ne quippiam viroſi excrementi erumpat per meatus, hinc fit, (aiunt) vt recrementa exitu prohibita in molliculam, laxamque carnem declinent, quæ ad auris radicem iacet, vbi collecta abſceſſum faciunt, quæ poſt pepaſmum recludunt, & educunt ſaniem, quæ noua data via ab hac moleſtia aures vendicat.

* *Sunt vnitatis ſolutiones ab erodente materia.*

De ſanguinis eruptione.

CAPVT XIII.

PErinde ſanguis ex auribus, atque è naribus emanat, nimirum aut decernente natura per criſim, aut ſymptomatis vi, aperta, aut rupta vena repletionis, plagæ, aut lapſus cauſſa.

* *Symptoma in exeunte ſanguinolento mutato toto genere præter naturam ratione loci.*

De Curatione.

CAPVT XIIII.

CRiticum ſanè ſanguinis effluuium cohiberi adſtringentibus non debet, ni ſyncopes, & infirmitatis viriũ metu tenearis. Qui ex alijs cauſſis procedit, reprimitur ſtipticis, refrigerantibus, cauſticis. Stypſi verò pollent gallæ ex aqua, aut aceto decoctæ, item ſenticis decoctio, queis interdum ammiſcetur vinum vetus, aut acetum,

aut

aut trochisci mamithæ, aut lycium ualent, & lentisci decoctio, & succus granatorum ex aceto expressus. Refrigerantia verò sunt ceu virgæ pastoriæ succus, aut arnoglossæ cum vino, aut succus acerbus mamithæ, aut denique opium.

Caustica sunt, veluti succus ozymi. Mirandum autem in modum confert leporis coagulum cum aceto, aut porri succus cum aceto. Inter vsu probata illud censetur. Ambo renes tauri sumuntur, & saliti adipis aliquid, dein torrefiunt, & sanies expressa in aures instillatur, caue interim ne dum torrentur renes, prorsus arescant, & exsucci fiant.

De curatione fordium aures obturantium.

CAPVT XV.

FAcilis succedit curatio, si sordes detineantur, nam ol. amyg. amararum iniectum mirè prodesse consueuit, præsertim noctu, dum se lecto cõmendat patiens, qui labrum ingredi, & super tepentem laticem aurem inclinare debet, vt sordes intus deliqueant. Nonnunquam spiritu impellitur intrò atramentum, seu ℞. puluer. cardamomi script. iiij. nitri ℈.ij. contusis ficubus puluis excipitur, & efformatur lemniscus in aures immittendus, qui aliquando etiam taurini fellis semuncia, & modico oleo inebriatur, aut etiam prassij succo intingitur & intruditur, aut nitrum aceto soluitur, concoquitur, dum deferuescat feruor, subinde cum rosaceo mixtum in aures infunditur. Nitrum item cum purgatis ficubus componitur, & hinc parua turunda fiunt in aures indenda, quæ tertio quoque die eximuntur, hinc enim plurimum sordium secum detrahunt, vt manifesto constet leuamen. Interdum vrticæ radicula, aut cardumenum intruditur. Verùm inter valentissima censetur viridis colocynthidos è folijs expressus succus, & infusus, nec minus nitrum, & arrhenicum æquis partibus mixta, & cum melle, & aceto liquata, & guttatim instillata valent, hæc vna horula in aure liquuntur, subinde reclinanda auris, & detracto medicamine multa calens intrudenda. Sed validioribus ne vtaris linamentis priùs, quàm totum corpus repurgaueris, ne ad particulam aliqua arcessatur confluxio, qualis est (exempli loco) lemniscus pice, nardinoque, aut chamæmellino oleo delibutus. Non defuerunt, qui ad surditatem tollendam caphuram commendarunt, sed illi biliosam surdiginem audierunt.

Inter vsu probata mehercle est oleum scorpionum, hoc enim surditatem adimit. Ex ijs verò, quę infarctorijs obstructionibus à sordium colluuie, mirificè prosunt, sunt ex nitro, & nasturtio confecta turunda, quæ triduo auribus inhæreant, subinde eximi debent, quibus detractis plurima sordiũ copia affatim emanat, pariterque conferunt linamenta hyblæo melle imbuta, & indita.

De aurium obturamento.

CAPVT XVI.

VSque adeò vitiosè aliquando efformantur aures, vt obductior, obstrictiorque, & obstructior sit meatus, quàm vt sonos admittat, id quod accidit, vel quod panniculo obuelatum sit natura foramen, vel sordibus, vel concreto sanguine, vel hypersarcosi, vel verruca occludatur. Interdum extrinsecùs lapillus, aut nucleus, aut bestiola, aut crassior incidit humor, commeatumque impedit, interdum nerui semita premitur, & qui tali affectu laborant, perinde sonos hauriunt, ac si digito obseptæ, obturatæque forent auriculæ, id etiam ex vehementi turbine venti contingit.

Morbus est in conformatione, atque in meatu, &c.

De Curatione.

CAPVT XVII.

SI membrana, aut caro supercrescens naturæ auditorio meatui obducta, profunda, oculorumque aciem fugiens obnubar, ferè conclamatum est, si extet, ferè curatur. Intrinsecum velamentum adacto intro scalpello acuto secatur, & recluditur, ijsque remedijs, quæ paulò post præscribentur, coalitus præpeditur. Si manifestò appareat, ea clitelli specie, qua nasi polypus secatur, eam cædere oportet, dein linamentum calcanthi citrini puluere respersum superponendum, quò carnis regeneratio inhibeatur. Si quippiam mordicus inhærens obturet ad emolliendum, atque expediendum, vel liliaceum, vel rosaceum, vel keirinum oleum in aurem instillare necessum est. Si bestiola morticina nubat, tunc in aurẽ malacticum quippiam, & expediens inducendum, dein scalpatro ferramento dexterè intrò adacto etherogenes extrahendum.

Occlusio autem illa, quam aut hypersarcosis, aut verruca parit, deterforijs primùm abluenda, vtpotè calẽte aqua nitro medicata, tum æs vstum, & rubrum arrhenicum diligenter pertrita in aures cum aceto infundenda, vt hinc caro exuratur, & sequatur vlcus, quod testatis iam præsidijs postea curatur; quo spectat & suillum fel assidue in aures iniectum.

Phantastico autem obturamento destinatur oleum liliaceum, vt taurinum fel cum succo betulæ, aut seminum cannabis. Nil verò præstantiùs ad expediendos obstructorios infarctus ipso colocynthidos succo. Quæ sordes agnoscit obstructio, remedijs superiore capite præscriptis, tollitur.

Inter vehementiora pastilli de helleboro censentur, qui auditorium etiam neruum purificant. Sic aũt habẽt. ℞. helleb. albi ʒ.ij. ʒ. nitri ʒ.xxi. ℈.j. croci ʒ.iiij. vniuersa diligenter conterãtur, & cum aceto trochisci concinnentur in vsum, qui, vbi inciderit, aceto dissoluuntur, & instillantur in aures, mirum enim in modum conferre consueuerunt. Quam verò occlusionem mala peperit conformatio, vt cum auris imperforata creatur, aut vitium compositionis quomodolibet intus latet, chirurgia curare oportet, quæ detegat, & recludat meatus vsque ad interiorem cauitatem, quæ sanè operatio modò profuit, modò obfuit.

De attritione, & percussione Auris.

CAPVT XVIII.

QVemadmodum magnus Dictator Hipp. huiusmodi affectui mederi dedignatus est, ita posteriores Asclepiadæ huius non habuere curationem, quin susceperè faciles, atque succurrendum curarunt myrrha, thure, oui albumine, & aceto aut panis medulla exceptis, & applicitis.

De Auris pruritu.

CAPVT XIX.

AQua absynthij, aut eius coma oleis incocta, & auribus infusa pruritum tollit.

De aqua in Aurem illapsa.

CAPVT XX.

QVi balneis frequèns vtuntur, ni aures sedulò occludant, eam interdum incurrunt labeculam, hinc temerantur aures, ad quarum radices abscessus non sine ingenti cruciatu colliguntur.

De Curatione.

CAPVT XXI.

INter cætera præsidia, quæ eximendæ ex auribus aquæ destinantur, est fistula, qua immissa buccis exorbetur, educiturque latex, subinde amygdalinum oleum infunditur. Tussi quoque, & sternutamentis excutitur. Sunt qui stipulam triticeã, aut iunceam, aut anethinum tubulum palmi longitudine sumunt, cuius extremo radio ingeniosè vellerum floccos aptant oleo delibutos, alterius peruiæ partis extremum auri indunt, subinde, laneos, aut bombycinos flocculos igne accendunt, vstionemque permittunt, dum calor molestus intrò subierit, & laticem foras emouerit, tunc detracta fistula foras sequitur aqua. Sunt, qui modicellum aquæ per stanneum, paruulumque infundibulum in aurem injciunt, dum tota cauitas oppleatur, tum mandant, vt patiens inclinato super eam aurem capite altero crure subsiliat, donec tota egrediatur aqua. Educitur etiam cauo eo instrumento æneo, quo vtimur ad diluuia intestinorum per infernum guttur, in aurem paulatim inducitur syphunculus, radius cauo ære latens paulatim educitur, & sic sequitur latex. Si aqua exigua est, sat est oleum infusum, aut muliebre lac, si dolor infestarit, remota caussa, cui si non concedat, imò exasperetur, vapor ex D. corticum papaueris, melliloti, chamæmelli, violæ, sem. lini sublatus aure excipiatur, aut apponatur cataplasma ex hordei farina, & muliebri lacte confectum.

De ingressu animalculorum in aures, & de vermium in eisdem generatione.

CAPVT XXII.

INgressus bestiolarum in aurem cognoscitur ex acerbitate doloris, ex motitatione, & pruritu quodam aculeato iuxta animalculi speciem. Vermis autem ingeniti præsentiam conijcies ex agitatu quodam, & motiuncula percepta.

* *Vermium omnium commune est*, inquit Arist. 5. de Hist. animal. c. 19. *& eorum, quæ ex vermibus proueniunt animalia, vt primordium generationis, aut à Sole, aut à spiritu præfletur.*

De Curatione.

CAPVT XXII.

COmmune remedium est in aurem infundere amara, illicò enim animalcula intereunt, & sedatur motus, succus proin asinini cucumeris siue solus, siue cum scammonea coniunctus confert, item fumus è furfuribus, aristolochia, & styrace sublatus in aurem conducit; sanies è bubula carne assata emanans collecta, & refusa in aurem iuuat, si patiens interim sese soli exponat; Inter succos nullus præstantior succo radicis capparis, foliorum prunorum, persici, absynthij, centaurij, prassij, pini maximè ex aceto expressi. Sed succus albi hellebori, & cucumeris asinini & menthastri, & decoctio epithimi cum scammonea primas tenent, similiter hydromel illis commixtum; Huc referuntur cæpe, raphani, tanaceti succi soli, aut cum hydromelle infusi, & felleum aliquid in cauo punico malo excoctum, & fructuum capparis recentium decoctio, aut succus, itemque lupinorum latices, & aloe cum tepente aqua, & costum studiosè per tritum, & pyrethrum, quæ omnia egregiè aduersantur vermibus.

Inter vsu probata illud commendatur, quod ℞. vini ʒ. ij. mellis ʒ. iij. ol. rosacei ʒ. j. misceantur cum albuminibus duorum ouorum, & tepida auribus mandentur, tum super aurem insomnis incumbat, paulò post se se hinc repentè tollat, diripiatque, sic enim fiet, vt plurimi vermes egrediantur, sunt, quibus probetur oleandri succus, aut rubi, aut absynthij, aut eorundem decoctio, nec non puluis rad. capparis cum aq. sampsuci, aut vetere lotio infusus.

De apostematibus, seu parotidibus, quæ ponè aures accidunt.

CAPVT XXIV.

HÆc apostemata cum ijs conferuntur, quæ laxas, molliculasque partes, quales adenes sunt, obsident, sed vsque adeò dementi, diròque dolore stipantur, vt interficiant, non sine mentis alienatione; quæ in auris cauitate latent adolescentibus pernicioſiora sunt, quàm senibus, etenim cum iuuenum viscera intus æstuent flagrantia, atque adeò biliosis, & calidis affluant humoribus, reliquum est, vt in laborantem particulam confluentes cruciatum ingeminent, qui cum tolerari non possit, par est, vt mors suppuratum anteuertat, & occupet. Absceſsus autem, qui crisim sequitur, nullum portendit periculum.

* *Eparmata præter naturam tumores secundùm aures in ægrotantibus exortos vocat Hip. 6. Epid. Gal. 3. de comp. med. loc. cap. 2. dicit Eparmata, (quæ &*

Paro-

Parotides sunt) è genere inflammationum, quæ fiunt glandulis circa aures affectis, &c.

* *Tumores*, inquit Hipp. *circa aurem ex plurimis grauiolentibus cum feb. acuta, & præcordio intento tardiùs excitato occidunt. Item tumores circa aures leuiter syderatis mali. Tumores in longis morbis non suppurantes lethales.*

De Curatione.

CAPVT XXV.

QVod criticum quidem, sed anteuertit pepasmum, aut criseos tempus eruptione occupat, apostema in malis habetur. Vt plurimum à sanguine pendet, interdum à bile prædominante, aut à melancholico, aut pituitoso succo. Sanguineum quidem apostema rubor, grauitas, tumor mollis prementi concedens, meatuum infarctus, & compressio abundè arguunt; A bilioso sanguine prognatum dolor sine grauitate mordicans, & lancinans, vehementi phlegmone, ardoreve molestus, nulla meatuum angustia, infarctusve renunciat. Tremor, lenitas, mollities, albicans rubedo, pituitosi sanguinis germen esse significat. A melancolico sanguine factum, durities, doloriſque exiguitas testantur.

Curantur hoc studio, vt nullo modo repellas, sed potiùs attrahas, illicias; cum materia huc, nempè à cerebro nobilissimo membro ad ignobile deferatur, præsertim cum iudiciali die post pepsim, morbis cerebri, vt lethargo succedit. Caue igitur, ne generali inflammationum curatione vtaris, in quibus à carceribus repellentia, mox etiã cum apocrusticis digerentia, postremò mera adhibentur resoluentia. Imò necessum est, præsertim si cum dolore capitis febris persæueret, ab emplasticis, & epiplasticis curationẽ ordiri, quin, si cætera non profuerint, medica cucurbitula erit admouenda, omnino attractione opus est. Obseruandum interim, num quæpiam alia euacuatio sit necessaria, & pro ratione obeunda. At si materia confertim irruat, & irrumpat, ne metasyncritica applices, sed naturæ negotium, concedas, ne superuacuo materiæ affluxu dolorem, & febrem cõduplices. Imò immani dolori sola malactica, & paregorica debentur, qualia calida humida. Etũpenti itaq; summo dolore parotidi tepentis aquæ vapor satis esse solet, si mitior sit dolor, & ardor vnà incoquatur chamemællum. Diachylon, & emplastrum de meliloto vsus comprobauit. Quòd si dolor exacerbetur, tumòr acuminetur, tunc ea præsidia adhibeas, quæ media sunt inter emplastica, & resoluentia, quæ aut pepasmum celeriùs promouent, aut digerunt, cuiusmodi est lini, aut tritici farina cum melle, aut cum D. fœnugræci, maluæ, chamæmelli. Si resolutioni reluctetur, potiusque ad suppuratum tendat, tunc promouendo, educendoque puri incumbendum, si fieri potest, per inaspectabilem euacuationem, alioquin opus est incisione; Quæ verò pus extrahunt post sectionem, sunt ceu stercus ouillum, quod peculiari quadam dote præstat, cum adipe anserino, aut gallinaceo, aut bubulo recenti, item ficus in aqua marina decoctæ, & emplastri modo appositæ; Item ammoniacum aut solum, aut cum allio, item pix liquida, & bdellium cum sordibus aluearium, & liquidus styrax, & cerui medulla. Antiquis, & contumacioribus destinatur cinis ostracorum cum melle, & veteri salito adipe.

Quòd si degenerent in chærades, & altas figant radices, quid opus est facto? Æ. gluten Albotin .i. terebinthinam, picẽ, baccas lauri, staphisagriam, gummi, cyminum, piper, radicem serpentariæ, galbanum, coriandrum, cardamomum, cinerem cort. rad. capparis & pyrethri, ouillum, caprillumque, & dorcadis stercus, & cerebella gallinarum, alcubugi .i. perdicis, & vaccarum maximè syluestrium, ol. ros. aut violaceum in calidiore affectu, in frigidiore ol. liliaceum, aut anethinum, aut chamomællinum, aut de Kerua. Ex his iuxta conuenientem modum concinnatur emplastrum, cui pari virtute conferri potest emplastrum de Resina.

De Aure magnis, absterrita vocibus.

CAPVT XXVI.

HViusce affectus causa est animalis virtutis imbecillitas, aut vniuersalis, quæ in cerebro residet, aut eius duntaxat, quæ ad auditum pergit, quare curatio in cerebro roborando consistit.

* *Actio audiendi imminuta ob imbecillitatem.*

FEN QVINTA.

De Nasi affectibus.

TRACTATVS PRIMVS.

De olfactu, & noxis, necnon de effluentijs.

De Nasi Anatome.

CAPVT PRIMVM.

ANatome nasi ossium chartilaginum, & musculi extremum, pinnasque mouentis narratione comprehenditur, quorum alibi abundè mentio facta est. Atque profectò narium meatus ita dispositi, & affabrefacti sunt, vt ad colatoria vsque papillaribus processibus supposita peruadant, vbi membrana cribri instar pervia ante ithmoida manet, vt promptiùs odores penetrent, & vnicuique semitæ tùm infauces, tùm in papillares processus iter patet, qui anteriori cerebro insident germana odoratus instrumenta, quæ à duobus anticis cerebri ventriculis procedunt: Et sanè hæ semitæ non modò ad excipiendos odores patent, sed etiam, & fortasse multò magis, vt superuacua cerebri excrementa hac foras ablegentur; Hisce igitur meatibus cerebrum, & processus isti vnà cum aere inspirato odores admittunt, vt innatus cerebri calor conseruetur (siquidem omne calidum moderato frigido nutritur teste Hipp.) cerebrum

enim motu quodam dilatationis, & constrictionis cietur instar pulsus, qui vociferantibus, & calidiorem spiritum, & aerem inspirantibus cumulatior euadit.

Porrò in suprema nasi extremitate geminæ patent viæ ad lachrymales canthos, proin collyriorum sapor aliquando lingua percipitur, ob communes scilicet meatus. Qualis sit odoratus natura alibi explicatum fuit nempè cap. de animalibus potestatibus. Vtrùm verò odor sit in aere ceu subiecto, vel ceu delatore, siue pura species sit, siue vapida substantia, quæ & re odora resoluitur, est philosophi potiùs, quàm Medici curiosiùs inquirere, accipit enim Medicus, quòd odor est in radice, per alterationem quandam, seu per speciem in aere, ceu delatore, quem acutus vapor ex odora sublatus substantia promouet.

De Nasi ægritudinibus.

CAPVT II.

IAm nasi anatomen perstrinximus, & singularum partium vsum, & actionem innuimus, proximum est, vt morbos, causas, signa, & curationem percurramus.

De multiformi qualitate medicaminum, quæ in Nasi passionibus vsurpantur.

CAPVT III.

THerapia, quæ naso adhibetur, aut per propria, aut per communia pharmaca perficitur, hæc sunt, ceu gargarizonta, cap. perfusiones, illitus, illa sunt suffitus, odoramenta, errhina liquida, quæ aut instillantur, aut naribus attrahuntur, alia insufflantur, vt tenuissimi pulueres, qui per fistulam induntur. Hocque catholicum est, vt dum hæc præsidia adhibentur, os aqua repleatur, patiens in dorsum iaceat, subinde errhina in nares infundantur. Interim patiens naribus inspiret, & attrahat, quidquid immittitur, vt vis medicamenti, altiùs penetrans efficaciùs agat. Quod si ex pharmacorum acrimonia vellicans ardor ingressus exerceat caput, vt nonnunquam citra auxilium sponte euanescit, ita aliquando medicam requirit manum, quare satius est, vbi acuta caputpurgia vsurpantur, vt supra caput tepente lympha imbutus pannus imponatur, in quem vsu aliquando tepente lacte caput perfunditur ante, quàm acria errhina vsurpentur, aut oleo cucurbitino, rosaceo, saligno illinitur. Vbi verò errhina suo munere defuncta redduntur in nares lac instillandum, aut certè aliquod oleum refrigerans.

* *Hipp. lib. de carnibus. Nares humectæ olfacere nequeunt. Item, quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, ij minus integra sanitate fruuntur.*

De Noxijs odoratus.

CAPVT IIII.

ODoratus peræquè vitiatur, ac reliqui sensus, vix enim fieri potest, quin olfactus aut pereat, aut delibetur, aut deprauetur. Hoc rursus bipartito accidit, aut enim sensus graue, & suauedolentis simul hebescit, deficitve, aut certè duntaxat alterutrius, hocque adhuc bifariam, namque vel phantasticum percipit odorem, qui reuera nō existit, aut certè graues odores tanquam suaues, & arabicos recipit, ceu contingit ijs, qui bubuli fimi fumum veluti gratissimi odoris obiectum agnoscunt, abhorrentque ab aromatico, vt cuidam stabulario accidit, qui cum in officina aromataria esset, animi deliquium incurrit ex odorum acutie, & suauitate, cumque omnia frustra tentarentur, tandem Medicus satis prudens, non modò naribus bubulum stercus admoueri, sed totum os fœdari iussit, & hac arte morti proximum reuocarunt.

Horum autem olfactuum caussa aut est peculiaris quædam intemperies, aut certa humoris pernicies in anterioris cerebri papillaribus processibus insidens: Aut in osse cribroso obstructio subest, quam vel humor crassiusculus, vel multiplex flatus, vel abscessus, vel cancer, vel hypersarcosis ingenuit; Aut denique tunica inuestiens, insidensque ipsi obducitur, obturaturque. Sed frequens illud accidit ex peculiari temperamenti conditione, quod aut infusa pharmaca, aut coryza promouit, quare iuxta errhini, aut destillantis humoris idæam aut calescit, aut stupescit complexio. Nec minùs prauissimæ aeris qualitates idē efficere consueuere, quemadmodum & plaga, & lapsus, dum conciti humores ad ethmoida confluunt, & organum violant.

* *Odor est in humore siccitatis quædam affectio, quæ priùs quàm odoratum veipsa moueat, per aerem diffunditur, & per aquam propter naturæ similitudinem, quasi diluitur. Iacobus Carpentarius, &c.*

* *Captuacceo læsus olfactus est functio præter naturam narium dependens à frustratione olfactus.*

De Signis.

CAPVT V.

QVando odores non percipiuntur, & nihilominùs muci, & superuacua iuxta consuetudinem emunguntur, tunc os cribrosum non est obstructum, verùm si inspiratus aer intrò non subit prohibitus, & patientes rancidulum quid blæsa de nare loquuntur, tunc in osse anteriore, nasi subest obturamentum: Quando verò recrementa cohibentur sine cerebri intemperati culpa, & citra excrementorum paucitatem, & meatus cribrosi ossis patescunt, tunc obstructionem profundiùs delitescere coniectandum est.

Quod si ex more purgamenta emunguntur, neque obstructum est os ithmoides, & reliqui patēt meatus, tunc in cerebri vitium culpa regerenda est, quare recognoscendæ intemperies per signa, quæ alias docuimus. Similiter audiendum, si debiliter olfactus fiat. Verùm si rancor naribus hæret, tunc subesse putidum humorem argumentari licet, ex odore enim putri consimilis proditur substantia. Proin cum ægri acuto morbo impliciti insolentes odores naribus hauriunt, qui neque sunt, neque possūt esse profectò, ceu piscium, vti butyri diuturno situ mucidi, & similium, tunc

in

in malis habetur, hoc enim vt summam intus putredinem latere significationem præbet, ita citam mortem prænunciat.

Pra foribus Libitinæ manet, filum Atropos occat.

De Curatione.

CAPVT VI.

SI intemperies quæpiam olfactum violarit, eadem contrariorum vsu expungi debet, embrochis, odoraminibus, errhinis, litu, emplastris, quorum alibi meminimus: Atqui inter cæteras intemperies vt plurimum frigida antecellit, siue sit in ventriculis anterioribus cerebri, siue in processibus ipsis, cui sanè ire obuiam conuenit calfacientibus, vt castoreo, euphorbio, mosco. Quod si in cerebro stabulantis humoris excessu fiat, vt causſam, dignoscere licet ijs indicijs, quæ cerebri ægritudines produnt, ita aphæreticis, & euacuantibus curatur: Et si toto corpore, aut etiam in solo cerebro exorbitauerit humor, educendus cathartico, gargarismis, errhinis, resoluentibus odoramentis, & si sanguinis missio necessaria sit ob eius vbertatem, non omittatur. In reliquis ea methodus seruetur, quam toties præscripsimus. Quod si cribrosi ossis obturamentum obstiterit, attenuantibus, incidentibus, deterſorijs submouendum erit, vtpotè suffitibus, liquentibus errhinis, in quibus struthion, piper, & opopanacum dissoluta sint. Subinde acriuscula gargarizonta instituenda sunt, & admouendæ etiam cap. cucurbitulæ.

Inter vsu probata commendatur nigella triduo in aceto macerata, vtque acetum cum oleo mixtum in liquidum errhinum efformatum, sic nigella ipsa in nares immissa confert; Quandoque in subtilissimum pollinem conteritur, & oleo veteri commendata naribus inducitur: Similiter & illud vsu probatum est, quod recipit arrhenicum rubrum, menthastrum, ritè teruntur, dein in vrina arabici cameli infunduntur, & soli ita exponuntur, vt sæpiculè vas reuoluatur, cumque medicamen totam absorbuerit vrinam, noua super reſiduam materiam refunditur, donec iterum absumatur, tum ex relicto crassamento conficitur thymiama, quo adhibito nares rosaceo illinendæ. Quando verò obstructionem parit crassior vapor, præsenti vsui est ol. amygd. amararum montanarum in errhinum concinnatum, aut pulvis alarmel. i. syluestris ruthæ, & albi piperis insufflatur. Sunt, qui corticem Alreth. 1. Indæ auellanæ (non pulmonis, vt malè quidam audiunt) exsiccatum, & pertritum in nares efflatu obtrudunt non sine magno experimento. Si causſa polypus fuerit, curetur ex præscripto. Qui autem odora percipit, non fœtida, non desinat caput expiare ingesto castoreo, donec affectus euanescat.

De Hæmorrhagia narium.

CAPVT VII.

SAnguis è naribus bipartito, aut affluenter, & affatim emanat, idque aut ob vberrimam æstuantis sanguinis copiam, & expultricis vim, aut obruptam in cerebro venam, arteriamve, quæ sanè effusio vix curationem admittit. Et hercle hæmorrhagia vt plurimum capitis cruciatū, inflammationem, acutam ægritudinem, lapsum, plagamve sequitur, hincque animales vitiantur actiones ob frigidam intemperiem, quam immodica sanguinis effusio reliquit. Nonnunquam calentes halitus ora venarum relaxant, & sanguinis effluuij authores fiunt. Sed qui sciam, dices, arterialem sanguinem à venali distinguere? Arteriosus ædepol subtilior, rubentior, calidiorque est, & periodis quibusdam repetit effluxio, repentèque cum saltu foras exilit.

Ad hæc fluxus sanguinis narium aut est symptomaticus, aut criticus, talis est, qui post repletionem caput leuat, qui suauem, pristinumq; colorem post saturatum ruborem ori restituit, qui formæ concinnitatem cumulat, qui acutas ægritudines, qui internas phlegmonas, erysipelata primùm cerebro, dein hepati, & pleuræ postremò etiam pulmoni insidentia excipit, sanguis enim è naribus erumpens plus commodi pleuriticis, quā peripneumonicis affert. Et sanè hæmorrhagia in acutis passionibus, præsertim in morbillis, & variolis, vt plurimum critica est.

Vbi autem sine modo sanguis effunditur, flauo, liuente, aut ferrugineo suffunduntur ora colore, & præter consuetudinem, modumque extrema rigent, totumque corpus pallore, & inanitione tabescit, & quamuis tandem cohibeatur effluuiū, non potest tamen, quin nimietate nocuerit. Vbi igitur luteo facies colore fœda apparet, magnum intus latentis choleræ prouentum subesse significatur, & tunc minùs lædūtur ægri. Quibus luridо pallore tinguntur ora, frigidi phlegmatis excessum arguunt; Quibus verò pullo nigricant colore, nigræ choleræ vbertatem renunciant, hisque immodica immodicum hæmorrhagia affert incōmodum. Omninò vt omnis nimietas naturæ bellum indicit, ita immodesta sanguinis effusio periculum minatur, ne de tenore, tonoque deijciatur hepar, ne hydrops immedicabilis succedat, ne reliqui frigidi affectus innato calore effœto succrescant.

Cæterum hæmorrhagijs obnoxij sunt cholerici, qui tenui sanguine diffluunt, qui temperato compensantur, eximunturque discrimine. Portendunt autem hoc symptoma splendor quidam, marmarygæque ob oculos versantes, albicantes lineæ, rubentia phasmata, aut citrina phasmata, narium pruritus maximè secūdum cap. dolorem, idem aliquando significant acutarum ægritudinū formæ, & earum crises, vt alibi notatum fuit.

* *Septima die, aut nona, aut decimaquarta fluxiones sanguinis è naribus plerumque feb. soluunt.*

* *Hæmorrhagia Capinacceo est exiens mutatum sanguinolentum narium toto genere præter naturam.*

De Curationibus.

CAPVT VIII.

CRitica sanguinis profusio, & congener quælibet alia euacuatio stringi, cohiberiq; non debet

debet, nisi quatenus vires prosternit, & aliquando vsque ad quatuor libras citra noxam effunditur, sed caue, ne vehementiùs affluenti adstringentibus resistas. Symptomaticum quidem sanguinis effluuium acerbis, & adstringentibus, vt ait Hipp. supprimi debet.

Porrò hæmorrhagia, quæ choleræ dominantis causa succedit, exhibitis frequèns cholagogis, præterea cibis, & potibus attemperantibus, & corrigentibus sanguinis vitium cohibetur. Nil verò perxquè iuuat, atque phlebotomia per epicrasim, & per rectitudinem obita: maximè si fiat vsque ad syncopen. Quæ verò pharmaca sanguinem sistunt stringendo, aut vehementer styptica sunt, & austera, aut validissimè refrigerantia, aut glutinantia, aut incrassantia, aut coagulantia, aut denique caustica, aut proprietate pollent, aut sunt pharmaca plures vires habentia.

Styptica sunt, ceu succus tragopogoni, ceu acacia, ceu balaustia, rosæ, lentes, gallæ omphacitides, succus fol. æsculi, senticis, sylvestrium pyrorum, cotoneorum, virgæ pastoralis. Refrigerantia verò sunt, ceu opium, caphura, hyosciami albi, aut lactucæ semen, succusque Salicis, & dactylorum immitium, & arnoglossæ. Glutinantia verò sunt, veluti farina volatilis, thuris. Cauterizantia verò sunt, ceu chalcanthum, & similia, quæ sanè cautè adhiberi debent, nam aliquando crustam inducunt, quæ cum decidit maiore periculo tenentur ægri, quàm priùs. Proprietate autem valent, vt stercus aselli, vt ozymi, vt menthæ, vt vrticæ succus.

De curatione Hæmorrhagiæ.

CAPVT IX.

SIc concinnari debent errhina, vt recipiant aquarum dactylorum immitium, acaciæ ana ʒ. 5. caphuræ gr. 1. quæ continuè ex ordine adhiberi debent, item aqua eorundem dactylorum cũ succo tragopogoni, & caphuræ tantillo confert, item aqua flor. palmæ cum succo porri; item aqua salsa, amara, & aq. coriandri in nares infusa. Huc spectat aqua cucumeris cum caphura, & succus arnoglossæ cum terra figillata, & caphura, itẽ succus plantaginis, & equiseti, & virgæ pastoriæ. Præstantissimum autem auxilium est succus stercoris asinini: Quod si sanguis multitudine, affluentiaque exorbitet, tunc flos æris in aceto infusus paulatim in nares inducendus, aut pulvis balaustiorum ex succo plantaginis, nec minus aqua, in qua opium dissolutum sit. Caue interim, ne valde frigida infundas, ne sanguis concrescat, atque in ipso cerebro conglaciet. Hæc verò omnia in antidotario extant.

Hoc autem pacto turunda parantur. Lemniscus encausto h.e. librario atramento immergitur, tragacantho inspergitur, & in nares immittitur. Item ℞. succum fol. vrticæ, vitriolum citrinum, leporinos pilos minutissimè contritos, asinini stercoris, porrique succum, olibanum, simul componantur in turunda, quæ naribus mandentur. Experientia probauit turunda ex adusto lycio, & fluuialis ozymi succo conflata, itemque ex volatili farina, thuris polline, aloe ex aceto trita, & oui albumine excepta. Item turunda ex tragacantho, papyro combusta, & thuris cortice cum succo sylvestris ozymi, aut aqua rosacea inebriata, aloe, vitrioloque inspersa, concinnè efficta; aut eadem succo porri perfusa, & aspersa puluere menthæ. Commendatur spongia aceto immersa, & liquata pice imbuta. Probatur tela aranearum, æris, vitrioli, & tragacanthi inspersо puluere. Vsui sunt leporini pili pexi, inspersique thure, & aloe, albumine excepti. Magno experimento præstant tragacãthi combusti partes duæ, opij pars vnica cum aceto simul compositæ. Nec minùs valent præusti oui cortices cum encaustro, & gallis commixti in turundorum speciem.

Quæ verò spiritu efflantur in nares sunt lycium indũ adustũ, ranæ adustæ, & pulverizatæ, farina volatilis, terra testæ albæ, calx, cortices thuris, charta, tragachantum, cortices fructus arboris Alor, h. e. Platani arefacti, & contriti, qui rudiori panno inspergũtur, vnà cum eius lanugine, mandanturque nouæ ollæ cum creta figulari, tum os vasis diligenter obturatur, donec in vmbra ficcescant, postremò subtilissimè teruntur, & vsus tempore in nares immittuntur. Huc spectat pulvis, qui ℞. pulueris testarum oui combustarum contritarum, calami aromatici, sem. lilij, sem. rosarum, caryophylorum ana ʒ. 5. myrrhæ, gallarum ana ʒ. 5. gallæ, & caphuræ modicum m. f. pulvis in nares efflandus continenter. Verùm cum pulueres flatu intruduntur, nares vna hora constringere oportet, quique ad os descendit, sanguis expuatur; sufflatus autem per tubulum fieri debet, vt exuberãtis impetus sanguinis compescatur.

Frontalia, & anacollemata fiunt ex succis fol. salicis, fol. vitis, myrthi, aqua rosarum, his pannus lineus imbuitur, & instar vittæ fronti apponitur; eadem conflantur ex styptícis adstringentibus, & stupefacientibus notis, quæ succis dissoluta eiusdem naturæ in eosdem vsus adhibentur, qualis est succus extremitatum salicis, pampinorum vitis, senticis foliorum sylvestris pyri, cydonij, virgæ pastoriæ.

Odoramenta petantur ex recenti stercore aselli, fœdum quidem, at vtile remedium.

Nares porrò confertiuntur pennis, seu foliis cãnarum, seu cap. florum cannarum, seu lanugine senescentis arboris, &c.

Sed enim ille fluxus deterior est, qui ex sanguinis æstu, & rupta vena, aut arteria emanat, quocirca vt quàm mox sisti, compescique debet, ita phlebotomia cephalicę summopere necessaria est, quæ fluentis sanguinis impetum recta respicit, sed sectio sit exigua, & per epicrasim fiat euacuatio, vt maior auersio succedat; Cucurbitulæ Medicæ humeris, scapulisque, & iugulo cum scarificatu affixæ conferunt, itemque sub mammis, sed siccæ. Interdum necessum est, sanguinem mittere è cephalica vsque ad syncopen, aut è vena spatulæ posterioris, hinc enim præsens eluceſcit beneficium, quia prohibet, ne sanguis in caput irruat, hinc enim eductus sanguis vsque ad syncopen, statim sanguinis effluuium vetat, atque adeò hæmorrha-

giam

giam narium coercet: Quare properandum est ad hæc auxilia: priùs quam uirtus deficiat. Quod si sanguis affatim non effluit, sed guttatim, & accidat circa paroxysmos, tunc repetitis vicibus ad validiorem antispasin moliendam celebranda phlebotomia, cumque satis sanguinis eductum fuerit, ad incrassantia procedere operæpretium erit, qualia sunt austera, acerbaque cuncta, cucurbita quidem admota exuberanti sanguini parum confert cum non sit æquale auxilium plethoræ, quocirca primum cæsa vena paulatim sanguinem mittere, tum cucurbitas admittere oportet, & quidem hepati admouendæ, si è dextra nare, lieni, si è sinistra, vtrisque visceribus, si ex ambabus erumpat sanguis naribus, hæcque est tuta, & cita curatio.

Ad hæc extremis partibus vincula iniicienda, testesque viris, & mammæ mulieribus leniter constringendæ sunt, item ambarum aurium constrictio admodum efficax remedium esse consueuit. Necessum autem est multas frigidas embrochas adhibere cum ipsa frigida aqua, immò aliquando necesse est, vt patiens in semicupio niue algefacto sedeat, donec membra liuore pullescant. Interdum caput ipsum gypso oxycrato dissoluto lutandum. Interdum niuali aqua caput affundendum, abluendumque, donec valde obstupescat. Interdum ad extrema turunda accedere oportet ex flore æris, & aqua ozymi concinnata cum caphura. Lemniscus etiam fit, ex puræ mummiæ ʒ. j. qui non minoris est virtutis, quàm frigidissimam ore continere.

Illud non ignorandum, homini sanguinem profundi vsque ad xx. aut xxv. libras citra vitæ discrimen, vltra certo discrimine vitæ, syncope verò hæmorrhagiæ superueniens etiam incompescibili cohibet, reuocato ad interiora cum spiritu sanguine.

Quod spectat ad victum, lentes cum sumachio, aceto, omphacioue conditæ conducunt, item recens caseus, item lac schistum, & coagulatum, item oua elixa, ei præsertim conueniunt, qui ob bilis affluentiam hæmorrhagijs opportunus est, acida, quòd incidant, dissiciant, & attenuent, aliquando officiunt. Qui verò experimentis ducuntur, deierant, gallinarum cerebella in primis antecellere, siue vt alimenta, siue vt medicamenta sumantur, ijsque præsertim conuenire, quibus sanguis ob plagam, aut lapsum effunditur, illa verò debent luculenter abliguriri. Vinum autem, qua roborat tenus, prodest, vt ciet sanguinem nocet, quare satius est vino parcere, dummodo viribus non metuatur. Caue interim, ne sanguis in ventrem decumbat, & inflet & debilitet pulsum, & excitet syncopen in trombos, perniciemque conuersus. At si omnino præceps ruit, cura, vt per vomitum reijciatur, priusquàm vitium contrahat, & sæua arcessat symptomata, quòd si stomachum subter euaserit, clysmis festinanter immissis eluatur.

De prouocandæ hæmorrhagiæ studio.

CAPVT X.

ALiquando necessaria est sanguinis è narium profusio, quæ non modò diu permitti, sed promoueri debet, tantùm abest, vt compesci, potissimùm in acutis cerebri passionibus: Propterea interdum etiam artis ingenio prolicitur, adhibito scilicet quodam machinamento, quòd Antiqui moliti sunt, nasum percutiendo, hincque plurimas ægritudines sanarunt. Nos graminis arundinei cuspide vtimur non sine euentu. Præterea sanguinem cient plantæ, quæ acuminatum sine asperitate apicem habent; & lanugo schœnanthi in turundorum speciem efformata, aut lemniscus è suprema parte schœnanthi, & campestris menthastri, itemque ex acribus medicinis, vt lanaria, staphide agria, euphorbio cum bubulo felle mixtis conflatus, comprimis valent.

De coriza, & catarrho.

CAPVT XI.

IN eo coryza, & catarrhus conueniunt, quòd vtrobique adest fluxio materiæ è cerebro in subiectas particulas: Sunt tamen quidam Medici nominum potiùs, quàm rerum curiosi, qui fluxionem ad fauces, & guttur catarrhum appellant, fluxionem ad nares coryzam, quidam verò omnem rheumaticam fluxionem catarrhum nuncupant, & duntaxat illam fluxionem coryzæ nomine dignantur, quæ non modò ad nares fit, sed est tenuis, salsa, frequens, & olfactum abolet, & peruadit ad oculos, & oris cutem petit, atque etiam interiora faciei membra lacessit. Catarrhus verò decumbit ad guttur, ad pulmonem, ad œsophagum, ad stomachum, quæ loca etiam vlcere exasperat, aliquando canimum excitat appetitum. Nonnunquam ad articulos, & ad extimas, extremasq; particulas penetrat, vnde articulares morbi: Si ad thoracem præceps irruat, interdum anginæ, interdum pleuritides, & peripneumoniæ, & potissimùm phtyses, quom catarrhus est calidior, & acrior, generantur. Si in aluum feratur, dolores stomachi, diarrhoeæ, dysenteriæ, si salsus sit, si acidus, dolores colici excitantur, maximè si mucosa, & cruda pituita huc redundarit, symptoma est ad ametriam in excreto pertinens.

Omnium autem harum fluxionum parens aut est calida cerebri intemperies, quam aut insolatus, aut aeris æstus, aut affectatus ardor, aut moschi, croci, cæpe liberalior vsus auxit: Aut certè frigidior intemperies, quam frigidior aer, borealis ventus promouent, præsertim si aeris iniurijs caput liberè expositum fuerit, secùdùm balneum, exercitium, iram, cogitationem, & huiusmodi, siquidem hæc omnia cutem rarefaciunt & frigori viam sternunt introrsum. Nonnunquam sanguinis missio corpus emollit, rarefacitque, & præparat, præmunitque ad calorem, aut frigus suscipiendum, hincque vitiata coctione catarrhus emergit, præsertim si plurima facta sit sanguinis effusio. Idem calidæ, & inflammantis intemperiei vitio contingit. Atque vbi frigida complexio admodum excessit, & habitum contraxit, rheumatica

tica materia non digeritur, nisi pristino tenori, temperationique restituatur cerebrum, sicuti etiã in senibus visitur; Et sanè in senibus & habentibus debile cerebrum propter frigidam intemperiem, ideò rheuma producitur, quòd alimentum demandatum non perficitur ob imbecillitatem, hinc excrementorum prouentus, quæ decumbentia catarrhum committunt, qui mehercle catarrhus frequentior est, quam qui à calore. Quibus verò calida capitis intemperies viget, causis aduenis coryzam producentibus opportuniores sunt, quàm qui frigida humida intemperie laborant, interim internis causis magis resistũt, frigidis, quum caloris ministerio coctiones elegantiùs perficiant, atque adeò tãtùm excrementi non superfit, quod producendo sit satis catarrho, cerebrum enim frigidum non conficit proprium alimentum, neque appellentes digerit vapores, quare reliquum est, vt tùm superuacua, tùm aggregati vapores perinde in catarrhum faceſſant, atque vapida illa substantia, quæ è chytrapode in alembici caput sublata concrescit, & per rostrum redditur, atque ob hanc reciprocationem, cuius causa malum redit in orbem, catarrhus perennis sit.

Aliam subit catarrhus differentiam, siquidem alius crassus est, alius tenuis, & aqueus, alius calidus, acutus, salsus, ingrati saporis, mordax, interdum frigidus, qui febre concoquitur, & matureſcit, à contrario calidus inualeſcit: Tuncque potissimùm catarrhi vigent, quum post austrinam constitutionem borealis succedit, hyemali quoque tempore conduplicantur, præsertim si æstatem septentrionalem, & impluuiam sequatur, autumnumque pluuijs refertissimum. In regionibus Meridiem, & Austrum spectantibus frequèns succedunt rheumata, quòd illinc capita repleantur. Hippocrates, plurimos, quibus accidunt catarrhi, lienosos haud fieri scriptum reliquit. Galenus rationem attulit, quòd quando vna particula laborat, & morbus exercet aliquod membrum, reliqua incolumia, & integræ valetudinis esse consueuere. Ego autem ideò fieri existimo, quòd lienosi crassis humoribus affluũt, catarrhis verò obnoxij tenuibus, quare qui crassos, terrestresq; humores intus gerunt, non admodum rheumate tentantur. Verum vbi capitis cruciatus catarrhis superuenit, tunc ingraueſcit ob nouæ materiæ affluxum, quem dolor excitat.

* *Gorræo est descensus humoris è capite in os, qui si in naues, coryza dicitur.*

* *Capiuacceo est excrementum crassum affligens corpus procedens à frustratione altratricis cerebri.*

* *Catarrhi accidunt*, inquit Alb. M. *vbi sanguis, qui ad cerebrum accedit, fuerit frigidior, aut cerebrũ frigidius, & assimilatur pluuijs, & vaporibus, qui sunt in megacosmo, sed catarrhi causa melius secundùm eius diuersitatem consideratur à Medico.*

De Signis.

CAPVT XII.

INdicia calidi, acutique catarrhi (si coryza sit) sunt oris, oculorumque rubor, materiæ fluentis mordacitas, tenuitas, caliditas percepta, quibus accedit aliquando febris, quæ omnia deteriora reddit. Quòd si ad fauces præceps ruat, hìc acrimonia, hìc mordicatio vellicat, hic incendium percipitur, quin, dum excreatur sputum, flauo, aut etiam rufo colore tinctum visitur, hîc etiam infarctus agglomerantur, hic nasus rubescit, tumeſcitque, & quadantenus acrimonia inceſſitur. hic vox rauceſcit, quasi per nares emissa.

Frigidi verò catarrhi signa sunt materia ipsa frigida fluens, (si modò per nares manet) in naso quædam commotio cum frontis cõtentione percipitur, & graui obstructione vox vsque ad rauim permoleſta (Cum materia per os ithmoides effluit nasitatem, inquit Manardus, efficit, hoc est nares claudit, & vocem obtundit.) Hoc etiam significare solet materiæ crassities, & si in guttur decũbit, percepta inter excreandum frigiditas, materies albicans, febris absens, quæ si accedat, proficit.

De catarrhi, & coryzæ curatione.

CAPVT XIII.

CAtarrhi curatio super hoc cardine vertitur, vt materiæ moles imminuatur pharmaco, efficiens causa, seu intemperies rescindatur contrariorum admolitione, fluxio intercipiatur aut moderamine causæ, aut materiæ auersione in aliã partem, interim impediendum, ne quid deterius accidat, puta obstructio olfactum tollens, vlcera narium, gutturis asperitas, tussis, pulmonis vlcus, & quæ sequuntur apostemata. Nulla profectò curatio succedet, ni frugalior instituatur victus ratio, quæ omnino cibi, potusq; replerionem arceat. Sternutatio quidẽ in principio catarrhi noxia est, quod commotione humorum in cerebro contentorum concoctionem remoretur, quæ quiete perficitur, quin alia recrementa ad caput arceſſit, sed in calce, & iam declinante malo nil est peræquè proficuum, quòd iam concoctum, perfectumque excrementum foras pertrudendo præstet excitamentum. Adhæc neceſſum est cum, qui catarrhis obnoxius est, nequaquam saturato ventre dormire, quia hinc murum in modum caput repletur, & afficitur, præterea caput omni studio muniendũ, & calfaciendum, & omnino frigus cauere oportet, & potissimùm Aquilonares occursus secundũ Austri imperium, nam Auster emollit, repletque, Boreas autem constringit, & exprimit. Præterea egelidam aquam, & pomeridianum somnum declinare oportet, & famem, sitimque perferre iuuat. Noctu non sunt longiores somni iucundi, imò aliquid consuetudini detrahendum, & euigilandum, caue tamen, ne quid nimis, nam vigiliæ immodicæ cruditates pariunt.

Esuriant, vigilent, sitiant, qui rheumata curant.

Soluta per leniens pharmacum aluo curationem ordiri oportet à sanguinis missione, subinde etiam purgãdum, siquidem vtrumque præsidium maximo vsui esse consueuit, si modò subsint indicationes, verumtamen phlebotomiam temerè exercere non conuenit maximè à carceribus, ni summa adsit plethora, quã ferre nequeat patiens.

Et

Et sanè tunc sanguini parcere congruentius est, vbi nulla tussis adest, quæ si molestet, & perexiguũ reijcitur excrementum, phlebotomia exerceri debet, parca quidem, sed repetita manu. Ad fluxionem intercipiẽdam serapium papauerinum commendatur, præsertim si vigiliæ infestæ sint, alioquin saccharum rosaceum sufficitur. Clysteres nullo modo omittendi, nam superuacua ad intestina deriuant maximo totius corporis emolumento, & vias adeò leniunt, si ex hordei cremore conflentur, vt materias tùm mulceant, tùm proliciant. Quòd si catarrhus hoc incommodi afferat, vt ad vbera præceps vnitatem soluat; atque adeò dolorem excitet, hinc materiæ decubitus ad latus arguitur, quare tunc festinanter ad sanguinis missionem properandum. Suffitus, & fotus aliquando febrem accersunt, Bechica autem non ad materias, sed ad pectoris asperitatem diriguntur. Hic sitim perferre iuuat, at si necessitas postulat, serapio papauerino frigida diluto sitis fallatur, frangaturque, cui ad pectori robur conciliandum adijci potest aqua, & cremur hordei. Vbi verò rheumati febris comes it, ne inducas ægrum in labrũ. Qui perennibus destillationibus tùm hyeme, tùm æstate opportuni sunt, eos nil peræquè iuuat, ac vsus pillularum cocchiarum, pariterq; impigrum exercitium, & inferiorum partium motus, quia deorsum recrementa trahuntur.

Repurgato corpore thymiamata, & suffitus opportunè adhibentur, dummodò ante initum pastum fiant. Qui catarrhis tentari consueuerunt, malum ingressione in balneum, vbi affluenter sudor proliciatur, anteuertant. Illud in omni catarrho obseruandum, vt assiduo caput muniatur, decliui indormiatur puluinari in latera, non in dorsum. Materia verò catarrhum committens imminui debet pharmaco totum corpus purgante, calida quidem præter cathartícum phlebotomia, frigida pharmacis phlegma purgantibus tùm sumptis, tùm iniectis. Hic parcè pastus ineundus, hic aquæ temperandum.

Causa verò efficiens, seu intemperies summoueri debet contrarijs, calida quidem frigidis, seu potiùs ex euentu refrigerantibus (frigida enim capiti cautè adhibenda) vt balneo aquæ dulcis quotidie mane ieiuno ventre infernis partibus adhibito, item capiti, extremis, sumini, ano, testiculis, circumfitisque particulis inducto ex violaceo illitu. Huc spectant embrochæ ex decoctione hordei, papaueris, violæ, chamæmelli; Nonnunquam caput actu refrigerantibus validis, sed cautè perfunditur. Cibi leues humectandi, refrigerandique potestate præditi, item quotidie propinatum mane iulapium rosaceum prodest.

Frigidæ verò intemperiei curatio calfacientibus perficitur, quæ studiosè vsurpantur, quando & humorum motus, & sternutatio negotium facessere incipiunt; proin quàm mox caput calentibus cucuphis foueri, munirique debet, dum ad cerebrum peruenerit thermasia, & diutissimè hoc pacto custodiendum. Interdum arido fotu ex sale, & milio conflato caput perfricatur, interdum calidissimis aquis, qua ferri queant tenus, fouetur, quibus maturantia, simulque digerentia incoquuntur. Extrema calidis, calfacientibusque oleis oblinimus, vt chamæmellino, sampsuchino, anethino, quibus præstant ol. ruthaceum, beeninum, liliaceum, laurinum, queis testes, anus, sumen, & extrema perungi debent, caput verò medicato lixiuio abluendum cum sapone Damasceno. Caue interim ne olea circa caput adhibeas, ni valida, stabilique calfactione, aut refrigeratione sit opus, hoc post totius corporis purgationem præstandũ. Nec minùs ex costo, & synapi, & similibus constata linimenta capiti, & fronti inducenda. Interim, tenui, attenuanteque victu, calfaciendi, siccandique facultate prædito vtendum, hac tamen lege, vt pectus leniatur. Interdum eorum synapismorum, qui columbinum stercus, synapi, ficus, menthastum, gummi agrestis ruthæ admittunt vsus necessarius est, quin & cauteria sunt vsui. Extremè verò calfacientia, & siccantia conferunt quidem attrahendo succo, sed impendiò dum siccant, & spissant prohibent, ne foras commodè excernantur recrementa attracta. In hac verò catharri specie labrum ingredi non decet priùs, quã materia sit prorsus perfecta, imò sicci fotus vsui sunt, & inter iuuantia censetur odor moschi, & amygdalini olei summè calfacti in aures infusio.

Intercipitur autem catarrhi cursus refrigerantibus, & inspissantibus gargarismis, quales fiunt ex aqua frigida, rosarum, lentis, coriandri, decocti papaueris, granatorum, frigidis verò calidi, frigidi calidis catarrhis destinantur, quare os vino, in quo mirrha sit dissoluta fouere, admodum conducit frigido catarrho, iuuat etiam ore detinere hypoglottia ex opio, styrace, thure, croco confícta, quorum humiditatem liquentem deglutire licet. Sunt etiam serapia, quæ proprietate hoc præstãt, vt papauerinum, tùm in calido, tùm in frigido catarrho, sed in hoc dilutum calfacientium decoctione myrrha, & croco aromatizata. Hoc autem duntaxat ab initio vsurpandum ad sistendum scilicet humorum impetum ad pectus, sed vbi expectorandum, prorsus arcendum.

Suffitus huc spectant, qui cùm naribus, tùm ore excipiendi, vt sursum respirantes impetum deorsum retineant, reprimantque. Horum materia est sandaracha, seu vernix in calido, & frigido catarrho peræquè consentanea, in frigido nigella quadam prærogatiua excellit tùm subolfacta, tùm suffira. Costus, & nigella simul vstulati syndone in nodulum inuoluti conferunt. Fumus œnomelitis super candentem laterem respersi inspiratus proficit: Certum autem emolumentum affert illud thymiama, quod ex costo, xyloaloe crudo, thure, vernice, & styrace concinnatur. Calido catarrho conferunt thamariscus, rosæ, saccharum rosatum, seu mauis violaceum, fabæ fresæ, hordeum, serum destillatum, caphura, furfur sereo liquori incoctũ ad thymiasim, quò facit & fumus aceti siue feruefacti, siue super molarem lapidem candentem affusi.

Æquabilis verò materiæ mediocritas promouetur electarijs, tenuissimæ quidem diatragacantho, granatis, cydonijs, sic enim fit, vt ne tam facilè deorsum ruat, & promptiùs per anacatharsim educatur. Vbi crassitie materia vitiosa est, neque

sputo

sputo reijci potest, attennantia vsui sunt. Et quemadmodum in frigido catarrho ante materiæ perfectionem balneo interdictum est, ita in calido, à carceribus conceditur.

Auersio autem materiæ in aliam partem absoluitur præsidijs, quæ cursum aliò accersunt, exempli gratia, distillatio ad guttur auertitur errhinis nares irritantibus, & attrahentibus, & pharmacis, distillatio fervidior in inferiora decumbens reuellitur appositione medicæ cucurbitæ super caput, itemque admoto inspiratu halantium decoctorũ, quæ materias ad nares proliciant.

Cautelæ verò semper adhibendæ sunt, ad guttur, & pulmones muniendum, ne lædantur. Plurimumque cibi valent.

In calido quidem catarrho oleo violaceo thorax allinendus, pro linctu aqua hordeacea cum iulapio violaceo, aut conserua violacea, de succo granatorum dulcium satisent. Sorbitiones ex amylo, farina fabarum coctis ex lacte recenti, conferunt, ni febris subsit; nam lac dare febricitantibus noxium. Huc faciunt & serapia, & electaria refrigerantia.

In frigido catarrho pectus vngendum ol. chamæmellino, beeno, administrandæque calidæ sorbitiones lenientes, vt cremor tritici cum melle, aut D. furfurum cum ol. amygdalino, aut panis cum passo. Electaria cataclentia, & lenientia vsurpanda, itemque serapia, vt hyssopi, & prassij. Styrax nõ minimam confert opem. Calida aqua, seu potius iusculum epotum præcalidum tùm coctionem, tùm eorum, quæ pectori sunt nóxia, expulsionem promouendo, & leniendo iuuat. Vino autem interdictum sit vsque ad catarrhi perfectionem, quamquam aliquando imbecillioris stomachi causa & in principio parcè conceditur, sed dulce sit, & grati odoris. Pinguia verò, vtpote quæ ab initio coctionem remorantur tenuis materiæ, paulum ablegentur, cum etiam difficulter coquantur.

Symptoma in qualitate mutata olfactili.

Fœtoris causam repetit Arist. sect. 13. probl. ab excrementi crudutate.

De curatione fœtoris.

CAPVT II.

NEcessum est in primis humoris nequitiam purgante pharmaco emendare, & corpus piare, si modò humor circa ossa nasi non resideat, sed potius circa stomachum, aut cerebrum, subinde topica adhibenda sunt, nempè turunda, errhina, sufflatus; Probata verò experimento turunda fiunt (ablutis priùs naribus ex vino albo) ex myrrha, amomo, acacia, & melle, aut ex myrrha, & amomo, siue ex myrrha, & rosis, & oleo irino. Aliter quoque concinnantur, nimirum ex cypero, spica, rosa, calamo aromatico, amomo, garyophyllis, myrrha, aloe, sale modicissimo, omnia possunt quidem coniuncta in turunda effingi, sed vnum, aut alterum illorum, etiam seorsum possit sufficere. Fit quoque lemniscus marrubij succo inebriatus, cui inspergitur subtilissimus pulvis garyophillorum, cyperi, galliæ-moschatæ, ladani, æquis portionibus mixtorum. Siue ℞. myrthi, calami aromatici garyophyllorum ana ʒ. j. myrrhæ, gallarum ana ʒ. 5. moschi, camphuræ ana gr. iiij. chadmiæ, h. e. fœcis argenti, salis gemmei Kirat iiij. fiant turunda his inspersa pulueribus.

Inter errhina laudatur succus menthastri, aut prassij. Sed omnium præstantissimum est remedium Aselli vrina naribus attracta, quæ nunquam fallit. Præclarum etiam præsidium euadunt pastilli Andarachon vino dissoluti, & in errhinum concinnati. Præstat non minùs decoctio Aldarisahami, i. xylocarctæ, vel carabes cum vino odoro aliquot per dieculas adhibita.

Inter linimenta commendatur litus ex vitriolo citrino, item folia sampsuci, aut iasminorum contrita, & naribus indita. Huc facit & medicamen Alkaritæ Auctoris, quod conflatur ex myrrhæ ʒ. iiij. casiæ lignæ ʒ. j. & ℈. 5. amomi tantundẽ, cum melle componantur in illitum.

Inter pulueres, qui sufflatu indũtur, plurimùm laudatur puluis menthastri, albi hellebori, adustorum ostracotum, xylobalsami.

Inter errhina probatur syluestris granati succus cum aqua, aut vino naribus attractus aliquot diebus. Præterea vbi putrida fœroris materia in intimo cerebro, aut anteriore eius parte subsidet, nullum præsidium præsentius, aut præstantius, quàm duo cauteria ad latera syncipitis inusta propè aures, aut vnicum salem cauterium in vertice.

TRACTATVS Secundus.

De reliquis dispositionibus Nasi.

De fœtore Nasi.

CAPVT PRIMVM.

CAussa rancoris in naso aut sunt putidi vapores ex infernis partibus sublati, pectore, pulmone, stomacho, aut humor putrescens circa os cribrosum, qui si acris esset, vlcera excitaret, sed quia graueolens est, fœtum spirat ille Mephitim. Porrò humor iste aut in ventre, aut in cerebro toto, aut in parte anteriori, aut prope nares putrescit. Aut ossa nasi (quod in lue gallica sæpe visitur) corrumpuntur, quorum curatio difficilis est, aut denique accidit ob putrefactos in naribus polypos.

* *Odor est sicci sapidi in humido affectio quædam.*

De vlceribus Nasi, quæ ozænæ dicuntur.

CAPVT III.

INterdum in Naso vlcera aut à vaporum acrimonia, & nequitia, aut ab acutiori, mordaculaque coryza, aut à crustis, & tuberculis ruptis excitantur (Arabes bothor vocant) atque hæc vlcera aut foris patent, aut intus latent.

* *Affluario dicuntur vlcera, quæ à fatido odore nomẽ indipiscuntur, sinitq; cum putres corruptiq; humores, circa meatus colatorios exacerbantur, summq;*

vitium

vitium vicinis partibus impertiunt, & confidentes alios suo odore inficiunt.

* *Ozænæ, inquit Rondel. nihil aliud sunt, quàm polypus vlceratus.*

De curatione ozænarum.

CAPVT IIII.

VT oculis natura ficcior, ita auribus vuidior est nasus, quare nasi vlcerum curatio ad curationem vlcerum aurium, oculorumque proximè accedit, & vt topicæ minus afficcare debent, quàm quæ auribus debentur, ita luculentiùs, quã quæ oculis destinantur, siquidem aurium vlcera summè ficcantibus egent, oculorum vlcera parcè ficcantibus. Itaque si ozænarum causæ fuerint acrium humorum affluxus, aut acutuli halitus impetus, ab euacuatione curationem auspicari oportet materiæ, quam & retrahere, & deriuare in aliam partem, & caput afficcare, & roborare necesse est. Hoc peracto ad nares omne studium conuertendum. Scire autem in primis oportet, quod pharmaca, quæ polypis, & cancro destinantur, etiamnum ozenis conueniunt, dummodo acriora cum lenientibus componantur, vtpote cum mucilaginibus, & similibus. Arentia verò vlcuscula curantur linimento ex cetæ parte vna, medullæ cruris vituli dimidia concinnato, & dissoluto in oleo nenupharino, aut sesamino. Sed rosaceum omphacinum fortasse præstantius euaderet, aut violaceum cum tragacantho, aut mucilago spylij, & maluæ, aut lemniscus œsypo, aut adipe anatis, gallinæ, cerui, aut liquente cera citrina, aut melle imbutus, aut turunda ex oleo, & cera, & puluere myrobalanorum, & gallarum cõfecta. Interdum vsui est post cephalicam venã extrema nasi pertundere, & medicas cucurbitas scapulis affigere, & ventrem soluere.

Vlcera verò peruenni acutæ, acerrimæque materiæ affluxu excitata difficilè curantur, & omnino necessaria euacuatio est per pharmacum, & phlebotomum, quare aliquando deueniendum ad magnas Hieras; Interim continuè vlcera abstergere oportet, modò cum nitro, modò cum sapone maximè byzantino, à quibus valde ficcantia apponuntur. V. G. ℞. cort. æris, calcadis, arrhenici rubri, hellebori omnium partem vnicam, conterantur, & taurino felle excepta per aliquot dieculas seruentur in vsus, donec fermententur, queis subindè altera pars amomi, myrrhæ, mentha stri, prasij croci, aluminis adijci potest, postremò aptantur vsui. Huc attinet Rufi medicamen; quod ℞. Cyperi, aluminis, gallæ, myrrhæ, croci, arrhenici q. s. accommodetur in vsus.

Quæ verò magno dolore stipantur vlcera, adusto, & abluto plumbo curantur, cerussa, lythargiro simul amuixtis cum oleo, & cera in vnguenti formam. Vlcera verò cum bothor coniuncta curantur cum oleo rosaceo, myrthino, lythargiro, aqua rosacea, pauco aceto in emplastri normam redactis. Quæ vero extant vlcera, sic curato. ℞. Ceruss℈ ℔. j. lythargiri, scoriæ plumbi vsti ana ʒ. iii. misceãtur cum vino, & oleo myrthino in emplastrum. Inter vulgaria præsidia censetur & illud, quod ex granatis acidis consit, æneo vase coquuntur ad dimidias, hoc succo linamentum intinctum in nares inditur. Huc trochisci Andaron, qui theriacen ingrediuntur; quandoque in vino, quandoque in oxycrato infusi, prout vsus exigit, spectant. Non est illud emplastrum omittendum, quod ℞. scoriæ plumbi quantum sufficit, misce cum vino veteri, & oleo myrthino super ignem acapnum, & tandiu simul omnia plumbeo pilo ducantur, dum coeant & crassescant in emplastri formam, & æreo vase seruentur. Plumbum verò vstum pro scoria est. Nefas autem illud nescire sicla succum merum, aut cum alijs coniugatum mirandum in modum conferre.

De curatione vlcerum, quæ Paulus γλυκεῖα vocat.

CAPVT V.

IN principio solum rosaceum, aut cum cera, & gallinæ adipe mixtum sufficit, sed efficacius est emplastrum de ceruss a cum seminum cotonei mucilagine iunctum, quod si siccantius auxilium quæris, adde argenti scoriam, quæ mirthino dissoluta confert. Vbi verò malũ fuerit paulò contumacius, hoc vtere, quod ℞. Ceruss℈ ℔. j. lythargiri ʒ. ij. scoriæ plumbi vsti cum vino abluti ʒ. iij. m. & cum oleo myrtheo, & aceto fiat vnguentum. At vbi præter opinionem malum producitur, & valde ingraueſcit, tale conuenit vnguentum. ℞. lythargiri ʒ. 5. ruthæ virentis ʒ. iij. aluminis ʒ. ij. cum myrtheo, & aceto fiat vnguentum. Adhuc valentius præsidium hoc est. ℞. Tragacanthi, Chalcanthi, myrrhæ ana partes septem, calcadis .i. vitrioli sex, aluminis, gallarum, scoriæ æris ana quatuor partes, thuris partem vnam, & semis, aceti ℔. 1. & ʒ. viii. coquantur in vase æneo, donec mellis consillentiam comparent, & fiat linimentum, vt artis præcepta mandant.

De interna ossium Nasi obstructione.

CAPVT VI.

OBturamentum sanè in anteriore parte nasi intus inoritur ex materiæ alicuius, quę mutuum commeatum de gutture ad nares, & è naribus ad guttur inhibet, estque vel humor crassus, viscidus, tenax, aut crusta, aut hypersarcosis.

Morbus est in meatu.

De Signis.

CAPVT VII.

HÆc oppilatio quandam in naso adeò molestam affectionem parit, vt validum insufflatum ad interiora narium transitu prohibeat, hinc quidam inoritur sibilus.

De Curatione.

CAPVT VIII.

REcipe lentis amaræ ʒ. j. castorei ʒ. 5. opij, croci moschi ana kirat. j. gr. j. myrrhæ ʒ. 5. m. f.

trochisci, qui sampsuci aqua dissoluti aptentur in errhina. Nonnunquam chirurgia opus est, abrasioneque cum cudio in hanc rem accommodato, qua patitur particulatenus, neque tamen abrasioni parcendum, donec omne summotum sit impedimentum, hinc enim plurimum sordium aliquando egreditur, quæ libræ dimidium excedunt. Quòd si hinc curatio non sequitur, ea præsidia necessaria sunt, quæ capite de Polypo censebuntur.

De curatione morbi Chunan Arabibus dicti, quo & equi sæpè tentantur.

CAPVT IX.

INter præsidia est errhinum, & huiusmodi gargarismus. Decoquuntur gallæ contritæ in succo granatorum dulcium, donec totum succum absorbserint, siccantur dein, & cum thuris, aut sarcocollæ semilibra commiscentur, iterumque succo granatorum, in quo efferbuerint gallæ, dissoluuntur in herrinum, aut gargarismum aliquot diebus adhibendum. Borax quoque (tincar vocant Arabes) oleo, & ceræ componitur, & sine intermissione naribus immittitur, donec affectus sanescat.

* *Est autem symptoma in exeunte mutato, quando scilicet, magna quantitas mucidæ materiæ per nares egreditur.*

De contusione Nasi.

CAPVT X.

EXpedit, nares interiùs implere, & exteriùs nasum in priorem figuram accommodare, tum detrahendo linamenta imposita tanquam fulcra, & linimenta adhibenda, quæ componuntur ex modica aloe, croco, pisis, myrrha, Ramich (confectione ex gallis, & passulis) bolo armeno, luto romano, althæa, ladano, cum aqua Alatel, aut thamaricis: sed de hac ipsa re luculentiùs in tractatu de Fracturis.

Morbus est in figura.

De polypis, & cancere Nasi.

CAPVT XI.

POlypus est supercrescens caro, seu quidam carnis processus, qui aliquando mollis, albus, & indolentia stipatus est, hicque facilè curatur; Aliquando rubens est, & pullus, & valde dolens, & iste laboriosam curationem exigit, præsertim si virulenta manet sanies, fœtida. Interdum cancerosus est, & nasi vitiat figuram, & summos affert cruciatus, qui longè, latèque panduntur, hicque est fusci coloris ab atra bile procedens, profundæ radicis, cui blandiri decet, non mederi incisione, aut erosione. Cæterùm inter germanum cancer, & polypum interest, quoniam si eminens illud tuber capitis affectus, aut coryzam excipit, polypus est, sin minùs, cancer, præsertim si melancholica symptomata cerebrum prius exercuerint, quæ nulla ad nares excretione præcurrente euanuerint, si tuberculi ciceris specie, aut auellanæ primùm appareat, subinde augeri incipiat, & palatum quãdam contrahat duritiem. Ad hæc vt plurimum cãcer saniè haud manat, sed siccescit, durescitque. Polypus verò aliquando vsque adeò excrescit, vt extra nares propendeat. Vniuersim verò, quę inchoanti cancro medicamina conueniunt, eadem & polypo.

* *Gorræo polypus est tumor præter naturam in naribus genitus à sanguine crasso polypodis carni similis secundùm substantiæ proprietatem.*

De Curatione.

CAPVT XII.

BEnignus polypus tutò incidi potest, & cultro affabrefacto abradi, deterior, quique rusescit, & paulùm deuergit ad fuscedinem tutiùs, & citiùs causticis absumitur, aut igne, aut medicaminum genere, quæ subijcientur, aut etiam cultro resectus detrahitur, quo peracto oxycratum in nares immittitur. Posthac igitur si anhelitus integrè ducatur, vt est remotæ obstructionis indicium, ita nullam aliam curationem postulat, at si spiritus ægrè adhuc ducatur, tunc reliquias superesse argumentari licet, quare ferramento in hanc rem accommodato quidquid superstes est, resecandum; sunt, qui capillis, aut serico filo polypos ligant, vt acrocordona, vt hinc tabefacti postea marcescant. Sunt, qui plumbeæ acui incuruæ setas nodis asperas instar serræ innectunt, subinde curuam acum in nares intrudunt, donec egrediatur per palatum, demum extrema manibus contenta setarum vicissim adducuntur, abducunturque instar serræ, donec tota superstes caro resecta cadat, hoc peracto plumbeum tubulum, aut penneum lineo inuolutum, & aspersum accommodato ad polypos puluere, puta troch. de cartha combusta, aut Andaron in nares immittunt, & aptè disponunt, vt inspirando aeri aditus pateat. Ad detersionem verò intruditur siphunculus asperior, vt instar limæ tergeat, atterat. Verùm quando medicamina erodentia, aut incisoria machinamenta immittantur, post horum vsum sternutamentum apprimè vtile est, quo noxium, & superuacuum quodque excutiatur.

Leuissimi polypi etiam citra chirurgicam operationem medicamentis curantur, qualia sunt turunda ex trito cortice mali punici cum succo, & continuè in nares immissa, quæ vt certò iuuant, ita cunctanter agunt. Valent item turunda ex Vsnem viridi, (herba est, cuius cinis dicitur Alkali, quo Veneti ad vitrea vasa conflanda vtuntur.) Fiunt etiam ex polpa colocynthidos, aut succu expressi excepta ficus modica quantitate, Lemniscus succo, aut aqua ozymi inebriatur, tùm eiusdem puluere sicco respergitur, & immittitur. Succus etiam vtriusque punici mali cum polline corticum eiusdem æneo vase priùs diu ductu indocitur. Rosæ quoque cum melle subactæ in turundorum speciem sepiculè in nares intrusæ iuuant. Arrhemicum etiam, & calcanthum cum aceto trita, & reficcata tutò insufflantur.

Vetusti autem, & rebelliores polypi curantur turun-

turundis conflatis ex alumine, myrrha, ære vsto, cortice æris, radice lilij, calcantho, atramento, nitro, cum vino cõparantur, aut cũ ozymi succo, aut granatorum succo componuntur, aut fiunt pulueres sufflatu in nares trudendi. Hisce non iuuantibus linamentum accommodatur, & in præfatos immergitur succos, subinde respergitur puluere calcadis, citrini vitrioli, Alkali, floris æri, atramenti, nitri, partibus æquis, & immittitur. quod hercle post scarificatum solet præstare. Quod si ne his quidem concedant, vsurpetur Alchalidicon; (medicamen causticum descriptum à Mesue cap. de Polypo) Vulgare est *Serpentariæ semen* polypos sanare, etiamsi cancerosi fuerint. Vua, quæ extremo apici serpentariæ pendet, exprimitur, expresso succo lana imbuitur, subinde mãdatur naribus, polypum, cancerque vnà demolitur, quamquam hoc tutiùs manu curatur peracta corporis, capitisque purgatione.

Si mitior fuerit polypus, medicamina, quæ vlceribus destinantur paulò valentiora satis erunt, veluti est puluis ex aluminis, & myrrhæ parte vna, vitrioli citrini, gallarum dimidia. Galenus autem efformauit remedium ex vtriusque mali punici cum cortice, & pulpa contusi succo parumper cocto, qui plumbeo vase reponitur, dein crassamentum sumitur, & tandiu eodem in vase pilo plumbeo teritur, donec crassescat, hinc fiunt longa collyria, seu turunda, & in infirmum nasum induntur, è quo exactis aliquot horis detrahuntur, & nares granatorum succo abluuntur, itemq; palatum, diutius verò perseuerandum in hac medendi ratione, egregiè enim tùm vlcera, tùm polypos curat, & quod præcipuum est, nullum dolorem excitat. Interdum succus colligitur ex tribus granatorum generibus, acido, dulci, pontico, quare si polypus fuerit fortis, & durus, plus acidi additur, si mollior, & vuidior, plus pontici. Rhasius autem his addidit vitrioli citrini, salis ammoniaci, & floris æris momentum.

Inter ea, quæ eradicant est medicamen citrinum, & medicinæ corrodentes in nares immissæ, aut insufflatæ. Vbi verò inflammantur, actia omnia ableganda sunt, donec ardor rosaceo lenitus disparcat, tùm repetantur vicissim, donec cadant. Experientia probatum est, xylocarctas Nabatæas humidas, cum lana replentur, & in nares induntur, cancer perinde, ac verrucas corrodere. Nux cupressi non est neglectui habenda. Nos verò experti sumus, attramentum viride subtilissimè tritum in nares mane, & vesperi insufflatum, mirificam opem præstitisse. Vbi verò rescinditur polypus, ad sistendum hæmorrhagiam commendatur lutum infusum cum aqua frigida, vt coitu crassescat, valde enim egelidum naribus inductum compescit.

De Sternutatione.

CAPVT XIII.

STernutatio * est motus proprius cerebri ad expellendum noxium attracti confertim aeris auxilio per nares, & os, & sanè sternutatio perinde cerebro accidit, atque pulmonibus tussis. Quidam opinati sunt, cerebrum ad sternutamentum non moueri, nisi quando noxius humor in aerem conuertitur, qui aere extrario attracto foras extrahitur, sed reuera hoc non est necessarium, imò neque opus est aere, nisi ad replendos ventres, cuius attractio expellendo humori debet esse continua; Quum igitur laborioso motu musculorum pectoris, & diaphragmatis aer comprimitur, & foras ab interioribus protruditur, cæteræ etiamnum partes dissitæ ilicet auxiliatum veniunt ad expellendum, fit autem sonitus, quòd per angustum, & repentè aer, spiritusque erumpat, qui externi aeris dissultum occupans, & anteuertés strepitum edit, vnà verò cum aere etiam alia superuacua pelluntur excretricis robore.

In principijs distillationum crebra sternutatio damnatur, quòd vitiosus humor opus habeat quiete, vt coquatur. Interdum febricitantibus tam molesta, tam frequens, & morosa accidit, vt vires deijciat omnes, quin caput accersitis excrementis replet: interdum etiam vehementem excitat hæmorrhagiam, quare ad immodici sanguinis effusionem sistendam properandum; Hoc affert commodi, quòd singultum à repletione concutiendo resoluit. Quædam etiam est sternutatio, quæ accedentem febrem prænunciat. Quidam Indiæ inquilini existimarunt (neque præter veritatem) quod conuenientior sternutantibus situs capitis est, vt antrorsum ad pectus, non ad alias partes inclinet, ne quid inter sternuendum sinistri contingat, vide interim, ne nimis prono ad thoracem, aut ad dorsum retorto capite fiat. Sternutamentum quidem caput expiat, exsiccatque, vbi materia modica est, & morigera, vt expelli possit, quamuis nondum perfecta sit, aut materia quamuis plurima, vapida est, qua nihil est frequentius, aut paratius ad replendum caput, aut certè est crassa, sed concocta, & obsequiosa, quod si citrà has conditiones sternutatio interueniat, tunc cerebri expultricisque robur significatur, propterea, qui capulo proximus est, non sternuit, pariterque qui pharmacis ad sternutandum irritatur, neque tamen sternuit, deploratæ, conclamatæque salutis est. Et sanè sternutatio ad superuacua excludenda magni est momenti, morantemque fœtum facilitat, promouetque, deuterium foras exturbat, capitis grauitatem tollit. Tantundem tamen nocet eis, quibus caput humore crudo scatet, qui quiete indiget, vt coquatur, perficiaturque, ne incalescat, & nouus humorum confluxus fiat, item officit illis, quibus pectus multa crudorum humorum colluuie premitur.

* *Capiuacceo est motus prauus cum sono cerebri dependens ab eius expultrice stimulata à naso, & adiuta à motrice capitis, & thoracis.*

* *Rondel. est motus facultatis animalis à causa præter naturam commotæ, in quo flatuosæ substantiæ confertim per nares cum spiritu fit expulsio.*

* *Sternutatio*, inquit Alb. M. *est proprius motus cerebri ad expellendum noxium humorem cum adiutorio aeris, qui attractus est per nares, & expellitur illicò per nares, & os.*

* *Sternutamentum cur pro nomine habetur, non*

tussis, non grauedo? An quia de cap. membrorum, omnium diuinissimo, vnde cogitatio est, sunum ducit initium? An quia cæteri affectus ratione morbi eueniunt, hoc melioris gratia. Arist. in Probl.

De Medicinis sternutamenta vetantibus.

CAPVT XIV.

INter cætera, quæ sternutamenta coercent, est rosaceum, & salignum oleum, quòd mira virtute præstat: sorbitione etiam præcalida tollitur, & capitis ablutione ex calida, & calfacientium oleorum in ambas nares infusione, & resupino decubitu colli super calidum puluinar, & pomorum suaueolentium, rosarumque syluestrium, & marinæ spongiæ odoratu, & fixa cogitatione, quæ mentem occupet, vt amplius irritamentum non aduertat.

Infantes verò magno cumulantur beneficio assatorum rerum vsu, quorum substãtia, antequam perfectè coquatur, comeditur, sanieisque partim voratur, partim in errhinum vsurpatur. Tollit similiter hanc molestiam constans, & infracta tolerantia, quæ moderatæ sternutationi dirimendæ satis esse solet. Præterea oculorum, auium, palati, & extremorum frictu comprimitur, necnon vehementi oris hiatu, ructu, immoto ad superiora obtutu in vnum obiectum, attrectatione nasi, & musculorum illitu mandibulas mouentium ex ol. humectantibus, denique sopore supprimitur, à quo subitò excitari non debet, nec se fumo, aut pulueri credat patiens.

Sternutatio impeditur compresso fortiter angulo trianguli superioris nasi inter supercilia, quia materia expellenda redit ad interiora. Alber. M.

De Sternutatorijs.

CAPVT XV.

INter phtarmica primas tenet helleborus albus, castoreum, struthion, piper, synapi, aut simul mixta, aut seiuncta penna excipiuntur, & in nares inducunt, siue fiat suffitus ex pyrethro, gallia, aut ex aloe, & syluestri rutha fiat linimentum ex aceto. Leuia verò sternutamenta sunt opium naribus admotum, stipites ozymi, aristolochiæ, rosæ lanugo, quæ calfactis sternutamenta ciet. Vtilius autem, & tutius est illitu, quàm suffitu sternutamenta prouocare.

De molestia, quam res in nares immersæ pariunt.

CAPVT XVI.

SI quippiam molestum in nares incidat, pharmico sternutationi studendum in sanam narem immisso, nam sternutamenta excutiunt, quidquid temerè occupauit.

De Nasi ariditate.

CAPVT XVII.

HÆc affectio aliquando calorem, aliquando vehementem siccitatem, nonnunquam viscidum humorem sequitur, qui diuturnitate temporis inaruit, & arefacit, vt homo emunctissimæ nariis euadat. Cum autem curatio contrariorum admolitione perficiatur, planè constat. Olea verò, & frigidi, humidique succi alliti, & exemptus humor, qui intus inaruit, post humectationem, quæ renisum emolliat, & eneruet, abundè sunt.

De Nasi pruritu.

CAPVT XVIII.

SYmptoma hoc aut calidi, exustique vaporis appulsu accidit, aut acriore, frigidioreve coryza, dummodo pernici motu feratur, aut infestantes excipit pustulas, interdum accidit affluente sanguine, & tunc affuturam portendit crisim per hæmorrhagiam, aut certè variolas, aut morbillos. Curatio itaque ineunda remediis è diametro repugnantibus.

Symptoma est ad depranatam actionem tactricis facultatis attinens.

Si quis idem, ait Auic. sine causa in nares digitum immittat, lethale signum est, cuius rei causa alibi declaratur.

FENESEXTA.

De affectibus linguæ, & oris.

De Anatome vtriusque partis.

CAPVT PRIMVM.

PRoximum est, vt de ore verba faciamus, quod sanè est particula, seu potiùs ostium necessarium, per quod alimenta in aluinam œconomiam subeunt, per quod inspiratus aer in thoracem inducitur, & excrementa, quæ subter exigi foras nequeunt expuitione, excreatu, aut vomitione redduntur, adhæc dialecti hominibus, cæteris verò brutis vociferationis, & vocalis sonitus organum est.

Lingua verò est pars, quæ præmansum cibum emollit, euoluitque, coctionique præparat, quæ vocem, & litteras articulat, saporesque gustu distinguit, cuius tunica œsophago, ventriculoque communis est, quæ extrema subter lingua proximè dentes bifida visitur iuxta commissuras frontem, & ora secantes geminis contenta ligaculis. Nec hîc est, quòd musculos recenseam, quorum alter motui, alter gustui destinatur. Illud certè non reticendum, eam scilicet linguam accommodatiorem, aptioremque censeri, quæ molis mediocritate constat, & summa paullum tenuata gracilescit, quæ grandior, quæ immanior, aut iusto etiam minutior, & gracilentior est, promptissimæ locutioni minimè obtemperat carnea substantia mollis est, alba, spongiodes, quam venæ paruæ, plurimæque perreptant, quò fit, vt lingua rufescat, præterea etiam arterig, & neruí ex quarta

coniu-

coniugatione huc deriuantur, omnino nerui, venæ, arteriæ plures sunt, quàm vt credatur. Sub lingua verò bini panduntur hiatus, è quibus tanquã è fonte saliuum emanat, qui ad glanduloſam carnem linguæ substratam terminantur, in quæ saliua stagnat, & commodos seruatur in vsus, vnde roscida lingua madet.

Tunica verò glandulas inuestiens est toti ori, œsophagoque, & ventriculo communis. Sub lingua binæ maiusculæ venæ repullulant, quæ ranulæ appellantur, ex quibus plures aliæ exiles procedunt.

* *Lingua cur amara, salsa, acida fieri potest, dulcis non potest? Quia isthæc sunt naturæ corruptiones, constantiam verò, ipsamque naturam sentire nequaquam possibile est. Arist. probl. 34.*

De ægritudinibus linguæ.

CAPVT II.

QVandoque accidunt linguæ affectus, qui motui triplicem noxam afferunt, quâ vel delibatur tenus, vel peruertitur, vel denique obliteratur, interdum & sensus quibusdam laceſſuntur, quare vt motus sine sensu, ita sensus sine motu pro patiendi, resistendive habitudine varia inceſſitur. Ægritudines verò aut similarem partem violant, ceu intemperies; Aut organicam vitiant, ceu morbi in compositione, magnitudine, paruitate, situ, figura; Aut denique sunt communes, pertinentque ad solutam vnitatem.

Interdum commiscentur, vt in apostemate visitur. Noxa dein aut peculiaris est, aut à cerebro per sympathęam prouenit, hincque dignoscitur, quòd genæ, maxillæ, labia, & reliqui sensus laborante principio in perniciei consortium trahuntur. Interdum infirmo stomacho, pulmoni, & pectori compatitur.

Quali autem temperamento sit prædita, colore albo, roseo, luteo, nigrante, nec minùs tactu, aut sapore præpollente, siue sit acidus, siue dulcis, siue insipidus, siue amarus, siue abominabilis, (putredinis soboles,) siue ponticus, siue styptricus, proditur. Quamquam ex colore, & sapore aliorũ quoque membrorum ægritudines coniiciuntur, namque vti rubedo, & asperitas phlegmonen aliquam, aut in cerebro, aut in stomacho, aut in iecore latentem significant, ita albedo tonum stomachi, hepatisque frigescentem, & exuberantis in ventriculo phlegmatis prouentum arguit, quandoque regius morbus, tametsi diuersus sit in toto corpore color, planè panditur.

Sapor autem humorem in toto corpore, aut in stomacho, aut in capite dominantem renunciat; siccitas quoque, & vuiditas suas præbent significationes; atque siccitas bipartitò deprehenditur, quia enim linguæ superficies læuis, planaque est, hæcque vera, meraq; siccitas est, aut est cum glutinosi, viscidique humoris affluxu, qui calore iam inaruit, hincque non tam siccitas arguitur, quàm viscida, ascitaque humiditas, aut congesta, aut per catarrhum, & crassos vapores impartita, quare non est mirum, si per similitudinem Medici falluntur, qui cùm linguæ siccitatem obseruant, non distinguunt, sitne ex euentu, an per se. Asperitas quidem siccitatem sequitur, lenitas, planaque lęuitas humiditatem. Interdum linguæ dispositio ex motu, & loquendi modulo dignoscitur; Item quę ex diminutione, leuitate, crassitie deprehenditur, quò fit, vt inter loquendum offendat, & molestè, debiliterque moueatur, & repletionem à sanguine, aut ab alia quapiam humiditate renunciat. Interdum ex pustulis, & tuberculis, papulisque; quæ innascuntur, qui habeat, facilè intelligas. Hincque omnes significationes haurire licet, postquam vniuersalium principia, & singularia, quæ alibi satis, superque enarrata sunt, mente conceperis.

Præter ægritudines, quæ fiunt in lingua, ipsa nobis sæpè indicio est alicuius futuræ, quod indicium sumitur à colore, à motione ipsius, ab asperitudine, à tumoribus, ab impotentia, teneritudine, obscuritate, ab vlcere, tremore ab ariditate, à saliua, à calore. *Hippocr. in lib. de coac. Prænotionibus.*

* *Lingua homini non solùm ad percipiendos sapores data est, sed etiam ad formandum sermonem. Arist. 2. de part. anim.*

De curationibus linguæ.

CAPVT III.

QVandoque linguæ affectus tolluntur ijs præsidijs, quæ capitis, aut stomachi passiones, quibuscum consentit lingua, submouent, aliquando propriam desiderant therapiam, quæ potiùs deiectorijs potionibus, quàm vomitorijs, quæque temperiem permutant, perficitur, dein austeriusculis, aut resoluentibus, incidentibus, aut attenuantibus, quorum vires, cum hauriuntur, linguam permadunt, hæcque à cibatu opportuniùs adhibentur. Quandoque meris collutionibus oris, fricţu, gargarismis, oleis, & hypoglottiis conflatis ex speciebus, quæ possident præfatas vires, prout exigit vsus, curatio persoluitur. Sed satius est tabulatas accipere. Interim in pharmacorum administratione, quæ oris, & linguæ vitia tollunt, ea cautio adhibenda est, vt deorsum aditu prohibeantur, tantùm abest, vt attrahi debeant, si gutturi, pulmoni, aut cæteris uisceribus noxia fuerint.

De vitiato gustu.

CAPVT IIII.

TRifariam læditur gustus, quemadmodum & cæteræ actiones, hocque aut per primogeneam affectionem, (siue sit intemperies, siue morbus officialis, siue soluta unitas) aut per (sympathęam accidit. Dignotioque habetur per ea signa, quæ toties protulimus.

Gustus est, inquit Themistius, quasi quiddã tactus, quia gustus est alimenti sensus, cuius officium est internoscere dulcia ab acerbis.

Gustum acutiorem habet homo, quia est quidam tactus, & hunc sensum certissimum habet homo. Aristot.

De Curatione.

CAPVT V.

SI lingua per consensum laboret, recognoscenda primario affectu laborans particula, eique destinanda curatio, & si fuerit cerebrum, ijs præsidijs eius vitiosa constitutio erit expugnanda, quæ tota diametro sint contraria. Si verò fuerit stomachus, & quidem prauis humoribus scatens, necessaria erit inanitio, proin acutulus succus hierapicrâ, pill. cochijs, aut pill. concinnatis ex scammonea, & pulpa colocynthidos, sale naphtico foras exigitur, paulò crassior magnis Hieris exturbetur, præterea ij gargarizatus erunt adhibendi, qui paulò post recensebuntur. Interim æger acribus vescatur alimonijs, synapi, cæpis, allijs, aceto.

De linguæ resolutione, grauitate, locutionis impedimento.

CAPVT VI.

MOllescit, resoluiturque lingua perinde, ac cætera membra, cuius quidem causa nonnunquam est humor aquosus cum sanguine mixtus, laborat autem vel per se, vel per sympathiam à cerebro, aut propter nerui mouentis vitium. Sit verò per consensum affectio, an primario laboret vitio, facilè discernitur, vix enim laborante cerebro reliqua membra integra manent, cum sit motus, & sensus commune principium.

Quod autem materia sit sanguinea, abundè linguæ rubedo, & caliditas testantur, si tenuis, aqueaque sit, saliuę copia affluentior, nullum à resoluentibus pharmacis, sed potiùs à hypticis proueniens commodum.

Ea verò est aliquando resolutio, vt ægrum locutione priuet, aut saltem loquelæ modulum difficilem reddat, interdum deprauatur, vt mugilalis, traulis, omnino blæsis accidit.

Inter pueros quidam sunt, qui antequam sermonem edant, longum temporis spatium intercedit. Quidam balbutiendo pappant, lallant: Sunt etiam, quibus si torridus affectus superueniat, puta febris, resoluta humiditate, quæ neruo insidebat, balbutiemque committebat, lingua soluitur repentè, aptaque sequitur locutio: succedente adolescentia, quum caloris incremento immodicus mador exuditur, excluditurque, discretè, expeditèque editur sermo;

Linguæ paresis est symptoma in actione abolita motricis linguæ, &c.

De Curatione.

CAPVT VII.

CVrationem orditi oportet ab euacuatione, cum Hiera picra, deinde pergendum ad magnas Hieras, quæ colocynthida, & helleborum admittunt, postremò ad caput studium conuertendum, vt omne vitium corrigatur, quod si vnà cum superuacua humiditate sanguis affluere videatur, vt cuspide venæ sub lingua incidendæ sunt (facta priùs generali euacuatione) sic medica cucurbita sub mento affigenda. Quo absoluto topica vsurpanda sunt, nempè gargarizonta, fictus, lotus, agitatio perpetua linguæ, vt calor excitetur, vt vuiditas resoluatur.

Propria verò remedia linguæ, quæ etiam pluribus alijs affectibus accommodantur, sunt affrictus cum incidentibus, detergentibus, attenuantibus, & gargarizatus eiusdem facultatis, & oris collutiones ex decoctione origani, thymi, synapi, pyrethri, cort. rad. capparum, sed nil præstantius synapi, aut synapismo (egregia nimirum illa synthesi, qua pro condimento vtimur hyemali tempore) Struthio: Decoctis salsamenti aliquid, aut aceti scyllini adiicitur. Interdum sal ammoniacũ allitum, affrictumque profuit, interdum zinziber, & cæpe vtiliter manduntur, & ore reuoluuntur, hinc enim magna saliuæ copia excitatur, & expuitur, Oxymel scyllinum & gargarizatu, & collutione mirè confert, quod acorus præmansus viribus æquat.

Quando verò paulò grauior est linguæ resolutio, & locutio perplexior, perpetuò lingua affricanda euphorbio, & struthio. Nec minùs cerussici illitu, & fotu prospiciendum. Ex præfatis autem simplicibus & hypoglottia conflantur, quibus, vt diutiùs contlent, aut ladanum, aut ambarum, aut aliquod gummi genus additur. Paradygma hypoglottidum, quæ paralysi, & exertæ linguæ conferunt. ℞. Terebinthinæ ʒ. ii. assæ fœtidæ ʒ. i. misce, fiãt pilulæ magnitudine ciceris sub lingua tenendæ, siue melle cocto addito fiat melizomon.

Inter vsu probata est gargarismus ex sale ammoniaco, pyrethro, synapi, pipere, nitro, zinzibere, sale gemmeo, staphis-agria, sampsuco, nigella; teruntur, cribro mandantur, & ex aqua tepente concinnatur gargarismus. Inter electaria Indi Medici extollunt hoc præcipuum. ℞. Cymini nigri, cymini Karmeni, cinnamomi crassioris, salis indi ana ℈.ii. piperis longi gr. c. piperis gr. cc. sacchari sextarios viii. h.e. i. ℔. vii. (*sextarius enim ℥. v. 5. redditur*) (*apud Fernelium continet heminas duas quartarios quatuor, cyathos xij. seu ℔. xv. apud Sennertum pendet semunciolam, apud Gal. tres vncias 4. de comp. med. per Gen. 14.*) Huius electarii aliquid semper mandendum, pro hoc erit & Anacardina confectio. At si sola non profuerint resoluentia, quod humiditas sit nimis tenuis, & fluida, digerentibus adstringentia styptica adiice, vt schæ. anthum cum spodio, aut dictamnum cum rosis, quin etiam acida vsurpare licèt, namq; hæc constringunt, & saliuam, affluxumque humiditatum intercipiunt, vt lac acidum, vt acerbi, immitesque fructus.

Vbi uerò pueri sermonem seriùs edunt, continenter eorum linguam affricare necesse est, atque exagitare, vt saliuæ, & humiditatum affluentia extundatur, excludaturque. Cum ergo fictus adhibentur, confert mel, gemmeumque sal, cæteraque retrò præscripta usurpare. Inter cætera uerò, quæ locutioni momentum dant, est uiolenta ex imperio locutio.

Sic Athis obstrictum cum Cræsi cerneret ensem
Instantem iugulo Patris, exclamauit, & alta
Voce fremens dixit, Genitorem cædere fasa
Parce manu, strictamque alio cõuerte macheram.
Hæc eluguis Athis studio pietatis obtinit.

De

De linguæ conuulsione.

CAPVT VIII.

CONuulsio linguæ aliquando excessum viscidę cuiusdam humiditatis, quæ musculos linguam mouentes tendit, contrahitque in latitudinem, nonnunquam melancholicum succum, perstringentemque agnoscit. Quando verò acutis febribus accidit, vt summam siccitatem indicat, ita à feb. ardore humidum absumente committitur, tuncque elocutio læditur, blæsaque lingua fit.

Symptoma in actione depranata motricis linguæ facultatis.

De Curatione.

CAPVT IX.

LInguæ, atque corporis totius conuulsio perinde curatur, hoc peculiare habet, vt remedia topica circa ceruicis ima requirat. Fotus, & suffitus ex chamæmello, corona-regia, trifolio vulgari, sampsuco, anetho, siue iunctim, siue seiunctim componuntur: Similiter ex eorundem D. gargarismi, & ex tepentibus aquis formantur oris colluliones, quæ morosè, & curiosè exercendæ sunt. Ex amylo, amygdalino, & saccharo fit edulium satis accommodatum vsui, aliaque suffici possunt olea dulcia, calastica, & modicè digerentia, sicuti etiam semina fœnogræci, & similia. Vbi verò febribus succedit, necessaria sunt olea humectantia, & refrigerantia, qualia sunt violaceum cucurbitinum, saliguum tepidiusculum. Necessum autem est prædictis locis ex calente aqua, embrochas admouere.

De magnitudine linguæ.

CAPVT X.

MAgna linguæ moles interdum sanguinis vbertatem, interdum remollientis, & tumefacientis phlegmatis excessum sequitur, est enim spongiodes linguæ caro, facilèque imbuitur. Vsque adeò aliquando grandescit, vt ore contineri nequeat, huius eximiæ magnitudinis mentionem facimus cap. de Apostemate, & differentiis eius.

Morbus est in aucta magnitudine ex supernacuæ substantiæ affluxu ortus.

De Curatione.

CAPVT XI.

MAgnitudo quidem linguæ à sanguinis affluxu dependens iugi oris collutione ex aquis acidis, & styptcos participibus, vt succo Rhibis, & citri aciditate curatur. Quæ verò immodicæ humiditatis tumefacientis propago est, affrictu cum sale ammoniaco, collutione ex ferro, & acri aceto (peracta priùs generali euacuatione) tollitur, nec minùs ex contritis zinzibere, pipere, sale gemmeo lingua continenter attrectanda, donec ad naturalem mediocritatem redierit.

Quando autem pueris hic affectus inoritur, solo studio, quo noxia præcauentur, & alimoniæ vsu decenti, auicularum dumeta colentium, turricolarum columbinorum expungitur. Cuidam homini cucurbitula cum scarificatu affixa fuit, & fortè nerui fibræ incisæ fuerunt in substantia panniculi coniuncti cum lingua, quare lingua resoluta remansit.

De linguæ breuitate.

CAPVT XII.

INterdum ligamentum, quod linguæ subsilat, corripitur, hinc lingua exeri aptè nequit, aliquando hoc idem accidit ex spasmodea affectu.

* *Manardus vocat hunc affectum ancyloglosson.*

Morbus est in magnitudine minuta pendens à defectu virtutis, & necessariæ substantiæ.

De Curatione.

CAPVT XIII.

DE breuitate linguæ ex spasmo non est, cur pluribus agam, siquidem abundè superiori capite, quæ verò ex ligamenti contractione fit, incisio circa eius extremitatem ligamento curatur, cui ad cohibendam sanguinis effusionem adusti tragacanthi puluere succurrendum est. Vt verò tutò hæc operatio obeatur, lingua ad palatum innixa, inuersaque exeri debet, vt ligamentum magis se se in conspectum det, & citra circunstatium partium iniuriam cædatur. Quod si præ hæmorrhagiæ metu incisio omittatur, subter ligamentum inducenda acus est cum filo, & utrinque comprehensum dextrè constringendo soluatur, & sub inde apponenda, quæ conglutinationem prohibent, qualia sunt acuta cauterizantia, quod si venis implexum sit, caue ne rumpendo uenas lædas, & plurima manifesto cum discrimine hæmorrhagia sequatur.

De apostemate linguæ.

CAPVT XIV.

NOnnunquam æstuosis interdum frigidis, aliquando etiam flatuosis lingua lacessitur apostematis, quæ scyrhi, aut canceris naturam æmulantur. Horum signa patent ex narratis alibi. Interdum ex epoto veneno, puta fungis, aut opio tumescit.

Morbus in aucta magnitudine.

De Curatione.

CAPVT XV.

VNiuersa apostemata calida sanguinis missione, & purgatione per aluum, quæ linguæ affectibus accommodatior est, quam vomitio, percurantur. Ranularum apertio est huius affectus peculiare præsidium. In principio ore contineantur refrigerantia apocrustica (si modò calidum sit apostema) puta lactucæ, endiuiæ, potissimùm solani succus, serum, aqua rosacea, pastoralis virgæ, & punicorum acidorum malorum succus, recentium persicorum bracteolæ ore contineantur lingua: Si hisce præsidiis nihil concedat affectio, pepasmus gargarismis factis ex lacte, & melle, aut ex liquiritiæ, ficuum, fœnugræci, passularum, fœniculi decoctione promoueri debet. Vt verò crassior materia, quæ malo fomentum præbet, ab ore stomachi detrahatur, hiera picra offerenda. Interim cibi parentur, qui pepasmum, & resolutionem adiuuent, quales sunt caules, atriplices oleo sesamino conditi. His si absessus recludatur, subinde

adhiberi

adhiberi debent adstringentia, sicut myrthi, sumach, & oliuæ folia, lentium decoctio, vinum austerum, & ponticum. Ad hoc etiam accommodatur cataplasma ex coctis, decorticatisque lentibus contusis, & oleo solani, & rosaceo compactum.

Quòd si apostema molle sit, & phlegmaticum, feniculi radix combusta, & in cinerem redacta, insperſaque linguæ confert, quæ & calido apostemati iam declinanti accommodari potest, quo tempore digerentia desiderantur. Interdum conueniunt & errhina non modò in frigido, sed & in calido abscessu, vbi crassiores affluunt humores, quale hoc est. ℞. Croci, hieræ picræ ana partem vnam, caphuræ, moschi vnius tertiæ partis subtriplum, sacchari candidi partem vnam, & dimidiam, omnia pondo scr. j. in lacte puellæ dissoluãtur, & fiat liquidum errhinum.

Quidam sexagenarius, inquit Galenus, passus est linguæ apostema, cui prius nunquam missus fuerat sanguis, quamobrem phlebotomiæ peperci, & pillulas cocchias propinaui, dein frigidis cataplasmatis vniuersum os imbutum volui, sed æger parum sibi mente constans, (inquit) dictis audiens non fuit. Ecce autem noctu inter dormiendum somnians visus est videre ægrotum succum lactucæ ore tenentem, & renalescere; proinde iussit, quam mox hoc ipsum fieri, & reuera conualuit, & sanè est mirabile præsidium. Quòd si tumor durus, & scyrrhosus fuerit, tunc cibi tenues, & attenuantes offerendi, humor Hiera Diacolocynthidos purgandus, attenuantia dein gargarizonta præscribenda, ore decoctionem fœnugræci, ficuum, baccarum lauri, passul. mundat. Contineat, item lac tepens muliebre asininum, caprillum, quò spectat & D. dactylorum, & ficuum ex vino dulci, & passo, item attramentum fistularis cassiæ. Interim aluus citanda lenibus pharmacis, vt hiera, pulpa thamarindorum, aut fistularis cassiæ.

De Balbutie, seu Traulis, Psellis, Alciloglossis, Mogilalis, Alebalet.

CAPVT XVI.

MVlta capite de paralysi linguæ fumus præfati, quæ huc iterum repeti, reuocarique haud debent. Illud non omittendum, hoc vitium ex cerebri intemperie, & ex noxa in origine nerui linguam mouentis pendere, & quandoque vitium in ipso nerno, quandoque in musculo latitat. Nam balbuties, (dictas causas) aut spasmum, aut duritiem, aut resolutionem, aut ligamenti contractionem, aut cicatricem, aut duriorem abscessum agnoscit. Huc spectant & nimia vuiditas, & nimia siccitas linguæ, interdum etiam vlcera linguæ hoc impedimentum pariunt, quin & phrenitidas, cum materiæ huc è cerebro amandantur & febres acutas impendiò linguam arefacientes excipit. Aliquando lingua detumefacta visitur, sed conuulsa, hocque perraro, neque ab origine pẽdet. Musculi nec minùs epiglottidis ad hãc sermonis imperfectionem concurrũt, quando nimia mollitie producuntur, & eneruantur.

Vociferatio verò aliquando difficile sequitur ob pectoris, & epiglottidis musculos renitentes, quando ergo laborans respirat, procedente tempore facilior, feliciorque sequitur locutio ob linguæ expeditiorem motum, quem calor induxit. Et sanè necessum est, vt qui hoc affectu laborat, se se cum magno pectoris conatu, & magna respiratione locutioni præmuniat, & festinanter, altèque profetur. Namque vbi hisce paraſceuis assueuerit, postea facilior succedet elocutio. Curationes autem reliquæ iam dictæ sunt, sed phrenitida præsertim excipienti conferre solet ranularum sectio.

Symptoma est in actione læsa dependens à morbis linguæ.

Balbutire est literam prætermittere, aut syllabam. Arist. sect. 11. Probl.

De Ranula, sive Batrachio.

CAPVT XVII.

RAnula similis est glandulæ duræ sub lingua latenti, cuius color variegatus est, constans scilicet colore linguæ, & venarum, quibus intertexitur, & quia specie ranam refert, hinc ranula appellitatur, cuius causa est plurima viscida humiditas.

Manardo dicitur tumor sub lingua cum inflammatione, puer is præcipuè accidens.

De Curatione.

CAPVT XVIII.

INter medendum exedentia, incidentia, & resoluentia, validèque siccantia, vt sal ammoniacum, aut commune, vt acetum, vt florem æris vnà cum tragacantho affrictu expetiri necessum est, quæ si non profuerint, ad acuta medicamenta accedendum, vt ad Andaro (pastilli causticí, & Ascarion. i. pastilli de arrhenico Mes. 8. Antidotarij) quæ in Antidotario rescripta fuerunt. Huc faciunt & venæ sectio sub lingua, & acria medicamina, quæ aphtis præscribuntur. Quibus nihil conferentibus ad chirurgiam properandum.

Inter pharmaca illud est laudatissimum, quod conflatur ex Persico, origano, cortice granati, sale, quibus infantium lingua ranulam patientium perfricanda, hinc enim persanatur. Inter vsu probata est tragacanthum vstum cum hermedactylis mixtum cum oui albumine & sub lingua contentum.

De ariditate linguæ.

CAPVT XIX.

ADuritur, arescitq; lingua aliquando per sympathiã ab ore stomachi, aut cerebri æstuantis, ita tamen, vt febris non sequatur, idem patitur incommodum ob rerum acutarum, salsarum, amararum, prædulcium; & omnino rerum summam sitim parientium vsum. Interdum ob grauiores causas, nempe febres, internasque phlegmonas accidit.

Summa curationis est, vt obnoxio interdicatur, ne hiante ore in dorsum dormiat, ne obloquatur, ne calidum inspiret, mandandum verò, vt hypoglottia ex sem. portulacæ, cucumeris cucurbitæ manna, & amylo conflata, & similibus ore conti-

çontineat, aut nucleos prunorum, aut saccharum violaceum, aut notas mucilagines, succisque refrigerantibus acidis os colluat identidem. Quòd si visciditas adsit, abstergatur, dein os oleo, aut mucilaginibus, aut succis cum adipe volatilium immectandum. Sunt, qui curationem perficiant mentha affricta lingua.

Morbus est in sicca, calidave intemperie linguæ modò cum materia, modò citra.

De linguæ scissurarum curatione.

CAPVT XX.

MVcilago psyllij, ore contineatur, & succus degluttiatur, confert etiam ex vitulinis pedibus gelatina concinnata, & oua mollia cocta ex aqua. Inter experta est recens butyrum, seu spuma procedens ex mutuo bracteolarum cucumeris, & sebesten fricatu.

Morbus est in soluta vnitate.

De linguæ emissione.

CAPVT XXI.

ITa aliquando ob apostemata grandescit lingua, vt ore contineri nequeat, idem accidit in præfocationibus, vt in angina, natura enim linguã exerit, vt facilius spiritus trahatur.

De oris pustulis.

CAPVT XXII.

SAnè pustulis plurimum obnoxium est os, & ob stomachi, & capitis æstum, & ob halitus, à quibus scitur ipsum. Interdum febres sequuntur, iam edictum est, quod vbi nigra pustula sub lingua apparet in feb. acutis, secunda die diem obit æger suam.

In principio erumpentium pustularum mirum in modum iuuant (si modò refrigerandi, & siccandi vsus vrgeat) myrobalani, gallæ, sem. rosarum, amylum, thamaricis fructus, sief memithe (*Gentilis negat sief: Memithe esse succum chelidoniæ, sed esse herbam corniculato papaueri similimam, malim ego glaucium cum Gordonio, cum maximè notet Bellunensis, esse herbam frigidam, siccam*) tragacanthum, balaustra, santalum tùm album, tùm rubeum, rosæ, spodium, sumach, lentes, bolus Armenus, capita granatorum, cortices interiores glandium, auellana indica, terra Cimolia.

Inter succos frigidos, succi lactucæ, solani, virgæ-pastoriæ, portulacæ, pampinorum vitis primas tenent. Infantium quidem pustulæ vt plurimùm sanantur saccharo purissimo, & caphura. Calida verò, quæ sub finem adhibentur sunt succ. chelidonia, & cortices granati syluestris, & cortices nucis myristicæ, cyperus, crocus, cupressi nuces, buglossa, pyrethrum, garyophyllon, mentha, strum, gallia; Inter sordida medicamenta est Caniculæ stercus ossibus enutritæ triduum, quod non habet par, concinnatur cum amylo, nomineque Albi Græci tegitur. Canis vlceribus arrhenicum necessarium est. Crassis verò destinantur validiora præsidia, vt gr. mali punici agrestis ʒ. j. Radicum rubiæ maioris ʒ. ſ. rad. nodosæ herbæ Indis Memuran dictæ ʒ. ij. pro qua vti possis regia consolida, aloes ʒ. ij. croci ϑ. iiij. m.f. Decoctio, quò spectant & garyophyllorum, & nucis myristicæ decocta. Si verò pustulæ ad pepasmum tendant, fouendæ erunt mucilaginibus extractis ex sem. lini, althææ, fœnogræci, & hordeacea farina, sed asininum lac solum, aut commixtum instar omnium est. Conflatur & cataplasma ex farina tritici, puluere menthæ, & fœnogræci cum decoctione ficuum, sem. lini, & sesami. Princeps verò Medicus quidam, nempè Rhasis, deierauit, nil esse præsentius, aut præstantius in curandis oris pustulis oleo schœnanthino tepido ore detento, aut allito.

* *Darsesaban Gentilis interpretatur cort. syluestris granati.*

De Aphtis, & malignis oris vlceribus.

CAPVT XXIII.

ALcola est superficiale vlcus oris, & linguæ, quod latè pandítur, serpitque, hocque frequens infantibus ob lactis nequitiam, prauamque ventriculi digestionem, pariterque ob cuiusuis humoris affluxum accidit, qui colorum diuersitate distinguitur, albus enim color arguit phlegma salsum, flauus choleram, quæ vlcus parit vrentius, niger melancholiam, ruber sanguinem renunciat, sed omnibus perniciosius est melancholicum vlcus, quod rursus, aut cum phlegmone, aut citra molestat.

Porrò omne vlcus oris superficiem occupans ocyùs serpit, quòd nec caliditas deficiat emouẽs, & dilatans, nec carnis mollicies ad suscipiendum idonea. Galeno in more positam fuit. Alcola superficiaria vlcuscula appellare, quæ vbi caua fiũt, & exedentia, non ampliùs Alcola, imò cacoethica vocat, quæ caustica, & catheretica auxilia postulant, vt malignitatis radix exedatur. Prouentus autem horum vlcerum fit in pluuiarum multitudine, & in febribus pestilentibus.

Sunt vlcera puerorum summam oris partem occupantia ob mollitiem maximè facta organorum, quæ neque tactum, neque qualitatem lactis tolerant, quod non parum in se sero sam contineat partem ʒ. Aph. xxiij. ex quo habet aliquid igneæ caliditatis, vel quod infans lac non benè concoxerit.

De Aphtarum curatione.

CAPVT XXIIII.

EÒ in primis allaborandum est, vt exuberans in corpore humor, qui aphtas, & vlcuscula excitat, aphæreticis foras excludatur, tùm venæ sub mento (post incisam basylicam,) & quæ sunt in interiori labiorum parte secentur, namque earum sectio omnibus ægritudinibus oris ex calida materia confert, dein administranda ea præsidia, quæ retrò pustulis conuenire diximus, ita tamen sunt dispensanda, vt fortia, qualia sunt plurima humiditatæ scatentia, sanioſa, acria, fortibus, debilia debilibus remedijs curentur, vt par quodã. modo sit morbo auxilium. Quando vlcera vsque adeò caua sunt, & profunda, vt ad ossa vsque perueniant tunc valentissima necessaria sunt, sicut Alchalcadicum (nempè pastilli de Arrhenico) cũ plurima acacia mixtum. Hic olei genus omne ab-

legan-

legandum, quia hinc vlcera sordidiora redduntur. Huc verò repocantur, quæ ad pustulas tollendas commendauimus, rubeis quidem, & sanguineis conuenientiora sunt primo illa præsidia, quæ cum frigiditate substyptica sunt, dein resoluentia cum modicissimè refrigerantibus mixta. Reliquæ aphtæ ijs primùm, quæ resiccant, & modicè abstergent curantur, dein ijs, quæ validè idem præstant, habenda interim ætatis, & temperamenti ratio, quæ præsidia sibi congenea, & consentanea pro recessu à proprio statu reposcunt: Pueris enim præsidia debent esse debiliora, quæ potiùs ad lac temperandum dirigi debent, adultis verò siccantiora, & validiora debentur, pueris aliquando sola medicata alimenta sufficiunt, quòd si ob ætatis teneritudinem haud ingerant, haud edant, nutricibus medicari oportet.

Præsidia verò valentiora à pharmacia desumpta, quæ conueniunt aphtis, sunt, ceu rubi folia præmansa, lentes ex aceto, medullæ præsertim cerui, & vituli commixtæ cum pulpa cotoneorum, pyra, & poma styptica, mespila, sorba, iuiubæ, cydonia, pampini vitis, balaustia domestica resiccata, lentium, & oryzæ farina: Quibus adhuc fortior est puluis gallarum, spodij, rosarum, acaciæ, & similium. Chelidoniæ quidem cum stringentibus sociatæ præcipua vis inest ad tollendas aphtas.

In frigidis verò, maximè phlegmaticis abstergentia, siccantiaque & valde digerentia destinantur, in melancholicis farina orobi commendatur. Mel cum gallis, & testudineo felle, & aceto commixtum egregiè solet pueris prodesse. In malignis confert tragacanthum (*Gentilis interpretatur vitriolum*) cum aceto.

Quando verò vlcera serpentia, & corrodentia sunt, necessum est reliquis adijcere florem æris, vitriolum citrinum cum succo gallarũ. Vel ℞. Gallarum, aluminis, balaustiorum ana partes æquales, ex quibus formantur pastilli in usus seruandi. Fit similiter puluis ex alumine, & gallis contritis, & pulueriza tis, qui inspergitur aphtis. Gallæ quidem maximè ex aceto, & sale coctæ omnibus malignis vlceribus oris conferunt, si os inde colluatur. Intet admiranda præsidia censetur Almezerium .i. laureola, aut chamelæa, habet enim proprietatem in omni aphtarum specie, similiter alumen pulueriza tum, aqua ærea, & fæx vini præusta. Atqui magnis, melancholicisque aphtis mel cum pastillarum pulpa, & amylo cõiunctum, & allitum cõfert. Quod si phlegmone adfit, succurratur hoc vnguento. ℞. Aquæ ozymi ℥.j. ol. Ros. lentium farinæ ℥. 5. croci ʒ.ij. s. m. fiat unguentum ex Atte cum cera modica.

De Ptyelismo, & multitudine sputi.

CAPVT XXV.

HOc symptoma interdum accidit ex cibi nequitia, interdum ex nimia caliditate, sicut usu uenit ieiunis, qui continenter expuunt, donec cibis repleantur, interdum ex phlegmatis copia, & ex frigore cruditatis parente prouenit.

* *Symptoma est ad ametriam in excreto pertinẽs sequiturque aut capitis, aut vẽtriculi imbecillitatem, propter quam saliua succrescit.*

De Curatione.

CAPVT XXVI.

SI à calditate procedat, phlebotomia opus est, præterea condensatis succis acidis, & stypticis fructibus, & vino dilutissimo, refrigerantibus alimonijs, vt piscibus, boni succi, vt hædis, volucribus &c. Interim lentium, & sumach iusculo sibi perpetuò os colluat.

At si à frigore, & phlegmate proficiscatur, vomitio iniungenda, quæ semel, atque iterum singulis hebdomadis repeti debet, & hoc pharmacum singulis saltem septem diebus propinetur. ℞. Hieræ picræ ʒ. ij. salis Indi ℈. j. anysi, ammeos ana ℈. 5. Dentur cum oxymelite simplici, aut cõposito, à quo & theriaca, & cætera calfacientia electaria dari possunt. Alimenta verò sunt columbi ex embammate cocti cum aromatibus, vt pipere, cinnamomo, synapi; In cœna abligurienda sũt scitamenta, & garum, à quibus tepidius iusculum sorbendum; & quando cubitum itur, necessum est gingiuas digitis affricare.

Inter præsidia laudatur, vt quotidie ʒ. j. salis haud curiosè triti cum succo endiuiæ, & triphera adhibeatur, vt continuè affricta gingiuæ exerceãtur. Experimento autem constat, cineres assati muris, præsertim in puetis, proprietate quadam pollere.

De remouendo abominabili odore à pastu.

CAPVT XXVII.

COnfert rutham præmandere, & rubi folia, itemque scyllino aceto os colluere, oreque aut cyperi, aut zedoariæ, aut chamæleontis radicem continere.

De sanguinis screatu ex ore.

CAPVT XXVIII.

SAnguis si ab ore promanat, stypticorum vsu cohibendus, quæ alibi præscripsimus, maximo esse solet vsui collutio oris ex iure pampinorum vitis, si aliunde profluat, non est, quod actum agam, nam abundè tractatum est.

De oris fœtore.

CAPVT XXIX.

ORis fœtor, symptoma in qualitate mutata, aut ex putrescente inoritur gingiua, aut vuida quadam, & mucida mollitie, aut putri dentium marcore, aut ex oris membrana producitur, quæ ob intemperiem appellentem succum perfectè non concoquit, hæcque intemperies, vt plurimum calida humida est.

Ab ore stomachi non rarò trahit originem, cui putrescentis humoris pernicies innexa cohæret, siue bilis sit, siue pituita. Interdum pulmones flaccidi sæuam hanc mephitim exhalant, præsertim si phthysis adurgeat.

Per ieiunium hominum ora, ait Arist. 13. sect. Probl. grauiùs olent, quàm pastorum, quia ventre inani minùs agitatus aer calidior intus fit, sicque pituitosa excrementa immobilitate putrefacit, quod autem calidior fiat, hoc sit argumento, quod ieiunium etiam sitim excitat, at vbi ediderint: odor ciborum grauem

illam

illam olentium offuscat, vt maior minorē, calor enim ciborum præcedentem calorem exuperat.

De Curatione.

CAPVT XXX.

Fœtor soboles semiputrium gingiuarum, & caruncularum dentibus interceptarum ea cura tractari debet, vt os semper posca colluatur, cui si nihil concedat affectio ob insertam putredinem, pergendum ad fructus thamaricis, ad pyrethrum, ad rutham, ad folium, ad xyloaloen, ad Mastichē, ad cortices citri, ad garyophylla, quæ præmandi debent; Aut ponenda super gingiuam aloe, & myrrha, & os scyllino aceto colluendum, imò gingiuæ, & dentes perfricandi vino decoctionis anysorum. His si nullum sequatur emolumentum, præmandatur staphis agria, & saliua expuatur. Quod si ne his quidem proficiatur, & palam fit putrefactio. ℞. adusti tragacanthi ℥i. vitrioli partem vnam, rad. lilij, siue ireos, croci dimidiam melle excipiantur, & formentur pastilli, qui adhiberi debent, & subinde os puro aceto, aut rosatū aqua temperato colluendum.

His si promoueatur nihil, validiore vtere. ℞. Iuncorum præustorum ʒ. iij. arrhenici ʒ. ij. ʒ. gallię fumach, zinziberis, piperis adusti, trochiscorum Chalcadicon ℥i. de arrhenico ana ʒ. ij. Ex his fiat dentifricium, seu odontotrimma, siue linimentum, & superponatur lineus pannus. Alkali, ideſt, nitrum, seu alumen profectò solum, vbi putribus superponitur gingiuis, omne corrigit vitium, omnem putrilaginem abercet, & bonam carnem reponit.

Inter vsu probata est acacia, citrinum arrhenicum, aut rubeum, calx, alumen, ex quibus cum aceto pastilli formantur, qui subinde vsus tempore mellcrato, aut iuniperina aqua dissoluuntur. Quod si dentis substantia fuerit corrupta, & putris præsertim circa apicis extremam partem, tunc cultro, aut lima abradi potest, at si malum in radice lateat, dens funditus euellendus est: si gingiua fuerit mollicula, flaccidaque, vnde sepsis origo est, tunc adstringentibus, & siccantibus moliri oportet curationem.

Cæterùm si putidissima cholerę conditio in stomacho fluctuantis huic symptomati causſam præbuerit, quid opus erit facto? Tunc nil præstantius chrysomelis ieiuno ventre voratis, aut melone, aut perſico, aut citrullo. Quod si huiusmodi fructus præ intempestiuitate desiderentur, tunc saltem conditi sufficiantur, aut eorum infusiones. Inter cætera commendatur hordeaceum ptisanarium cum saccharo, & egelida aqua. Pillulæ aloeticæ crebrò adhibitæ summè valēt. Cibus porrò sit refrigerans, & abstergens, quique non facilè in bilem facessat.

Si vitio huic crudus, phlegmaticusque humor initium, momentumque dederit, primùm vomitio proritanda, tùm hierę picrę vsu os stomachi tergendum, & minor triphera offerenda, & zinziber conditum, & præcipuè aloe, assaſq; carnes comedere opus est, interim.

Absit ab humano corpore potus aquæ.

Fructus, oleraque declinari debent, & interea os, & dentes continenter perfricandi. Porrò inter medicamenta, quæ valde prosunt, sunt myrthi quotidie mane cum passulis enucleatis æquis portionibus ad nucis iuglandis magnitudinem sumpti, & iuniperi baccæ, & nux cupressi pariter cum passulis, item pini grana; & pillulæ de garyophyllis iuxta hanc præscriptionem conferunt. ℞. Garyophyllorum, galangæ ana ʒ. ʒ. moschi, caphurę ana ʒ. ʒ. pyretri ʒ. i. aloes ʒ. iij. synapi ʒ. j. m. f. pill. cum vino.

Inter experimento probata laudantur thus, xyloaloe, crassius cinnamomum, cortices citri, rosa, caphura, santala, garyophylla, cubebæ, mastiche, macis, nux myristica, radix ℥i. pollij Adadkar, & Alarmes, & Crassius cinnamomum, Alcisnem, Alneremisek (sacra Arabum nomina) blattæ byzantiæ, cardamomum, agnus castus folia citri, spica, zinziber, & cætera alibi exarata, ea verò, in quibus hæc simplicia infunduntur, aut dissoluuntur, sunt miua, serum, succus citri.

De oris hiatu.

CAPVT XXXI.

VItium hoc in positu, seu figura pendet ex magna anhelitus necessitate, quam interni parit incendium, aut certè sequitur insignem angustiam, & præfocationem, aut agnoscit musculos ora, buccasque tenentes, qui haud ritè officio suo funguntur inter dormiendum, & hoc malum in acutis morbis sæpè visitur, & in malis habetur. Non est autem, vt hoc loco ex linguæ coloribus coniecturam capiamus, commodius enim hoc negotium tractabitur, vbi acutarum ægritudinum historiam percurremus.

FEN SEPTIMA.

De affectibus dentium.

TRACTATVS VNICVS.

De dentibus.

CAPVT PRIMVM.

IN libro quinto dictione quinta abundè actum est de dentibus, quare huc eadem repetenda sunt, interim sciendum, dentes esse de genere ossium, ob insertum nerulum sensus mest, qui proin dolore afficiuntur tùm ex obiecto continuum soluente, tùm ex impensa discrasia, hinc non minùs ictu, & iectigatione, quàm pruritu, & titillatione inceſſuntur. Nonnunquam morbo emolleſcunt, commouentur, eradicantur, & sine modo grandeſcunt. Nec minùs decolorantur, & foris limosa quadam crusta obducuntur, insuper corroduntur, putreſcunt, franguntur. In primis dolor vehemens, stupor, pruritus laceſſunt; Sunt, quibus, inter mandendum dulcia, aut acida moleſtia interueniat, sunt, qui calore, aut frigore afficiātur, quin alterutrius, aut vtriusque vel minimæ iniuriæ opportuni sunt. Interdum magnitudinis vitio obnoxij sunt, quare aut impendiò grandeſcunt,

scunt, aut conteruntur, aut extenuantur. Quandoq; apostemate laborant. Nec mirari subit, nam quidquid nutrimento alitur, & incremento augescit, vtique ab excremento extendi potest, nam nisi ita fieret, haud quaquam tota substantia vitescerent, aut nigtescerent, id enim accidit, quòd humores eiusdem farinæ eos peruadunt. Præterea continua creatione reficiuntur dentes, ne perenni attritu deficiant, hinc fit, vt qua parte desiderantur, oppositi in longum producantur, quom nil adsit, quod atterat. Porrò dentium temperies ex eorundem, & gingiuæ colore deprehenditur, nam si flaueſcat, biliosa est, si albescat, phlegmatica, si rufescat, sanguinea, si nigrescat, melancholica est.

* *Dentes alia habent ad cibum, alia ad vocis orationem. Arist. Cur cum carne densiores sint, frigus tamen magis percipiunt? Quoniam exiguus calor facilè à frigore vincitur, mouetque dolorem. Aristot. Problem. 34.*

De conseruatione dentium.

CAPVT II.

AD dentium incolumitatem seruandam octo desiderantur, primò ne cibus, & potus in stomacho frequens corruptelam contrahant, siue hoc propter cibi naturam, qua facilè hanc subit labem, vt lac, vt pisces saliti, reliquique minutuli, seu ob prauissimam victus normam contingat. Secundò ne crebro nisu vomitio prouocetur, præsertim si quippiam acidum in stomacho subsideat. Tertiò, vt sibi caueat, ne diutissimè viscida, glutinosa, præsertim si eadem sint dulcia, vt mel, vt ficus deuoret: Quartò caueat, nè prædura dentibus frangat. Quintò à congelantibus abhorreat: Sextò vitet impendiò frigida maximè post calidorum vsum, quæ etiamnum esse soleant à frigidis noxia: Septimò vt iugi purificatione dentes tergeat, ne sordes interijciantur dentibus, videat interim ne nimis curiosa detersione gingiuis, aut dentibus ipsis noceat: Octauò, vt declinet ea, quæ occulta quadam vi aduersantur, vt portum, hoc enim dentibus, & gingiuis apprimè infensum est, & reliqua, quæ alibi susiùs enarrata sunt.

Affricandi autem modestè sunt, ne curiosiore attritione afficiantur, & natiuus splendor, & limpitudo aboleatur, & interim ad alienos humores, aut vapores è stomacho sublatos disponantur, suscipiendos; atque dum poliendis dentibus studemus, eosdem noxijs obnoxios reddamus. Quando verò temperatur hoc studium, vt dentes tergentur, ita idem, & rubra caro interiecta roborantur, & impeditur, ne tartarum circa eos concrescat, imò gratus oris odor succedit.

Quæ verò ad affricandum adhibentur, duabus ornari debent qualitatibus, vt scilicet sint styptica, vt sint amara, & dum cubitum itur, necessum est dentes rosaceo affricare, si opus sit refrigerare, aut oleo beeno, aut nardino, si calefacere, aut simul in crasim componantur ambo, si nulla subsit discrasia. Equidem horror, vt prius melle affricentur, si immodicum frigus, si modicum saccharo, & licet ambobus, & detergendi, & nutriendi, & imprimendi vis insit, hæ tamen vires melli luculentiùs adsunt, proin saccharum tritum melliq; ammixtum vim promouet insitam, posthæc autem sequitur oleum.

Præterea inter ea, quæ dentibus conferunt, est vinum decoctionis thitymalorum, si inde singulis mensibus bis os colluatur, nihil enim est præstantius ad bonum odorem conciliandum, & ad dolorem arcendum. Huc spectat leporini capitis adusti puluis in adontotrimma paratus, item sal commune vstulatum, hoc enim puro valentius est melli ammixtum, & nodulo incluſum, vt hinc dentes perfricentur. Ex lupinorum farina ex alumine præsertim aduſto, & aliquantula myrrha, paratur odontotrimma cum aceto. Vbi verò dentifricia dentibus admoueris, necessum est mel ipsum crudum vsurpare, aut saccharum, & dentes affricare, subinde oleum etiam pro vsu administrandũ. Verùm quando dentes fluxionibus obnoxij sunt, necessum est, stypticarum rerum decocta diutiùs ore continere, & assiduè affrictu ex sale, & alumine præustis dentes præmunire.

De dentibus generatim.

CAPVT III.

REmedia dentium alia ad curationem, alia ad cautionem diriguntur, quoniam verò similia similium consortio seruantur, & dentium substantia sicca est, fit, vt medicamina tonum custodientia sint vt plurimum siccantia, calidis autem, aut frigidis indigent pro alterutrius qualitatis excessu. Ad sanitatem igitur dentium faciunt siccantia, hæc verò modò calorem modò frigus asciscunt, prout exigit vsus. Inter siccantia verò meliora sũt, quę vna abstergẽdi, & moderata digerendi superuacua vi pollẽt (si modò appulerint) & interim prohibẽdũ, nè quid ad dẽtes deferatur, id quod frigidiusculis afficcantibus assequuntur, quæ dentes haud stupefaciãt, neque acore nocent, sicut afficit omphacium, & citri aciditas, sed sint ceu camphura, santala, rosa, & semen eius, & bulaustia, & sanguis draconis, & fructus thamaricis, & gallæ, & Karabe, & margaritæ, & faufel, h.e. Indæ auellanæ, & farina hordei, & cortex arboris Mori, & folia thamaricis, & acetosæ radicula. Calida, quæ à medio pãululum recedunt, alia quidem ascitum calorem, alia proprium possident, hæc sunt ceu sal adustum, absynthium adustum, cyperus, cinnamomum, hyssopus, schœnanthus, fructus cappari, quibus præstat eorundem cortex, & xyloaloe, & moschus, & adianthum viride, & adustum, & folia cupressi, & iuniperi baccæ, & cornu cerui præustum, & etiam non adustum, & methastrum, & cinis eius, & mastiche, & vinum, & cinis nitri, & aristolochiæ rotundæ, & cinis eius, & cinis leporini capitis, & dactylorum adustorum. Illa verò, quæ scilicet ascititio calore pollent, sunt, ceu cinis gallarum, qui cum aceto extinguitur, & ad æquabilem redigitur temperiem, cinis sarmentorum arũdinis, & alia id genus.

Temperata sunt cornua cerui adusta, & lauta, nux Platani, cortices pini. Ex quibus composita fiunt; vt farina hordei sali permixta, quæ subinde comburitur, vt dactyli cum Alkitrab combusti, & sero perfusi.

Inter

Inter vsu probata est huiusmodi odontotrimma. ℞. cornu cerui adusti sol. cupressi ana ʒ. x. nucis Dulb. 1. platani ʒ. v. rad. pentaphylli ʒ. x. adianthi adusti ʒ. v. rosarum ʒ. viij. spicæ ʒ. iij. omnia ritè conterantur in dentifricium. Vel ℞. cornu cerui adusti, chermazech. i. pentadactyli, seu milij solis, cyperi, rosarum, spicæ aromaticæ ana ʒ. j. salis gemmei ℈. j. m. & ex arte fiat odontotrimma. Sed quid quæris? Plura alibi, nempè in Antidotarijs.

Itaque propria custodia dentium solis afficcantibus perficitur, quę modò calorem, modò frigus asciscunt, prout alterutra qualitas excesserit. Porrò dentibus accõmodata præsidia, vel odontotrimmata, vel masticatoria, vel linimenta, vel pastilli dentibus, aut mandibulis apponendi, vel collutiones oris, vel fricus, vel infarcimenta, vel suffitus, vel vaporatio, vel euulsio, vel cauteria, alia in etrhina aptantur, alia in aures infunduntur, alia antecedentem caussam per phlebotomum, cucurbitamque medicam, aut per pharmacum inuinuunt: Præterea quędam resoluunt, quædam refrigerant, quædam stupefaciunt, quæ tametsi non admodum incutiunt metum, cautè tamen vsurpari debent, ne crebriore vsu noceant, idem audiendum de digerentibus, & calfacientibus, quæ non sunt nisi per necessitatem administranda, ceu pulpa colocynthidos, albus helleborus, cucumis asininus, & similia; quæ cum adhibentur, caue, ne in ventrem descendant. Adhæc frequèns est necesse dentem terebrare, vt hinc noxia materia digeratur, dissipeturque, & vt medicamenta intrò subeant, hac de caussa medicos acetum concedit in vsus, tùm in refrigerantibus, tùm calfacientibus, in refrigerantibus quidem, quòd refrigeret, in calfacientibus, quod permeet, penetretque promptissimè, & quòd incisione resolutionem promoueat, eius autem noxa corrigitur coitu, admissuraque cæterorum.

* *Dentes plures animalia habentia longioris vitæ sunt per maiorem virtutem principij generantis, quod est sperma formatiuum corporis. Albertus Magnus.*

* *Picus Miraud. Dentes cui rari sunt, is minùs cibum terit, quàm concoctioni sit satis, inde crudi-tas, inde mors. Rara enim corporis humani textura, & minùs compacta elementorum coitio in caussa sunt, vt rari dentes euadant, qui ex materia seminali, & cerebro originem trahunt.*

De dolore dentium.

CAPVT IIII.

INterdum dolor dentibus accidit ratione caussæ intra propriam substantiam latitantis, iuxta modum, quem retrò innuimus, nonnunquam præsentia caussæ in neruuli radice stabulantis, interdum gingiuæ laborantis commercio, siue apostema subsit, siue hypersarcosis, siue alterius materiæ affluxus. Huc accedunt mollities, & laxitas, quarum caussa dentes alienas materias facilè suscipiunt, quæ putrent, & malorum myriades pariunt, quæ caussa etiam parum firmos, solidosque reddit dentes. Quandoque vsu venit, vt cum quispiam dolore dentium affligitur, dentem signare prorsus nesciat.

Curatio verò variè suscipitur pro caussarum diuersitate, quæ vel meræ sunt intemperies calidæ, frigidæ, siccæ alimenti defectu, vt accidit senibus (quamquam ij excrementitia humiditate scatent) aut sunt cum materia humoristica, aut cum flatu coniunctæ, rursus illa aut crassitie, aut acrimonia, aut multitudine dolorem excitat. Interdum dens ipse abscedit, corroditur, cauatur. Verùm materia aut ex stomacho deriuatur, aut ex capite, aut amborum fontium scaturigo est. Quod si corpus vniuersum cacochymia laboret, tunc affluxus ad dentes bifariam committitur, nempè vel ob communem intemperiem, vt in febribus acutis, aut ob affluxum materiæ ad dentium radicem, vnde corrosio, dolor, & pulsus, & apostemata emergunt, quæ proprijs remedijs curari debent.

Dentes dolore afficiuntur non propria conditione cum bruti sint, & terrosi, sed inserti nerui commercio.

De Signis.

CAPVT V.

ADuertendum, nũquid cum dolore dentium gingiuarum apostema coniunctum sit, quod si exter, fortè consortij lege dens lacessitur, idem ferendum iudicium, si aliquo modo comprimatur gingiua, quod si nihil talium appareat, tunc in dentem ipsum, aut in neruulum radicibus dentium insertum tota caussa reiicienda est. Idem iudicandum, si abscedat, aut corrodatur dens. Verùm si nulla percipitur noxa nisi in profundo, tunc caussa in suppositio neruo delitescit, præsertim si interiectis carnibus, & mandibulis dolor communicatur, & in dente quidam percipitur stupor.

Vtrùm verò calida, an frigida subsit intemperies, per signa toties inuulgata edisscere oportet, siccitatem præcipuè arguit tabes, & quædam atrophia, vnde etiam proprio alueolo dens titubat. Flatuosam, vapidamve substantiam indicat vagus, reciprocusque dolor, qui latè etiam protenditur. Crassum verò humorem produnt diuturnitas, & profunditas doloris absente calore, per insensi frigoris præsentiam. Atqui sanguineum, aut cholericum succum renunciant perniciissima doloris inuasio, acrimoniaque altam dentium substantiam peruadens, calor perceptus humoris idæam referens, cuius soboles est. Humor autem vt plurimum è cerebro, aut è ventriculo pleniore in dentes redundat.

Vbi malum gingiuæ inhæret, dens neque euulsione, neque alia vi perturbari debet, sed ubi hæret denti, nullum præsentius, aut præstantius euulsione auxilium, semel enim erutus dens non amplius indolescit. Cæterùm quando caussa doloris neruo insidet, modò prodest, modò nocet euulsio, hocque propterea accidit, quòd materia priùs subtus dentem inculcata, incuneataq; quam ars, naturaq; digerere tentant, data porta in ampliorem locum ampliter confluxit.

De curatione odontalgiæ.

CAPVT VI.

SI dolor procedat per consensionem alia affecta particula, curationem ordiri oportet ab euacuatione per phlebotomum, & phatmacum, veluti per vtramque Hieram, & per diagrydium, aut per attractorias infusiones, quibus peractis si minera in capite subsideat, gargarismis caput deplendum. At si in gingiuis apostema manifesto extet incremento, tunc non possumus, quin & sanguinem mittamus, & ventrem soluamus iuxta mali idæam, & virium robur. Hoc sit catholicum, vt in principio os aquis, & decoctis refrigerantibus colluatur, interdum modica caphura citra tamen nimiam stypsim acutis. In hanc rem aliquando satis sunt oleum mastichinum, & rosaceum, aut omphacinum, & myrtheum, pariterque vinum vetus passulatum, aut rosaceum crudum in quo decoctum sit vinum passulatum.

Hinc ad resoluantia, & ad maturantia paulatim pergendum, interim cauendum, ne quid acutulum inter colluendum os in ventrem excurrat. Pariterque gradatim procedendum ad exhauriendam læsam particulam, nam post generalem euacuationem hyrudines radici dentium admoueri, aut ranulæ resecari, aut Medicæ cucurbitulæ cum scarificatu sub mento affigi possunt. Quòd si dolor vehementiùs exerceat, tunc dentis radici admouendum pyrethrum cum caphura adeò vt adhæreat, quod si soluatur, repetendum. At si dolor fuerit dementissimus, tunc ad opium rosaceo solutum confugiendum erit. Veruntamen hoc hypnoticum omittere, quàm admittere, satius esse videtur, imò præstat pepsi incumbere pepticis.

Cæterùm vbi causa in dentis soliditate inhæret, aut in neruo nulla materiæ moles, sed sola sollicitat intemperies, tunc eo remediorum vsu, quæ tota repugnant diametro, expungenda. Si autem discrasiæ, & debilitatis origo fuerit præcalidi eduli præmanfio, os colluendum oleo quidem refrigerante, sed tepefacto, mox etiam refrigerato. At si mala complexio orta est ex masticatu nutricatus algidi, tunc calentia olea ore continenda, vt mastichinum, vt beenicum, mandatque oui recentissimi assum vitellum calentissimum, aut certè micam panis retorridi. Hæque methodus satis esse consueuit. At si causa doloris fuerit mera siccitas (quod admodum infrequens est ob ignauiam) tugi illitu affricandi dentes ex recenti butyro, anatinoque adipe. At si cum intemperie subsit materia, qualis qualis tandem ea fuerit, priùs eradicari debet, quam consulatur discrasiæ. Ad hæc à carceribus semper curatio auspicanda à refrigerantibus, & apocrusticis, siue calida, siue frigida fuerit materia, quamquam in hac cautiùs, in illa lautiùs agendum. Reprimit autem satis luculenter alumẽ adustum ex aceto extinctum cum æqua salis portione tritissimi, maximè in frigida materia, à quorum vsu os vino colluendum. Huc faciunt & gallæ aceto decoctæ. At si calida materia lacessiuerit, refrigerantibus comparanda crasis, & æqualitas. His si parum promouerimus, aut digerentibus perficienda res erit, aut certè hypnoticis, & stupefacientibus. At si materia fuerit crassior, & vberior, peræquè tractari debet, vt retrò ediximus, primò repellentia, mox resoluentia vsurpanda. Et sanè expedit os aceto colluere cum ol. rosaceo ammixto, quoniam acetum secundùm superuacuas etiam radicatas humiditates exhaurit. Interdum resoluentibus miscentur adstringentia propter membri siccitatem. Verùm si flatulenta materia molesta sit, curatio digerentibus perficitur, quæ mox adiiciemus, præsertim galbano, & sagapeno, & granis Alharmel.

De medicamentis resoluentibus.

CAPVT VII.

PRæsidia resoluentia, quæ ad tollendos dentium cruciatus diriguntur, vel sunt oris collutiones, quæ diutissimè adhiberi debent, veluti acetum decoctionis senectæ serpentis, aut acetum D. colocynthidos, quod summopere conferre consueuit. Vbi verò manifestò frigus præponderat, os colluendum vino, aut oxycrato D. aristolochiæ, aut pyrethri, aut synapi, aut cort. capparum, aut assæ fœtidæ, aut corticis pini, aut menthastri, aut fol. Dulb. & pollij, & abrotoni. Huc spectant folia lauri, nigella, allij frusta cum pyrethro, & acetum D. condisi ore contentum, aut acetum D. pyrethri, & fructuum thamaricis, & sampsuci sicci, aut radicum cucumeris asinini, aut sagapeni.

Dolori micanti confert D. gallarum, & solani ex aceto, & cornua cerui trita & decocta in aceto scyllitico, alia sexcenta sunt, quæ in gargarismos concinnari possunt, inter quos ille præstantior est, qui conflatur ex passulis corynthiacis in aqua pet coctis, quibus sputo reiectis, ore hiante stare oportet, vt plurima effluat saliua, ex præscripta materia etiam mansiles fiunt pastilli. Hoc verò sit ceu paradigma. ℞. montani menthastri, pyrethri, piperis albi, myrrhæ parem modum, in pollinem redacta cum passularum pulpa componantur in auellanas mansiles, quarum altera quotidie mane præmandatur.

Fiunt etiam linimenta, epithemata, fotus & emplastra ex præfatis digerentibus exceptis lentore quodam, vt melle, vt pice, aut pura aqua conglutinatis. Hinc caules præcalfacti, & contriti in cataplasmatis formam rediguntur, & adhibentur.

Ad pulsantem verò dolorem conducit solum synapi tritum, aut cum assa fœtida, vel vinum sulphur cum assa, vel sazanea admotum dentium radicibus.

Inter vsu probata commendatur medulla nucleorum Persici, & piperis dimidium cum pice ammixta, ex quibus dentes perfricandi. Item pulsatili cruciatui prodest illitus ex sola theriace, aut sola assa fœtida, aut sazanea. i. quodam electario in lb. 5. descripto, aut nigella contrita, & oleo dissoluta, & applicita. Inter experta & illud censetur, quod ℞. piperis, pyrethri, staphis agriæ, zinziberis ana partem vnam, nitri partem vnam cum dimidia

dia vniuersa optimè contrita redigantur in odontotrimma quamprimum dentibus, & gingiuis adhibendum, hoc enim summè conducit. Interdum etiam mento emplastrum applicatur, quod concinnatur ex malua, chamæmello, anetho semine lini contusis adiecto ol. anethino, & eiusdem decocto. Galenus arbitratus est, iecur stellionis dentibus rosis appositum præsentem dolorem confestim sedare.

Inter suffitus, & fotus, qui extrinsecùs adhibentur aut duabus ante pastum horis, aut quatuor à pastu, quorum necessitas ex dolorum immanitate inoritur laudatur, qui ex sale, & milio conflatur, aut ex oleo præcalfacto, & liquente cera. Interdū mentum ipsum fouetur reciproco fotuum vsu, vt foras eliciatur humor, vbi enim foris tumor apparet, intus dolor disparet, præsertim si tunc temporis causticò quopiam puta ol. euphorbij, aut chalcanthi dens attingatur, in cuius vsu hæc methodus obseruanda, vt oleum cum præfatis resoluentibus coquatur, aut certè solum tepefactum admoueatur, aut ignita acu oleo immersa, & per tubulum immissa dens attingatur. Interdum circumpositi dentes cera, aut maza præmuniuntur, ne lædantur, & subinde inducitur acus. Inter reliqua verò calens oliuæ oleum præstare consueuit. Interdum terebello dens confoditur, vt vis caustici promptiùs peruadat. Et vbi hisce præsidiis nihil proficitur, ignita acu totiès dens attingatur, donec ad vltima peruentum sit, vt scilicet vel dolor, vel dens de medio tollatur, frangaturque.

Fricti verò fiunt ex zinzibere, sale, & pyrethro, & pulpa colocynthidos oxymelite exceptis. Suffitus autem fiunt ex fibris, aut granis colocynthidos, aut ex semine synapi, aut ex vngula Aselli, aut ex semine carpe, (maximè si dolor ex verme procedat) aut ex folijs myrthi, ruthæ, aut polio, pyrethrove. Errhina verò fiunt ex aqua cucumeris asinini, succo radicis betæ aqua sampsuci. Quæ in aures infunduntur, sunt succus capparum viridium, & similia. Quæ caui dentis orbitam replent, si corrosio fuerit causa doloris, sunt galla cum cypero, aut cum mastiche, quibus valentior est assa fœtida cum sagapeno, aut nigella trita cum oleo, aut piper, aut fex adusta, aut euphorbium, aut pyrethrum, aut medulla ossium persicorum. Frigidi verò calidis, calidi frigidis repleantur, vt contrariorum vicissitudine crasis sequatur.

De stupefacientibus.

CAPVT VIII.

Hæc perinde vsurpantur, ac resoluentia, sed satius est, illitus, aut fotus, aut replentis massulæ specie adhibere, quamquam & ore colluuntur, atque etiam insuffiuntur. Exempli gratia: ℞. Hyosciami albi, opii, styracis, galbani, ana ʒ. ii. piperis, assæ fœtidæ ana ʒ. i. m. conficiantur cum passo, & dolenti admoueantur denti. Aut ℞. opii, castorei ana ʒ. ii. horum vnum, aut alterum granum rosaceo dissoluatur, & in aurem denti respondentem affecto infundatur. Aut ℞. radicem mandragoræ, & affigatur dentis radici, hæc enim sola interdum sedat dolorem. Aut hyosciami semen eo modo suffiatur, quo fumus præfati. Aut radix mandragoræ sola, aut cum hyosciamo coquatur ex vino, quod laborans ore contineat. Quandoque composita narcotica propinantur, vt phillonium, ut pill. de cynoglossa, mirè enim proficiunt, si tantillum denti indatur, & patiens superdormiat. Inter cætera, quæ citrà noxam stupefaciunt, est aqua niue refrigerata, quæ identidem repeti debet, donec dens stupescat, dolorq; euanescat, quamquam in principio aliquando dolorem ingeminare solet.

De mobilitate dentium.

CAPVT IX.

Interdum dens commouetur ex primitiua causa, nempè lapsu, aut plaga, nonnunquam hoc ipsum accidit ex nimia humiditate neruum remolliente, quò fit, vt dens titubet, aliquando ex dentis tabe prouenit, cum prius esset crassior, modò fit ex corrosione dentis radicem debilitante, vnde vt alueus dilatatur, ita extenuatur dens. Modò detumescente dentis substantia, modò ficescente, vt accidit conualescentibus, senibus, famescentibus, omnino atrophia laborantibus, modò ob carnis defectum uacillant.

De Curatione.

CAPVT X.

Tali affectu laborantes mandere, frequèns inter loqui, manu, aut lingua dentem attingere uetitum est, his silentium, quietem, sorbitiunculas præscribimus. Quare si corrosio huic uitio momentum dederit, styptica constringentia, dentibus accommodata administrentur, os colluatur, dentes fricentur, &c. Si detumescente dente hoc accidat, alimonia succurrendum (sed si non adynaton, saltem perdifficile est) adhæc humectantia adhibenda cùm dentibus, tùm auribus, in quas ol. rosaceum infundi potest, & salignum, & succus foliorum solani vnà cum stypticis frigidis, id quod etiam fieri debet, si à percussione proficiscatur. Si malum ab vuiditate remolliente enascatur, styptica calfacientia usurpanda sunt, quibus & dentes, & gingiuæ leniter affricari debent, os autem colluatur aqua D. Alsedar .i. sorbi, foliorum cupressi, aut uino passulato D. aluminis, & modici salis, aut aqua D. sagapeni. In hanc rem & hoc medicamen paratur, quod inhærét dẽtibus. ℞. Aluminis ʒ. ii. salis ʒ.i. affigantur, agglutinenturque dentium radicibus. Aut ℞. rad. lilii, corticum cupressi ana ʒ.iii. aluminis ʒ.i. cineris thamaricis, salis ʒ. 5. trita formentur in odontotrimma. Aut ℞. cornu cerui adusti ʒ.ii. salis adusti ʒ. 5. m. cum melle. Aut ℞. Myrrhæ, croci, spicæ, mastiches ana ʒ.iiii. trita componantur in dentifricium, quod dentibus hæreat. Huc faciunt omnia styptica mixta cum aloe, uitriolo citrino, & argẽti fœce. Aliud odontotrimma optimum. ℞. Cyperi, rosarum, spicæ aromaticæ, salis gemmei, fructus thamaricis dicti charmezit, cornucerui adusti ana ʒ.i. m. f. pulusculus. Ei verò mobilitati, quæ prouenit ex gingiuarum laxitate, & carnis defectu conuenhunt & alumen, & xyloaloe vsta, & cyperus, & sumachia, & balaustia.

De perforatis dentibus.

CAPVT XI.

COrroditur dens ex putrescente quodam succo ſin dentis meatibus contento. Hic ea est indicatio præcipua, vt inhibeatur vlterior corrosio, hocq; deterſione corruptæ ſubſtantiæ, & efficientis materiæ reſolutione, & dentis roboratione, ne tam facilè ſuſcipiat, & auerſione materiæ, quæ educi per pharmaca poterit, conſequi licet. Quæ verò eroſionem arcent, eadem ſiccitatem arceſſunt. Et pro vario gradu morbi modo valentiora, modò infirmiora exſiccantia præbia adhiberi poterunt. Debilia quidem ſunt huiuſmodi, nempè lycium, myrrhus, ſpica Celtica. Applicantur verò præfatis modis, ſed hic præcipuè obturando foramen, impletur autem gallia, cypero, aut gallia, & moſcho ſolo, prohibet enim corroſionē, & ſedat dolorem. Itē impletur maſtiche, cypero, myrrha, ſtyrace, gallis viridibus, lycio, aut ſtyrace, galbano, & opio. Item citrino ſulphure, & lycio, aut gūmi Albotin, & pipere, aut galla, & menthaſtrō, aut trita nigella, & cum oxymelle commixta, aut ſulphure tùm obturando, tùm oblinendo, aut zinzibere cocto cum oxymelle, hoc enim præſidium eſt præſtantiſſimum, & preſentiſſimum, aut aſſa fętida ſola, aut cū ammoniaco mixta, aut ſolo galbano, lyciove, & tragacantho coniugato.

Experimento verò conſtat caphuram excellere, ſi hiatus inde obſtruatur, nam prætercquā quod corroſionem inhibet, dolorem etiam ſedat. Huc faciunt, & emplaſtra, quæ conflantur ex caſtoreo pyrethro, opio, galbano æquis portionibus, & pipere, & cardamomo melle exceptis, aut ex myrrha, & pyrethro cum melle compoſitis; & grano viridi cum melle, aut laudabili vino, cui ſuperinfunditur acetum feruens; Aut ſulphure, & vino cum æquali pondere lycij, aut pipere, & lacte tithymali, aut pyrethro, & nitro, aut galbano, & ſemine albi hyoſciami; aut ſtyrace, & opio. Sed illud habe, quod ℞. nitri, albengi. i. hyoſciami ana partes ij. pyrethri, piperis ana partem j. opii partes tres, loco ſuperponantur. Vel ℞. ſtyracis, cap. granarorum, piperis, baccarum iuniperi, ana æquas portiones, hoc medicamine tùm foris allinuntur dentes, tùm replentur intus. Interdum ſuperponitur loco ſorte Ferendiſium, aut Soriſthan, quorum deſcriptio habetur 3. Can. aut calcis partes ij. ſalis ammoniaci aluminis, myrrhæ, gallarum, acaciæ, ireos an. p. j. quibus additur vſtum hordeū, ſpuma maris. i. alcyonium, & galbanū. Nonnunquā proſunt oris colluſiones, ſi decoquantur rad. capparis ex aceto ad dimidias, & ore teneantur. Aliquando neceſſum eſt procedere ad corrodētia pharmaca, quale eſt arrhenicum diſſolutū in oleo, ferueat, & dexterè in corroſum dentem immittatur, quibus accenſetur oleum amygd. amararum infuſum in latus corroſi dentis, hoc enim prodeſſe conſueuit.

* *Hipp. lib. 4. de Morb. pop. Puero ab vlcere Phagadena eroſo dentes ioferni, & ex ſupernis, ac infernis anteriores mergebant, cauitatem habebant.*

* *Ad hæc lib. de coac. Prænot. ex dentis corruptione febr. vehemens ſuperaccedens, & delirium lethale eſt.*

De dentium fractura, & comminutione.

CAPVT XII.

QVando dentes natura ſicci deſciſcunt, deficiuntq; in vuidam mollitiē, aut immodiciſſimam ſiccitatem, nullo negotio comminuuntur, fracturaq; periclitantur, quæ vtrumne ex ſicco, an humido proueniāt, inde colliges, quod ſiccum tabem, humidum molem auget. Quòd ſi color dentium mutetur, aut etiam corrodantur, cum materia humidam intemperiem ſubeſſe argumentū eſt.

De curatione.

CAPVT XIII.

SVmma curationis ſuper eo cardine vertitur, vt affluxus materiæ prohibeatur, adſtringentibus dentes roborētur. Et ſanè alumen ualde prodeſt, quòd ſi calore opus eſt, nil perèquè conferens eſt, atque helleborus niger cum melle permixtus. Si à ſiccitate malum proficiſcatur, humectantia nota eam ſummouent.

De mutato dentium colore.

CAPVT XIV.

COlor aliquādo permutatur ratione illius materiæ viſcidæ, quæ ſicut gluten in dētibus hęret, & quandoq; radicibus innexa dureſcit, vt difficile remoueatur. Interdum hoc ipſum accidit ratione materiæ dentis ſubſtantiam penetrantis, & colorem vertentis ad normam melongiæ, id eſt viridis, & ſimilium, vnde producitur pannus, ceu prauus, deteriorque color.

De Curatione.

CAPVT XV.

TVrpitudo hæc curatur deterſorijs, qualia ſunt ſpuma maris. i. alycionium, teſtæ contritæ, cineres oſtracorum, arundineæque radicis, & ariſtolochiæ rotundæ, & origanum aduſtum, & ſal gemmeum, quæ omnia pertrita commiſceri poſſunt æquis portionibus, quibus teſtæ limacium aduſtæ adiiciuntur. Sicut ℞. Abrotani aduſti, piperis ana partem j. amomi partes ij. folii partes ij. gypſi præuſti partes x. terantur cuncta in vſus. At ſi reniſus, & peruicacitas maior ſit preſcriptis remediis, tunc æris flos cum melle compoſitus concinnetur in frictus, dentes mirificè dealbant triturę fictilium, uitri, ſeu ſpumæ uitri (nascumiā uocant Arabes) & Adamantis lapilli.

Secundò uerò curatur reſoluentibus materiam, aut eximentibus, & abſtergentibus, qualia ſunt piper, menthaſtrum, coſtus, ariſtolochia rotunda; aſſa fętida interdum prædictis permiſceetur dentifricijs. Aut ℞. rad. Ariſtolochiæ, piperis ana par. j. cornu cerui aduſti partes ij. maſtiches partes tres contrita quinque partibus roſacei commiſceantur. Aut ℞. abrotoni ſalis torrefacti, lilii ana partes iiij. cyperi partes v. ſpicæ partem i. piperis partes duas. Aut ℞. ſalis adeò combuſti, ut carbonem exprimat, partes iii. lilii p. ii. ſpicæ p. i. m. Aut ℞. Cineris oſtracorum partes iiij. roſarum ſiccarum partes v. Cyperi partes iii. ſummitatum ſchœnanti p. i. omnia contrita redigantur in adontotrimma.

De

De facilitanda dentium origine.

CAPVT XVI.

Difficilis, & laboriosa interdum dentium natiuitas infantibus accidit non sine ventris fluxu, qui si modum excedat, fotibus, & epithematis temperari debet super ventrem appositis, & succis ebibitis, & collutis, quin necessum est illitus adhibere. Materiæ verò præsidiorum, quibus dentium ortus promouetur, sunt adipes, & cerebella, præsertim cocti leporis gingiuis allita, aut butyrum cum oleo liliaceo mixtum. Inter cætera verò lac caniculæ proprietate quadam cæteris præstat. At si dolor vehementior sit, gingiuæ solani succo, aut ol. rosaceo præcalfacto oblinantur. Cauendum interim, ne viscida, aut glutinosa ori commendentur, & nutrix sæpè in os infantis digitum immittat, vbi dentes emergere incipiunt, & gingiuas leniter affricet, vt saliua plurima effluat, quo perfecto præscripta apponantur, quumque dentes euidenter repullulant, caput, collum, mandibulas lana oleo inebriata fouere, & idem oleum in aures infundere iuuat, sed de his aliàs.

De ratione dentium euellendorum.

CAPVT XVII.

Quoniam aliquando tàm demens, tàm immanis est dolor, vt nulla arte sedari possit, aut si mitescit, de proximo redit, quin ex vnius dentis dolore vniuersæ circumpositæ particulæ vicinitatis consortio compatiuntur, nullumque æquale præsidium cruciatibus inuenire est, tunc salutare consilium est dentem eximere, eximitur autem, postquam diligenter detectus fuerit, forfice dentelario apprehensus, sed priùs quam denti ferramentum admoueas, considera, an in dente affectio subsideat, nam si in neruo, aut in gingiua sit, neutiquam in dente, nequicquam dirimitur, diripiturque, nam tametsi sublatio dolorem aliquandiu sopit, & alleuat, paulò tamen post redit, alleuat autem tùm propter materiæ resolutionẽ, tùm propter medicaminum efficaciorem vim, quam mutuus contactus, qui presente impediebatur dente, promouet. Caue interim, ne dentes illos immotos eximas, nam plurima discrimina succedere consueuerunt, quandoque enim mandibula detegitur, & eius pars non sine ingenti cruciatu putrescit, interdum dolores oculorum, lippitudinesque excitantur, & febres, interdum etiam insolens erumpit hæmorrhagia. Vbi igitur noueris, aut difficilè dentem remoueri posse, aut ab infirmo vim ferramenti non tolerari, tunc euulsio non erit tentanda, namque dolor exasperatur; tametsi aliquando accidit, vt, quamuis vitium in dente nullum sit, remoto dente latens subtus materia dissipetur, & dolor protinus euanescat. Scitum est in templo Apollinis forcipem dẽtelarium plumbeum appensum.

Non modò autem ferro euellitur dens, sed etiã medicamentis, & sanè satius est, facto priùs circa dentem scarificatu pharmacum superponere, quale est pyrethrum, moriq; contrita Sole sub ardenti ex acerrimo aceto radicula, dum mellis consistentiam contrahant, hoc præsidio ter singulis diebus radix dentis oblini debet. Teratur pyrethrum, & quadraginta diebus in aceto solaribus radijs exposito maceretur, subinde in cæsuras, & scarificatus immittatur, & vna, aut altera hora dimittatur. Dum hæc obeuntur, dentes sani circumpositi cera stipentur, præmunianturque, ne forte lædantur. Cum pyrethro aliquando suffitur radix cucumeris asinini, aut dens arrhenico aceto nutrito oblinitur, hinc enim emollitur. Summuntur item semina vrticæ, & galbana æquis portionibus, aut duplum. sem. vrticæ, & thuris, & denti superponũtur, hæc interdum cum folijs ficus mandantur aheno, vt ebulliant, & simul cogantur, sic enim mirè emolliunt, & euulsionem facilitant, quò spectat aceti ipsius fæx, est enim præstantissima. Quandoque sumuntur cortices Mori, cappartum, arrhenicum citrinum, pyrethrum, fibræque, & radiculæ colocynthidos, & sesamum, simulque cum aluminosa aqua, aut in aceto acerrimo componuntur, & macerantur tribus diebus, subinde in illitus, & vsus accommodantur. Aut sumuntur fibræ citreæ ℥. i. rubiæ, & corticis Mori pars ℈. arrhenici citrini partes ij. & cum melle miscentur, hocque pharmaco totus dens circumducitur, hinc paulò post euellitur. Nec minùs radix abrotoni, & Thithymalorum lac melle commixta, dentique inducta iuuant, at si dens imbecillis est, cera cum melle ad Solem liquescat, & oleum iniiciatur, & patiens imprimis ceram præmandat, &c.

De corrosi dentis fractura.

CAPVT XVIII.

Ad dentem frangendum massa componitur cum lacte tithymali, & farina, quæ denti aliquot horis superponitur, & paulò post dens in frustra secedit, idem accidit admotis volubilis maioris acutæ. Quin adeps ranæ arboreæ (nostri Raccolam vocant) denti allitus, statim frangit, eradicatque dentem, quo Agyrta quidam pro secreto vtebatur, & mulierculatum loculos deplebat.

* *Hic subesse errorem falsò putat Manardus lib. 7. epist. 3.*

De vermibus dentium.

CAPVT XIX.

Recipe seminum albi hyosciami, sem. porri ana partes iij. sem. cæpe partes ij. misceantur cum adipe caprillo contrito, & fiant inde hypoglottia pondo ℥. ℈. & hinc etiam fiant suffitus per tubulum tecto capite.

De caussis stridoris dentium.

CAPVT XX.

Stridor dentium inter dormiendum, euenit, aut propter imbecillitatem lacertorum mouentium mandibulas, aut propter spasmum, id quod sæpè infantibus accidit, sed remouetur affectio accedente pubertate. Vbi verò hic stridor, & sonitus frequentiùs incessit, comitialem morbum prænunciat, aut apoplexiam, aut conuulsionem, aut vermes in ventre latentes, qui verò per vermes fit, certas habet periodos, & reciprocas vicissitudines.

Symptoma est ad qualitatem audibilem mutatam.

Hipp. lib. Prognost. comm. 1. Si quis strideat dentibus non consuetus à puer itia, insania significatur, ac mors.

De Curatione.

CAPVT XXI.

CVratur totius corporis, & præcipuè capitis purgatione, litu ceruicis ex calasticis, & odoris oleis, quæ adstringendi ui pollent, quale est oleum nardinum, costinum, vulpinum, catulinum.

De dente exorbitante.

CAPVT XXII.

DEns exuberans digitis dexterè apprehendêdus, subinde lima minuendus, postremùm lauri baccis, alumine, aristolochia lõga simul ammixtis perfricandus.

De emodia, seu dentium stupore.

CAPVT XXIII.

COnglaciant, stupescuntque dentes ab exasperante re quapiam, quæ aut stiptica, aut pontica sit. Interdum extrinsecùs aduenit origo vtpotè ex vomitu acidissimæ materiæ, aut vapore ex acidula minera in ventre stabulante sublato. Interdum imaginatio caussa est, quom præsens est, qui austera, & acida ore patulo, atque recluso mandit.

Symptoma est ad imminutam sentiendi actionem attinens.

De Curatione.

CAPVT XXIIII.

MAndere profectò portulacam, aut eius semina prodest. Item terebinthina, amygdalæ, & nuces Indæ, & auellanæ iuuant, item affrictus ex oleo omphacino, aut ex fæce olei, aut ex amurca vase æneo ducta, & instar mellis inspissata ad ignem, aut ad Solem confert, item oris colluțio ex lacte, aut tepente oleo, aut picato cado vino conducit. Baccæ lauri, aristolochia longa, assa fetida, lac tithymalorum, scylla huc faciunt. Sed sal emodiæ vt valde aduersatur, ita familiarissimum est. Nostri vtuntur caseo, nec frustrantur, aut tepente mero os colluunt.

De Ebet, seu infirmitate dentium.

CAPVT XXV.

SVnt, qui dentes habent frigoris, caloris, duritieique impatientes, sed frigus præcipuè solet esse infensissimum, & præcurrit dolorem. Vbi igitur frigus lacessit, lauri baccas, alumen, aristolochiam longam, fotum ex oui vitello præassato adhibere licet. Quod si hinc nullum succedat leuamen, pergendum ad Hieram picram, qua dentes affricandi, qua si nihil promouetur, confugiẽdum ad theriacam. Sed omnium præstantissimum est oleum de synapi. Quòd si calida intemperies recognoscatur (quod tamen perratò accedit) præcalescentis gingiuæ attactu, tunc dentes oleo rosaceo identidem madefaciendi, in quo caphura sit dissoluta, santala præterea, & psyllii mucilago ex aqua rosacea colluta conferunt, nec minùs portulacam, aut eius semina mandere vtile est.

De imbecillitatis dentium curatione.

CAPVT XXVI.

DEntium imbecillitati prædicta adstringentia conducunt, vt gallæ ambustæ in aceto extinctæ, vt myrthi baccæ, vt gemmeum sal torrefactũ, aceto extinctum, vt vinum stypticum, vt stringentia odontotrimmata. V. g. ℞. Cyperi ʒ.iii. myrobalanorum citrinarum enucleatarum ʒ. 5. cinnamomi craſſioris ʒ.xv. cinnamomi genuini ʒ. iii. aluminis ʒ.ij. pyrethri ʒ. vij. salis ammoniaci, piperis longi galliæ, croci ana ʒ.j. salis ʒ.v. sumach præparati, chorii ʒ.ij. fruct. thamaricis ʒ. iij. cardamomi ʒ.iiij. omnia contrita permisceantur. Item ℞. santali rubri, cubebarum, saufel ʒ.xv. cinnamomi craſſioris ʒ.v. cinnamomi optimi ʒ. ij. bacham ℥. calendulæ, omnia amylo excepta componantur. Item ℞. hordei ʒ. xx. terantur, & melli commisceantur. Item ℞. hordei partes xx. cyperi, saufel alkamesit ana partes quatuor, zinziberis pars vnica, miscentur, terunturque in dentifricium.

FEN OCTAVA.

De gingiuarum affectibus.

TRACTATVS VNICVS.

De ægritudinibus gingiuarum.

CAPVT PRIMVM.

GIngiuis apostemata contingunt vt plurimum ex decubitu materiæ è capite, interdum etiam stomachus mali author existit, interdum etiam cachexia, & hydrope inchoante apparent ex corruptorum vaporum palyndrome: Qualis verò materia vitium committat, ex colore, & tactu percipitur. Quæ extant, & nouella sunt, citò curantur, quæ vetera, & profunda serò; Hisce nonnunquam comes it febricula.

* *Hipp. lib. 2. de morbis num. 11. inquit, Tonsillæ & partes sub linguæ & gingiuæ, & lingua & quacunque huiusmodi hoc loco consistunt, hæ omnes ex pituita ægrotant, pituita autem è capite descendit cap. autem ex corpore trahit, trahit autem vbi fuerit calfactum, percalescit autem à cibis, & sole, & frigore, ac febrili calore, cum verò calfactum fuerit, tenuissimum ex vapore ad se trahit, vbi verò traxerit, vnrsum id ad corpus descendit, &c.*

De Curatione.

CAPVT II.

SI præcalidæ materiæ soboles sit apostema, quod parulis dicitur, profectò post generalem euacuationem necessum est descendere ad sectionem venarum, quæ sunt in labijs, & sub lingua; atque in principio os colluendum adstringentibus apocrusticis, vt aquis rosatum, myrtillorum, fol. rubi, arnogloſſæ, portulacæ, aut decoctione balaustiorum, glandium, à quibus os colluendum oleo omphacino, mastichino, myrtheo, in quo ʒ. ij. masticbes inferbuerint, aut oleo rosaceo decoctionis

ctionis spicæ, mastiches, rosarum. Et sanè mastichinum oleum magnam sedandi doloris vim habet, qui ex gingiuarum phlegmone prouenit, præsertim recentissimum, si quidem sine exasperatione reprimit, & dolorem lenit, quod est peculiare. Postremò deueniendum ad succum viridis ireos, aut ad succum fol. oliui, aut ad vini fæces, aut ad ruthæ succum, aut ad oleum sem. eius viridium seruefactum cum aqua decoctionis eiusdem, aut aristolochiæ.

At verò si huiusmodi abscessus fuerit profundiore sede reconditus, præscriptis pharmacis, haud resoluetur, sed potius ad pepasmum, & suppurationem tendet, & chirurgia interdũ opus est.

Vbi igitur ad suppuratum vergit, fol. æris, & gallas, & cort. æris cum aceto tritum adhibere necessum est aliquot diebus, aut certè vstum atramentum, & gallas. Vbi verò suppuratio retardatur, & ingrauescit affectio cauterio opus est, sed melius est, vt lana super radij extremitatem inuoluta, & feruente oleo imbuta gingiua toties attingatur, donec detumescat, exalbescatque. Quod si apostema ex superuacua, & frigida materia pendeat, in principio os colluendum calente oleo vnà cum melle, aut oleo, & vino cretico, siue sappa, à quibus valentissima resoluentia vsurpanda sunt.

* *Parulis, inquit Manardus ex Paulo, est abscessulus circa gingiuas factus, quid nisi solutus fuerit, suppuratur.*

De cruenta gingiua.

CAPVT III.

COnfert adustum alumen aceto extinctum cũ duplo salis, & atramenti tantundem inspersum. Adhæc Altarich, idest fungi ad rad. Barbæ hircinæ nascentes aduruntur ad normam carbonis, cineris subinde sumitur pars vna, rosarum partes duæ, myrthi, & lentium totidem, atramenti totidem, schœnanti partes tres. m. & seruentur in vsus.

De gingiuarum fissuris.

CAPVT IIII.

PEræquè curantur, atque labiorum scissuræ, proin non est, quod tautologias vitium vltrò incurramus.

De corrosione vlceribus, ac fistulis gingiuarum.

CAPVT V.

GIngiuarum vlcera alia pura sunt, alia impura, alia putrida, alia semiexesa.

De Curatione.

CAPVT VI.

PVra vlcera non secus curantur, atque Alcola, putria verò laboriosiorem desiderant sedulitatem, nam ea adhibenda sunt, quæ putredinis progressum inhibent, ceu Alahel, h. e. baccæ iuniperi, & tribuli, quibus si non concedant ℞. gallarum partem unam myrrhæ p. v. rosaceo commisceantur in vsus. Iuuat etiam scyllino aceto os colluere, nec minùs decoctione fol. oliui, rosarum, lentium, gallarum, cupularum, malorũ punicorũ.

Corrodentia verò vlcera curanda calcadico in Antidotario præscripto, pariterque fistulę, quo remoto styptica medicamina sufficienda sunt, & inter vsu probata hęc censentur. ℞. Tribulorum, fructuum thamaricis, pyrethri ana ʒ. iij. chelidoniæ ʒ. j. myrobal. citrinæ, ros. rub. siccarum ana ʒ. ii. fabarum, salis ammoniaci, cubebarum, spumę maris ana ʒ. ʃ. balaustiorum, croci ana ʒ. j. camphuræ ℈. xv. m. in dentifricium, quod etiam conflari potest ex aristolochia, vitriolo citrino, scoriis, & arrhenico. Mediæ virtutis illud est, quod ℞. pyrethri, rad. lilij ana partem vnam, sumach, gallarum non perforatarum, aluminis ana ʒ. ij. terantur, & fiat dentifricium, administrandum in mediocriter corrodentibus, & fistulosis vlceribus. Similiter ex balaustijs, & ferri spuma fit puluis inspergendus gingiuis, subinde os colluendum aceto scyllino, aut aceto decoctionis oliui. Philonium quoque corrosis vlceribus prodest. Diacalamenthum verò putrefactiuis vlceribus, quà confluentes materias tenus resoluit, vsui esse consueuit. Quæ si non satis sint vsurpandum Alcadicum medicamentum. Interdum etiam, & illud admouetur, quod ℞. aluminis, calcis, gallarum, vtriusque arrhenici ana partes æquales, m. f. puluis, cuius semiscriptulus accipitur, & vlceri diligenter affricatur, & apponitur, exactaque vna hora os oleo rosaceo colluitur, puluis autem succo quodam exceptus in pastillos cogitur, qui seruantur in vsus. Aliquando etiam ex vtroque arrhenico trochisci concinantur adiectis calce, & acacia. Interdum necessarium est actuale cauterium; hoc enim carnis putrilaginem domat, & sanam carnem regenerat, à quo puluis ex gallis cum tertia parte myrrhæ inducendus, hic enim carnem promouet, stringitque gingiuas. Huc facit & venarum sectio, quæ per labia excurrunt, & linguæ subsunt.

* *Hipp. de internis affectibus: In quodam splenis morbo dolor mutatur, & fit niger, pallidus, & ex aure malè olet, & gingiuæ malè olent, & à dentibus discedunt, & ex tibijs vlcera erumpunt, velut pustulæ nocturnæ, ideirco videtur esse vitiatas gingiuas, non à pituita, sed ab humore in splene contento, quod quidem verum est, propterea quod talis humor caput petens est caussa mediata, sed cum descendit à cap. in gingiuas, dicitur pituita ratione cap. & hæc est caussa immediata, quæ sapit naturam mediatæ.*

De fatore gingiuæ, & eius curatione.

CAPVT VII.

CVrationem non est cur repetamus, cum satis, superque dictum sit cap. de oris fœtore.

* *Hipp. lib. 2. prædict. Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia sunt ijs, quibus sunt splenes magni.*

De gingiuæ diminutione, atque de curatione.

CAPVT VIII.

REcipe Thuris masculi, aristolochiæ rotundæ, sanguinis draconis, farinæ erui, rad. lilij ana partes æquales, conterantur, & scyllino oxymelite excipiantur, hincque gingiuæ affricentur molliter. Item ℞. farinæ ʒ. x. melli commisceantur in trochiscos, qui super testam ponantur, & chiba-

mandentur, vt adeò ficcescant, vt conteri, & in puluerem redigi possint, quibus adijciuntur sanguinis draconis ʒ. iiij. thuris masculi ʒ. ij. aristolochiæ rotundæ, ireos ana ʒ. ij. m. f. iuxta prædictum modum.

De curatione flaccidæ, mollisque gingiuæ.

CAPVT VIII.

SI affectio exigua sit, os rerum adstringentium decoctione, siue frigidæ, siue calidæ fuerint pro ratione dominantis temperamenti, colluere satis est. Luculenter alumen aceto decoctum iuuare consueuit. Quòd si plurima fuerit flacciditas scarificatus conueniunt, vt sanguis emanet, & gingiuæ exprimi debent, vt data via mador omnis erumpat, quo peracto os stypticarum simplicium herbarum decoctione colluendum, qualis est. ℞. Fructuum thamaricis, ligustri ana ʒ. ij. aristolochiæ tantundem, tepefiant, & in vsus apponentur. Siue ℞. balaustiorum, cort. granatorum ana partes vj. mannæ, & aluminis partes iii. rosarum, & sumach, myrthi ana partes viii. spicæ aromaticæ, schœnanthi ana partes decem, omnia cum succo cogantur in linimentum, quod gingiuis adhæreat. In hoc affectu non minùs confert eius venæ sectio, quæ sub lingua, & per labia pererrat. Sed age ad aliud perganus linimentum post oris collutionem adhibendum. ℞. Rosarum cum capitibus suis, piperis an. par. vii. cort. glandiū, balaustiorum, myrthi ana partes iv. siliquarum Ægyptiacarum, sumach mundatorum, Armach, seu crassioris cinnamomi (*Gentilis interpretatur confectionem ex passulis, & gallis*) partes v. vel huius loco myrthi par. viii. Nonnunquā profuit minore Hiera gingiuas attingere, & subinde os aceto scyllino cum eadem commixta colluere. Huc faciunt etiā quædam valde siccantia thymiamata.

De excrescentis carnis curatione, h.e. Epulide.

CAPVT IX.

MYrrha vnà cum chalcantho superponatur suffectura purgandæ, digerendæque hypersarcosi.

* *Manardo dicitur superflua caro ex inflammatione in extremo molari dente, cui dolor, quandoque & feb. iungitur.*

* *Gorræo est tuberculum & carnis excrescentia in gingiuis prouenientes, & ad intimos molares dentes pertinens: sic Celso.*

De labijs eorumque ægritudinibus.

CAPVT X.

DVo labia ad os, dentesque tegendos, ad decorem, ad saliuam continendam, ad iuuandam in homine locutionem creata sunt, eaque ex carne, & neruis, quæ sunt partes lacertorum, qui continent ea.

De fissuris labiorum.

CAPVT XI.

PHarmaca, quæ curandis labiorum fissuris aptantur, cùm siccandi, & stringendi vi prædita, tùm lenia esse debent.

De Curatione.

CAPVT XIII.

INter medicamina in hanc rem accommodata est tragacanthum ore contentum, & lingua ipsa fissuris admotum. In curatione certè ea methodus adhibetur, vt fiat illitus circa fumen, & infernum guttur ex recentissimo butyro, aut ex spumeo lentore, qui ex attritione, affrictuq; mutuo duarum bracteolarum longi cucumeris solet emanare, aut irrorentur succo sebesten, aut aqua hordei, aut mucilagine psyllii. Inter pinguedines, commendantur vituli medulla, recens butyrum, adeps vituli, aut anseris cum melle permixtus, aut oleum rosaceum agitatum, cum oui albumine, & erui farina, aut vng. rosaceum, cui aliquando lythargiros adiicitur.

Inter vsu probata censentur gallæ cõtritæ cum cerussa, amylo, tragacantho, & gallinaceo adipe, aut gallæ ex aceto contritæ cum mastiche, gummi Albothim .i. terebinthina, æsypo, & melle, ex quibus conflatur massa labiis hiantibus admouēda, &c. Inter alimenta verò commendantur pedes, & extrema animalium.

Oblongumque, ouumque recens, & sorbile tardo
Gutture, vt innexu vis medicata iuuet.

De Apostemate, & vlcere labiorum.

CAPVT XIV.

POst catholicam totius corporis euacuationem, quæ superuacuum humorem respiciat, topica sunt vsurpanda, & sanè curatio perindè fermè instituitur, atque laborantibus phlegmone gingiuis, sed hic quadantenus valentiora præsidia sunt adhibenda.

Topica verò vlceribus congruentia sunt, ceu mytobalani, lycium, semina rosarum, cupressi nuces, cucumeris radiculæ, quibus interdum adiiciuntur ahenegi (*Gentilis ait non sciri quid sit, pulus eotis .i. lapilli viridis, quibus puluerizatis Pictores vtuntur*) & caprillæ vngulæ combustæ, & adustum hordeum, & caligo, & vsnea .i. muscus. Inter olea commendantur, quæ ex chrysomellis, aut ex Indica nuce constantur. *lib. de morb. popul. sect. 7. ait febres, in quibus vlcerantur labia, fortassis intermittentes, vt tertianis perfrigerationes.*

De labijs sanguine manantibus.

CAPVT XV.

ELabiorum venulis emananti sanguini conferunt squammæ ferri, & lythargiros, & cerussa, & crocus, & alumen æquis partibus ammixta, ex quibus additis ol. nucis indicæ, & amygd. & cera vnguentum ex arte conficiatur.

De tremore labiorum.

CAPVT XVI.

AFfectus hic vt plurimum per consensum à stomacho proficiscitur, præsertim cum ad est nausea, aut imminet vomitio, maximè in morbis acutis instante crisi. Interdum fit per consensum à neruis è cerebro, & spinali medulla derivatis.

* *Hipp.*

* *Hypp. lib. 1. de Vict. Rat. concutitur etiam in acutis quandoque labium infernum, id quod inter signa mala commmeratur. Item septimo Aphor. in febre non intermittente, si labrum, aut nasus aut oculus, aut supercilium peruertatur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit, quidquid horum fuerit, mors propè est.*

FEN NONA.

De dispositionibus gutturis.

TRACTATVS VNICVS.

De gutturis Anatome.

CAPVT PRIMVM.

NOmine gutturis fauces intelligimus, nimirum illud spatium, in quo simul conueniunt & gulæ, & gutturis extremæ partes, adhæc glandulæ, quæ ad linguæ radicem appositæ, quas amygdalas propter similitudinem appellãt, & epiglottis visuntur. Sed non est, cur pluribus harum partium anatomen prosequar, cum abundè alibi actum sit. Illud non omittendum, epiglottidi instare carneam quandam molem, quam gargareona vocant, cuius quidem vsus est, vt aerem repercutiat, ne integris viribus pulmones ingrediatur, vt fumum, puluereumque ingressu prohibeat, vt sit veluti vocis plectrum, propterea eius defectus tùm voci detrimento est, tùm pulmonibus, qui propterea & externo frigori, atque adeò tussibus opportuniores redduntur. Hinc scitè quæsiuit Alex. cur tabe conficiantur, quibus gargareon penitus abscissus est? Porrò amygdalæ sunt duæ glandulæ ad radicem linguæ appositæ instar duarum auricularum, atque inter has patet via ad œsophagum, quarum vsus profectò est, vt aerem cogant, vniantque ad caput tracheæ, ne dissipetur, sed potiùs introsubeat per asperam arteriam ad cordis æstum temperandum, alioquin deficeret animal. Epiglottis verò est caro membranosa à radice linguæ exoriens, & laryngis ostio apposita, prohibens, ne inter edendum, aut bibendum aliquid in asperam deerret arteriam: Supra galsamac .i. panniculum communem cap. ori, & gutturi est os hyoides habens quatuor latera, duo superiùs, & duo inferiùs, super hoc osse veluti base innititur lingua. Sed deinceps gulæ, gutturisque anatomen prosequemur.

De affectibus gutturis membrorum.

CAPVT II.

INterdũ singulis partibus accidunt modò morbi similares nempè intemperies, modò organici, vt apostemata, & paralyses singulares.

De spinis congeneisque acutulis gutturi infixis.

CAPVT III.

VBi ossula, mucronatæ spinæ, aut ligni cuspides faucibus hærent, animaduertere opus est, nunquid hiante ore in conspectum ueniant, & facilè apprehendi, appendique possint, tunc immissa penna, aut vncinulis, aut forcipe extrahi, eximique debent: Si lateãt oculos, si se se noxia in imo recondant, lubricantibus, laxantibusque iusculis identidem vtendum, ut per laxamenta exitus parentur, quæ si non profuerint, singultus, uomitusque tùm penna oleo intincta, immissaque digito intruso, tùm tepidiore pharmaco uorato excitentur; Et sanè inter cætera, quæ experimento probauimus nasturtio nil præsentius, si quotidie semẽ eius contritum drachmæ pondere cum tepida sorbeatur, & vomitio sequatur, nam hinc certò expellitur noxium, vomitio autem maiori cum emolumento pastis, quàm ieiunis proritatur.

Nonnunquam carnis, aut spongiæ frustulum filo innectitur præbeturque deuorandum, subinde repentè retrahitur, & ita fit, ut una etiam noxium foras exigatur, eximaturque. Hoc idem uinctis ficubus probare licet, & deglutitis subinde extemplo eductis. Huc faciunt & gargarizonta concinnata ex sapa decoctionis caricarum, & frequens usurpata, ita enim fit, ut loco dimota tandem pellantur. Extrinsecus uerò admouentur malagmata, quæ malaxandi, coquendi, & aperiendi ui pollent, ut per uias patentiores relaxata particula, noxium foras erumpat: Huc facit & cataplasma ex hordei farina cum oleo sesamino, aut amygd. & tepidiore aqua concinnatum *Plinius lib. 7. Fabius Senator Prætor in lactis haustu uno pilo strangulatus est.*

De hyrudinibus gutturi hærentibus.

CAPVT IIII.

QVi siti premuntur, aliquando non ita cautè, aut accuratè aquarum conditiones legunt, examinantque, sed indiscretè, temerèque aliquãdo hauriunt, quibus interdum minimæ hyrudinulæ subsunt, quæ faucibus hæreut, & infiguntur, nõnunquam in abditiores particulas nonnunquam in stomachum irrepunt. Et licèt inspicientibus nihil appareat, vbi tamen sanguine turgidæ tument, tunc hiantibus manifesto patescunt.

Hirudo ab hærendo carni dicta. Hor.
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

De Signis.

CAPVT V.

HIs, quos hyrudo in gutture fixa perangit plurimus mœror, timor, & anxietas, & cruẽta spuitio accidit. Vbi igitur quempiam ab aquæ potu tenuem sanguinem excreantem obseruaueris per vices, tunc gutturis regio diligenter inspectanda, fortasse enim latitat hyrudo, ni acrior fluxio illud idem effecerit.

De Curatione.

CAPVT VI.

QVæ faucibus hęsitat, si oculis hauriatur, utique tenaculis, aut aliter etiam eximi potest.

Inter-

Interdum curationem moliri licèt gargarismis, & suffitibus, si circa guttur inhæreat, si circa nares errhinis, si circa stomachum vomitione, & ventris solutione propulsanda.

Alia quoque industria foras illiciuntur, nempè tepente balneo, in quod patiens ingredi debet, & morari deuoratis priùs alliis, subinde continenter ore frigidior aqua continenda, dum hyrudo calloris vi lacessita ad frigidam sursum repat in os. Quod si ex mora in balneo syncopes discrimen etiam impendeat, non est ea cura cum discrimine negligenda, quia sola sufficere consueuit. Interdum sola alliorum comestio, & insolatio satis fuerunt, dummodo patiens hiante ore frigidam aquã continenter cõtineat, in quam hyrudines sursum respirantes nataturiunt.

Non desunt, qui præbeant cimices vorandos ex aceto, aut vino, aut certè mandant, vt hiante ore eorum fumum per embotum, aut siphonem excipiant. Sed & sal cum aceto mixtum, & voratum sanguisugas deturbare loco solet.

Inter gargarismos verò quidam concinnantur ex aceto, & assa fœtida sola, quidam ex synapi, & duplo nitro, aut ex synapi, & salis ammoniaci pari modo, aut ex stœchade cum dimidio sulphure, aut aqua absynthii, aut nigellæ parte, nec minùs fiunt ex D. alliorum, absynthii, lupinorum, colocynthidos, & ilicis. Aut ℞. Aceti ʒ.ij. nitri ʒ.ij. salis ammoniaci ʒ.j. &c. Sed gargarismus ex D. salicum proprietate quadam præstare creditur, similiter oxycratum D. assæ fœtidæ, & picis liquidæ.

Quod si hyrudo stomacho inhæreat, tunc illud pharmacum, necessarium est. ℞. Stœchados, abrotoni absynthii, nigellæ, lupinorum, costi, nasturtii, menthastri, ilicis ana ʒ.ij. m. cum aceto, & voranda præbe. Item allia, cæpe, porra, calamenthũ fluuiale, & conditum synapi, cæteraque acria, & acuta conueniunt, quibus sumptis subinde euomat, at si difficilis vomitio sequatur, vtere salsis, acutis.

Quod si hyrudo circa nasi particulas inhæreat, tunc errhinis exturbari debet, quæ fiunt ex aceto, nigella succo, cucumeris asinini, & helleboro. Vbi verò tali industria adhibita ceciderit hyrudo, vocibus, clamoribusque patiens pareat, oportet, sed summa tranquillitate animi corporisque Pythagoræ agat discipulum. quòd si hæmorrhagia fatiget, sanguinisque effluuium negotium facessat, ijs præsidiis inhibendum erit, quæ suo adscribentur loco. Hermodactyli verò quadam peculiasi vi hyrudines expellunt, solent etiam quodam chirurgico machinamento eximi. Patiens ad solem ponitur, os panditur, lingua spatula deprimitur, vbi se se in conspectum dedit sanguisuga, forcipe comprehenditur, & eximitur.

De suffocante angina.
CAPVT VII.

PRæfocatio est uetitus anhelitus, siue aeris ad pulmonem, & cor præpeditus commeatus, hocque accidit plurimis ex caussis, nempè deleteriorum pharmacorum, puta taurini sanguinis haustu, aut certè cuiusuis sanguinis concretione, & corruptione in visceribus. Sed in præsentiarum de ea tantùm agendum est, quæ faucium, & epiglottidis vitio committitur, siue apostema, siue compressio, siue virtutis motricis defectus adsit, propterea aer non attrahitur. Scitum autem est quodlibet apostema circumsitarum partium meatus premens impedire, & obstruere, præterea palam est, musculum, per quem motus aeris attractiuus fit, esse epiglottidis proprium, qui aut ob siccitatis dominium, aut humiditatis excessum, aut ob cõuulsionem motionis officio supersedet citra vllam meatuum obstructionem. Angustia verò, compressioque interuenit aut ob vicinarum partium coarctationem, aut vertebrarum laxamenta, ut cæsis, lapsisve visu venit, quæ sanè curationem non admittit, siue hoc accidit ex abscessu circa musculos spondillorum, & ligamentorum, aut circa œsophagi lacertos, & ligamenta, quæ uertebras introrsum retrahunt, siue hoc accidat ob musculorum conuulsionem, qui uertebras introrsum reflectunt, siue humida sit, siue sicca, quæ deterrima est. Infantibus certè ut plurimum ob mollitiem, leniratemque ligamentorum euenit, quò fit, ut nullo luxentur uertebræ negotio. Illa verò cæteris deterior est, quæ accidit luxata secunda uertebra, non item, si inferiores loco dimoueantur. Sed omnium perniciosissima est, quæ fit luxata prima. Proximè ad hanc accedit, quæ vermium canssa molestat, cuius mentio fiet cap. de difficili deglutitione; Apostemata verò iuxta partium, quæ afficiuntur, differentiam, quadripartitò diuiduntur; Aut enim insunt externis epiglottidis musculis, qui ad anteriora declinant, atque ad inferiora, & in apertum sese proferunt, anteriorèque iugulo rubedo apparet; Aut circa pectus, aut in lacertis extrinsecis, qui vergunt ad posteriora uersus œsophagum, tumque tumor, & rubor in faucibus uisitur, & pertinet usque ad uertebras; Aut certè apostema occupat musculos œsophagi, & partes circumsitas, & ob vicinam spiritus organa lædit, & tumor non se se promit; Aut intrinsecus epiglottidis lacertos inoccupat, eiusque tunicam, & hæc reliquis deterior est inflammatio, quæ etiam non apparet, interdum plures particulæ eadem phlegmone tenentur; Qui autem hæc apostemmata committantur, non est aliunde quærendum, quàm ex ordine, quo alia excitari solent. Interdum quorundam eduliorum vsus phlegmonam parit, vt Andacocha. (*Manardus, Medica quanto olim nitior Italiæ, tanto nostro sæculo ignotior, quam sit in Hispania vulgaris, quam Anic. simul cum nomine Cot, & Aliſtiſcat lib. 2. aſcribit, licet lib. 3. cap. de Tremore, vbi oleum de Andacocha multum laudat, videatur eandem per Andacocham intellexiſſe, nempè Medicam vocatam herbam*) cui medetur lactuca, endiuia. Accidunt nec minùs citrà vllam plethoræ præsentiam, & citra cacochymiam, sed circa vicinas partes duntaxat excrementa delitent, quæ subinde coaceruata apostemata gignunt, quæ aut forinsecùs oculis patescunt, aut intrinsecùs passo ore videntur, alia delitescunt, nulloq; tumore, aut rubore se prodũt, alia œsophagum, aliaq; epiglottida afficiunt, neque cerni possunt, nisi diligenter compressa lingua.

Horum

Horum apostematum porrò causæ modò sanguis est, modò cholera rubea, modò pituita liquens. Sed vt plurimùm musculus laryngis madore, mollitieq; turgescens, & angustiam patiens præfocationis discrimina parit.

Inter cæteras anginas, quam phlegma parit, vt est mitior, ita securior quamquam paulò prolixior est, producitur enim aliquando vsque ad xl. diem, quod sanè phlegma modò crassius viscidius, frigidiusque est, modò subtilius, calidiusque hocque vt plurimum è capite in musculos inferiores gutturis, & illud in musculos superiores epiglottidis decumbit, cum præ crassitie, & lentore penitiores particulas peruadere nequeat.

Rarò autem anginæ melancholicum siccum excipiunt, imò et quorundam sententia omnino non accidunt, quoniam infrequens fit metastasis subitâ crassissimæ materiæ. Quidquid sit, non est adynaton, quin aut subitò, aut paulatim confluat, & angustiam, atque adeò anginam pariat. Nonnunquam deficit ex calido in frigidum apostema resolutis calidis, tenuibusque particulis, & hoc in malis habetur, siquidem omne apostema præfocatiuum aut perimit, aut resoluitur, aut collecta materia durescit, aut suppuratur. Apostemataque licèt in gutture insideant, non semper ad tantam magnitudinem perueniunt, vt suffocèt, Illa certè sunt deterrima, quæ cogunt ægros hiante ore, & exerta lingua recta respirare, dicunturque cynanchica, siue quòd interni Epiglottidis musculi phlegmone afficiuntur, siue quòd gemini simul afficiantur musculi, siue quod vertebræ introrsùm luxatæ perurgeant.

Angina nonnunquam in peripneumoniam pulsa in pulmones materia commutatur, interdum in conuulsionem facessit ad musculos excussa, aliquando cor ipsum petit, interficitque, nonnunquam præceps ad stomachum decumbit, vbi maximè œsophagi partes inoccupat. Qui præfocatus anginis moritur, priùs conuulsionem incurrit. Cynanche certè quatridui spatio ob acutiem terminatur.

Porrò anginæ verè potissimùm efflorescunt, quando Ver rigidius est, hyemisque naturam refert. Vbi ægri angustia sese præfocari præsentiunt, naribus spiritum attrahunt, & magno conatu pulmones mouentur, vt auxiliatum veniant, imò pectus cum collo velociter quoque commouetur, si vires adfuerint, & inter anhelandum thorax nõ inflatur. In feb. acutis, & conclusis etiam interuenit suffocatio, quæ variolas portendit, in quibus frequenter dolor gutturis succedit, licèt non adsit angina. Et sanè in feb. acutis difficilis, præfocansque anhelitus est admodum exitialis, quoniam hic magna spirandi necessitas ad extinguendum excitatur intus incendium, qui sanè anhelitus vt plurimum die critica apparere consueuit in ægri perniciem propter actisiam.

Dicta est angina, quòd angat.

* *Plautus. Vellem me in anginam verti, vt huic aniculæ fauces præoccuparem.*

Festus. Anginam vinariam habere dicuntur, qui vino suffocantur.

Est autem angina abscessus ad venas iugulares siue à glutinosa, frigidaque fluxione, quam pituitosam vocant, siue à calida, & acri, quam picrocholam appellaueris, quæ & cynanche dicitur.

* *Capinacceo est compressio faucium procedens ab inflammatione.*

* *Notat Manardus, Auic. nomine Alabes eas notasse suffocationes, quæ procedunt à causa externa.*

De Signis.

CAPVT VIII.

COmmunia Anginarum, suffocationumque symptomata sunt anhelitus, deglutitionisque difficultas tanta, vt potulenta aliquando per nares, & oculos refluant, præterea oris hiatus, lingua exerta, & in vehementi ferè immobilis: voxque per nares efflatur, tametsi reuera per nares non effatur.

In angina à phlegmate proueniente dolor non est adeò vehemens quemadmodum in ea, quæ proficiscitur à bile, in qua præ doloris acrimonia tanta fit humorum confluxio, vt collum, & facies intumescant, & lingua exeratur: Illa verò anginæ species est tutior, in qua leuior est respiratio.

Pulsus præfocatione laborantium in primis frequentes sunt etherorithmi, subinde etiam fiunt parui, & rari. Qui verò ea anginæ specie laborãt, in qua pariter musculi œsophagi, & epiglottidis laborant, & phlegmone vt oculis patet, ita tactu percipitur, frequenter vomituriunt.

Quæ verò ex vertebrarum luxatione pendet, hoc habet peculiare, vt ceruix quadantenus introrsùm ad anteriora recurrat, & deprimatur, non sine foueæ, vbi vertebræ remouentur, dolorque immaniùs vrget, & vbi deuorandum aliquid portigitur, nihil omnino descendit in aluum.

Hoc porrò interest inter difficultatem respirationis ex angina, & peripneumonia, quòd hæc repentè non strangulat, illa licet enecat. Ad hoc inter synanchen, & cynanchen illud discriminis est, siue inter phlegmonem epiglottidis, & œsophagi, quòd in hac libera quidem respiratio, sed laboriosa deglutitio est, à contrario, vbi inflammatio epiglottida premit, quamquam aliquando tam vehemens, & insignis est inflãmatio, vt meatum etiam cibi coangustet, & deglutitionem vitiet, & vicissim œsophagi inflammatio vsque adeò latè diffunditur, vt respirationem lædat, sed animaduertendum hoc duntaxat usu uenire, vbi apostema supremam œsophagi partem occuparit, nõ item, si inferiore loco insideat. Vbi ergo plegmone intrinsecos œsophagi musculos occupat, oculis non legitur, licèt lingua sedulò deprimatur.

Discrimen verò inter malignam inflammationem, & mitiorem, quantumuis postremum musculi œsophagi opprimat, & non inspiciatur, illud est, quòd quemadmodum in ea respiratio laborat, ita in hac incolumis est, nisi fortè tempore deglutitionis. Porrò vbi musculi epiglottidis inflammantur, nullibique tumor emergit, interimque summo labore spiritus ducitur, in malis habetur: Mitior illa est angina, in qua licèt intus nihil

hil emineat, foris tamen tumor emergit. Illa verò angina deterrima, in qua citò anhelitus prohibetur, & resupinis penitus etiam adimitur; alio situ positis difficulter trahitur, & patiens ipse collum protendit, vt minùs laboriosè respiret, imò stare loco nescit, & subrecta ceruice manere cogitur, quin collum, & partem thoracis protrahit, vt rebus suis prouidenter consulat. Vbi itaque anhelandi difficultas eò peruenit, vt inter respirãdum spuma circa os appareat, tũc conclamatum esse puta, neque eius cura suscipiẽda; quamquam aliquando etiam ij restitui possint, vbi virtus constiterit, & ad oblata rectè se se habuerint. Sed vbi facies viridi pallore fœdantur, orbitæque oculorum nigrescunt, pulsusque minimi fiunt, extremaque refrigerantur, linguaque crassescit cum fuscedine, tunc in propinquo mors est, tantòque celerius Libitina propinquat, quò vehementior febris adfuerit, quoniam maior respirandi necessitas præsente febre inducitur. Alibique notauimus, illum ocyssimè de medio tolli, cui angiuã patienti colli posterioris color alterascit, equè rubedine in pallorem, aut cæruleum colorem deficit, cũi axillæ, inguinaque frigido sudore madent.

Salutis verò ea signa sunto; si tumor, ruborque ad exteriora deuergat, tunc enim ægri oculos, vocemque pandunt, similiter si respiratio secundùm naturã redeat, vt breui interuallo trahatur, quoniã vbi maximè laborant, ex lõgis interuallis spiritum ducunt præ labore, & cruciatu, vt paulatim aer ingrediatur, vbi igitur breuiori tempore ducitur respiratio, vt remoti impedimenti significatio præbetur, ita restitutionis in pristinum statum magna spes affulget. Idem arguitur per metastasim materiæ in aliud membrum: Signa autem huius translationis sunt tumor citra vllam euidentem euacuationem disparens, mollitudo, &c. Dein considerãda pulsuum dispositio, namque si sit vndosus, magnus, & accidat etiam tussis, tunc permutatur in peripneumoniam, si verò pulsus sit conuulsiuus, tunc facta in neruos metastasi fit conuulsio: Quod si pulsus debilis euadat, minimus, rarus, tremulus, & cordis palpitatio succedat, & calor innatus resoluatur, & syncope superueniat, tunc translatio facta est ad cordis thalamos. Quòd si nausea, anorexia, cardiogmos infestent, humor ad stomachum præceps decumbit. Huius metastasis illud est indiciũ, quòd augescente nouo morbus prior remittitur. Interdum angina accidit non sine rubedine colli, & pectoris, & erysipelas intus latet, quod bipartitò euenit, aut ex refluxu materiæ ad interiora, aut propter euacuationem, si hac de caussa fiat, leuamen sequitur, spiritus facilè redditur, & spes salutis affulget, si ex refluxu materiæ contingat malam est.

Porrò sanguineæ veniunt hæc signa cynanches,
Lingua rubet, roseo funduntur lumina, necnon
Ora colore, sapor dulcis plerumque lacessit,
Quin dolor excruciat vehemẽs, & spiritus ægrè
Ducitur. Anginæ autem ex bile hæc signa notantur.
Maximus ardor ineſt, mœrorque, sitisque molestant,
Immanis dolor exsurgit, vigilesque fatigant
Linguæ ardor, mordax, arens, & tristis amaror,
Spiritus interea sequior, tolerantior atque
Ipse dolor, quàm qui vitiato sanguine cretus.

Signa verò phlegmaticæ anginæ sunt salsedo, nitrositas cum caliditate, & visciditate quadam lingua percepta, quando pituita vitium per putredinem fecit, huc spectant color linguæ albidus, simulque faciẽi pallor, sitis, & ardor minimùm molestant. Nonnunquam præ molitie lingua emittitur, raròque in glandulis accidit apostema ex phlegmate, dolorque parum molestat, neque febres vnã admodum inualescunt, durantque vsque ad xl. diem. Tumorq; ex ea proueniens vsque adeò mollescit, vt non admodum difficilis euadat deglutitio, quia prementi tumor cõcedit.

Signa verò melancholicę sunt prędurus tumor, ponticus sapor, tarda generatio, imò aliquando huiusmodi apostema consequi solet phlegmonen calidam. Signa verò eius suffocationis, quæ partium spiritualium siccitatem excipit, sunt oris siccitas, iuuamentum ex humectãtibus, & ex collutione oris perceptum, maximè si fiat ex materia humectante, & emolliente. Sciendum interim in gutture vsque adeò rebellem aliquando dolorem excitari, vt se in annum, aut potius in binos protrahat annos, & petrificam humorum conditionem in ijs partibus arguit.

De catholicis curationibus apostematum, quæ partes faucium angunt.

CAPVT IX.

IN quacunque anginę specie necessum est à carceribus euacuationem moliri, siue phlebotomia, siue pharmaco, siue cucurbitulis, vt humor affluens, & influens auertatur, & currentis, præcipitisque materiæ impetus infrænetur; Affigi autem debent medicæ cucurbitulæ longinquis partibus puta lumbis, & scapulis, quin & extremis partibus vincula inicienda sunt. Peracta euacuatione adhibendi sunt gargarismi repellendi, atque abstergendi facultate præditi, ceu mel ipsum, sed hoc præstantius est dianucum, aut diamoron. Huc spectat & gargarizatus ex aceto, repellit enim, & discutit, & roborat, eodem censu tenentur alumen, gallæ, balaustia, mala punica decocta vsque ad dissolutionem, vt ex eis fiat linctus. Inter cætera, quæ conferunt est syncipitis abrasio, & illitus ex succo acaciæ, hocque in principio, subinde gradus fieri debet ad maturantia, postremò accedendum ad aperientia, & digerentia vsque ad salis ammoniaci, & ad pyrethri vsum, & ad ea, quæ paulò post dicturi sumus. Præterea sternutamentum conferre consueuit, proin excitari debet, aut struthij, aut lauri, aut costi, aut sampsuci, aut oleandri puluere. Inter experta, quę peculiari, occultaque facultate omnibus faucium phlegmonis conferunt

Serica fila quidem sunt murice tincta Marino
Vipera quæ prius horrendo truculenta veneno
Sit, compressa, atq; ægri dein circundata collo.

Solent

Solent enim mirabile beneficium conferre. Sed à carceribus, gargarismus ex lacte, & etiam succedente tempore vsurpatus inter præcipua præsidia censetur, nam repellendi, leniendi, & mulcendi dolorem vim habet. Animaduertere autem operæpretium est, quibus corporibus adstringentia, lenientia, aut maturātia administres, nam pro corporum varietate, ita præsidia variè instituì, & permutari conueniens est, nec minus temperamētum est obseruandum, & ætas, & tempus, & consuetudo. Hocque catholicum est vniuersis guttu-ris apostematis, vt vbi emollita fuerint, incidātur, vt materia foras erumpat, & periculum æger euadat strangulationis. Inter cætera præsidia est & compressio super locum, loca autem tria sunt, vbi remouentur vertebræ, vbi vua, & tonsillæ phlegmone laborant, qua causſa prolapſæ videntur, vt subleuatione ad superiora indigeant, denique vbi apostemata phlegmatica sunt, & ambos cogunt, stringuntque meatus, tunc enim tergendo, & attenuando comprimere confert.

De præfocationum ex quacunque cauſſa methodica curatione.

CAPVT X.

IN angina ex materia calida proueniente curationem à sanguinis missione ordiri oportet, sed sanguis confertim mittendus non est, sed per epicrasim, præsertim si vires nō consistiterint, hocque vsque ad tertiam diem, robustioribus autem sanguis vsque ad deliquium animi educi potest, quod tamen caueri debet, ne cum sanguine vita quoque deficiat. Mandandum autem, vt tenuissima diæta utantur, maximè si febris adfuerit. Animaduertere interim oportet, quòd apostematum cauſſa interdum est consueta sanguinis euacuatio suppressa, quo in casu ad euacuationem reuocandam studium conuertendum est, quod si hæmorrhoides substiterint, admouendæ quamprimum ijs hyrudines, si menstrua, vena saphena tundenda (vbi enim hinc plurimus sanguis educitur, affectus etiam illicò sedantur) & si non remittuntur, mane repetenda phlebotomia, sed reuera cum dispositio dilationem phlebotomiæ tolerat, dum matureſcat inflammatio, vsui maiori esse consueuit, sic enim viribus parcimus, & materia ægritudinem pariens vnà educitur, identidem autem mittatur sanguis, sed modicum volo, & per vices, donec anima facilior sequatur. Gargarismi item posthabendi, vbi magna sit plethora, maximè si magna reprimendi vi polleant, vsurpenturque, ubi depletum fuerit corpus. Exemplo sit apostema circa colatoria, & amygdalas supra galsamach erupens, in quo quando phlebotomia celebratur ante ægritudinis declinationem maiori impetu phlegma ad locum affectum irruit. Principium verò, augmētū, & declinatio ex difficili, aut facili deglutitione, & anhelitus lenitate, aut labore digno scitur, dum igitur affectus in incremento perseuerat, ne fiat vltima phlebotomia, imò sufficiat ea, quam innuimus. Et vbi angina citra communem moritur plethoram, sed duntaxat particularē repletionem circa partes gutturis agnoscit, potest vtique sanguinis missio prætermitti, imò vniuersæ occasiones, quæ necessitatem plurimùm nutriendi inducunt, abdicentur, quin prohibeatur nutrimentum, vt sanguis absumatur in alimentum, & auertatur à parte phlegmone laborante, quasi rapiat sanguinem ab ea, deinde conuertatur ad resolutionem, & maturationem. Nam si hîc sanguis educatur, corpus inanitū refici vult, id quod cibis efficitur, & in cibatione succedit dolor, & labor, atque adeò morbi incrementum.

Non est autem dimittenda linguæ phlebotomia, imò festinare oportet ad eas uenas secandas, quæ ranulæ appellantur, & certè eadem die, maximè obita priùs sectione venarum brachii, ad antispasim moliendam, interim uenę sub lingua turgeant. Interdum necessaria est uenarum iugularium sectio; interdum linguæ ipsius scarificatio utilis est. Quin cruribus admouendæ cucurbitulæ, ualde enim conferunt, maximè à principio, opportunis uerò huiusce modi inflāmationibus præscribenda est purgatio, & præsertim phlebotomia tempore Veris.

Inter cætera uerò præsidia, quæ curationi sunt necessaria, censentur acriores clysmi uel in principio adhibiti, ni feb. uetuerit, (tunc enim leniores clysteres sunt usui.) namque huiusmodi præsidia, itemque acriores glandes magnam uim habent reuellendi. Interim extrinsecùs adhibendi litus, & lana succida collo circundanda est, eademque oleo oliuarum inebrianda, aut chamæmellino, sic enim sedatur dolor, & emollitur, quibus sub fine attrahentia adijci possunt, puta nitrum, synapi, castoreum, sulphur, tādemque ipsum mel anacardinum, & quidquid rubedinem, uesicasq; excitat metasyncriticum.

Diæta sit huiusmodi, ut tribus primis diebus æger uescatur solo oxymelle, aut rhodomelle, subinde ad hordei cremorem cum quibusdam potionibus iocundis, postremò etiam ad oui uitellum gradus fiat. Vbi uerò æger facilè deglutire cęperit, dentur sorbitiones, utpote ex fare, & hordeo, subinde etiam digerentes, quales concinnātur ex farina tritici. Vbi autem difficillima est deglutitio, uertebræ secundæ medicæ cucurbitæ apponantur, (peracta iam generali uacuatione, & fluxionis omni suspicione remota) non sine multo igne, ut meatus pateſcant, & cibi facilè præterlabantur.

Sumpto cibo refigendæ sunt cucurbitulæ, atque remouendæ, sed ignitę cucurbitulę solent per se cadere, quòd si nigreſcant loca, possunt etiam cum scarificatu admoueri, ut sanguis egrediatur ex locis post aures, nec minùs sincipiti cucurbita admota, & scarificata iuuat, denique affigi debēt & mento, & gutturi, sed hæ non nisi absumpta iam antecedente materia, & ritè repurgato corpore, siquidem hæc præsidia uim habent trahendi ad contraria ex alto scilicet foras, & imminuunt copiam. Sed primò sub mammillis, & super interscapulium sunt affigendæ, neque indecens est instrumentum quodpiam intrudere xylinum quo partes tergeantur, & mundificentur, siquidem detersio uias peruias efficit. Interdum affabrefit cannula aurea, aut argētea, & intruditur, ut per ipsam

tanquam per tubulum spiritus, animaque effletur, neque possumus, quin cucurbitæ super ceruicem affiganrur, vbi magna est angustia, pariterq; confert scapularum fortis percussio ad dilatandos tùm spiritus, tum alimenti meatus.

Quæ verò potiones à carceribus adhibentur, vi stringendi præditæ esse debent, maximè in sanguinea angina. Inter styptica verò ea præstant, quæ substantiæ tenuitate donantur, vt succi limonum, malorum punicorum. Sed temperata styptica magis conferunt, vt patet experimento, quàm sola. Atque vbi dolor vehemens est stringentibus anodyna sunt intermiscenda, veluti iulapium violaceum, penidia, lac tepidiusculum, mucilago sem. lini extracta ex aq. maluarum. Similiter quãdo affluxus materiæ perseuerat digerentia apocrusticis admiscenda sunt, nec minùs quando minima est effluxio & phlegmone mitissima, in his igitur possumus vti gargarismis conflatis ex D. gallarum, & salis ammoniaci, quæ validè repellunt, resoluuntque.

In angina verò cholerica, gargarismi adhibendi sunt refrigerantes inter mixtis stypticis, soriscque linimenta laxantia fiunt, quæ in omni alia calida angina adhiberi debent quemadmodum & pulueres per tubulum intrò sufflantur. Est gargarismus, qui tùm calidæ, tùm frigidæ anginæ conuenit, fitque ex oxymelle, aqua, & aceto; maximè addito diamoro, potestque eius stypticitas augeri additis sumachio, omphacio, rosis siccis, balaustijs, quibus ideò additur mel, vt detergeat, iuuat item D. tribulorum cum melle, aut D. sumach cũ sapa. Sed hisce omnibus præstat dianucum (præsertim si fluxio tenuis sit) item succus rosæ recentis, & papaueris, qui cum stypticis permiscetur in principio, valde confert. Huc facit & D. myrtillorum, & glandium, & aqua coriandri, & sumach, & corticum nucis, & lentium decorticatarum, quò spectant & cotonea immitia, & sorba, sed magnam habet proprietatem fumus aluminis. Fit etiam puluis ex sem. rosarum siccarum, sumach, balaustiorum æquis portionibus, modica addita caphurã, qui per tubum in fauces insufflatur. At in cholerica confert gargarismus ex succis olerum frigidorum additis adstringentibus, ceu virgæ-pastoriæ, succi solani, pampinorum vitis. Fiunt etiam hypoglottia ex puluere sem. rosarum, portulacæ, cum psyllii mucilagine, amylo, spodio, sumach diatragacantho, caphura, quæ sanè à principio adhiberi, & sub lingua diutissimè detineri debent. Quibus fluxione remota, & inclinante malo adijci possent diamorum compositum cum myrrha, croco. Mirrha enim digerendi, adstringendique facultate prædita intrò se se ingerit, vnàque crocum conducit, & vnà congregantur ad pepasmum promouendum.

Quod si apostema durescere videatur cum diamoro nonnihil nitri admiscendum.

Accedente verò statu ea sunt administranda, quæ tùm leniunt, tùm mollunt, & sedant, sicut lac cum cassiæ pulpa dissoluta, uel D. ficuum, fœnogræci, vel succus caulium cum melle, aut bdellium Arabicum dissolutum cum sapa, similiter iuuat D. passularum, liquiritiæ, fœnogræci, dactylorum, lentium rosarum, & succi liquiritiæ, & seminis marrubij, ab hoc gargarismo fieri potest gradus ad valentiorem, qualis foret ex diamoro cum nitro, myrrha, diatragacantho, semine marrubij dissolutis in lacte caprillo, fiunt etiam gargarismi ex ol. calfacientibus cum melle, & galla, item ex hydromelle decoct. ficuum, calamenthi, sampsuci, anethi, menthæ, syrimbrij, rad. liquiritiæ, siue iunctim, siue separatim conflentur. Hoc tempore potissimùm conferre consuevit costus marina in gargarizatus adhibita: Et sanè in verò morbi statu abstersioni completæ, & disruptioni incumbendum adiectione acrium, & acutorum, vt nitri, assæ fœtidæ, myrrhæ, piperis castorei, stercoris hirundinei, lupi, ex quibus decoctis concinnari potest gargarismus, cum diamoro, imò cum sale ammoniaco, pyrethro, semine syluestris ruthæ, & synapi, aut sem. raphani, addito oxymelle. Huc spectant & insufflatus ex sale ammoniaco, qui satis bellè sedant.

Vbi verò malum declinare uidetur, potes utiq; propinare uinum, ægrum in balneum deducere, & partem fouere perfusionibus. Sed age in mediũ pillulas præscribamus, quæ in statu conueniunt. ℞. rad. lilij iij. partes, assæ fœtidæ medietatem partis, cogantur cum succo caulium, aut cum sapa.

In phlegmatico autem apostemate, necessum est radium indutum bombace, aut panno in guttur intrudere imbutum oxymelle, aut rhodomelle, hocque loca sunt detergenda, & sanè in antiquo adijci potest assa fœtida, & cinnamomum. Hic cathartica usui sunt, proin uenter pill. cochijs, hiera, & similibus soluendus est, nec minùs acribus clysmis sollicitandus.

In melancholico autem apostemate, confert gargarismus ex D. sem. ruthæ syluestris, quo & loca exteriora foueri possunt.

Cæterùm inter pharmaca, quę proprietate præstare creduntur, & omni tempore conueniunt, est stercus album canis, & stercus lupi albi, quod hoc modo colligitur. Domi cõtineatur Canicula, quæ præter ossa, nihil deuoret, tandiuq; custodiatur, donec stercus deijciat album, quod parum fœteat. Hoc facit & stercus pueri, qui priùs lupinis fuerit alitus, veteriq; uino se se repleuerit: stercus colligitur, exsiccatur, & seruatur in usus, est enim parum ingrati odoris, quod si puer aliquid amplius desideret, dentur, quæ boni succi,

facilis-

faciliſque digeſtionis ſint, & quæ moderatè calfaciunt, ſicut gallinæ, perdiculæ, caprilli armi; hæc enim, quia facilè conficiuntur, excrementa fœtentia non edunt. Huc faciunt & hyrundines aduſtæ, decollantur priùs, vt ſanguis vniuerſus effluat, ſale conſperguntur, ſubinde olla bene lutata claudantur, & mandantur clibano. Iuuat & earundē ſtercus ſedulò aduſtum.

Interdum internæ palati partes illinuntur hoc cataplaſmate, quod fit ex felle taurino, melle, felle teſtudinis, flore æris, & cap. piſciculorum ſalitorum, ſed præcipuè hinc iuuatur vua, vbi ſtaphillomate laborat, nec minùs gargariſmi conueniunt ex D. ſem. raphani, & oxymelle. Vitriolique genus omne in gulæ, & glandularum abſceſſibus prodeſſe conſueuit.

Inter compoſita præſtat diamorum compoſitum cum myrrha, & croco, & quæ ex aduſtarum puluere hyrundinum, & ruthæ ſylueſtris conflantur, & dianucum, maximè in tenui fluxione, quò ſpectant & trochiſci Andaron .i. de croco. ℞. ſtercoris canis albi, aduſti in teſta, aut non aduſti ℥. i. piperis ʒ. ij. gallarum aduſtarum corticis granatorum, & pilorum barbæ porci, & ſimij, & Aldhiaba .i. vulpeculæ ana ʒ. j. myrrhæ coſti ana ʒ. v. f. puluis inſufflandus, aut melle excipiatur pro illitu: Accedente ad ſtatum morbo, atque etiam declinante vti confert ſtercore pueri, qui comederit priùs lupinos, huc facit, & ſtercus canis, & hyrundinum aduſtum, & ſal ammoniacus, quæ ſæpius iterari debent. In his etiã lingua aliquando phlegmone laborat, ad quam curatio dirigi debet, ſed abundè alibi de affectibus linguæ actum eſt, quare eo reuertamur, vnde digreſſi ſumus. Neceſsũ igitur eſt poſt ſanguinis eductionem materias deorſum trahere pharmaco ſoluente, puta Hiera-picra, prærogatiua enim quadam præſtat in detrahẽdo materias, quæ infeſtant gutturis regionem, & ſtomachum, a quo refrigerans aliquid ſuperhauriatur, puta lactucæ ſuccus, habet enim peculiarem quandam vim, poſt quæ reſoluentia mediocria adhiberi poſſunt.

In Angina verò à vertebrarum luxatione pendente, eò allaborandum, vt manibus, aut alio machinamento coaptentur ad poſteriora impellendo, aliquando enim in locum redit, & hoc præſidium ſatis eſt. Inſtrumentum verò, quod adhibetur ſimile eſt fræno, quod in os immittitur, & retractum ad exteriora propellit vertebras. Compreſſio verò in apoſtematibus valde noxia eſt.

Vbi verò vſque adeò deploratæ conditionis eſt angina, vt nulla ſpes alia ſuperſit, tunc ad ſcarificatus gutturis accedendum, & ad cannæ inciſionem, quæ fit inter duos annulos cannæ, vt per foramen illud reſpiratio obeatur, quod apoſtemate curato ſui poterit, vt coaleſcat; Sic autem inſtitui poterit curatio, capite ad poſteriora inclinato cutis cum vncinulo prehenſa dilatetur, & à canna abſtrahatur, & findatur interſtitium inter duos annulos medium. Hoc peracto ſutura vniatur vulnus, & ſuperponatur puluis citrinus, & oportet, vt labia fiſſuræ cutis ſolùm duplicentur, nefas autem ſit panniculos, aut chartilaginem cædendo lædere. Et hæc quo ad hoc chirurgicum opus, quod omitti debet, ſi in illis ipſis ligamentis ſubeſſe apoſtema ſuſpicari licet.

Vbi autem ſyncope ægris ſuperuenit, & ſuffocatio multò magis formidatur, tũc acriores chyſmi iniiciendi, & venæ ſub lingua tundendæ, itémq; vena frontis, ventoſæque cucurbitę ſuper ceruicẽ, & ſub mento, tum ſiccæ, tum humidæ affigantur, nempè cum ſcarificatu.

Quod ſi ſuffocationis, & ſyncopes cauſſa fuerit inopinata in aquas ſubmerſio, tunc inuertatur ſublatis pedibus æger, & ſuccutiatur, vt aqua excutiatur foras, ſubinde recreetur, reficiaturq; gratis odoribus. Neceſſum autem eſt illum, qui à prę-ſocatione ex ſtrictura; & colliſione euaſerit, phlebotomia deplerí, clyſteribus acribus, & per aliquot dies ſorbeat iuſcula cicerum, & lac, & embammata confecta ex aqua carnis (quomodo verò fiat docet Capiuaccius) ex vitello oui, & panis tritura. Illud verò catholicũ eſt, vt qui gutturis doloꝛ, & phlegmone laborat, ſilentio gaudeat, nullaque garrulitate vtatur.

De Vua, & ambabus Amygdalis.

CAPVT XI.

HIſce particulis interdum accidit inflammatorius tumor ex catarrho, vt ſpiritum intercipiat, interdum ab eadem cauſſa tantum remolliuntur, atque relaxantur, vt adſtrictione, & exſiccatione modò calori, modò frigori cõiugata opus habeat, interdum neceſſum eſt ad inciſionem, peruenire, vbi æger præfocatione periclitatur. Curatio omninò inirí debet cum linimẽtis, quæ leniter & cum penna adhibenda, vbi namque importunæ digitis tentatur curatio, dolor affectuſque exaſperatur. Vbi verò partes citra magnã inflammationem intumuere, tutò adhiberi poſſunt, aſt vbi magna inflammatio ſubeſt, valde refrigerantia conueniunt, vt aqua ſolani, ſemina, & folia roſarum, ſtrenuè enim refrigerant, repelluntque. Inter ea verò, quæ magis præſtant, ſunt gummi Arabicum, & tragacanthum, & farcocolla, & neſeſtenegi .i. Amylum illita. Item ℞. balauſtiorum partes binas, aluminis partem vnam conterantur, & per ſetaceum cernantur, & adminiſtrentur cum ſpatula, habente caput tenuatum in latitudiuem, his aliquando crocus, & caphura adijciuntur; huc faciunt & gallæ cum aceto compoſitæ in illitus. Pariter vinum malorum punicorum cum ſtypticis, puta cum lapide ſadegenegi .i. hęmathite, & cum lapide aduſto .i. pumice, & cum achate, & Alaſuragie, & cum ſpodio, & luto ſigillato, & bolo Armeniæ, omphacio, & fructu ſpinæ Ægyptiæ, alumine, ſem. roſ. & f. linimentum. Suffitus quoque ex ramis anethi valde conſtringit vuam, item confert linimentum factum ex ſucco granatorũ dulcium contuſorum cum corticibus, additur ſexta pars mellis ad inſpiſſandum.

In vſu gargariſmorum illud animaduertẽdum, vt tepidiuſculi adhibeantur, ſic enim vis adſtringentium intrò magis ſubit, lenitur dolor, nec pars dureſcit. At ſi ſtyptica maiorem concilient duritiem, & dolorificam pariant anguſtiam, his commiſceantur mucilagines, gummi Arabicum, tra-

gacanthum,amylum,sarcocolla,sem. maluæ,aqua furfuris, hordeum, aut inspissetur succus extremitatum rubi cum quinta parte mellis, & adhibeatur, solet enim mirum in modum allitus prodesse; Animaduertere autem oportet, quòd vbi styptici gargarismi adhibendi sunt, prius os tepente aqua abluatur, eius generis sunt rob, seu decoctio rosarum, sumach cum sexta parte mellis,coquuntur, donec consistentiam comparent. At verò his non conferentibus illitus administrandi valida facultate siccandi præditi, & stringendi,quales fiunt ex gallis, & alumine, quibus sal ipsum præstat, & proin præmitti debet.

Melancholicæ verò relaxationi cõueniunt gallarum omphacitidum pars vna, atramenti, rubi, sumach omnium ana partes iij. & tertia, salis torrefacti partes xx.m. & administrentur. Item ℞. alum.part.iij.ros.par.ij.costi partem vnam,in.administrentur cum spatula, vt eleuet vuam. Item ℞. succum granatorum cum cort. contusorum, cui adde quintam partem mellis,coquantur ad melliginem,& administrentur. Item ℞. alum.par.j.salis ammoniaci par. j. s. gallarum immitium tertiam vnius partis, tragacanthi par. iij. quibus propinquante statu adijci possunt myrrha,crocus, cyperus, & similia.

Huc faciunt & pastilli Darsisahan, h.e.de Berberis, & schœni-anthos,& rami balsami, & Abusnex, ex his fieri possunt illitus, & gargarizatus, quando maximè præcurrunt gargarismi ex rad.liliorum,& sem.ros. cum melle. Confert identidem in aures instillare ol. amygd.dulcium. Quòd si vtrinque tonsillæ afficiantur tumore, eadem præsidia adhibeantur, quæ in angina. At si dolor vsu gargarismorum non sedetur, studium conuertendum est ad ciendum aluum, & auertendam materiam, quibus si non concedat malum, gradus fiat ad validè digerentia,vtpotè ad rad. cucum. asinini, ad centauream,ad nitrum cum melle,aut citra mel adhibita. Quod si apostema duresçit, & producitur, nil peræquè prodest, atque assa fœtida. Vbi verò circa summa tumescit, gracilescit circa radicem,tũc incidetur, sed quantum fieri potest, cuitanda cæsio, sed extenuatio procuretur cum sale ammoniaco subleuando columellam cum cochleari: Non est autem facienda incisio, nisi quãdo nulla alia cura speratur, ni radix summè extenuata videatur, gargarismus faucium vlceribus vtilis. ℞. lentium, balaustiorum ana partes v. fiet: mæmithæ croci, costi ana par. j. coquantur ex aqua, & sumatur ex eorum D.par. j. succi mori pars dimidia, mellis pars quarta, & f. gargarismus.

* *Paristhmia, Tonsillæ, & vuæ nihil aliud sunt, quam inflammationes, vuæ quidem gargareonis, tonsillæ verò adenum, paristhmia corporum eorum, quæ in faucibus sunt lib. de tumor. cap. 17. Et 3. Aphor. 26. Paristhmia, quæ & tonsillas, & amygdalas vocant,sunt locorum ad isthmum(i. eam oris regionem, quæ os, & gulam interiacet) Vuæ inflammatio vehemens terrere quoque debet,inquit Celsus lib.6.nempè hic quoque morbus spirationem intercipit, & suffocat,vt ait Hipp.2.de morbis.*

De columella, seu de relaxata, deciduaque Vuæ.

CAPVT XII.

VVa interdum præsente feb. interdum absente prolabitur, vt iterum non redeat in priorem situm, atque adeò cibus nisi digitorum impulsu in loculos suos peruadere nequeat.

De Curatione.

CAPVT XIII.

SI calor, & rubor adfuerint,cęde venam, gargarismisque vtere congruis, puta aqua ros. & aceto. Subinde loco restituatur admotis rosis,santalis, balaustijs, caphura, & maximè diamoro, & machinamento instar fræni affabr efacto,quod leniter aptari debet; Quod si per caloris, & rubedinis absentiam inflammationis suspicio tollitur, tunc vtere synapi, oxymelle, & muria, & subleuetur prædicto instrumento. Huc faciunt & gallæ, salque ammoniacum, quo attingi debet, & sustolli. Sed ea validior est curatio, quæ fit leniter apprimendo superiora instrumento exteriora uersùs eo instrumento cum medicinis stypticis, & digerentibus mixtis oblito,prout usus requirit. Interdum vtimur digitis medicatis accommodatis litubus,vt diamoro, & dianuco: Inter præstantiora commendantur balaustia, alumen, caphura;item gallæ, cum sale ammoniaco, atque gallia, sed hac non utimur, ubi phlegmones suspicio subest, aut plethoræ: quæ ubi subsunt, gargarizatu frequèntur vtenduni ex aqua niue refrigerata.

Inter experta censetur illud, nempè ℞. sem. rosarum ℔.ß. succi barbæ-hircinæ ʒ.iij.decoquantur in melle,aut vino, quod est potentius. Infantium verò relaxationes vuæ eleuant gallæ tritæ cum aceto,maximè vbi eorum synciput illinitur.

Sermo particularis de incisione Vuæ,& amygdal.

CAPVT XIIII.

ANtequam ad incisionem vuæ accedas, animaduertere opus est, an satis gracilescat,an detumescat præsertim circa summa, an potiùs tumescat, & ichor, sanieve emanet, quòd si constat, tutò incisio fieri potest cum ferro, & cauterio obduci, sed antea corpus deplendum pharmaco,atque etiam phlebotomia, si plethora præfuerit. Columella quidem,nempè vua gracillima, superequitãs linguæ citra ullam custodiam etiam tutò incidi potest. Sic autem obiri debet sectio, vt lingua deorsum prematur, vt commodè vua apprehendi possit ferramento accõmodato, tunc comprensa neutiquam radicitus abscindi, sed non nihil relinqui debet, ne si penitus extirpetur, largior hæmorrhagia sequatur, caue tamen, ne imperfectũ opus relinquas, sed tantum demas,quantum superuacuum esse existimaueris. Vbi autem vua inflammata uidetur, tunc sectio aleæ plena est,nam tam pertinaciter sanguis interdum exilit, vt cohiberi nequeat.

Medicamenta verò absumentia vuam su[illegible] assa fœtida, alumen iameni continenter vsurpata, hæc enim incidunt, & casum accelerant, huc facit & sal ammoniacum cum assa fœtida, & atramento, apponũtur autem hæc pharmaca cum spatula, ut saltem, per horam inhæreant, quo tempore nihil

deglu-

deglutiendum est, hæc verò pharmaca tamdiù repeti debēt, donec particula nigrescat, triduo enim nigrefacta marcescit, occiditque. Interim obito opere æger inclinato ore, & hiante stare debet, vt superuacuum saliuum affatim effluat.

Amygdalæ verò, quæ vtrinque iacent ad rad. linguæ suspendantur hamulo, & trahantur ad exteriora, quantum fieri potest, citra tunicarum noxam, quibus innituntur, & ad radicem abscindantur machinamento accommodato, viciſſim autem fieri debet sectio, neque citra obseruationem coloris, & magnitudinis. Vbi sectio obita fuerit, sanguinis fluxus permittatur vsque ad aliquid, quare patiens hiante ore pronus fiat, ne sanguis deuoluatur ad intestina, subinde os posca colluat frigida, euomatque, tussiatque, vt quidquid latet intus noxium, crumpat, super particulam verò lesam imponatur puluis ex chalcantho, alumine, & tragacantho, vtaturque frequens gargarizatu ex D. senticis, & myrthi tepidiusculo.

Notabis ex Celso, nunquam incidendū, quandiu inflammatione tenetur, neque si cancrosus videatur tumor Albucasis monet, non esse incidendum etiam si pendeat ex cauda gracili metu hæmorrhagiæ.

* *Quomodo excidenda sit columella Hippoc. 2. de morbis docet. Gal. 4. Meth. Paul. lib. 6. idest, qui ob sanguinis profluuium, etiam adurente medicamento vtitur.*

Noxæ sectionem consequentes.

CAPVT XV.

COlumellæ sectionem duo incommoda excipiunt, nempè vocis defectus, & pulmonum detrimentum à calore, & frigore quin leui de causſa tussis excitatur, pariterque sitis intolerabilis. Ad hæc stomachus sit opportunus, obnoxiusque singulis causſis externis, pulueribus ventis, & similibus, quin etiam temperatio plurimos eorum infrigidat, & præcipuè pectus frigoris noxam susceptat, pariterque pulmones, vt ægri moriantur, hinc etiam non infrequenter hæmorrhagia succedit incompescibilis, atq; adeò mors, &c.

De curatione hæmorrhagiæ.

CAPVT XVI.

SEcandæ venæ brachij, basylica nempè, & cephalica ad retrahendum, tùm ventosæ cucurbitulæ admouentur mammis, & ceruici. Vnguenta verò, & litus sunt, ceu atramentum, quod aut solùm in puluerem redactum, aut cum succis frigidis, refrigerantibusque concorporatum apponi debet, puta cum succo omphacij pampinorum vitis, & rhibis, & solani, & immitium cotoneorum, cæteraque, quæ proprietate valent huc appellanda. Hùc facit & pharmacum Diogenis, & est Alcuhesarech, & etiam succus arnoglossæ præsertim cum administrantur cum pastillis Karabes, & cum terra sigillata. Neque quicquam calidum administrandum imò actu frigidum, siquidem calidum attrahit aperit, digerit, & peruertitque medicaminis opus. *Aduertendum autem, quod postremò loco appositum est ab ipso Hipp. adyto manasse, nam 5. Aph. ait calidum profluuia sanguinis afferre, quin frigidis vti docuit; vnde fluit sanguis.*

Tenet optima Finis.

ΠΥΡΙΝΕ

SIVE DE FEBRIS NATVRA

Dialogus

AVTHORE

IOANNE STEPHANO

IATROPHYSICO

VENETO.

PHILIATER, PYRIMACVS, EVDÆMON.

PHIL. Ni me fallunt oculi alioquin satis perspicaces, atratum conspicor Pyrimacum, & insolenti ægrimonia obsitum; Me miserum ipse est. Pyrimace, quid hoc est rei? Aut quę te fata lacessunt?

PYR. Quæso te, vt ne mihi recens hoc vlcus refrices, aut potiùs ne commoueas hanc Anagyrim.

PHIL. Quid?

PYR. Vis dicam? E viuis decessit Tymbræus noster, quem in oculis ferebam.

PHIL. Perijt?

PYR. Quinimò ad Elisios Campos iam perueniisse in animum induco.

PHIL. O inauspicatũ nuncium. At verò domi?

PYR. Parentes vix sibi constant, ædes repletæ querimoniis resonant, vt vel Mysantropo lachrymas exprimant. Medici ignauiam caussantur, quòd ignoto malo pharmaca adhibuerit.

PHIL. Hæc est medẽtium merces præcipua, vt, vbi multã in ægrotos operam impenderis, si quid humanitùs accidat, aut de medio tollatu laborans, calumniis, & maledictis actutum incessant, cum potiùs in morbi perniciem, aut ægrotantis intemperantiam caussa reijci debeat. Cæterùm vetus hæc est calumnia, quam Hippoc. indignè ferens Democrito rescripsit, se plus ignominiæ, quàm nominis medendo comparasse, expostulãs. Sed quænam sustulit adolescentem ægritudo?

PYR. Febris, eaque malignis moribus prædita, nam videbatur sibi benè habere, & inter fandum defecit.

PHIL. Quàm frequèns visitur cùm in moribus, tùm in morbis malignitas, quã vbi detexeris, vix euadas: serpit enim, & cuniculos sibi per occulta parat. Verùm illud maximè subit mirari, quòd, cum nihil peræquè humanam exerceat naturam, ac febris (est enim cæteris morbis moleſtior vel Gal. teste) tam pauci nihilominus veritatis inquirendæ studiò teneantur. 8.Meth.

PYR. In Philosophiæ studio nihil, ita viuam, me adeò sollicitum habuit, vt iactata hæc quæstio, quum vltrò, citròque tam discrepantia crepent. Quòd si gratissimum facere cupis, non pigebit te, hanc disputationem mecum ordiri, & rationum momenta conferre, vt ex hac litteraria concertatione, velut ex mutuo attritu, veritatis splendor affulgeat. Id quod per te fieri posse maximè confido, qui solertia plurimùm præcelles, & diurna, nocturnaq; manu cùm Arabum, tùm Græcorum volumina tractasti.

PHIL. Non sum adeò Suffenus, vt mihi tantùm sumam, faciam tamen (si conatus non sunt tibi vsquequaque despectui) vt te non pęniteat mei. Sed ecce tibi Eudęmonem nostrum. Is in Philosophię, & Medicinæ arcanis totus vsque fuit, vt nemo sit hac tempestate, qui uiro doctrina, aut rerum experientia præstet. Ille uel abstrusissimas quæstiones mirabili methodo explicat, & enodat; Si sedet animo, huic operiamur, aut potiùs occurramus, ne per diuerticulum ad Hortos suos declinet, quos impensè colit. Te saluere iubemus scitissi-

me Eu-

me Eudæmon, & euexiam, bonamque corporis habitudinem gratulamur. At videris nobis aliquid ſtudioſè muſſare, & intus premere, quòd ſi res eſt, è veſtigio videbis abitum, ſi faſtidis ambitum.

EVD. Egon'? Non ſum elegantiſſimi Iuuenes adeò moroſus, vt auſpicatiſſimum hunc occurſum non agnoſcam, imò veſtra hac feſtiuitate vehementer gaudeo, nec putetis, me difficile quippiam, aut moleſtum animo agitare, quin iocunda quadam de febre cogitatione detinebar.

PHIL. De febre?

EVD. Imò inquam.

PHIL. Quàm opportunè te ipſum offendimus.

EVD. Cur ita?

PHIL. Non ita pridem nos quoque febris exercuit, nec tamen febris habebat.

EVD. Vah.

PHIL. Pyrimacus cœperat dudum mecum cauillari, & arguere, deque febris natura non pauca interpoſuit obſcuriſſima, quæ me tranſuerſum agunt, ni ſuppetias feras, & peplum detegas Iſis (oportuit Pyrimace mendacio Virum capere, ne docendi occaſionem negligat.)

EVD. Itane in Scirpo-nodum quæritis? Bona dubitatio ingenium dubitantis acuit quidem, ſed plerumque friuola, & abſurda à recto tramite ſeuocant. Non inuitus tamen veſtris interero diſſertationibus, &, vbi fuerit opus, etiam ſequeſter ibo.

PHIL. Condicto nos beaſti. Age ergo Pyrimace pedem conferamus, & inuocato diuino Numine à febris definitione auſpicium ducamus Platonis præcepto moniti.

Da facilem curſum, noſtriſque illabere votis
Omnipotens Pater, & dirige mentis opus.

Febris πύρετος, & πυρεξία Græcis dicitur, Hipp. πυρ. Nonnulli à februo, ſine à feruore dictã volunt, quippe laborãtes feruore quodam æſtuãr. Hinc Galenus comm. in lib. de Morb. vulg. ignem appellat, & Plato ignis exceſſu ægrotare animal ſcripſit. Definitur modò calida cordis, & totius corporis intemperies, modò calor præter naturam auctus actionem cordis (phyſicam, nõ hethicam) lædens, modò calida, & ſicca totius corporis paſſio. Auicennæ calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo per venas, & arterias in totum corpus actiones in primis offendens dicitur. Auic. ad exercitationem potiùs, quàm ad habitum collineans efficientem cauſſam, quæ magis ex vſu eſt, Galenus formalem finitione prodidit. Vtriuſque nexu, & copulatione numeris omnibus abſolutam definitionem exprimes. Febris eſt calida totius corporis intemperies ob calorem extraneum accenſum in corde, & procedentem ab eo per venas, & arterias in totũ corpus, vt inde vniuerſæ naturæ functiones intercipiãtur. Fruſtrà quidam laborant, vt adijciant excedentem intemperiem, nam ſimulatque actio læditur, exceſſus, & immodeſtia intemperiei arguitur. Cæterùm illa febris definitio mihi intolerabilis videtur quæ nationæ caliditatis conuerſionem eſſe ſtatuit ad igneam, febris enim, ſi affectus conſtans eſt, & permanens, (alioquin & ira febris eſſet, vtpotè quæ feruor ſanguinis eſt circa cor) ſi eſt confecta alioſis, quæ naturalia munera lædit veluti hoſtis infeſtiſſimus, quî motu ritè definias?

EVD. Non abs re tibi ſcrupulum iniecit ea febris definitio, quæ alios quoque tranſuerſos egit, & in Galeniurioſos; Scias tamen eſſe quædam nomina, quę in Peripatetica ſchola perçquè motum, & conſequentem affectionem ſignificant, vt nigratio, quæ ſimul denigrandi exercitium, appictamq; nigritudinem inſinuat, atque eo ferè modo ſe habet conuerſio. Vis Ariſt. authoritatem? Ille vj. lib. Phyſicorum ſcripſit, in motu ſemper eſſe aliquid iam motum, & aliquid, quod mouetur. Præterea Gal. ſe ſe clariùs explicans prodidit, feb. non eſſe conuerſionis motum, ſed affectum, qui conuerſionem ſequitur. Id quod maximè conſentaneum eſt, cum enim feb. vires ſuas explicet in ægri perniciem, affectio ſit, oportet conſtans, & abſoluta, adeò ut ſubiectum formet, quas energias ante comparatum ſuæ perfectionis terminũ nulla qualitas edere poteſt.

PHIL. Si Galenus, ita uoluit, non eſt, quòd quiſpiam contumelioſus exprobret. Verùm mi Eudæmon cum citra controuerſiam ſub alieni caloris genere febris contineatur, ea me ex ambiguo angit controuerſia, num calor iſte alius ſit à naturali, an verò magis innatus calor ſit omnifariam in febrem conuerſus, adeò vt feb. ſit uniuerſus calor in febriente repertus.

EVD. Fernelio, qui diuinum calorem noſtri opificem, & ſeruatorem profitetur, quique plures admittit calores ſpecie, atque adeò uiribus differentes, iſthæc nullum faceſſerent negotium, ille enim præter inſitum, & influẽtem calorem alium præter naturam conſtituit triplici ordine diſtinctum, quendam ſimplicis caloris exuperantiã vocat hinc genitam, quòd calor elementarius aſſiduo incremento de mediocritate decedens plus nimio exorbitet, & qui naturalis fuerat, ſenſim nõ naturalis euadit, uitioſus proin, & naturæ infenſus; alium ex putreſcente materia prognatum, qui quoniam materiam, de qua prodiit, redolet, naturæ grauis eſt; tertium malignum, & pernicioſum, quem peſtilens, uenenataque colluuies fudit, non qualitatis exceſſu, non putredine, ſed totius ſubſtantiæ diſſidio vitali, inſitoque calori aduerſum. Nos tamen (miſſo tantiſper Fernelio) ſcimus, ſciſcimuſq; vnicum eſſe calorem non omnino ab alienatum, namque, ſi ita fiat, nullam obiri poſſet naturalis functio, quin febris omnis eſſet hectica, nulla ſchetica, quod dictu nefas eſſe putamus, quum illud pro comperto ſit, dari putridam febrem, eamque frequẽtiùs etiam, quàm par ſit, humanam coquere, & torquere naturam, hæc verò ita ſe habet, vt licèt quippiam effectum extet, continenter tamen creationem ſubeat, & conflat, quum ab inteſtina pendeat putrefactione. Neque credere dignum eſt, naturalem calorem funditùs ſummotum, quoniam febris ratio in extremo illo termino ſpectari non debet, qui naturalem omnem expungat tonum, ſi quidem in alteratione bipartitò terminus accipi conſueuit, nimirum, & pro extrema, completaque diſpoſitione ad introducendam, hoſpitandamque ſpeciem, atque pro ea qualitate, quæ actione, motuque compa-

Solutio.

1. Aphor. comm. 17.

Dubium.

Iacob. Forlinienſis. Hugo. Fern. opin.

Aretes.

Terminus in alioſi bifariam accipitur.

in Timæo.

Perperã Augenius' definit calidam ſiccãq; cordis intemp. ob calorem extraneum a corde effuſum in totum corp. debuit dicere intẽp. totius corp. eſt enim feb. morbus vniuerſalis, vel Ariſt. teſte.

Argenterius.

Dubium.

comparata abſente etiamnum motore ſuperſtes permanet, quo modo hic accipi volumus. Quam obrem non iuſcitè termino definitur febris.

PYR. Pectus mihi plurimis difficultatum fluctibus inæſtuat Eudæmon, & mecum agi peſſimè ſentio, ni expectorem, quod infeſtat, & laceſſit.

EVD. Per me tibi perquam integrum eſt.

Dubium. PYR. Si per febris terminũ finiatur, nunquã ad naturalem ſtatum poſſet reduci, quoniam vt eſt

Truſianus. in ore Philoſophorum, à priuatione ad habitum non datur reditus; Adhæc omnis feb. eſſet hectica, ſcripſit enim Galenus lib. de inæquali intemperie huiuſce conuerſionis terminum eſſe hecticã.

λυσις. EVD. Argutè mehercle obiicis Pyrimace, non eſt tamen arduum ictus euadere, & obiecta diluere. Proin licèt feb. per terminum definiatur, ne

Duplex terminus. putes tamen, nos extremum illum audiuiſſe, qui naturalem temperationem prorſus expungit, exturbatve, terminus enim, ad quem extraneus calor peruenit, vt morbi rationem ſubeat, duplex

Gal. lib. de inæquali intemp. eſt, inæqualis ſcilicet, vt in putridis febribus, & æqualis vt in hecticis, qui à nulla cauſſa pendet.

Dubium de Hect. PHIL. Euentus ita eſſe demonſtrat. verũ quid dices de hectica?

Li. 1. de diff. feb. c. 9. EVD. Galenus Feb. hecticarum tria nobis diſcrimina ponit, prout vel roſcida ſubſtantia, vel carnea, vel fibroſa incaluit. In febre itaque hectica primæ ſpeciei rorida humiditas habet calorem mutatum, at non penitus, quare cum actiones prodeant à parte ſolida, & ſeminali, fit, vt functio ſeruari poſſit. In marasmo verò ait Gal. lib. 1. de tẽper. c. 3. intemperies aut eſt exigua, aut mediocris, aut ſumma, illa poteſt tandem reſtitui, hæc minimè.

Dubium Gentilis. PHIL. Difficillima ſunt hæc profectò Eudæmon, vt nonnulli eò abſurditatis peruenerint, vt exiſtimarint, feb. nil eſſe aliud, quàm quippiam innato calori appenſum, inſertumque, cum interim inſitus calor nihilo fiat intentior.

Triplex opinio. EVD. Hic mihi triformis in mentem venit opinio, ſunt enim, qui velint, calorem naturalem ignem fieri maioris ariditatis (eſt enim lima caloris) ſeu cuiuſuis putridæ, & acris qualitatis acceſſu: Sunt, qui credant, calorem pyroticum reddi haud geminato caloris gradu, ſed vetita cordis

Gentilis ſententia. ventilatione: Sunt denique, qui affirmare non verentur, febrilem calorem eſſe aduentitium, atque aliunde corrogatum, à quo inſitus calor minimè afficiatur, cum interim aſcitus actiones vitiet, quas domeſticus, innatuſque tuetur.

PHIL. Mirum, cum res una ſit, ueritas vna, cur tam multæ de eadem re ſententiæ habeantur: Verùm Eudæmon rem acu tangas, noſque ab hiſce tricis expedias.

EVD. Non poſſum pro dignitate rei dilucidè ad ſolutionem progredi, ni viam mihi quodammodo ſternam præfatis calorum diſcriminibus.

Color triplex vt accipi debeat. Alta igitur mente tenendum, triplicem nobis calorem reponi, nempè elementarem, uitalem, & cæleſtem, qui calores ſpecie non diſcernuntur, vni enim frigori vnum duntaxat ſpecie contrariũ eſſe decet: Enimverò elemẽtaris calor dicitur, qui ab ignis forma dirigitur, hoc eſt agit iuxta elemẽtaris formę poteſtatẽ, & efficit ignis opus. Naturalis verò, quod à vitali uirtute regitur, ad munera uitæ cõſentanea. Cœleſtis deniq; prout cœlorũ motu, atque vigore percitus opus edit analogia, & ſpecie cęleſtibus aptum; qua ratione proditum fuit, in ſemine ſpiritum ineſſe, à quo fœcunda fiunt, in ſpiritu verò calorem, qui non eſt ignis, nec ab igne originem ducit, ſed virtus, quæ proportione reſpondet elemento ſtellarum. Quibus ſanè conficitur, vt vnus ſpecie, numeroque calor varias ſubeat conditiones, munerumque diſcrimina proferat, prout vni propiùs, quàm alteri formæ accedit, & ſeruit. Nam, exempli loco, ſi graduum ordinem naturalis calor excedat aut formæ multitudine, aut extrinſecùs accedente putrida, venenataque fuligine (quomodo feb. putridas perpetuò conflari exiſtimarunt quidam,) elementaris Argent. fiet, & mancipabitur igni, quod ſi hæc eadem diſpareant, & euaneſcant in auras, & modeſtiam indipiſcatur, naturæ ancillabitur ipſi, & uitalium functionum beneficus miniſter euadet: Namque licèt calor ignis ſit peculiare organum, per quod agit, mixtorum nihilominùs, animantiumque accommodatum inſtrumentum euadit, qua craſim tenus, & modeſtiam ex contrariorum congreſſu nactus ſe ſe rei genitæ formæ accommodat, & opera obit proficua, conuenientiaque naturæ uiuentium, adſimilis enim æthereo cenſetur, qui mixtionem, generationemque perpetuò machinatur. Quod ſi ab ea mediocritate recedat ad Pulchra ei paratio. igneam conditionem, omnia demoliri, ac peruertere conatur perinde, ac paterfamilias, qui dum ſibi conſtat, domum, totamque œconomicam rem prudenter diſponit, ac moderatur, ſin fortè à ſe abeat, omnia ſuſque deque agit, perturbatque, & non modò omnia ruere ad interitum ſinit, ſed etiã ruinæ auctor perhibetur. His, ni me fallũt omnia, conſtare poteſt, quàm benè prior opinio ſentiat.

Refutatio. At verò, qui arbitrantur febrem à naturalibus principijs promanare haud ingeminato caloris gradu, verùm prohibentis abſentia, ne calor cordis vim exerat inſitam, h.e. vetita cordis uentilatione (uolunt enim cor præ cæteris uiſceribus eſſe calidiſſimum, & iugis refrigerii indigum, quo ſi fraudetur, natiuam explicat uim, & febrem excitat) manifeſto errore laborat, nam quis aſſeuerare auſit, cor natura calidiſſimum perpetuò vſtilaginum, putriumq; fuliginum appulſu ictum nullo caloris incremento affici, aut affligi, cum uel algidiſſima æſtuoſæ rei uicinia incaleſcant? Quantum in reſpirationis uſu dignoſcẽdo caligent huius opinionis fautores, palam produnt; inſpiratus enim aer ad aliquem natiui caloris gradum remittendum haud facit, ſed ad eiuſdem cuſtodiam, quæ conſtare non poſſet uentilationis beneficio circumciſo ob fuliginum neceſſarium prouentum, quæ foras ſpiratione exturbantur. Exẽplo ſit ignis materiatus, qui niſi liberè perfletur, ſuffocatur.

Poſtrema verò ſententia, quæ tuetur febrem calorem eſſe aſcitum, innexumque naturali citra huius affectionem ullam, hoſque calores ſpecie diſpeſci, atque diſcerni, ab illoque vitiari naturæ munera, & officia, ab hoc propugnari, & protegi, admoto præfato caloris diſcrimiculo mole ſua ruit,

ruit, calor enim à calore ſpecie non diſtinguitur, nec diſcrepat, atque licèt innati calidi ſubſtantia alteraſcat, non tamen faceſſit in aliam, quin ſupereſt principium, cuius beneficio febricitans in priſtinam reducitur naturam.

PYR. Difficultatum materia vſque adeò increbuit, increuitq; , vt turgeat, & niſi citò euacuetur, obruor: Ignoſce igitur ſi remeligo ſum, & interpellator. Si vnius cauſſæ vnicus eſt effectus, geminos ſubeſſe in febriente calores, neceſſum eſt, eſt enim, qui demoliri, eſt qui tueri conatur naturæ miniſteria. Ad hæc actio inter contraria committitur, quare cum calor febrilis in naturalem agat, ſpecie diſtingui oportet, atque adeò duos eſſe calores. Hoc idem ex præſidiis licet colligere, quum in febre alienum calorem extinguere, & natiuum roborare conſilium ſit. Neque ab hac ſententia recedit Pergamenus, qui in Aph. ſcripſit, natiuum calorem ætate eſſe perexiguum, aſcititium plurimum, hyeme à contrario. Præterea pus fieri à mixto calore aſſerere non dubitauit, nempè à naturali, & nõ naturali, & meritò quidem, pus enim confici ſine calore putrido nequit, cuius eſt corrumpere, at verò eius vis cohibetur à naturali, cuius eſt concoquere, & cogere ſimilia, hinc medium opus, nempè pus efficitur. Neque omnino de genere febris conſtare videtur, namque ſi acceſſio ſit febris particula, eadem verò ſit partis, & totius ratio, palam eſt, quin calor febrem perpetuò conſtituat, namque videre licet ingruente paroxyſmo aliquando tanto horrore, & frigore malgeſcere febricitantes, vt vix inſtratis peniſtromatis, admotis titionibus, aut thermoclinijs rigor vrgeatur. Adhæc pulſus rari, & tardi ſoboles ſunt agentis frigidi, atqui in febre ſyncopali huiuſmodi comperiuntur, vt teſtatur Auic. vnde colligere eſt, febrem non eſſe affectum calidum, quod quidem vel ex eo confirmatur, quòd morientes frigidum expirant.

EVD. Hæc, quæ obtrudis argumenta, ſi ſuperficie tenus ſpectentur, magnum vtique incutiunt timorem, at ſi penitus inſpicias, huius ſunt habenda. Quamobrem ita habeas primò, vnius quidem cauſſæ naturalis vnicum eſſe effectum, at ſi hæc eadem diuerſo modo afficiatur, nihil obſtat, quin aduerſantia obire poſſit, cum verò naturalis calor in febricitante variè afficiatur, quid mirum, ſi oppoſitis muneribus perfungatur? Dein ſcias, calorem febrilem non agere in naturalem, ſed in materias ſuppoſitas, quibus euictis calor euaneſcit. Præterea vt calor febrilis exceſſu quodam conſiſtit, ita caloris hyperbolen obtundentia poſtulat, at naturalis calor blandus, atque in aerea, & halituoſa materia conſiſtens non refrigerantia, ſed roborantia deſiderat, quæ naturale temperamentum tueantur, & ſpiritus cohibeant, ne diffluant.

Porrò æſtuante cœlo nobis plurimùm aſcititij, minimum natiui caloris ineſſe, ita audiendum eſt, vt calidum innatum, ideſt ſubſtantia, cui calor ipſe inhæret, nempè ſpiritus, & ſanguis paucus ſit ætate, iſque acris, & bilioſus. Poſtremò mixtus calor à Gal. dicitur, quòd mixtas vires exhibeat, nã quòd in phlegmona ſanguis in pus vertatur, aliquid ſecundum naturam eſſe arguit, quòd uerò materia euinci, & prorſus aſſimilari nequeat, iuſto intentiorem calorem eſſe oſtendit. De genere verò feb. quod ſubijcis, non eſt, quod pluribus redarguam, nam licèt accedente acceſſione vniuerſæ corporis partes peræquè non caleſcant, ſat eſt, ſi cor, & proximæ partes extraneo calore exurantur; Sunt, qui negent, tunc adeſſe febrem, quibus tamen non adſcribo. In febre verò ſyncopali huiuſmodi pulſus obſeruantur non febris, ſed ſyncopes cauſſa. Atqui agentes animam frigidum reddunt anhelitum, quia calor in frigus degenerauit. Siue, vt malunt quidam, quòd calor influens deficiat, & pulmones ſint refrigerati.

PYR. Si calida totius corporis intemperies eſt febris eſſentia (eſt enim vel Ariſt. teſte vniuerſalis morbus) qui animal horreſcens frigore febricitat? Quod per eſſentiam ineſt, nullo tempore abeſſe poteſt.

PHIL. BAT. ST. Ni tibi profatu interdicatur, non deſines hiſce tuis argutiolis totam diem inſumere, tanto contradicendi genio exardeſcere videris. Cæterùm tu Eudæmon iſthæc ceu teretiſmata neglige, & nos potiùs ad ſolidum veritatis veſtigium ſiſte.

EVD. Faciam, neque vos pluribus morabor. Febris ex natiui, & alieni caloris congreſſu, admiſturaque, ceu ex poteſtate, & actu coaleſcit: Poteſtatem ſpectes, ſi ad inſiti caloris extra limites naturæ conſentaneos progreſſionem oculos dirigas, actum verò, ſi ad erumpẽtem ex graduum acceſſione, & appendiculis alienum calorem collinees naturæ officia perturbantem, qui ſanè calor febris ratio dicitur. Ecce igitur, vt vnus, & idem calor diuerſo modo affectus cauſſæ diuerſæ rationem ſubit: Hinc Arabum argutiſſimus Auẽrhois ſcitè dixit, calorem febrilem, & natiuum, iuxtà radicem eundẽ eſſe, rationis diſcerniculo diſtingui.

PYR. Eſto Eudæmon, vt ſic res habeat, illud tamen me præcipuè coquit, & angit, qui fiat, vt calor febris ratio ſit, cum hæc morbus, ille neutiquam ſit.

Accedit, inter morbum, & ſanitatem ueluti inter æquale, & inæquale non interuenire medium, inter frigidum uerò, & calidum neceſſariò intercedere.

EVD. Calor, Pyrimace, quà calor eſt, nequaquam morbi nomine dignandus, maximè uerò, quà calor præter naturam eſt, ſeu mauis, calida intemperies actionibus lædendis accommodata. Porrò inter ſanitatem, & morbum nihil intercurrere nouimus (ſi ægritudo ſumatur, vt quamcunque temperationis inæqualitatem ſignificat, aut perturbationem, quæ ſolam æqualitatis priuationem humanis corporibus adferat, quod ſi pro certa quadam, & inſigni inæqualitate uſurpetur, ex qua magna actionum læſio ſequatur, non eſt media illa diſpoſitio à Medicorum ſcholis abdicanda) inter calidum uerò, & frigidum intercidere, nemo eſt, qui neſciat, uerum ſcias, neque inter naturalem, & non naturalem calorem quippiam ire medium. Quare apage, nec animum tanto conficias opere.

Illud interim, lectiſſimi iuuenes, non eſt prætereundum præter ſingulis partibus inſitum, & a corde

) ubia.

Galvii. Aph. 21. 2. & 1. Prorrhet.

Solutiones.

Fernelius.

1. ſect. Probl. 20.

Authoris ſententia.

Fruſtra contendit Augenius reijcere Auerr. ſententiam, quã non intellexit lib. 1. de Feb. c. 6

Dubium.

Auer.

corde influentem calorem flatui tertiũ ex ijs conflatum, atque completum, quem vulgo actualem vocant, commune totius naturæ organum. Proin cum febris communis sit affectus, non potest vtique alteri calori tribui, quàm explicato. Difformis enim est calor insitus pro partium, quas format natura, influens verò varius est, & inconstans, at febris vniusmodi, & immutabilis. Ad suscitandam verò febrem sufficit, vt calidum cordis innatum aliquatenus afficiatur, vt influenti communicetur affectio. Nec est, quòd quispiam arguetur, calorem hunc actualem eundem esse, qui innatus, & influẽs, nam præter propriam rationem, qua separatur ab alijs differentiam, à perfectione petitam obtinet.

Triplex in nobis calor. Ex Gal. li. 3. simpl.

PHIL. Ita esse consentaneum videtur: Verùm illud superest discutiendum, nunquid siccitas febribus putridis sit essentialis, cum maximè dicat Hipp. victum humidum febricitantibus omnibus conuenire. Accedit Gal. auctoritas dicentis, feb. esse passionem calidam, & siccam.

An siccitas feb. putridis sit essentialis. Aetius.

EVD. Siccitas in feb. putridis caloris energiam sequitur, neque necessariò comes it, fac enim aliquem penes actuosas qualitates eucrato temperamento donatum, penes patheticas impendiò humectum esse, si febre corripiatur, tantum abest, vt nenofica ariditate laboret, vt a contrario potiùs habeat; quod autem vni est essentiale, ne momento quidem temporis abest. Cæterùm Hipp. victum humidum febricitãtibus præscripsit, quòd frigida discrimine non vacent, quòd obstruant, & humores crassefaciant, quæ non efficiunt humida, quæ ab imminente præcauent siccitate, & innatum rorem conseruant, qua causa potissimùm eam tulit sententiam Hipp. Neque Galenus aliter sensit; dum feb. calidum, & siccum affectum appellauit, nam etsi siccitas formam feb. non constituat; necessariò tamen consequitur, dum calor humidum exhaurit, & populatur. Sunt etiam, qui Hipp. sententiam interpretentur de victu humido actu; i. liquido; Hinc Hipp. curationem instituens, si febris subsit, conuenire sorbitionem, ait, alioquin cibos crassiores exhibet. Neque illorum improbanda sententia, qui asserunt feb. bipartitò spectari posse, vel secundùm formam, vel secundũ læsionem, si forma consideretur, affectus calidus, & siccus est, cum sit pura qualitas ignea, sin læsionem, semper feb. lædit secundùm qualitatem calidam, eaque est ratio, quia forma febris superatur à materia, quæ cum humida sit, potiùs lædit secũdùm humiditatem, quàm secus, quod cum aduertisset Philosophus 9. sect. Probl. dixit feb. esse affectum calidum, & humidum.

Mercurialis.

PHIL. Hæc ceu Pythagoræ edicta accipimus Eudæmon, & tuæ applaudimus sententiæ, quæ inter plurimas mihi videtur probabilior. Proximum est, vt puer, qui hactenus ueluti piscis obmutuit, arreptis fidibus canat, & fessos longa disputatione animos relaxet.

Tristis Enos vigili correptus amore Pyrines
Hausiam oculis semel effigiẽ, speciemq; decorã
Exuuias animo voluens noctesque, diesque
Exigit, & doctæ resonant per tesqua Pyrenen
Syluæ, adeò infelix perit, & tabescit amore
Ossa vt denudet macies, & pallida tabes
Conficiat. Tamen illa cauo circũ obsita Quercu
Ridet, & insano fallax illudit Amanti,
Et fanna, probrisque insultat, deinde minatur.
Quæ te dementat miserum vesana cupido?
Cede procul, similemq; tui disquire per umbras,
Cede, nec his lucis posthac vestigia figas.
Hinc ferunt miseri notæ præcordia voces,
Et cupidũ fallunt, rapiuntq; ex pectore questus.
Cumque nihil videat, se credit imagine ludi,
Et timet, & dolet, atque auras sectatur inaneis.
At verò incautum Iuuenem miseratus Apollo
Robore disiecto penitus latitantia pandit
Mẽbra, atque exposuit nudatos Virginis artus,
Et placuit crudeles fraude rependere fraudes.
Obriguit nouitate rei perculsa Pyrene
Nequicquam cryptas quærẽs, & lustra Ferarũ,
Ac pudibunda solo vultus, & lumina fixit,
Multa animo voluens, tristi formidine pressa.
Excitus extemplo Iuuenis præsentibus actis
Constitit, insolitasque vices miratus, & æstu
Obstupuit primùm, tum prospera fata secutus
Risit, & immensos nudæ iactauit amores.

PHIL. Appositè Medius-fidius cecinit puer. Verùm postquã animus recreatus est, lubet priorem disputationem resumere, & ad vmbilicũ perducere. Cùm igitur genus febris satis cõstet, proximum est, vt præcipuum, & adæquatum subiectũ scrutemur; Neque enim desunt difficultates propter opinionum discrimina. Difficultates auget Galenus, qui modò totum corpus, & animal, modò præcipuas partes, modò cor feb. subiectum esse ait: Tuum mihi iudicium (quod de Platone dicebat Challimacus) erit instar omnium.

EVD. Res profectò ardua, & multis difficultatum inuolucris obruta proponitur, quam nescio, an pro temporis angustia satis explicatè possim diluere: Ex alenico tamen penu nonnulla dabimus prompta, quæ tuo sapiant palato. Aduertas igitur, & illud pro confesso habeas, contrariorũ, præsertim priuantium, idem esse subiectum (quod nemini in Peripatetica Philosophia licet inficiari) atqui quum cor vitalis caloris fons sit, & origo, fateri necessum est, nonnaturalis quoque esse. Neque illi sunt audiendi, qui existimant, cor quidem efficientis, totum verò corpus formalis causæ subiectum esse (calidum enim cordis innatum quippiam extra viuentis particulæ constitutionem esse rentur, quum prorsus idem sit, quæ viuens pars, quod præclarè quidam ex Hipp. & Gal. demonstrant) namque si propter cor cæteræ partes laborant, multò magis cor ipsum affici, necessum est, illud verò, per quod fit comparatio, vtrique per formam conuenire, par est. Hoc sæpè nobis inculcauit Galenus, qui febrem nondum esse, ni calor præter naturam ad cor peruenerit, scriptis tradidit. Aliàs verò, non esse opus, ait, vt corpus vniuersum caleat, sed satis esse, si cor, & præcipuæ partes illi proximæ afficiantur. Nec est, cur geminum subiectum statuamus, vt quidam plus nimio satagentes efficiunt, alterum quippè, quod calorem suscipiat ignẽũ, alterum, quod læsis functionibus subijciatur. Calidum quidem innatum, inquiunt, febrilis caliditatis, quatenus passio est, quæ

Cor caloris præter naturam primũ subiectum. Capuaceæ carpitur. Mentalius hinc spectat. Trincauellius. Mercatus.

Cunctauini refellitur. Galenus ait, cor in febricitantib. febr. diutia, aut putrid. prius seruare constitutio-

nem secundum naturã & aliquãdo laborare frigida intemperie.

quæ subiecto inhæresci, cor verò ut pars similaris subiectum est, prout febrilis calor spectatur ceu habitus, & dispositio, atque adeò subiectum ipsum afficit, & eius interpellat actiones. Non est, inquam, nam calidum innatum idem esse volumus, quæ pars. Simili errore tenentur & illi, qui spiritus, & humores subiectum esse volunt, nam licèt calor illis inhæreat, nequaquam tamen subiecti rationem de more subeunt, cui tribui debeat passio, quum viuẽs duntaxat particula morbo subijci dicatur ab Aristotele. Propterea solida cordis substantia iusto debet esse calidior, vt melioris notæ Medici constituunt; & quamuis calor influens efformandæ febri non sufficiat, vtpotè qui Promethei instar varias, & multigenas subit mutationes, & perenni influxione gaudet, hinc tamen conflatus calor actualis, qui præter naturæ limites exorbitans febrem effingit, originem sumit.

Lib. de sensu & tentili.

Dubia.

PYR. Quò magis docendo pergis Eudæmon, eò me dubiorum mole obruis ampliùs; & ni oneris aliquid in te deponi pateris, me supparem proficeor. Annuis? Sic igitur habeto. Gal. conceptis verbis ait, febrem nunquam fieri, ni totum corpus incalescat, quò & Arist. collineauit scribens. 1. sect. Probl. febrem esse calorem totius corporis excedentem. Ad hæc Galenus è subiectis substantiua constituens discrimina ait, esse partes ipsas solidas, humores, & palantes spiritus.

Lib. 1. de Morb. vulg.

Et sanè ita prorsus esse consentaneum videtur, namque si febris actum ponit in calefacto, quo charactere definitur, sequitur, (si partes ipsæ solidæ in omni febre incaluere) vt vniuersæ febres sint hecticæ, quod atopis cunctis absurdius extat.

Auctor.

EVD. Siccine supercilium adducis, & te mihi præbes vultuosum? Explicata iam fronte, & deposito hoc malo genio patientem te mihi dede, & audi. Cordis calor (veluti solis radij in vniuersum effunduntur) necessaria quadam emanatione in totum animantis corpus, (ni præpediatur) panditur, quare non est mirum, si præter modum calefacto principio & subditæ partes labis consortes fiant. Propterea prudenter quidam duplex statuere subiectum præcipuum, & adæquatum, illud cor esse volunt, hoc corpus vniuersum. Hinc Pergamenus lib. de marasmo, inquit, fieri non posse, vt totum corpus calida præsertim intemperie afficiatur, quin cor priùs affectum fuerit, vnde cor primùm, subinde totum corpus febri subijci colligitur. Ad spiritus, & humores quod attinet, si audiantur, qui cordis calidum innatum constituunt, (est enim spiritalis, humidæ, & solidæ substantiæ nexus quidam, & complexio) febris esse subiectum ex animi sententia damus, at si vagantes, & venis coerciti intelligantur, hos modò efficientis, neutiquam formalis caussæ subiecta vocamus, sola enim viuens pars ægritudini est opportuna (ni quispiam cum Auic. malit humores remotum morbi subiectum appellare;) Nec est, quòd subinferatur, fore, vt vniuersæ febres sint hecticæ; nam in putridis, & ephemeris solidæ partes in habitudine, non in habitu contraxere calorem, tripartitò enim febrilis calor emicat, alius quippe efficitur, & à caussa præsente fouetur, qua ablata euanescit in auras, alius prorsus effectus est, habitumque contraxit, quem nulla caussa præsens sustentat, alius porrò medius it, & sequester, qui partim consistit, partim efficitur. Nequeillud prætereundum, febrilem calorem à iugi caloris effinuio è corde foueri, propterea in Lypiria extimis rigentibus particulis intima flagrantia torrentur, quòd scilicet propter obices calor influens ad externa se se explicare non ualeat; cordis tamen thermasia non auget, at modò fouet, incubatque, putrescentis uerò humoris pernicies non solùm seruat, verùm etiam febrilem conduplicat calorem, & hac de caussa in hecticis calor vniusmodi percipitur, quòd non subsint humores, quibus putrentibus calor inualescat.

Saxon. lib. de Feb. Duplex subiectũ principus, & adæquatum. Non potest totũ corpus calida intemperie laborare quin cor afficiatur. Vall. feb. illa diuisio, ait, lib. 5. contr. cap. 19. non est per subiecta corpora lata, sed per caussas interas potius, &c. Lib. 1. F. 1. c. de Humor.

Triplex calors modus in feb.

PHIL. Tametsi plurima supereſſe compertum est, quæ in hanc rem possent induci, nihil tamen opus esse video, vt frustrà tempus insumamus, cũ eòdem ferè res incidat: Cæterùm ad febrium differentias pergendum esse videtur; vt hæc absoluta sit dissertatio: Ex verò mihi præcipuè videntur, quæ ex rei diuidendæ substantia, nempè ex calore sumuntur, cum verò calor spectetur, prout vel est in habitu, vel in habitudine, pro uaria inhærendi ratione fit febrium in hecticas, & schesticas primum diuortium. Calor uerò spectata natura semper eodem se habet modo, non item si existentiam consideres, quin varias subit rationes, quum accidentis esse sit inesse, vt scribitur 7. Metaphysicæ, proin iuxtà subiecti diuersitatem, varias, & vsiades diaphoras subire dicitur: Calor igitur præter naturam accensus in spiritibus, humoribus, aut solidis partibus innato substantiæ cordis calido impertitus febrem sui generis excitat.

Feb. varia. sic diagnosis.

EVD. Hipp. feb. discrimina à tribus fontibus hausit, nempe à caloris modo, siquidem aliæ mites, aliæ mordaces manu, aliæ uerò primùm suaues, subinde insurgẽtes: A caloris motu, aliæ enim ardentes, & acutæ, aliæ debiles, & lentæ; Postremùm à materia, in qua insensus calor succenditur, scilicet à spiritibus, humoribus, uel solida cordis substantia, hinc diariæ, putres, & hecticæ suam ducunt originem, atque hæc potissima, & substantialis est feb. differentia.

Dubia.

PYR. Proh Deũm fidem, quàm multæ Eudæmon copiæ se se mihi offerunt, quæ tuam prosternant, & proterant sententiam, ni venias obuiam multa ratione munitus, & cataphractus. Auscultа. Si contrariorum eadem est ratio, & sanitas nullam possidet speciem subditam, qui possit habere febris, quæ morbus est? Sanitatem, constat, nullam habere, quum sit medium, quod teste Platone in conuiuio vnicum duntaxat existit. Ad hæc calor, qui febris ratio statuitur, vltima species est, quare in alias non est sectilis. Amplùs intensio, & remissio ut speciem non diuariat, ita differentias substantiales constituere nequit. Dein si ex subiecti disparitate calor diuersas nanciscetur species, illud absurditatis accideret, albedinem scilicet in diuersis subiectis diuersam rationem formalem indipisci, quod dictu nefas est; Neque enim ratio specificæ essentiæ à subiectis,

sed

sed à formis petitur, quare mi Eudæmon toto aberras cœlo.

Aures.

EVD. Faciam quamprimùm, vt palynodiam canas Pyrimace, & in saniorem venias sententiam, cum leuiora sint argumenta, quàm vt sancitam veritatem queant conuellere. Visum est autem singulis argutiolis eo ordine, quo obiectæ sunt, respondere, Aures igitur arrigas, & mentem diligenter intendas. Medium apud Medicæ artis Proceres in puncto, & momento non consistit, sed latitudine quadam gaudet, adhæc vt mediocritas ex integra caussa conflatur, ita incongruum ex multiplici, & multiformi construitur, ad peccandum enim plurimæ patent viæ. Secundo loco responsum oportet, calorem, prout est qualitas tertiæ speciei, locari sub vltima specie, neque in alias dirimi posse, at si spectetur vt calor noxius, siue potiùs vt intemperies calida perperam subiectum disponens, adeò vt morbi rationem subeat, in varias differentias diffundi potest. Præterea remissus, aut intensus calor haud speciem mutat, calor autem præter naturã ita affectus mutat. Renuis? Esto, vt quispiam calore prẽter naturam corripiatur, febris tamen non erumpat, simulatque binos adieceris gradus, febris foras exiliet, & se se in medium proferet. Porrò, vt ad aliud argumẽtum me conferam, calor in Medicorum scholis præcisè non accipitur, verùm vt præter naturam est, & exorbitans, quo modo spectatus à diuersitate subiectorum formalem differentiam sortitur, prout vario existit modo. Supremo argumento ea potissimùm ratione itur obuiam, quòd allata de albedine comparatio, atque similitudo nihil conficiat, quum vtrobique adæquatum coloris subiectum sit superficies. Confectum igitur sit, vt præcipua febrium discrimina à subiectis, quibus calor præter naturam inhæret, maximè petantur.

Quid interfit inter Gal. & Mercatũ.

Cæterùm illud inter Gal. & Neotericos intereſſe videtur, quòd ille differentias ab ijs repetit, quæ corpus ambiunt, isti verò à spiritibus, & humoribus, & solidis partibus, quæ cordis substantiam constituunt, siquidem differentiæ substantiuæ à dirimendæ rei natura erui debent, res autem diuidenda innatum calidum est, quatenus constat ex spiritali, humida, & solida substantia. Atqui cum contrariorum eadem sit ratio, trinaque illa substantia innatum calidum conficiat, necessum est, vt & ad conflandum calorem præter naturam conueniat. Quare si spiritalis cordis substantia succendatur (quod exempli loco dictum sit) errantibus inflammatis spiritibus ephemera superueniet. Humores verò venis cohibiti, aut palantes spiritus, si fortè incalescant, causſæ rationem induunt, haud denominati subiecti, quũ minimè viuant, vt partes, quarum ea est definitio, vt sint corpora toti cohærentia, communique vita coniuncta ad illius functionem, vsumque comparata, quo numero nec humores, nec spiritus censeri possunt.

PHIL. Sapienter quantum ipse intelligo, disputationem de febre ad vmbilicum adduxisti, superesse nunc videtur, Eudæmon, vt causſas morbifici huius caloris paucis perstringas.

EVD. Non possum, quin tua vota secundem, tametsi Sol proximè occasum esse videtur? Aucti caloris à Græcis, & Arabibus quinque præcipuè causſæ censentur, (quas nonnulli ad quatuor summa capita reducunt, nempè ad admota, sumpta, agenda, educenda:) Sunt autem motus, rei calidæ vicinium, constrictio, cibus, potusve calidior, putredo, quæ his modis comprehenduntur.

Quinque aucti caloris causſa.

Censentur causſæ morbosi quinque caloris.
Ignea res propior, putredo, Epulæque calentes,
Stypsis, & insuetis vehemens labor excitus horis.

PHIL. Sic profectò causſæ in numerato magis subsunt ijs, qui numerosa oratione delectantur, vna scilicet syllaba reliquas in mentem reuocat, quo fundamento innititur Ars notoria. Verùm mi Eudæmon cogor tua abuti humanitate, vt mihi vnum hunc scrupulum eximas, qui me noctuque, diuque coquit. Qui fiat in nobis putredo? Nam siue mutatio sit substantiæ putrescentis ad corruptelam, vt voluit Galenus, siue interitus proprij, & innati caloris in vno quoque humido, quæ putrescunt sanè, propriam amittunt formam, & desinunt in simum, nihil tamen in nobis tale fieri contingit, vt est videre.

Quid putredo. Lib. 11. meth. med. L. 4. Meteor.

Qualis putredo in humoribus fiat per feb.

EVD. Quæ in humoribus celebratur putredo siue propter obstructiones, siue ob alias causſas, non est similis naturali mixtorum putredini, quæ per dissolutionem humidi à sicco tandem in terram degenerant, sed similis est uino fugienti, quod in acetum desciscit, deficitque, & hæc putredo ab Arist. uocatur secundùm partem, in qua specifica duntaxat forma corrumpitur, & deterior sufficitur. Neque illorum audienda sententia, qui humorum putredinem nil esse aliud existimant, quã recessum à sibi debita temperie, nõ sunt, inquam, audiendi, nam uel Galeno teste in uenis putrescẽtibus succis aliquid pyodes gignitur, puri analogia respondens, quod cineres appellitat Arabum familia, id quod hercle non contingeret, ni substãtiua fieret mutatio. Hanc putredinem nonnulli præter naturam uocant, adduntque tripartitò committi ex Galeni doctrina li. 1. de diff. feb. primò superante natura, in qua humor amittit quidem specificam formam, calor tamen naturalis id agit coquendo, ne corpori deinceps possit esse noxius, quod abscessuum exemplo patet: Deinde sit putredo uicta penitus natura, in qua uitalis calor superatur, id quod tum propter materiæ perniciem, tum propter uenarum, arteriarumque imbecillitatem accidit, quò fit, ut plurimum officiat humor. Denique quædam uisitur putredo, in qua nec omnino euincitur natura, nec protsus hostem proterit, sed mixtum quippiam est cernere, quod neutram uim redolet. Mitto illorum inanem futilitatem, qui humores non putrescere, sed duntaxat exardescere in animum induxerũt. Mitto nec minus illorum sententiam, qui febres syncrisi, & temperatione soluta committi rato animo credunt, dum humores synceritatem nacti integritati suæ restituuntur, & in genuinam libertatem asseruntur; Non me latet quasdam febres artis usu reponi, quas sanguinis, aut bilis feruor peperit, quæ quoniam naturalem diem excedũt, non diariç nomine donandæ sunt, sed mediç inter

4. Meteor. Mercenarij refellitur.

Saxonia.

putri-

putridas,& ephemeras excutrunt: Hic nulla pulsus subest inæqualitas,nulla caloris acrimonia,sed solum vtriusque incrementum.

Verùm egregij Iuuenes Vesper admonet, vt receptui canamus, & ad ædes pedem referamus, quando satis Mineruæ litatum est.

PHIL. Nos comi viro comites præbemus, vt grati animi symbolum exprimamus, beneficia enim in nos collata verbis rependi nequeunt.

EVD. Id agite, ne vobis molestiæ sit humanissimum hocce obsequium, cui non renitar, ne ab hac gratissima comitate abhorrere videar.

PYR. Studiosos viros tam impensè diligo, & colo, vt si liceret, nunquam paterer reuelli. Verùm lepidissime Eudæmon inter ambulandum aliquod curandæ feb. putridæ exemplum ob oculos nobis pone, ne tantillum hoc temporis infrugiferum nobis sit.

EVD. Vt vobis morem geram, obiter faciam. Spectanda igitur feb.idea, magnitudo,motus,mores, & per collecta signa singula sunt definienda. Cognita feb.specie per singulas causas instituenda methodus est, quæ & morbum, & præcipuè vires respiciat; Dein ferenda prognosis, ne inconsultò quippiam eueniat. Demum ea ratione institui debet curatio, vt primùm vnamquamque causam rescindat, dein ad eam,quæ facta est, discrasiam perueniat: Enimuerò in regimine curatiuo,ait Rhasius 1. Cont.in primis causa inuestigari debet, qua cognita cura est absciſſio eius. Scire tamen decet, nonnunquam eam esse febris acrimoniam, vt posthabita causa Medicus cogatur refrigerantia adhibere ad feb. vehementiam obtundendam, ne de medio tollatur æger. Porrò bellè docet Gal. feb.putridarum curationem, nempè putridam materiam euacuare, & reliquã cõcoquere. * Verùm quum coctio perfectio quædam sit humidi à calore proprio, & naturali,scilicet definitio, & determinatio quædam cum sicco: siue assimilatio, quæ rebus coctilibns inditur ab alteratrice * caloris naturalis beneficio, fit, vt ad duo potissimũ mẽtis acies sit dirigenda,videlicet ad efficientem, & ad obiectum: Efficiens saltem machinalis est calor, qui debet esse proprius, h.e. symmetrus,& moderatus, proin eius excessus erit infringendus, & moderatio quærenda cùm positiuis, tùm priuantibus contrarijs,quæ refrigerent; * Obiectum verò,nempè materia coquenda æquari debet,ait Auic.ne coquenti calori resistat, quare si copia peccet, minuenda pharmaco leniente, si qualitate prima, aut secunda, aut tertia sit noxia, per contrarium corrigenda, quare modò calfaciendum, & siccandum, vt in pituitosa, modò refrigerandum, & humectandum, vt in biliosa, modõ extenuare expedit, aut quadantenus crassefacere. Denique si totius substantiæ diſſidio sit perniciosa, antipharmaca sunt vsurpanda, quæ vitalem vim roborent.

Hæc verò typo tenus dicta sint: Quòd si Deus nostris aspirauerit conatibus, vestram non fraudabimus aliàs expectationem:

Quare, dum meliora paro præcepta, valete.

** Augen. perperam ait, esse perfectionem caloris ex oppositis passiuis, sed debuit dicere à calore, lib. 1. alterius thomi in epist.ad Franc.Cirocham Fulgin.*

** Hinc falluntur Argent. & Mercatus, qui crudos humores à febrili calore concoqui statuunt.*

Hinc Gal.6.epid.sect.5. §.6. definit coctionem per adductionem ad mediocre temperamentum.

** Frustra Manard. fugillat Auic.qui coctionẽ appellauit adæquationẽ.Nec minùs absurdè cõcoctionẽ definiuit Paparella lib.2.de catarrho,c.7.quãdo scripsit; Concoctio autem (quidquid de ipsa recentiores scripserint) est calidi innati, & concoctricis virtutis in noxium humorem alteratio, vt à noxijs qualitatibus ipsum euincat,& à bonis separet succis, ac habilem expulsioni reddat. Debuit enim dicere, alliosis,seu affectio humoris à calore, & facultate coctrice, siquidem calfactio, v. g. est rei calfactæ, non caloris affectio, si modò denominatio à re, ad quã fit motus,sumi debet, motus est mobilis non mouentis affectio.*

PARAPHRASIS IN FEN PRIMAM

Libri Quarti Auicennæ.

AVTHORE
IOANNE STEPHANO
IATROPHYSICO
VENETO.

De definitione, & generibus Febris.

CAPVT PRIMVM.

Quoniam in nostra Pyrine abundè de Febris natura disceptatum est, operæpretium nunc esse videtur singularum feb. tùm naturas, causas, differentias, tùm curationem particulatim aggredi (quando & promissis stare licet, & creberrimis amicorum efflagitationibus morem gerere iustum est.) Qua in re satis mihi feciſſe videbor, si Auicennæ mentem vberiore, lucidior eque styli modo prompsero, exposueroque, qui hoc argumentum accuratissimè pertriuit, vtinam paulò expressiùs nobis sententias explicuissent Interpretes. Age igitur inuocato diuino numine manum operi admoliamur.

Febris est calor alienus, ascitusque, qui primũ in corde succensus, subinde per venas, & arterias spiritus, & sanguinis vehiculo subnixus in totum corpus effunditur, quod non perinde incalescit, flammaturque, ac exercitatione validiore, aut excandescentia concitis vsu venit, sed deteriore modo, nempè non dissipabili, & euanido calore, sed adeò stabili, & permanente, vt vniuersas naturæ functiones perturbet, peruertatque.

Quidam bipartitò feb. discriminant, (hic Gal. audio, Zoaris filium, & Rhasim,) nempè in febr. morbum, & in seb. accidens, asseruntque febres, quæ apostemata excipiunt, phlegmonasque esse de genere epigenimaticarum, accidentiumque, quæ verò succedunt nullis præuenientibus morbis, sed proximè à causſa, quæ morbi nomine dignanda non est, deriuantur, deradunturque, esse de genere morborum, ceu febris ea, quæ ab humorum putredine excitatur, putredo enim est cõiuncta putridæ febris causſa, quæ accidens omnino est; At seb. inflammationum soboles vtique symptomatica esse videtur, vtpotè quæ phlegmonen, quæ reuera morbus est, sequitur, obsecundatque. Verùm enim verò quispiam eo argumento reclamare, refragarique posset, quòd, si ita res habeat, futurum sit, vt plurimæ ephemeræ febriculæ sint epigenimaticæ. Ad hæc putrida seb. ab inflammatione ortum trahens putridæ fuliginis soboles est, hancque proximè sequitur, quare haud in phlegmonen, verùm in putredinem causſa regerenda est. Idcirco, ni sibi velint aliud, qui huiusmodi seb. discerniculum inuenerunt, audenter aio, eandem esse accidentariæ seb. ad putredinem habitudinem, & collationem, quæ seb. morbi. At verò huiusmodi morosa disquisitio nihil confert, imò Medicum à regia via auocat, & animum inanibus dubijs implicat. Quamobrem satius esse vide ur manus dare, & consuetudini adscribere, quàm vitiligatorum more tergiuersari, & futili contentione nequicquam tempus conterere. Concluſum igitur sit, seb. eas, quæ ab inflammatione, obstructioneve proficiscuntur, esse symptomaticas, cæteras verò morbos.

His ita constitutis nosse operæpretium est, humanum corpus tribus subſtantijs constare, nempè solida, siue seminali, humida, spiritali, quod hercules cum balneis analogia quadam conferri, compararique potest, siquidem hæc quoque tribus constructa sunt, nempè parietinis, latice, & ambiente aere; parietes solidis particulis, stagnãs aqua humidis, æther, circumfususque halitus spiritibus respondet. Quare si vnum quippiam horum thermasia incalefactum sit, non est necesſum, vt cõtinuò cætera similiter coafficiantur, sed fieri

potest,

potest. Quid enim vetat, quin vna substantia calefacta sit reliquis inoffensis? Etenim (exempli loco) si solidæ particulæ incalfactæ sint, ceu in balneis lateres, parietinæve, aut argentariæ officinæ follis, aut culinæ ollula; tunc feb. illa habitualis, hecticaque appellatur. Quod si primùm alieno calore æstuent humores, subinde cæteris calor communicetur, quo afficiantur perinde, atque balnearum parietes affusa feruidiore aqua, aut aheneum candente ferculo ingesto, tunc febris illa putris nuncupatur. Cæterum si spiritus primò incanduerint, solidaque, & humores non secus incalescant, atque latere, & latices balneatum ab aere æstuante, tunc feb. illa diaria indigitatur, quæ ideò naturalis diei spatio extinguitur, euanescitque, quòd calor in re tenui, & dissipabili sit succensus, nisi deficiat in aliud feb. genus.

Hoc feb. discrimen, & discerniculum proximè diuisionem æmulatur, quæ fit per vsiodes differentias; etenim reuera essentiales distinctiones sumuntur ex diuidenda rei natura, res secanda calor est, qui accidens est, accidentis verò esse est inesse, quare prout inest, ita differentias, dissimilitudinesque parit essentiales: Inest autem bifariam hecticòs, & scheticòs, quamobrem binæ dũtaxat repullulant differentiæ, si rem ipsam spectemus. Verùm quoniam tria sunt, quibus calor inhæret ascitus, vni quidem hecticòs, duobus scheticòs, nempè humoribus, & spiritibus, fit hinc, vt tres quodammodo sint essentiales differentiæ, quamquam his inesse videtur potiùs, vt internis efficientibus, quàm subiectis, quando sola viuens particula ægritudini subijcitur.

Adhuc autem extant aliæ feb. differentiæ; quædam enim dicuntur acutæ, quædam secus; quædam chronicæ, aliæ breues; quædam nocturnæ, aliæ diurnæ; salubres nonnullæ, aliquæ deterrimæ; quædam interpolæ, nonnullæ continuæ, quæ aut certis periodis, alternaque crementi, & decrementi vicissitudine intercidũtur, aut perpetuò intenduntur. Demum aliæ calidæ, aliæ frigidæ cum horrore, & rigore inuadentes; aliæ simplæ, aliæ cõpositæ, quæ quidem differentiæ, quum sint accidẽtales, excrescere possunt in infinitum.

De corporibus dispositis ad febres.

CAPVT II.

INter temperamenta, quæ putridis febribus obnoxios homines reddunt, mea quidem, & aliquotum sententia sunt calida, & humida, maximè verò vbi calori præpollet humiditas, istis enim sudor, lotium, & alui egestiones comprimis fœtẽt, putredinis argumentum. Ad hæc calidæ, siccæque temperationis corpora acutis febribus opportuniora sunt, frequèns in ephemeras incidunt, quæ ocyssimè in putridas incendiarias deficiunt, nonnunquam etiã si vlla subsit aptitudo, aut nonnihil malum protrahatur in hecticas. Ab his sequuntur corpora calida quidẽ, sed in passiuis qualitatibus temperata, quibus hercle spiritales febriculæ succenduntur, quæ mox in putres, & humoristicas desciscunt. Dein sequuntur corpora inter calidum, & frigidum temperata quidem, cæterùm mollicula, impendiòq; humecta, quæ in putredinẽ, atque adeò in putridas febres facilè propendent, inciduntque. Vltimo loco sunt corpora frigida humida, & frigida, & sicca, qualia phlegmaticis, & melancholicis insunt, quæ cunctanter ad febrilem thermasiam disponũtur potissimùm ad feb. ephem.

De febrium temporibus.

CAPVT III.

FEbrium tempora, veluti cæterarum passionũ, principio, incremento, vigore, & declinatione distinguuntur; quæ sanè aut vniuersim, aut iuxtà cuiusq; paroxysmi naturam particulatim spectãda sunt. Et sanè horum temporum intelligentia, discretioq; est apprimè vtilis, & necessaria, siquidem ab exordio vsque ad summum morbi vigorẽ magno in discrimine versantur ægri, in vera, vniuersaliq; morbi decessione nemo moritur, nisi alterius perniciei accessu.

Principium verò illud est, vbi calor introrsùm reuocatus à materia concita præcluditur, & veluti suffocatur, quo tempore nullum digestionis, nullum corruptelæ, contaminationisve indicium se se manifesto profert, proditve. Atque licet interdum latens, incompertumq; sit initium, quòd pauca accidentia interueniant, vt in apoplexia, Epilepsiaque, in omni tamen morbo necessario intelligitur. Esto, exempli gratia, vt quispiam acutissima feb. corripiatur, puta synocho, & à carceribus, primoque morbi insultu in lotio supernatet nubecula, multaq; coctionis rudimenta se se proferant, quis hic vel non deierabit, principium, inchoationemque abfuisse, quæ cruditate definitur? Quidquid tamen sit, secus se rem habere, compertum est.

Crementum verò est, vbi natura germanæ caliditatis ministerio vsque adeò renititur, repugnatque materiæ, vt iamiam digestionis, si morbus sit salubris, aut corruptionis, si exitialis existat (euicto natiuo calore) indicia palam fiant.

Status autẽ, vigorq; morbi ex naturæ aduersùs motbosas causas valida concertatione, vnde vehementia emergunt symptomata, dignoscitur. Is in acutis vno, aut altero paroxysmo absoluitur, hocq; symptomatum, paroxysmorumq; consecutione mitiorum declaratur, ni morbus sit pernicialis. In chronicis status aliquanto morosior, tardiorq; est, vt plures etiam simillimæ periodi interueniant. Hoc tamen est apodicticum, nempè coctionis perfectio, ni affectus ruat ad exitium.

Cæterùm declinare tunc dicitur febris, vbi natura, innatusq; calor de materia triumphauit, vniuersosq; excessus noxios euicit, quo fit, vt qua excrementa dissipando; quà ascitum calorẽ propulsando exerceatur, donec symptomata cuncta euanescant. Cauendum interim, ne quid in statu peccetur, hinc enim plurima emergũt incõmoda. Porrò vigor modò citiùs, modò seriùs accedit; In acutissimis quartam diem minimè præterlabitur, (huc etiam spectare videntur diariæ, tametsi ipsæ acutæ non sunt censendæ, quoniam ad acutiẽ non tantùm breuitas desideratur, sed præterea periculum.) Sequuntur feb. peracutæ, quæ ad septimam diem delatæ cõsistunt, & summum laborẽ ægrotantibus afferunt. In hoc censu est perẽ his tertia-

ta accessionibus suis distincta, & febris ardés, quã causonem appellat Hipp. Merè acutarũ status vsque ad xiv. diem producitur, mitiorum vsque ad xx. diem, Chronicæ verò quadragesimo, aut sexagesimo die consistere cõsueuerunt, quarum febrium natura Medico prorsus edisceda est, vt idoneam victus rationem instituere valeat, nam si tenuem victum temporaria, longiusculaq; febricula implicito præscripseris, in vitæ discrimen ægrũ ipsum induxeris, atque à contrario si acuta feb. laboranti pleniorem alimoniam iniunxeris, grauissimè errueris. Cæterùm non paucæ extant feb. quæ vno paroxysmo principium, augmentum, & vigorem absoluunt, & secundo paroxysmo declinant. Et in feb. reuera hæc tempora vario se se habent modo, nam quibusdam lentissimè incrementum transigitur, alijs fusissimè trahitur remissio.

De dignoscendis generatim morborum temporibus maximè verò statu.

CAPVT IIII.

CAtholica morborum tempora nonnunquam ipsæ ægritudinum species produnt, namque (exempli loco) conuulsio ab inanitione, comitialis, quod attinet ad accessionem, attonitus morbus, cynanche, causon, pura, perennisque tertiana sunt de genere perquam acutorum, qui celeriter consistunt, totiusque morbi curriculum absoluũt. Paralysis verò, quartana, & id genus alia, quæ à viscida, crassaq; materia proficiscuntur, inter chronicos morbos censenda, qui serò ad vigorem pe neniunt.

A motu quoque tempora indicantur, nam breues, concisæque accessiones citimum statum denunciant, qualem pariunt synceræ tertianæ, quę periodum suam à tribus ad duodecim horas trãsigunt, conficiuntque, quòd si lentiùs, segniùsque moueantur, vt materiæ crassitiem, lentorem, & renisum arguunt, ita tardè accessurũ statum minantur, vt in nothis tertianis vsu venit.

At si exors accessionum fuerit feb. vt synochus, eòtimuò acutiem, & tenuiculam materiam renunciat, vnde breui totius morbi historia finitur. Crassa verò, frigidaq; materies vt acutã passionẽ parere nequit, ita morbos producit, prouehitque.

Idem colligas ex ægri facie, & corporis habitudine, nam si celerrimè contabuerit, dummodo id ex vigilijs, aut immodica euacuatione non contigerit, acutam passionem subesse necessium est, at si de corporis habitu nihil detractum, delibatũve sit, vt minimũ diaphoreseos, dissolutionisq; arguitur, ita morbus in longũ trahitur. Perinde ex citò concisis, collapsisq; viribus coniecias, nam defectæ acutum, constantes mitiorem morbum significãt.

Ætas, & anni tempora eodem pertinent, etenim si calidæ, siccæq; temperationis adolescens, dum syrius ardet, febre corripiatur, ocyssimè morbo defungetur, hyeme verò stridente Borea aniculæ febricitans lentissimè ad apyrexiam promouebitur. Idem de regionibus ferãs iudicium, torridis enim in oris breui finiuntur morbi, seriùs sub Ioue frigido. Magnam quoque partem conferunt pulsus ad temporum dignotionem, nam pulsus magni, celeres, frequentes acutam subesse ægritudinem demonstrant, oppositi mitiorem, diuturnioréq;. Hoc facit & rigor, nam prout ocyùs, aut diutiùs incesserit, ita brewem, aut longam fore febrem præmunciat, absentia perpetuò breuitatem arguit. Paroxysmorum itidem occupatio, cremẽtum, vehementia feb. vniuersale augmẽtum, quẽadmodum eorundem similimus genor statum arguit, siue id in feb. quæ quotidie repetunt, siue in his, quæ alteris diebus cum episimasia aggrediũtur, accidat. At feb. ea, quæ citra statum stata repetit hora, nec hilum occupat, aut procrastinatur, in longum prouehi solet. Verùm si posũ temporis consuetudinem accessio subarcebetur, vt materiam virtuti succũbere significatur, ita morbi totius decessio arguitur, maximè si cætera quoque leuiora, remissioraque videantur, symptomata etiam magis, minusve sæuientia feb. constitutionem indicant. Euacuationes idem aliquando nobis insinuant, nam si ingruente paroxysmo sudor, aut alui fluxus accidat, & inde feb. & symptomata nonnihilantur, sed aut talia, aut etiam, si dijs placet, grauiora perseuerent, tunc producitur morbus, huiusmodi enim euacuatio non decernente, sed irritata præcopia, aut pernicie materię natura contingit. Verum enimuerò coctiones, aut cruditates potissimùm morborum tempora demonstrant, etenim vbi in sputo, aut lotio notæ coctionis, puta nebula, se se prodiderint, ibi augmenti principium inest, vt vero coctio, aut contraria coctioni dispositio, ei *were*, euidentiùs, citiùsque progrediuntur, ita summus morbi vigor fit propinquior.

Cęterùm si cordi sit fingillatim singulorum paroxysmorum naturam perdiscere, paucis accipito. Principio recedunt, retrahunturque pulsus, extrema, maximè nares, & summæ auriculæ inalgescunt, linent, præcluditur, hebescitque calor, oscitatiunculæ infestant, molliculæ decidunt palpebræ, ægri inuiti in somnum deferuntur, ægrè fermocinantur, dorso, scapulisq; horrent, rigento; interdum vehementiùs, crebra sordescunt sputitione, incessit tussicula, micant temporum uenæ, aures tinniunt, frequẽs sternutamentis, & pandiculationibus lacessuntur, vires universi corporis franguntur.

Incrementi principio pulsus se se æqualiter explicant, micant ocyùs, calor peræquè in corporis habitum diffunditur, sed cumulatis gradibus acriùs vrget, hæcque vsque ad accrementi dimidium cursum visuntur, tum similiter effusa thermasia sæuiùs molestat, pulsus ampliùs micant, quæ sanè in altera parte incrementi notantur.

In vigore feb. perinde passa manet acrior caliditas, pariterque sæuiunt symptomata, grandescunt pulsus, summa celeritate, frequentiaque incitantur.

In declinatione febrilis calor diminuitur, delitent symptomata, pulsus ad mediocritatẽ redeũt, & si feb. intermittat, sudor erumpens affatim eam extinguere consueuit. Sed ne te decipiat similitudo, cum etiam morituris, capuloque vicinis omnia mitiora fieri videantur, spectandus in primis est pulsuum tenor.

Sed

Sed age tertianæ feb. paradigmate res clarior euadat. Tertiana vt plurimum adoritur cum horrore, subinde frigus, & rigor ingruunt, quibus abeuntibus succedit, succrescitque calor, qui æquè in corporis habitum effunditur, subindè intenditur, postremùm in summo robore positus consistit, à quo paulatim decedit, deciditque usque ad apyrexiam.

Confectum igitur sit, vt ad antecephaleosim vniuersa quadantenus redigantur, vt morbi diuturnitas à materiæ copia, crassitie, frigiditate, vel à tempore, regione, ætate, temperie prægelidis proficiscatur, quibus si accessio fiat innati calidi defecti, densioris, solidiorisque corporis habitus, in longius ægritudo protinus protrahitur. A contrarijs caussis breuitas proficiscitur.

Hæc longum, morbumve brevem tibi signa notabunt.
In primis species, motus, tarduſve, celerve,
Ægri habitudo, ætas, & tempus fluxilis anni,
Et pulsus, tremulusq; rigor, si accessio tempus
Occupat, aut subit, aut consistit mordicus vna,
Coctio, conditio effluuij, symptoma proternum.

Generatim de Febribus ephemeris.

CAPVT V.

VNiuersæ ephemeræ à caussis procatharticis, & euidentibus enascuntur, quæ per se, aut ex euentu calfaciũt, è quarum laterculo sunt, quæ extrinsecùs occurrunt, quæ intrò sumuntur, animi pathemata, corporis cruciatus, bubones, phimata, & cuncta, quæ extrinsecùs corpus inoccupant apostemata, obstrũctiunculæ item, quæ tamepsi ad externas, primitiuasque caussas non pertinent. non vsque adeò tamen innaluere, vt præter spiritus quippiam incendant, nam si fortè, aut solidæ particulæ, aut humores extraneum concipiant calorem, continuò aliud feb. genus erũpit, nempè hectica, aut putris, sæpè etenim fit, vt externæ prophases antecedentes caussas cieant, & si morbosus subsit apparatus, sine quo nullius efficaciæ sunt caussæ, putridæ febres eboriantur. Quare perperam mihi sentire videntur quidam, qui diarias omnes ex turbidis animi motibus, angoribusque, nec non ex immodico corporis exercitio proficisci in animum induxerunt. Hoc autem est ephemerarum commune, vt vnica diecula conficiantur, aut saltem quod insolens est tertia, quam si prætereant, in aliud feb. genus defecisse translato calore è spiritibus in humores, aut solida membra consentaneum est. Non desunt tamen, qui sibi persuaserint, diariam ad sextam vsque diem protrahi posse, eo argumento, quòd toto decursu sibi simillima feb. permanserit, id quod sanè non contigisset, si in aliam speciem desciuisset. Hoc autem commune habent ephemeræ cum hecticis, vt à principio difficilè internoscantur, facilem tamen subeant curationem. Cæterùm illi potissimùm ephemeris sunt opportuni, facilèq; vel ex minimo errore in deterius labuntur, nempè in habituales, & tertianas febres, qui calidę, siccęque temperationis existunt. Ab illis sunt calidæ, humidęque temperaturę, qui minimo negotio putridis implicantur febribus. Sequuntur deinde, qui calidę temperiei excessu laborant. Postremò qui sicco temperamento sunt. Quòd si bilioso cuipiam, & picrocholo fames incidat, aut labor, aut sollicitudo, aut perũigilium, non modò celerrimè cum horrore ephetnera corripietur, verum etiam, ni quàm mox quies, somnus, alimenta sequantur, è proximo putrida adorietur.

De signis ephemerarum proprijs.

CAPVT VI.

HOc est diariarum feb. peculiare, vt ab antecedente caussa non pendeant, nempè plethora, aut cacochymia, vt cum pulsuum paruitate, & inæqualitate, vt cum rigore, aut frigore extremorum non inuadant; vt neque calor intrò subeat in viscera, neque torpor, neque somnus incessant, tametsi aliquando à principio species quędam, & imago frigoris, & horroris superueniat, & ulcerosa quædam lassitudo, & dolor. Quę quidem symptomata sunt soboles potiùs vapidæ cuiusdam substantię è nequissimo chymo sublatę, quę citò per habitum corporis dissipatur, & euanescit in auras. Interdum etiam geminatis, glomeratisque halitibus impendiò pungentibus, & actiusculis accedit rigor, qui tamen rarissimè obseruatur, calor interim minimè acer est, aut siccus, sed qualis exercitatione, aut temulentia laborantium. Præterea ephemerę vel ex eo capitur coniectura, quòd ab ipso morbi insultu in urinis concoctionis signa eluceſcunt, pulsus minimùm à naturali conditione abierunt, sed laudandum in morem intermicant; illud verò visitur, quòd affectio humoribus non insit, hinc etiam laudabilis subsistit hypostasis, aut enęorema, quod pendulum in medio stat, veluti ponderibus suis librati, aut supernatat nubecula colore, & consistentia mediocris, mutatur tamen, intenditurque nonnunquam penes colorem urina ex commercio, & communicatione. Interim verò pulsus obeuentationis auctum vsum, magni, robusti, celeresque apparent, ni febris à mœrore, & à caussis enecruantibus, & robur deijcientibus proueniat, aut certè in stomachò non subsit mordax aliquod, aut frigidum excremẽtum, vel quippiam aliud noxium, quod etiam citra feb. pulsus paruos, exilesq; lanciuando pariat. Perrarò autem pulsus inæqualiter micant, & si hoc fortè eueniat, non vacant ordine suo [ni alterius caussæ subsit implexus, cuius ratione de gradu, & ordine deijciantur, vtpotè improba exercitatio, mordicantis, & conuellentis viscera fastidij sensus, & id genus alia. Interdum etiam vel ob summum frigus, vel ob immodicum solis calorem humores depascentem, vel ob laborem afficcantem, vel ob inedias, sollicitudines, vigilias, euacuationes duriusculi subsultant. Cæterùm diastole perpetuò systole est celerior, quæ naturalem motum vt plurimum obseruat, maior enim in ephemeris frigerationis, quàm expurgandæ fuliginis, quæ [calore modò non putredine, insensa est, viget necessitas. Quod si pulsus non vsquequaque sibi respondeant, tunc respiratinem

animaduertere expedit, quæ si facilè, naturalique agatur more, pulsus etiam paulò post suo restituentur tenori. Omnino hoc animo habendum, perfectè elaboratis vrinis, & laudandis pulsibus ostendi, probarique ephemeras. Non tamen hinc velim concluſum, à pulsibus, & vrinis leuiter deficientibus statim argui putridas feb. cum nonnunquam & in ephemeris pulsus, & vrinæ mutentur, & non minimam subeant affectionem.

Illud verò maximè significat ephemeras, nimirum feb. leniter à principio afficiens, quæ celeriter insurgit, & augescit, vt aliquando duabus horulis circumscribatur, vigor nullis stipatur prauis symptomatis, calor acrior manus non ferit, sed suauis, dolor nullus grauior infestat, & si capite quis laboret, dolor leuis est, citóque dissipatur. Porrò feb. hæc aut per sudorem, aut per inspectabilem vacuationem soluitur, sudorque sanorũ similis est, qui si plurimum effunditur, & febr. non extinguitur, non esse ephemera congruens est. Præterea ingressu in balneum ephemerã cognoscitur, nam si laborans in balneo horrorem percipiat, è vestigio egredi debet, nam hoc est feb. putridæ argumentum, quòd si nihil tale sequatur, sed peræquè sese habeat æger, ephemera est.

De ephemerarum permutatione.

CAPVT VII.

SI quis calida, siccaque intemperie præditus, picrocholos in ephemeram incidat, & opportunè alimonia non reficiatur, minimo negotio gradum facit ad causonem, aut ad habitualem febrem. Si autem laborans fuerit euſarcos, facilè implicatur synochis, maximè vbi corporis habitus fuerit densior, solidiorque, nec adhibita fuerint calastica, & areotica, quæ corporis poros recludant, ne humores detenti, minimèque difflati impendiò incalescant, atque putredinem, situmque contrahant.

De signis ephemeræ in alias species iam permutatæ.

CAPVT VIII.

DEgenerasse in aliud feb. genus ephemeram, hinc conijcere est, quod feb. declinat sine sudore, aut ἀνύδρωσα, vel certè, si adsit sudor, æger ad feb. vacationem, immunitatemque non peruenit, accessio verò longa est, difficilis, pulsus nondum mediocritatem nanciscuntur, dolor capitis, si adfuerit, non aufertur; Quæ quidem signa sunt putridæ feb. succedaneæ, interdum synochæ; Quòd si causæ in corpus validiùs, diutiùsque egerint, frequèns sequitur hectica, quam produnt arteriæ tactui præcalidæ, febricula vniusmodi perseuerans, æstus quidam, & incalescentia ab ingesto cibo, pulsus æquales quidem, sed paruuli, duriusculi. Vbi verò in synocham defecit imputrem, calor vberior apparet, rubore suffunditur facies, vniuersum corpus sanguinis indicat affluentiam. At verò vbi in putridam facta est conuersio, ægri perhorrescunt, pulsus inæqualiter micant, contrahuntur, systole concitatur, calor mordicat, symptomata omnia ingraueſcunt. Vestigium tamen concoctionis ex præcedente substantia relinquitur, quod plerumque non est præsto.

De generali febrium ephemerarum curatione.

CAPVT IX.

EPhemera febre correpti in primis ea alimonia refici debent, quæ facilè confecta bonum pariat chymum, quum enim febricitantes naturales functiones læsas habeant, aut tardè, aut perperam cibos elaborant. Quibusdam tamen, vtpotè laborantibus fame, nimia exercitatione, sollicitudine, cholera vberior, lautiorque conceditur alimonia. Illi verò qui ab initio febris horrorem perceperant, siue ob bilis ad stomachum effusionem, aut attractionem, quam mox pane in vino lymphato infuso nutriendi sunt, etiam ingruente feb. vinum enim dilutissimum promptiùs interiora peruadit. Quibusdam verò affluentior nutritus interdicitur, vt a stegnosi, oppilatione, aut extrinseca quapiam phlegmone febricitantibus. Tempus autem offerendi alimenti est declinatio, si eos excipias, quos paulò ante retulimus, nempè horripilantes à bile stomachum mordicante, siue eò confluat attracta ob inediam, siue transmissa ob copiam. Hic frigidæ aquæ usus tutus est, tùm quòd virtus robustior eam ferre potest, tùm quòd promptissimè spiritus refrigerat. Quòd si naturalium viscerum tenor, & tonus non vsquequaque constet, si febricula fuerit prolixiuscula, si oppressiunculæ, obstructiunculæque subsint, melius est aquam omittere, aut quàm modicissimam admittere. Balneum verò declinante febre conceditur, quòd vniuersis indicationibus protinus respondeat, vim enim habet humectandi, poros corporis recludendi, sudorem promouendi, atque adeò refrigerandi, dissipatis enim per cutis raritatem calidis halitibus corpus refrigescit. Vbi verò putredinis periculum impendet, parcendum, temperandumque balneo, ne vel excitetur, neve augeatur. Quare, qui ex infarctu, aut nimia repletione laborant, nisi iam absumptis, summotisque superuacuis, tutò balneum nõ ingrediuntur, ijs pariter noxiæ sunt balneæ, qui rheumaticis affectiunculis sunt opportuni, balneum enim fundit, liquatq; humores, atque adeò fluxiles reddit, non est tamen inutile ijs, queis torrida sunt viscera, & materia adusta.

Porrò scire necesse est, eos duntaxat tuto in aere balnei morari, qui densiore corporis habitu sunt, ut rarescant pori, & sudor promptissimè erumpat, cæteros vtilius quam mox in aquas immergi, in quibus diu morari licet, donec sudore perfundantur. Vnctura verò, siue litu, siue effusione fiat, corporis meatus offercit. Frictiones verò ijs conueniunt, qui à stegnosi, obturamentoque febricitant, nam poros recludunt conniuentes, & humida, obuiaque recrementa dissipant, si subsint, alioquin corpus reficcant impensiùs adhibitæ. Non est autem opus pharmacis ephemera laborantibus, nisi iis, qui à repletione, infarctu, & stegnosi laborant, ijs omnino, queis insunt superuacua.

De

De speciebus ephemeræ.

CAPVT X.

QVædam animi pathemata excipiunt, quædam corporis turbidas motiones sequuntur, nonnullæ ab euidentibus, extrinsecisque causis proficiscuntur. Affectus sunt angor, sollicitudo, tristitia, imaginatio, ira, timor, gaudium, spes, præterea somnus vigilia. Quæ spectant ad corporeas dispositiones, sunt actiones, & motus, propterea quædam oriuntur ex nimio labore, quædam ex torpore ocioso, quædam hypercatharsim sequuntur, nonnullæ dolorem, aliquę syncopen; Quædam à fame, aut siti suam trahunt originem. Sunt etiam, quæ sunt soboles oppilationum, satietatisque, quales heluones patiuntur, sunt, quæ sequuntur phlegmonas, phlogoseśque foris erumpentes, sunt, quæ cutis siccitatem, & conniuentiam. Generantur etiam ab extrinsecùs occurrentibus, puta ardore solis, aut à frigore cutem densante, aut lauacro frigido, & stypseos non inexperte.

De Febre ephemera ex animi egritudine.

CAPVT XI.

INterdum animi sollicitudo, angorque vsque adeò ingraueścunt, vt spiritus intrò reuocatus, inculcatusque igneścat, & febrem vnius dieculæ accendat, cuius quidem signum est ignea vrina, cuius inter mingendum præ siccitate percipitur acrimonia, palpebræ demittuntur, oculi ab exhausto cauantur, ora pallore fœdantur reuocato ad interiora calore. Pulsus parui, debiles, subduri. Curatur huiusmodi feb. ingresso in balneum sine mora in aere; subinde litu ex oleo calastico, puta amygdalino, quod magis est profuturum, quàm balneum. Reliqua curatio lenientibus, frigidis, odoris, spiritus recreantibus, epithematis super cordis regionem positis ex benè olentibus, frigerantibusque succis, & suauissimi, lymphatiq; vini hausto perficitur.

De ephemera ex ira.

CAPVT XII.

EX ira aliquando adeò incandeścunt spiritus (est enim seruor sanguinis circa cor) vt febricula excitetur, quam quidem produnt hæc signa, nempè rubor oris [ni ex timore intermixto palleścat] talisque inflatio, qualem febricitantes ex vigilijs præferunt, flammei, rubeścentesque oculi, prominuli. Quidam etiam ex perturbato spirituum, humorumque motu tremunt perinde, ac imbeciles. Lotium rubore suffunditur, clarum, sed non citra acrimoniam emeitur. Pulsus magni, pleni, alti, frequentes. Curatur tranquillitate indicta, sublatisque irarum causis, sermonis blandiloquentia, lætificantium oblatione, reuocato ad ludos, & ad spectacula animo, ingressu in balneum tepidum, oleorum illitu. His vino sit interdictum, vtantur interim alimonia refrigerandi, & humectandi facultate prædita.

De ephemera ex vigilijs.

CAPVT XIII.

VIgiliæ siccando acuunt calorem, (est enim siccitas lima caloris) hinc spiritus accenduntur, hinc feb. diaria, quæ his notis dignoscitur. Præcesserunt excubiæ, secutæ sunt palpebrarum grauitas, inflatio ex alimenti dyspepsia, ex multa anathymiasi; resolutaq; plurima spirituum phalange cauantur oculi. Vrinæ ex concoctionis priuatione turbantur. Pulsus langueścunt. Atque ex nequissima cruditatum consecutione ora pallent, tumentque. Curatio perficitur quietis, & soporis conciliatione, humidis, frigidisque caput perfundendo, balneo, cibis euchymis, humectante litu, præcipuè verò pauciferi vini vsu, si modò capitis dolor non vetuerit, denique hypnoticis.

De ephemera ex somno, & otio.

CAPVT XIV.

VT intermixti cum halitibus per vigilias, & labores plurimi spiritus resoluuntur, & frustra eunt, ita ex longiore somno, & quiete conduplicantur halitus, & fuligines, vt spiritus inde caleścant, & febr. pariant, quam facilè ab antecedentibus, & consequentibus peruigilio oppositis dignoscas. Curatur prolicito circa aerem balnei sudore, in balneum ingressu, frigidorum, & humectantium vsu, moderato exercitio, abstinentia vini.

De ephemera ex gaudio.

CAPVT XV.

VEhementiùs præ lætitia dum se se ad exteriora dilatat, propagatque spiritus, igneścit, & feb. excitat, cuius quidem signa ferè eadem sunt, quæ ex iracundia febricitantium, si illud exceperis, oculos his ridere non ardere, minùsq; frequentes esse pulsus. Peræquè curatur, atque feb. ex ira.

De ephemera ex timore.

CAPVT XVI.

TImorem nonnunquam sequitur ephemera ea prorsus ratione, qua ægrimoniam, & animi sollicitudinem, proportio enim timoris ad angustiam ferè analoga est iræ ad gaudium, nam vt motus spiritus in formidine est foris intrò, ita in ira est intus foras, repentèque succedit, non paulatim. Dignoscuntur perinde, atque ab angustia febricitantes, hoc tantùm interest, quòd hic pulsus diuersi magis, inordinatique fiunt, perterritorumque speciem habent oculi. Curantur similiter, atque tristitia laborantes, præterea verborum lenocinio securitas promittenda, nuncijq; introducendi sunt, qui iocunda, lætaque prænuncient. His vinum conceditur.

De ephemera ex labore.

CAPVT XVII.

EXercitatione aliquando vsque adeò cientur, & incandeścunt spiritus, vt feb. functionibus

maximè

maximè vitalibus, & animalibus noxia sequatur. Signa petantur ex antecedentibus, nempè labore præuio, ex subsequentibus, vt calore articulorum inaucto, lassitudinis sensu, corporis ariditate, nonnunquam ex emanante sudore, ni immodicus calor humorem priùs absorbeat, quàm erumpat, aut certè ambiens frigus inhibeat. Certè si vehementior fuerit labor, minus sudoris emergit, sed calfactis pulmonibus tussis sicca lacessit. Pulsus parui sunt, debiles, quandoque etiam subduri. Vrina citrea, acuta propter motum, tenuis ob resolutionem emeitur. Curatur tranquillitate, balneo, litu cum leui frictione super articulos, boni, & humectantis alimenti vsu, vt pulli, hædi, piscium saxatilium, ægri tamen paulatim ob vires effœtas sunt enutriendi, imò exhibere oportet, quod minimum ingestum plurimum educet, vt ouorum vitellos, & gallorum testes. Perperam autem existimarunt illi, qui ex lassitudine febricitantibus alimentum plùs, quàm cæteris, extenuandum esse crediderunt. Concedantur verò fructus humectandi vi præditi, concedatur & dilutissimum vinum assuetis, non assuetis iulapium, aut simile, quippiam. Illitus interim toti corpori, maximè capitis collo, spondilis dorsi, articulis post balneũ sunt accuratissimè inducendi ex ol. humectante, vt violaceo, aut amygdalino, lecti sternantur mollissimi, vestes totam spirent Arabiam. His verò nec hilum proficientibus, ægri de integro ad balneas trahantur.

De ephemera ex euacuatione.

CAPVT XVIII.

EX catharsi, & sequenti lassitudine interdum ita cientur spiritus, vt igneum concipiant calorem, hinc vnius diculæ febricula, quam & pharmacum caloris vi excitat, & phleborotomia quoque, quoniam educta sanguinis vuidi vbertate cholerici halitus spiritibus intermixti ardorem ingeminant. Curatio perficitur, adstringentibus aluum, alimoniæ refrigerantis, & humectantis ea copia, quæ facilè confici possit; conferunt, quæ stypsi pollent nutrimenta austeriuscula. Stomacho roborantia calida admouenda, nam tepida relaxant. Proin si lana inebrietur oleis nardino, melino, myrtheoque permixtis, & admoueantur, maximo erunt vsui, item epithemata cordi, & hepati eiusdem naturæ applicita præstabunt.

De ephemera ex dolore.

CAPVT XIX.

DOlor excitis spiritibus febrem parit. Occupatione læsę particulæ, vt dentis, auris, articuli, extremorum, coli, aut hęmorrhoidum dignoscitur. Curatur anodynis, & ijs, quę febricitantibus ex labore conuenire diximus, vino interim sit interdictum, si dolor hinc susceperit incrementum.

De ephemera ex syncope.

CAPVT XX.

SVperueniente syncope fit quædam spirituum reciprocatio, hinc æstuant, & feb. excitatur. Dignoscitur virium lapsu, & aliarum absentia, ac negatione causarum, quæ ephemeras parere consueuerunt. Pulsus diuersimodè se habent, modò enim concidunt, & conduntur, modò foras emergunt, interim velociusculi, prout calor, aut frigus prævaluerit, in duritie verò tabidorum referunt pulsus, interim vermiculares subsultant. Curatur exhibitione cibi euchymi, & qui festinato reficiat, sicuti sunt recentia oua, & galliculorum iuuenum testiculi, & vinum modicellum. Verùm redintegratis uiribus seb. curationem auspicari oportet ab humidis, & frigidis.

De febre ex fame, & siti.

CAPVT XXI.

DEfectu alimenti, & potus aliquando adeò incandescunt spiritus, & acuuntur, vt febr. accendatur. Dignoscitur debilitate, pulsus paruitate, & duritie. Curatur ingestione cibi, sorbitiunculis, potissimùm ptisana, oleribus, omninò recreantibus, & roborantibus, dein balneo, effusione aq. super cap. litu totius corporis ex ol. ros. viol. cucurbitino, & potu frigidæ intermixto punicorum succo, & balnei frigidi vsu.

De ephemera ex oppilatione.

CAPVT XXII.

CVtis multis de caussis nempè propter siccitatem, propter puluerem, & sordes ablutione minùs detersas, ob solis adustionem, ob balneum aq. stypticarum adstringitur. Nonnunquam oscula, & ramuli venarum intercluduntur, & hinc oriri consueuit ephemera. Nam vbi diaphoresis minuitur, & augetur repletio, & præclusio, necessum est, transpiratum deficere, plurimosque vapores suffici, qui præcalfacti spiritus, febremque accendunt, quòd si thermasia sanguini communicetur, vt ferueat quidem, & æstuet citra putredinem, imputris synocha fiet. Verùm si contumaciùs inhæresecat infarctus, si diutiùs perspiratus prohibeatur, necessum est, humidum intercluſum putrescere.

Sic vitium capiunt, ni mouentur aquæ.

Et putridam febrem inolescere, id verò maximè accidit, vbi obstructiones à materiei crassitie, lentore, multitudine, aut ab instrumentario quopiam alio affectu in meatu dependent, ceu ex frigore constipante, apostemate coarctante, aut supercrescente tuberculo. Et sanè seb. ab hisce caussis prognata difficilè facessit in hecticam, quoniã corpus cacochymia plurima scatet, & vuescit. In hac seb. sitis vrget, calor acriùs vrit, vrina proximè ad igneam accedit, hinc propter similitudinẽ, quam illi intercedit cum putridis, difficulter dignoscitur, hinc perseuerante caussa etiam ad tertiam diem producitur: &, si dijs placet, eò etiam ampliùs, maximè si pernicaciores fuerint infarctus, originemque ab intestino trahant, quod si ab extraria origine proficiscantur, exiguique sint, citiùs aboletur febricula, quæ abolita interdum reuiuiscit, vestigio infarctus remanente, vt speciem, & imaginem quandam putridæ febris periodicæ referat. At verò si cum horrore, aut frigore repullulet, reuera iam in putridam defeciſſe coniectandum est, facilis enim est metastasis ob symbolum.

Cæte-

Cæterùm illæ obstructiones, quæ vnà cum febre etiam lateris dolore excitant, requirunt phlebotomiam lateris sinistri post phlebotomiã dextri, (si modò dolor latus vrgeat sinistrum, & sublata febre, dolor nihilominus facessit negotium, sic enim dolori cautè consulitur.)

Dignoscitur febris hæc, si nulla primitiua causa præcesserit, si prolixiorem habeat declinationem, nullaque sequatur madoris, aut sudoris eruptio. Quòd si repletionis signa præsto sint, cõiectura augetur, nempè corpus cusarcum, polychymum, aut certè non desint indicia crassorum, & viscidorum humorum. Vtrum subsit, plethora scilicet, an cacochymia, inde facilè colliges, quòd qui à repletione laborant, corpus habèt pretumidum, rubore facies suffunditur, oculi micant, venæ turgescunt, causæ replentes antecesserunt, intermissum exercitium, pulsus magni, pleni, suppressa est solemnis aliqua euacuatio, hæmorrhoidum, mensium. Qui verò à cacochymia, viscidis quippe, & crassis recrementis obturantibus febricitant, nihil habent talium, imò si plurimæ subsint obstructiones, exiliter subsultant pulsus paruuli, si modicæ minùs.

Curatur phlebotomia, si humorum multitudo subsit, in principio adhibita, vbi minùs febricitare videtur, nam vigente febre melius est quietem habere, quandoquidem venæ sectio fluxiles reddit humores, & perturbat, commiscetque, quare si mittendi sanguinis scopi præsto sint, ab initio sanguis erit hauriendus. Absoluta venæ sectione, subductaque aluo expediendis obstructionibus vacandum est, & meatibus abstergendis, alioquin periculum esset, ne tractis in venulas recrementis obstructiones augerentur, maximè si meatus natura sint angustiores, crassiusculaque excrementa.

Cæterùm venæ sectio ira fumidos halitus educere consueuit, ita reprimere vigines, maximè si per plenitudinem eam vberiùs exercere liceat, vt in putridam lapsum inhibeat. At si oppilatio ex lentore, & crassitie proueniat, non tanta sanguinis effusione opus est, sed modicissima, & cibis, & medicamentis incidentibus, & detergentibus, quæ infarctus recludant. Aperientia verò non debent impendiò calfacere ob febrem, sed sint ceu syr. acetosus. de endiuia, adianthinus dilutus aqua bor raginis, agrimoniæ, fœniculi. Cibus verò is sit, qui nihil admittat crassi, aut viscidi, qui abluat, & detergeat, qualis hordeacea ptisana admixto saccharo.

Vbi verò decens euacuatio peracta fuerit, & aperientia ritè propinata, obseruandum erit, num febr. decrescat, &, si accessiones habuerit, num prima leuior fuerit secunda. Ad hæc ad vrinam, & pulsus oculos adijcere oportet, nam si illa concoctionem præferet mediocritate sua, si pulsus æqualitate putredinis suspicionem arceant, tutum est ab incepta medendi methodo non desistere. A tertio paroxysmo decedente febre in balneum deferendus ager, idque totum corpus oblinendum, perfricandumque his, quæ mediocri detergendi vi polleant, ceu hordei, orobi, rad. lilij, & aristolochiæ poterit cum hydromelite in finegma coacto, quibus si nitri modicum adijcias multò reddes efficacius. Quòd si in balneo accidat horror, aut rigor, aut quæpiam molesta affectio, tunc ne momento quidem relinquendus in balneo est æger, nam oppilationes non sunt huiusmodi, quæ tolli possint balnei vsu. Ab egressione igitur è balneo quam mox cibis refici haud debet, sed parcat oportet alimoniæ, donec febris remiserit, ni alitee corporis dispositio exigat, tunc enim ptisanã hordeaceam incocta rad. apij propinare licet. Sed enim repetendum est balneum, si prima vice profuerit, id quod ex sequenti dignoscetur paroxysmo leuiusculo, lotio laudabili; panca enim oppilatio iterato balnei vsu penitus exigi potest. Atqui extincta febre, refouendi sunt ægri, vt reliqui, humectantibus, & refrigerantibus cibarijs. Quòd si sequens accessio deterior fuerit, & vrina nihilo melior, tunc febrem in putridam iam degenerasse iudicandum est.

De febre ephemera ex repletione, & saturitate vsque ad nauseam.

CAPVT XXIII.

NImia repletione, & satietate oppressis interdum prælidi nidorosique halitus in totam corporis molem effunduntur, qui spiritibus intermixti eosdẽ calfaciunt, & feb. accendunt, maximè si picrocholos fuerit æger, & densioris habitus, nam huiusmodi scatere consueuerunt fumidis recremẽtis, & carere acidis ructibus. Illi verò potissimũ peropportuni sunt, qui à repletione, & crapula se se immodicæ exercitationi, aut etiam balneis dedunt, aut se solaribus exponunt radijs, sic enim fit, vt halitus acres conduplicentur, maximè si in uisceribus mordax aliquis, aut dolorem inferens humor præfuerit. Illi verò, qui acidum eructant à crapula, vix, ac ne vix quidem tali febre corripiuntur. Quòd si tali dispositione affectis superueniat feb. non ex satietate, sed ex alia causa feb. incidisse, consentaneum est, quibus si alui fluxio accedat, exturbatis furuis soluitur halitibus feb. Diuersa verò est curandi ratio febricitantes cum cita aluo, aut cum stricta, nam si tali febre laborans bis, terve aluum exonerauit, subinde sanguis mittatur, immodica ventris effusio sequi consueuit, & fortè etiam hepaticus fluxus ob excitum sanguinem, quem cordis palpitatio, & linguæ nigredo arguunt. Febris hæc ijs stipatur symptomatis, quæ concluse feb. speciem referunt, nam oculi cruentantur, roseo suffunduntur ora colore, inflammantur, exardescuntque vehementiùs, pulsus magni fiunt, rubescunt vrinæ. Sed hunc symptomatum apparatum tertia dies de medio tollere consueuit. Quatuor, aut etiam septem periodis terminari solet naturã ephemeræ haud exuẽs, cum pulsus vndequaque salutem portendant. Indicia sunt ructus nidorosi, acres fumi, qui si mitiores, suauioresque appareant aduentantem sanitatem denunciant. Vrina verò cruda est, aquea. Cruditatem quandoque causa sunt immodestæ vigiliæ, & tunc adest oculorum, fauciumque inflatio, prægrauantur palpebræ.

Febri-

Febricitāti à cruditatibus aut soluta aluus est, aut stricta, si suo supersedeat officio, excitari debet præmissa vomitione, si stomachi fastidia incessant, animaduertere autem dignum est, an aluum subducere clysmo, suppositorio, an potiùs pharmaco expediat, deinan depositā feb. digestionem, confectionemque cruditatum promouere sit præstantius. Vtrum tibi patrandum sit, ructus indicant, nam si cibus adhuc in ventre innatauerit, nec facilis sequatur vomitio, tunc satius est coctionis, quàm feb. rationem habere administrato diapipereo, quò vnà in sentinam digesta cruditas descendat, seu mauis foris admoueas, quæ coctionem promoueant (quod fortè tutius est.) Imitari autem in hac febre naturæ impetum oportet, quare si cruditas ad intestina deuoluatur, clystere, aut suppositorio proritari debet deiectio. Hic toleranda fames est, donec nausea, & fastidia ventris sublata sunt, tum leuia, eupeptaque alimenta offerenda, fames enim, & quies, & somnus aliquādo pro curatione sufficiunt. Verùm si aluus fluat videndum, an excreta sint fœtida, corruptaue, nec ne, quòd si talia sint, minimè cohiberi, imò exigi, expungique debent. His verò penitus excretis decedente paroxysmo in balneum deducendus æger est, &, ni quippiam stomachi vim prægrauarit, cibus leuissimus adijciendus, si verò tædia adhuc supersint, nec alimonia, nec balneis opus est, sed stomachi robore, & firmitudine, cui sanè incumbendum est admota lana inebriata ol. absynthino, & nardino, sed priùs quā apprimatur, expressa; quibus & melinū adijcere est (si fluxio impensiùs perseuerauerit, si modò corruptelę absint indicia, tunc enim nefas est materiā intus coercere) & mastichinū, & nucis myristicæ. Interdū opus est ad cerata, & emplastra confugere, quorum in cholerica passione vt frequèns est vsus, ita fusissimè trahitur materia. Interim viribus consulendum alimentis, quæ facillimè conficiantur qualia sunt gallorum testes, pisces saxatiles paruuli, quibus præmitti debet quippiam substypticum, vtpotè diacydonium, aut simile aliud. Quod si ciborum appetentia sit prostrata, acidis, austeriusculisque erigenda est maximè cotoneis. Non erit interim inutile expiato corpore electarium concinnare, & propinare, quod & coctionem adiuuet, & infarctus, si qui subsint, expediat, hoc autem adhibendum erit, extincta febre. Cæterùm in hac febre non licet venam secare, ni declinante febre, & confecta priùs cruditate, ne scil. in venulas præripiantur excrementa, & malum augescat. Pro potu verò aq. hordei ammixto coriandro, aut cinnamomi integri tantillo confert. Cucurbita, & amygdalæ omphacio conditæ pro nutrimento non sunt absre. Thalamus verò rebus odoris, vt santalis, & troch. de caphura suffiatur.

De febre ex apostemate.

CAPVT XXIIII.

Febres intestina sequentes apostemata putridæ sunt, nonnunquam etiam veteres absessus excipiunt hecticæ. Quæ verò externas phlegmonas, phlogosesque sequuntur, diariæ sunt, veluti furunculos, phigetlum, bubones, phimata (pannos vocant) maximè, quæ in glandulosis locis, & adenibus crumpunt, vt in inguinibus ex hepatis excrementis, aut sub axillis ex cordis retrimentis, aut ponè aures à superuacuis cerebri. Hinc etenim si citra putredinem ad cor halitus æstuosi deferantur ephemerā excitant, si cum putredine, vt in internis inflammationibus consueuit fieri, putris paritur febris. Et sanè vt plurimùm febriculæ, quæ succedunt apostematibus ab euidente causa subortis, vt puta scabie, vlcere, dolore, percussione, lapsu, sunt de genere diariarum; materiæ enim concitæ ad partes molles confluunt, ibique incuneatæ calescunt. Apostemata verò, quæ non ex primitiuis, euidentibusque causis fiunt, sed ex antecedentibus intrinsecis, vtpotè cacochymia, plethora, infarctu, frequèns putridas pariunt. Quidquid sit, febriculæ, quæ secundùm phlegmonas erumpunt, pullulantque de genere ephemerarum esse consueuerunt, feb. verò, quæ præcurrunt, non solent esse tales, proin Hipp. damnat feb. ex bubonibus, ni sint diariæ. Phlegmonas autem, & erysipellata febribus excipi notum est experiētia.

Curātur huiusmodi febres phlebotomia, pharmaco, præterea admotis ijs, quæ debentur, quæ suo loco luculenter explicata sunt. Interim accisa diæta instituenda, vinum subtrahendum, propinanda humectantia, & refrigerantia. In admotis verò ea methodo vtendum, vt primùm valida apocrustica, dein resoluentia mixtis adstringentibus, vltimo loco digerentia sola adhibeantur. Illud interim animaduertendum repellentia non esse adhibenda, vbi phlegmona adenas, & emunctoria occuparit.

De ephemera ex siccitate, & asperitate.

CAPVT XXV.

Qvi balneis, & frictionibus consueuerunt, si consuetudinem dimiserint, colligunt sub cute sordes, & situm, qui meatus occludunt, hinc calor intrò regestus augetur, & spiritus accendūtur, vnde ephemera nascitur, maximè ijs, qui cholericæ sunt complexionis, prauis vtuntur cibis, se se impendiò, & importunè exercent, & euigilant. Curantur abstersione sordium, balneo, sudore, frictione ex smegmate ex furfure, fabarum farina, amygd. amar. sem. mel. adiectis nitro, & rad. iteos concinnato. Interim humectantes refrigerantesque cibi exhibendi, vinum pauciferum, (oligophoron vocant) concedendum, & si opus fuerit, repetendum balneum.

De ephemera ex æstu.

CAPVT XXVI.

Sole, aut balneo retorridis aliquando adeò accenduntur spiritus, vt febris sequatur, hoc vno discrimine, quòd insolatum insequens ex animalibus spiritibus præcalfactis prouenit, caput enim præ cæteris membris soli obuium fit, at balnearum, aut ambientis æstum excipiens, qualis sub cane percipitur, à corde, & vitali spiritu proficiscitur. Illa quidem dignoscitur ex ægri narratione, ex consequentibus insolationem, nempè

cap.

cap. grauitate, & repletione, si corpus fuerit cacochymum, & ex anhelitus magnitudine, oris atritate, & ambustione. Hoc autem intelligitur, si balnei vsus, & æstus præuenerint, si exteriora intestinis calidiora eo argumento deprehendantur, quòd sitis minùs molesta sit, quàm ex cutis densitate febricitantibus. Olei frigerantis, & humectantis, vt ros. aut viol. niue algefacti affusione super cap. & pectus curatio tentanda, quod si ol. stillicidio quodam super futuram coronariam de sublimi concidat, maiorem, altioremque efficiet impressionem. Hic gelidæ aquæ potus concedendus, & quæ æstum spirituum compescunt, dum feb. inclinarit, quo tempore ægri ad balneas pertrahendi sunt, etiamsi rheumaticis dispositionibus sint obnoxij, hoc autem animaduersione dignissimum est, ne balnei, aut ambientis calor officiat. Neque verendum cap. tepidam superinfundere, nam hinc soluitur febricula, & cap. interim vuidum euadit, postquam verò è balneis egressi fuerint, diligenter oleis refrigerantibus, vt rosaceo, & nenupharino circumlinendi sunt.

De ephemera ex cutis densitate à frigoris, aut gelidæ aquæ occursu.

CAPVT XXVII.

EX ambientis frigore, aut in aquis aluminosis, & addensantibus natatu interdum cutis pori vsque adeò occluduntur, vt fuliginosa retrimenta exitu prohibita spiritus cõcalfaciant, quibus recalefactis febricula excitatur, quę facilè in putrę degenerat, maximè si halitus acuti, & acriusculi fuerint, non suaues, quales pariunt diariam. Dignoscitur ex antecedẽtibus, ex calore primũ tãgenti initissimo mox etiã acriusculo, pulsus non adeò parui sũt, vt angustia, tristitia, aut fame laborantibus, quia hic nõ est facta resolutio, sed sunt veloces vẽtilationis necessitate, ni adsit frigus vehementius vires oppugnans, quo tempore videntur duriusculi, oculi non cauantur, quin extant, & extuberant prominuli ex sublatis ad caput, & ad oculos vaporibus. Vrinæ crudæ apparent, quoniam calor intercipitur, nonnunquam tamen succensæ visuntur, quòd calor intrò regestus renes torrefaciat. Curantur decubitu in cubili optimè stragulis instrato, in quo sudor proliciendus, atque sub finem balnei vsu calidiusculi, affusione aquæ decoctionis amaraci, anethi, sisimbrij, frictionibus aliàs præscriptis. Dum verò ijs sudor erumpit, non est adhibẽda inunctio, ne poros offerciat, atque adeò sudorem præpediat, sed in calido balnei aere, ijs mora imperitanda diuturnior, postquam balneis vsi fuerint. His peractis illitus fieri possunt ex ol. amygd. amararum, amaracino, caput verò perfundendum ol. chamomellino, keirino, anethino. Cibi verò leues decent, & aromatis conditi, item vinum oligophoron, quòd facilius sudores promoueat, quàm aqua. Cæterùm litus totius corporis est conuenientior febricitantibus à labore, quàm à cutis densitate, & adstrictione, quòd oleũ lentore suo infarciat.

De ephemera ex vino.

CAPVT XXVIII.

VIno aliquando incalescunt spiritus, vt febris succedat, quæ perinde, atque ebrietas curatur: Interdum soluente pharmaco est opus, nonnunquam phlebotomia, sæpè vomitione, maximè si perseueret capitis dolor. Sub finem in balneas ingressus non est de nihilo.

De febre ephemera ex alimentis calfacientibus.

CAPVT XXIX.

NImia calfaciendi facultate pollentes alimoniæ accersunt ephemeram, & quemadmodum ex insolationibus æstuante animali spiritu prouenies cerebralis appellatur, quæ ex balneo, aut ambiente calidiore uitali spiritu flagrante, cardiaca, ita quæ ex ingesto cibo retorrido naturali spiritu inflammato suboritur, hepatica nuncupari potest. Curatur frigidis sumptis, & admotis, lenita alui manna, & thamarindis, refrigerato iecore ex aqua endiuiæ, & syr. acetoso, admoto ol. ros. cum ung. santalino. Interim alimenta usurpanda, quæ refrigerandi, & humectandi ui polleant.

TRACTATVS Secundus.

De Febribus putridis in vniuersum.

CAPVT PRIMVM.



VItiosus in uenis putredini obnoxius cumulatur, si cibus nequissimus ingeratur, si citò situm, corruptelamq; contrahat, quamuis optimæ substantiæ sit, ut lac, si aquosus, & uitiosus sit, qualis ex fructibus colligitur uuidis, cuius commercio substantia sanguinis inquinetur, si eius sit naturæ, ut in laudabilem sanguinem facessere nequeat, sed mordicus prauam retineat qualitatem, à qua calor innatus abhorret, qualis is est, qui è citrulli, cucumeris, aut pirorum, & similium usu sufficitur. Dein si peccetur in condimento, in tempore, & in ordine alimenti. Putredo denique soboles esse consueuit oppilationum uentilationem, & perspiratum prohibentium, quo facit mala corporis habitudo, uitiusque desœta, aut etiam alia quæpiam magis abdita causa, puta uiscerum, aut uenarum imbecillitas, unde cibus imperfectus relinquitur, uitioque paratus. Et sanè talis habitudo, aut prauum generat succum, aut generantem ita contaminat, ut uel perperam, uel imminutè alimenta conficiat, hinc cruditates, infarctiusque, atque adeò putredines emergunt. Huc spectat nõ minùs aeris praua dispositio, siue eam pariat cœlum, siue lacunalis, & stagnantis aquæ circumfusio, in qua cannabis, linum, aut asphalcus maduerit. Omnino plures agnoscit causas putredo, in quam modò una, modò plures causæ confluunt, nulla verò frequẽtior, aut familiarior obstructione, quæ

ne, quæ modò multitudinem humorum, modò craſſitiem, modò lentorem ſequitur, illam verò excipit putredo, *nam quæcunque calida, humida loco calido, humidoque clauduntur, niſi diffluentur, putreſcunt; calidum, dicebat Hipp. moderato frigido nutritur*. Humores noſtri corporis perpetua opus habent euẽtatione, qua ſi prohibeantur, putrent, talia verò maximè contingunt, vbi labor importunè à paſtu, & repletione initur, vbi balneum intempeſtiuè adhibetur, vbi diutiſſimè ſub ſole trahitur mora, vbi poſt crapulam calfacientia deuorantur, ſi nulla primæ, aut ſecundæ digeſtionis cura geratur, ſi coquentium viſcerum imbecillitas linimentis, epithematis, & fotibus calfacientibus non emendetur.

Cæterùm putredo modò totius corporis communis eſt, modò alicuius partis peculiaris exiſtit, ſiue ob eius infirmitatem, ſiue ob extraneam caliditatem, ſiue ob acutum dolorem.

Qui verò in humano corpore putreſcunt humores, vel cholerici ſunt, quorum eſt natura, vt fumidos, tenues, acutoſque halitus, & ſpiritus exhalent. Vel ſanguinei, quorum indoles eſt, vt blãdiuſculos, tenueſque vapores expirent: Aut phlegmatici, quorum eſt ingenium, vt craſſum, nebuloſumque vaporem de ſe effundant; Aut melancholici ſunt, quorum vis eſt, & conditio, vt fumos puluerulentos, ſpiſſoſque efflent.

Putreſcente igitur cholera feb. tertiana naſcitur, & quæ ſunt comparis naturæ. Putreſcente ſanguine concluſa paritur febris, quam ſynochum appellant. Putreſcente atra bile quartanæ emergunt, & quæ longiores etiam habent periodos. Atqui putrente phlegmate quotidiana, & quę eius redolent naturam, ſurgere conſueuerunt. Cur autem bilis tertio, melancholia quarto quoque die, pituita quotidie paroxyſmum committat, commodiore loco agemus.

Cæterùm vt ſanguinis ſedes intra venas eſt, quare ſemper in ijſdem vitium facit, & putret, ita reliqui humores cholera, phlegma, melancholia modò in venis, modò extra venas putreſcunt, qui extra venas, feb. committunt ſuis circumſcriptas periodis iuxtà eorum idiotropiam, quæ deſinunt in apyrexiam, ni alia acceſſerit cauſſa, vt apoſtema quodpiam intrinſecum, quod putridas fuligines continenter cordi communicet, tametſi in quotidiana etiamnum intermittente nonnihil relinquitur empyreumatis, & occulti præter naturam caloris, quo immunitas expungitur. Quòd ſi in venis putreant, febres perennes fiunt, quæ iugi flagrantia ægros exurunt, dignoſcitur tamen paroxyſmus ex noua ſymptomatum vehementia. Vbi verò putredo intrinſeca communis eſt vniuerſis venis, aut certè plurimis, ijſque cordi proximis, tunc febres continentes fiunt, quæ nullo euidenti acceſſionum, aut deceſſionum circuitu circumſcribuntur, à contrario ſe habent febres, quæ ex putreſcente in medijs venis, quæ excurrũt inter alas, & inguina, materia procreantur, nam iſtæ manifeſtis alternatim acceſſionibus afficiuntur, proin continuæ proportionatæ appellantur. Febres verò ex putredine extra maiuſculas uenas non alia de cauſſa demigrant, & ex certo interuallo remigrant, niſi quòd ingruente paroxyſmo putredo humores aggreditur, perſeueratque, donec abſumpta ſit humiditas, quæ fomes erat alieni caloris, abſumitur autem cùm per inaſpectabilem diaphoreſim, tùm per ſpectabilem euacuationem è corpore, quoniam materiæ non ſunt in intimis uenis reconditæ adeò, ut omnino reſolui nequeant, quare ſi quid ſuperſtes eſt, illud certè terreum, & cinerulentum exiſtit, ut minimè feb. aut calorem fouere ualeat, aut fundere. Hoc patet exemplo putreſcentis ſterquillinij, quod, ubi computruit, & in terream, cinereamque molem defecit, omni calore uacat, quare cum nullum in humore per putredinem aduſto remaneat caloris ueſtigium, proximum eſt, ut febris tollatur de medio, donec ad putredinis ſocum nouæ materiæ confluant, ubi inculcatæ, incuneatæque ex inquinamento, pernicieque quadam ſuperſtite, impreſſaque particulis calida intemperie uitium denuò capiunt, & putrent, unde repetit inuaſio febris. Febris igitur periodicæ hiſtoria ſic ſe habet, ut materia quidem paroxyſmum, febremq; committens penitus abſumatur, febriſque eatenus deliteſcat, donec nouus fiat congeneris materiæ ad locum putredinis confluxus, ubi contage alieni caloris laceſſita putreſcens nouam parit acceſſionem, hæcque uiciſſitudo, eouſque durat, dum è propinquo nulla fiat ad colluuiem loci humorum confluxio.

Quom uerò putredo intra maiores uenas effunditur, tunc difficile tota materiæ moles reſoluitur priùs, quàm ex una in aliam ſibi continuam particulam ſerpat putrida labes, hinc feb. continenter affligit, & citò, facilèque ad cor putrida fuligo peruadit.

Porrò febres, quæ de tenore ſuo remittunt, & intermittunt, aliquando de typoſi, & ordine ſuo recedunt, uel ob materiæ diuerſitatem in copia, paucitate, craſſitie, tenuitate, uel ob generis diuerſitatem, adeò ut quædam materiæ uiciſſim permutentur, abeantq; de una in aliam ſpeciem, fit autem hæc metaſtaſis, uel ex mala uictus ratione, uel ob uirium imbecillitatem, uel ob ſenſus acutiem nullum ferentis irritamentum.

Cæterùm paroxyſmi periodicæ, & interpolæ febris, ut plurimum cum frigore, horrore, aut rigore adoriuntur, & deſinunt in ſudorem ſoluti, at uerò cum horrore, frigore, aut rigore inuadunt, uel quòd humor ſit frigidus, acutuſue, unde laceſſuntur, & irritantur lacerti, uel quòd calor introrſus reuocetur ad putredinis ſocum, uel quòd uires langueant, uel quòd ambientis frigus calorem reuerberans introrſus regerat, ut accidit ſtridente borea ſub Ioue frigido. Concuſſio autem illa corporis, & illa caloris reciprocatio ex acri, mordicanteque ſenſiles particulas materia proueniens ad horrorem potiùs attinet, quàm ad frigus, accidit uerò, ut in rigore cutis ueluti acu ſe ſe pungi ſentiat. Verùm enimuerò ſcire neceſſum eſt, materiam feb. committentem ideò reſolui in ſudorem, quòd calor putredinis author tenuem partem diſſipet in halitus, reliquam craſſiorem ueluti in fimum, cineremque reducat, quare cum humor is extra maiuſculas uenas putreſcens conſi-

ſtat in

ſtat in minutulis, quæ inhabitum corporis dilatãtur, facilè per cutis expiramenta excluditur in ſudorem conuerſus. Perennis verò, & iugis febris paroxyſmus, quæ deſeruet quidem, & tepeſcit, ſed non deſinit, deficitve, non aggreditur frigore, aut horrore ſtipatus, ſed citra, ni effœta iã virtute, aut intrò reuocato calore hoc cõtingat, quo caſu extrema frigent, interiora calent, & inmalis hoc habetur. In quibuſdam feb. componuntur frigus, & horror, quoniam materia putreſcens conflata eſt ex frigido, mordacique humore; Et interdum fit ea feb. conſtitutio, implexuſq; vt iugiter vrant, afflíguntq;. Eſto (exẽpli loco) vt humor aliquis alicubi putrefiat, putreſcenti verò humor congeneris, aut diſparis naturæ ſuperueniat, qui per contagem putridi vitium, labemque contrahat, tunc priore paroxyſmo decedente repullulat alter, qui protrahitur vſque ad prioris reuerſionem, vt æger nunquam ad apirexiam perueniat. Cæterùm multis alijs modis etiam febres confunduntur, vt ſuo loco dicetur.

De breuitate autem, & longitudine acceſſionũ par eſt, ut aliquid ſubijciatur. Itaque acceſſio producitur, vel propter materiæ craſſitiemq; uel propter uiſciditatem, & multitudinem, uel ob quietẽ, immobilitatemq; vel ob uirium imbecillitatem, denique ob ſenſus hebetudinem, habituſque corporis dẽſitatem, unde non reſoluitur humor. Breuitas acceſſionum à contrarijs cauſſis pendet. Paroxyſmus item vel feſtinãter tempus peroccupat, uel cunctanter procraſtinatur, hoc ſanè contingit, quòd materia exigua ſit, quòd tardè, lentèq; moueatur ad putredinis ſedẽ, quòd craſſior ſit, qualis eſt quartanæ materia; Illud uerò accidit, quòd multa ſit materiæ copia, vt pituitæ (ni uitrea ſit) quòd ſit tenuis, fluidaque, vt bilis.

Inter febres illa eſt deterior, quæ continenter afflictat, vtpote quæ materiam intra uenas habet. Sequuntur illæ, quæ abolentur quidem, ſed putredinem habent toto corpore fuſam, aut circa præcordia. Porrò ſenibus feb. non item acutæ contingunt, quia eorum corpus frigidum, & excarne eſt.

Pulſus verò in putridis feb. uarias ſubeunt mutationes, de quibus opportuniore tempore agendum erit. Illud interim ſilere non decet, interdum pulſibus duritiem accidere ex uehementer tendẽte phlegmona, aut neruoſam particulam inoccupante, aut certè ex duro quopiam apoſtemate, aut ex uehementi ficcitate, aut ex frigoris inſultu, ut in principijs acceſſionum. Lenitas autem, & mollities ijſdem accedit, uel quòd lenis ſit materia, vt phlegmatica, ſanguinea, aut quod apoſtema membrum lene, molleque obſideat, ut uſu uenit in hepatitide, peripneumonia, lethargo, aut denique quòd plurima præſto ſit materiæ uuidæ ubertas, vt accidit ijs, qui iam iam ſudaturi ſunt, tunc enim pulſus molles fiunt, & vndoſi. Pulſus denique in principio paroxyſmorum fiunt debiles, retrahunturque, quoniam calor morboſam materiam aggreſſurus vniuerſos conatus in id intendit, vt fuligines, quibus cor obruitur, excludat, & ventilationem promoueat.

De ſignis febrium putridarum in genere.

CAPVT II.

PLethora, aut cacochymia antecedentes morborum cauſſæ febrem putridã arguunt, ſi nulla præuenerit exterior, primitiuaque cauſſa. Syſtole, inſpiratioque multò contractior, celeriorque, quoniam repurgandæ fuliginis maior neceſſitas. Calor mordax exilit, non ſuauis, blandúſque, vt in ephemeris. Præterea putridas febres antecedit benedictum illud Almeliletu, nempè ἐπισημάσιαι (ſignificationes & annotationes paroxyſmi) eſt enim Almeliletu quædã diſpoſitio, cui comes it calor quidam feb. mitior, laſſitudo, torpor hebes, halices, ſubſultus, delatio in ſomnum, vigiliæ interdum, anhelitus conſtrictio, & anguſtia, venarum tenſio, hypochondriorum, & capitis dolor, temporũ pulſatio; cum hæc ſymptomata diu protrahuntur non modò putridam febrẽ portendunt, ſed & vires deijciunt, & faciem flauo pallore macerant. Interdum hoc ipſo tempore ſuperuacua recrementa affatim excitantur, ut uel ſtyria de naribus uſque pendeat, uel nauſea, & uomitio uentriculum laceſſant, uel plurima urinæ mictio ſequatur, uel putridæ materiæ egeſtio, caput interim vaporum copia ingraueſcit, pulſus frequentes, & concitati non perinde euadunt, atque labore, aut excandeſcentia percitis.

Quom igitur contrahi incipiunt pulſus, tunc ὑπερβολὴ, aggreſſuſque erumpit, intrò uerò contractione, immerguntur pulſus, parui fiunt, ſed interciſè, atque permixtè, ſiquidem nonnullæ magnæ forteſque interueniunt pulſatiunculæ, neutiquam tamen veloceſque. Verùm inchoante, aut augeſcente febre pulſuum inæqualitas potiſſimùm putridam febrem arguit, quamquam in tertianis ob materiæ tenuitatem, atque leuitatem non admodum apparet hæc inæqualitas. Illud etiam putridã febrem ſignificat, nempè citra ſudorem, aut madorem primæ periodi deceſſio, id quod non accidit diarijs, quæ ſuam ſeruãt germanam naturam, quamquam tertianis peræquè accidere conſueuit ob materiæ leuitatem, tenuitatemque. Item feb. incrementum inæquale, intermixtumque, diſſimileque, & ſine proportione perſeuerans prænunciat putridam, quemadmodum pulſuum ſuccreſcens vehementia, & magnitudo feb. augmentum arguit.

Ad hæc feb. aut interpolis eſt, adoriturq; cum horrore, aut rigore, deceditque plerumque ſudore, aut rorido quodam madore emanante, & iuxtã ſuas periodos habet acceſſionem. Aut continua eſt, & inſeparabilis cum tepore tamen, aut etiam citra, omnino diſſimilis eſt ephemeræ penes urinas, pulſus, apyrexiam, & prauorum ſymptomatum abſentiam. Et ſanè putridarum plurimæ ſiti, capitis dolore, nigredine linguæ ſtipantur, maximè circa ſtatum, in quo anxietas, anguſtiæque, & anhelationes conduplicantur ſtrenuè certante natura aduersùs morboſas materias, in qua quidem pugna modò virtus, modò materia victrix apparet. Et ſimiliter pulſus

inæqualiter subsultant, modò enim magni, & robusti, modò parui, & contracti emicant. Durities autem pulsibus haud necessariò inest, sed ex euentu, vtpotè si cum febre adsit etiam durum apostema, aut certè duram, tendinosam, membranosamue particulam inoccupet, si gelidæ haustus agonisticus præcesserit, aut quidpiam eorum aliud, quæ pulsus duriusculos, tensiusculosque reddunt. Inæqualitas verò pulsuum est febrium putridarum propria, maximè inchoante, aut inaugescente febre. Ad vrinas uerò quod attinet, circa initia semper crudæ meiuntur, & fortassis etiam acutæ.

Scire autem operæpretium est raro quempiam acuta, lethalique febre defungi, quin aliquod prioris mali vestigium eluceſcat, puta motus imbecillitas, & torpor. Et quando sublato apostemate, ceu phlegmone in pleura, adhuc permanet febris, tunc credere dignum est, quippiam de materia inflammationis reliquum esse, quæ per diadochen, & metastasin se se eò transtulit, vbi dolor percipitur.

De signis febris continuæ.

CAPVT III.

COntinuis febribus pulsuum inæqualitas multò maior inest, quàm intermittentibus, quin neque ordinem seruant, neque rithmum. Febris interim permanet etiam vltra xxiv. horam. Hic interpolium symptomata propria non visuntur, vt rigor, vt horror, vt frigus. Signum autem apodicticum est continenter ægros habere, nec de possessione deturbari, sed affligere, & coquere infirmos ascito, iugique calore. Accrementum verò assiduæ febris ita est dispositum, vt mirum in modum inæqualiter se habeat, siquidem modò crescere, modò decrescere, mitescereque videtur.

De consensu, & dissensu febrium inter se.

CAPVT IIII.

CHolera putrescēs periodum parit tertianam, ni fit bilis adusta, quæ occultas admodum, & incomprehensibiles habet periodos, vt speciem potiùs referat inseparabilis. Et sanè tertiana pura feb. acuta est, calor acer, mordax, vehemens ob bilis tenuitatem, & acrimoniam, attamen salutaris esse consuevit, quoniam natura eam facilè vincit, edomatque, quare ad quietem, & ad meram immunitatem peruenit, cæterùm notha longiùs protrahitur, quàm simplex, quæ septem paroxysmos non egreditur, nisi ex errore. Continua quandoque consumitur in hebdomada.

Feb. verò, quæ ex putredine sanguinis iugiter afflictat, calore quidem plurimo stipatur, sed eo leuiore, & mitiore, & ad vigorem intra quatuor dies peruenit.

Phlegmatica verò feb. quotidie repetit, & blandissimum ad bilem habet calorem, ad hæc longa est ob materiæ crassitiem, ob uisciditatem, ob frigus, ob multitudinem, quin nec vacat periculo, quòd remissionis, & intermissionis interuallum sit minimum, quòd os stomachi in tali febre semper laboret, vnde augetur discrimen, siquidem tale symptoma trahit ad se curationē, vtpotè quod anorexiam, palpitationem, syncopenque minetur. Et sanè febris quotidiana continua magnam habet cum hectica familiaritatem, & analogiam, à qua tamen distinguitur pulsus mollitie, quāquam & in illa aliquando durior euadit.

Quartana verò febris est productissima, & perquam chronica ob materiæ frigiditatem, quæ sanè si pura sit, vsque in annum porrigitur, impura verò breuior esse consuevit. Hæc nullum ægris incutit metum, (dummodo non sint senes, infirmisque viscеribus,) quòd longum tempus intermissionis sit interiectum, quòd minimè acuta sit, quòd nullis stipetur prauis symptomatis. Hoc autem habent commune quartana, & tertiana, tùm continua, tùm intermietens, quòd consumuntur, abolenturque per vomitum, per deiectiones, per vrinas, per sudorem. At verò incendiaria, ardensque febr. præterea per hæmorrhagiam. Scire autem decet, tertianam feb. ad cæteras partes principium prolixius sortiri, conclusam verò fiatum, ardentem declinationem. Status autem, & declinatio in quotidiana longè progreditur, quamquā perraro quartana iugis visitur, aut quotidiana ad immunitatem perueniens.

Cæterùm nosse operæpretium est, feb. maximè ex inflammatione oriundas, ni appositè, & accommodatè curentur, in tabem incurrere, præsertim in acutis, in quibus cibum offerre oportet, & subtrahitur, ne natura à materiæ copia suffocetur, & in quibus necessum est frigidam offerre, & non exhibetur metu cruditatum, nec alia interim ratione corpus refrigeratur. Quoniam duabus instantibus indicationibus, vrgentiori incumbendum est, alia tamen minimè neglecta.

De significationibus symptomatum febrium.

CAPVT V.

SCire operæpretium est, febr. speciem colligi ex victus ratione antecedente, ex præsentibus dispositionibus, atque ex eis, quæ dicentur, ex regione, tempore, ætate, temperamento, ex pulsu, vrina, vomitu, egestione, effusione sanguinis è naribus, ex dispositione febr. penes horrorem, rigorem, sudorem, ex qualitate caliditatis, ex paroxysmis, ex conditione famis, & sitis, ex anhelitus modo, atque ex coniunctis, vt cap. dolore, vigilijs, delirio, agitatione subsultu, & id genus alijs. Febribus enim adsunt symptomata, quibus, ceu propriis accidentibus, earum naturæ cognoscuntur. Inter symptomata autem quædam significant vehementiam, aut exiguitatem feb. sicut qualitas, & copia caloris, siquidem quidam est vehementer mordax, & acer à principio vsque in finem, quidam est ab initio quidē mordax, mox tamen resoluta materiæ portiuncula mitior euadit, quidam humētior, quidā squalidior apparet. Ad hæc quædam symptomata significant feb. genus, vtjn tertiana principium paroxysmi cum vlcerosa

ceroſa laſſitudine, rigore, & calore mordicante. Quæ verò malignitatem portendunt, ſunt iactatio, delirium, vigilia pertinax. At eruditatem, vel coctionem præmonſtrantia indicia potiſſimùm capiuntur ab vrinis. Cæterùm quæ criſim p agiunt, alio loco enarrabimus, pariterque accidentia, quæ ſecuritatem, quæ perniciem portendunt.

Plurima verò indicia, & coniecturæ capiuntur ex ægri facie, & habitudine, nam ſi quis ex pallore liueſcat, aut etiam glaucum contrahat colorem, hinc non modò frigidorum recrementorum prouentus conijcitur, verùm etiam innati caloris inopia; Pariter ſi cui facies ſubinfletur, & tumeſcat, vt accidit febricitantibus à ſatietate, & helluatione, idem colligitur. A contrario repentina oris extenuatio, ſqualor, nares acutæ, collapſa tempora, omnino Hippocratica facies, aut caloris acrimoniam, aut humoris tenuitatem, aut corporis, & ſpirituum reſolutionem immodicam arguit, ſiue hoc fiat impendiò dilatatis meatibus, ſiue vehementiùs concitis ſpiritibus.

Præterea quædam ſymptomata duntaxat in ſtatu emergunt, vt mentis alienatio ex cap. inflammatione; Quædam principium febr. prænunciãt, vt horror, extremorum frigus, in ſomnum propenſio, quæ ſanè ideò inchoante feb. interueniunt, quod calor ad interiora deuergat, vbi putret materia, quòd plurima vaporum copia caput impetatur ex materiæ commotione. Ipſa etiam febr. diſpoſitio penes acutiem, vel lenitatem ſpeciem arguit, multi etiam intereſt noſſe, an feb. à primitiua cauſſa proueniat, an ab antecedentibus, an iugiter ægrum coquat, an intermittat, an remittat, an cum horrore, & frigore, an citra ægrum adoriatur, an decumbentem cum plurimo, aut minimo ſudore dimittat. Præterea reſpicere opus eſt ad anteactam vitæ, victuſque rationem, ad ætatem, ad corporis habitudinem, ad tempus, ad artem, ad regionem, ad pulſus, ad vrinas.

De rigore, horrore, frigore, & laſſitudine.

CAPVT VI.

HOrror ſic corpus percellit, vt cutis, & lacerti ſimul frigus, & acrimoniam percipiant, præcurrit autem torpor, & hebes quædam laſſitudo, & neſcio quid membra veluti contundens, & frangens. Frigus ſanè præcipuè dorſum inceſſit, & moleſtat. Rigor verò inde cognoſcitur, quod æger vel continere membra nequeat, quin concutiantur, & tremant. Verùm vbi plurimum frigoris percipitur, ibi rigor tanto minus afficit, vt in quartana, & quotidiana febre viſitur.

Cæterùm vehementioris rigoris cauſſa robur expultricis cenſetur, & humoris acrimonia perciti, quò enim validiùs humor mordax vrgetur, tantò moleſtior ſuccedit rigor, quo tempore calor interiora petit. Frigidus autem humor cum ſit immobilis, & vno loco conſiſtat, partem non afficit præ conſuetudine, ab aſſuetis enim non fit paſſio, hinc fit, vt frigus nullam parti afferat moleſtiam. Atqui vbi humor plurimum effunditur, ſiue ob calorem digerentem, diſgregantemque, ſiue aliam ob cauſam membrum obuium plurimum patitur ab inſueto humoris inſultu, & frigus promptè perſentiſcit propter temperationis diſſimilitudinem. Accidit etiam aliquando rigor citra febrem ex effuſione vitrei phlegmatis in corporis habitum, qui ſanè reciprocat nulla febris conſecutione.

Interim non eſt illud ignorandum laſſitudinis, & rigoris eandem eſſe materiam, illo differentem, quòd laſſitudinis materia paucior, rigoris vberior eſt, quæ febrem non accendit, ni putredine ſit obſita; ad hæc rigor accidit etiam ob caloris ad interiora recurſum, vt euenit mox paſtis, quibus calor ad conficiendos cibos colligitur. Rigor autẽ, & frigus anteuenire feb. conſueuerunt, quòd humor crudior in lacertos reſiliat, qui collati ad humorem cum calidiores ſint, fit hinc, vt appulſu inſueti humoris refrigeſcant, & laceſſantur, deſinit autem rigor caleſcente, putreſcenteque humore. Huc faciunt etiam acrimonia humoris, & expultricis robur, quoties enim hæ cauſſæ conueniunt, perinde accidit rigor, atque ex perfuſione aquæ calidæ ſuper cutem, humor enim mordicans eſt in cauſſa, vt calor intrò refugiat, hinc frigus exteriora occupat non ſine moleſto acrimoniæ ſenſu, quam hercle moleſtiam interiores panniculi acri ſenſu ſuo percipiunt. Internæ quoque phlegmone rigores pariunt intrò accerſito calore.

Ille autem rigor, qui continuis feb. ſuperuenit die critico concocta iam materia, ſanitatem portendit, quòd materia è venis ad exteriora protrudatur, quòd ſi materia ſit cruda, & imperfecta, nullaque ſequatur conferentia, in malis habetur, ſiquidem ſignificat materiæ copiam, & acrimoniam, à qua natura proritatur, & laceſſitur. Quidam rigor etiam eſt prodromus mortis, ceu qui virium infirmitatem, & innati caloris inopiam ſequitur, aut corporis ſummam aritudinem. Horror autem eaſdem agnoſcit cauſſas, ſed minores, & infirmiores, & periodum, reciprocationemque feb. prænunciat.

Scire interim decet, feb. ſenum ſepultas eſſe, & admodum occultas, hocq; ob innati caloris paucitatem, pauperiemque, quibus protrahitur, prorogaturque feb. aliquando ob craſſi humoris in viſceribus latitantis pertinaciam, quo in caſu ſupino iacente ægro, diſtentiſque cruribus, non adductis, viſcera attrectari debent, & reniſus, oppreſſiunculaſq; explorare diligenter oportet. Ad hoc etiam vbi lingua nigreſcit miteſcente febre, tunc feb. illa latens, condita, & ſepulta dicitur.

Quod ſi contingat feb. conſociari paralyſin, tunc primùm curanda feb. eſt uſu ſyr. acetoſi cum melle roſato permixti, (hinc enim aceti qualitas neruis noxia corrigitur) & confert etiam ius cicerum cum oleo ad ciendum vomitum, ſi feb. permittat. Hic caput radere non expedit, quoniam denſata cute vapores non tranſpirant, hinc reflectuntur, & febrem conduplicant.

De generalibus feb. putridæ curandæ ſcopis.

CAPVT VII.

NOſſe in primis oportet curandarum feb. binos eſſe ſcopos, ad quos medentis conſilium

dirigi debet, feb. scilicet, & materiam morbi, illi incumbendum est refrigerando, & humectando, huic modò digerendo, modò euacuando materiam; Digeritur, perficiturque materia, dum ad æquabilem mediocritatem, & temperiem adducitur, vt cum humorem (exempli loco) crassiusculum extenuamus, aut tenuem crassefacimus, (sic enim fit, vt mediocritatem indepta coquenti calori minùs resistat, faciliùsque vincatur.) Indicationes verò à febre, & à caussa desumptæ interdum conueniunt, interdum discrepant, adeò vt aliud febris, aliud caussa feb. indicet pro concoctione, & euacuatione; Quare ei magis incumbendum, quod magis vrget. Certè in regimine curatiuo priùs caussa abscindi debet, tum discrasia tollenda, & licèt tùm coquentia, tùm euacuantia plerumque sint calfacientia, in feb. tamen modicella vsurpanda ante omnia sunt, & feb. tantisper negligenda, quæ proculdubio refrigerantia reposcit, (quorum sit caloris excessus) vt anguriam, olera, & huiusmodi, quæ tamen prohibentur, tùm quia materiam digestioni reluctantem, tùm euacuationi ineptam reddunt.

Oportet autem illud esse cordi medentibus, ne scilicet per hebdomadam aquosiores fructus, aut stillatitiam ex fructibus aquam præbeant, sed contenti sint hordeacea, siquidem febricitantibus fructus omnes noxij sunt, quòd facilè obputrescant, quòd in stomacho inferuescant, & corruptelam contrahant. Inuenire sanè interdum licèt sitientibus præsidium digerens, extenuans, & euacuans infrigidando etiam, puta syr. acetosum.

Nosse verò oportet, vsque adeò feb. aliquando sæuire, & efferari, vsque adeò acutam esse, & intolerabilem, vt nefas sit materiæ uacare, quà concoquendo, quà subtrahendo, sed potiùs necessum est ad extremum refrigerare, vbi maximè vires vacillant, neque resistunt feb. acrimoniæ, quòd si validæ sint, & constantes remouendæ causæ incumbendum, æquandi humores, cibus minuendus, neque frigidis vtendum, quæ resolutionem præpediunt. At verò si virtus succumbat, temperamento in primis studendum frigida exhibendo, & alimoniam offerendo. Vbi verò virtus refecta, refotaque fuerit, & retusus excessus, tunc iterum cum morbosa materia inunda pugna est, iterum certamen cum feb. caussa repetendum. Atqui vrgente refrigerandi necessitate continuò non sunt exhibenda styptica, & crassefacientia, nisi perfecta iam concoctione, & purgatione peracta, qualia forent trochisci de karabe, de caphura, & id genus alia, nam huiusmodi obstructiones conduplicant, & ex euentu feb. inaugent.

Diuerso autem modo putridæ, & hecticæ curationem auspicari oportet, siquidem hecticæ curatio vna, simplicique indicatione perficitur desumpta à morbi natura, quæ est calida, siccaque intemperies, quæ frigidis, humidisq; expungi vult; Curatio verò putridæ absoluitur indicationibus petitis à morbo, & à morbi caussa, quæ interdum discrepat ab ægritudine. Inter indicationes ea non est omittēda, quæ à viribus sumitur, alimonia verò est virtuti amica, quà reficit tenus, & instaurat, quà verò tenus amica est eius inimico, nēpè materię, quę ab assumpto alimento suscipit incremētum, quadātenus aduersatur, quare opus est optima ratione, quæ manum dirigat, sed de hac ipsa re suo loco fusiùs agetur, si Deo Opt. M. visum erit.

Hoc verò alta mente tenendum, fieri minimè posse, vt feb. curetur, nisi ad vnguem dignoscatur. Quòd si feb. natura latet, extenuare victum, & id agere, expedit, vt ingruente paroxysmo nihil superfit in stomacho alimonię. Ad hęc caue, ne quicquam moueas die paroxysmi, præsertim impari, aut curationem moliaris, ni te magna necessitas cogat. Semper verò virium tenor obseruari debet, harum perpetuò præcipua cura gerenda, quæ si constiterint, & subsit copia sanguinis puri, aut certè impura plethora, quæ est multa cacochymia, tunc sanguinis missio conuenit, præsertim si vrina cum crassitie rubescat, non autem tenuis, non citrea, igneaque sit, vnde vereri liceat dempto sanguine ceu fræno choleram ferociùs acui, & excandescere, & exorbitare. Misso sanguine postridie aluus lenienda, (ni ventris impuritas subductionē præmittēdam suadeat,) vt aq. hordei vnà cum syr. ros. laxatiuo, & si aluus paulò fuerit adstrictior, adijciendus aerei mellis modus. Eò verò collineādum, vt aluum duntaxat subducamus, non fluxum excitemus, aut laboriosam purgationem intentemus. Verùm enim verò, vt ex animi sententia dicam, quid ego ipse sentio, magis mihi ad aluum ciendam probantur intestinorum diluuia, quam ore deuorata pharmaca, clysteres inquam moderati pro virium tolerantia, & morbi postulatu. Cæterùm inter mediocres clysmos ille censetur, qui concinnatur ex ol. violaceo, ex fol. ficiæ succo, vitello oui, saccharo rubro, & sale, seu modico nitro. Vbi ergo aluum sic blādè subduxeris in statu quiescendum, ni omnino natura fatiscat, & vēter nihil reddat, tunc enim clysterem adhuc leuiorem expedit vsurpare, quo aluus exoneretur, & natura ad pensum redeat. His peractis opportunè adhibentur diuretica, ut syr. acetosus dilutus cum decoctione rad. apij, asparagi, & id genus aliorum. Post diuretica ritè aduenient sudorifica leuiora, quæ impendiò non calfaciunt, puta illitus ex ol. chamæmelino, frictio ex tenui, alboque vino, & tepente aqua dulci, at si feb. fuerit acuta, perfusiones, & inunctiones huiusmodi non sunt vsui. Interim obseruandum, an humor ad stomachum impetum habeat, tunc enim vomitio proritari debet familiaribus vomitorijs, vt syr. acetoso vnà cum tepida, nec enim par est naturæ hūc motum remorari. At si materia deuoluatur ad intestina, & percipiatur intestinorum rugitus, & foras iam exigantur fæces, tunc ea administranda præsidia, quæ talem naturæ conatum promoueant, vtpotè leniens pharmacum, aut etiam catharticum, si digestio præcesserit.

At uerò ipso accessionis tempore arcendi sunt à somno laborantes, maximè si cum horrore, aut rigore adoritur, nam diutiùs ægros huiusmodi symptomata ægros laccessunt, & somnus materias intrò in uiscera conuocat, & digestionem, dissipationemque humorum prohibet. Declinante uerò paroxysmo mirum in modum confert somnus. In uigore autem minùs noxius est.

Sed

Sed enim aqua egelida ijs deneganda est, qui crudis, crassisque scatent humoribus, nam coctionem retardat. Sciendum quoque est, quòd vbi venæ sectio contulit, & praua victus ratio adhibita fuit, corporis impuritas arguitur, quæ futuram portendit recidiuam.

Cæterùm humoris biliosi concoctio in eo consistit, vt eius tenuitas fiat aliquanto crassior, & compactior, (præ nimia enim tenuitate expellentis naturæ conatus eludit) quam mediocritatem induces frigidam propinando, antequam tamen ægrum potui egelidæ aquæ destines, ea cautio adhiberi debet, ne viscera naturalia, ventriculus, & hepar repugnent præ infirmitate, vt nulla internæ phlegmones adsit suspicio, ne subsit in neruosis partibus affectio, aut dolor. Solet autem aqua frigida non solùm ad biliosorum concoctionem adhiberi, sed etiam ad febrem extinguendam, & exterminandam, quo in casu affatim propinatur, sed hac lege tamen, & his obseruatis conditionibus, ne bibiturus aquam sit rigidæ temperaturæ, & sanguinis exigui, ne calidi innati tenor sit exsolutus, sic enim penitus extingueretur, vt aquæ potui consueuerit, alioquin valde afficeretur ab insolenti potione frigidæ, & si regio æstuaret, etiã conuulsionibus corripietur, & singultibus infestabitur. Neque ijs tutò exhibetur, qui admodum gracili corporis habitu præditi sunt. Illis verò tutissimum præsidium euadit, quibus calida, concoctaque materia subest, quibus cusarcum, & bene habitum corpus est, quibus exuberans calor innatus, & validior virtus, visceraque nullo laborant affectu, & temperamentum valde calidum est, præcessitque aquæ consuetùdo, his enim summa ope, aut aluus soluitur fusissimè, aut cieturvomitio, aut sudor copiosus prolicitur, aut vrina affluenter mouetur, omnino excretio omnigena, sequitur vsque ad integram apyrexiam, & ægri conualescentiam. Danda autem tanta aqua est, quæ corpus vniuersum refrigeret, & acutam febrem extinguat, aut certè in mitiorem conuertat. Et licèt cum indicantibus adsint etiam prohibentia aliquot, puta aucti apostematis, aut conduplicatæ cruditatis discrimen, attamen vbi sitis, & calor vrgent, & tabis periculum instat, minimè deneganda aqua frigida est, minora enim sunt mala, quæ ex potu proueniunt, quàm quæ ex omissione.

Nil interim tutius, aut vtilius in feb. putridis syr. acetoso, qui hac præcipua dote donatur, vt sitim sedet, incidat, aluumque etiam leniat, citra minimam inflammatæ particulæ noxam, quam frigida conduplicat.

Vbi verò quispiam ausus fuerit importunè, & intempestiuè germanico hausti aquam ingurgitare, multa incurrit pericula, ne pororum stegnosis succedat, quæ subinde nouam excitet feb. aut certè priorem intédat conglomeratis obstructionibus, imò quando occurrit imbecilli stomacho, aut hepati, eorum destruit, demoliturque tonum, & functiones, & deglutitionem difficilem reddit, affertque anhelitus difficultatem, & tremorem, spasmũque, colicumve dolorem parit, renesque, & vesicam ægrè afficit. Ille verò omnino á frigida arcendus, qui dum sanus esset, ab vsu aquæ detrimentum percepit.

Quom verò robustum obseruaueris temperamentum calidum, & siccum, & optimam corporis habitudinem, & ritè corpus à quisquilijs expiaueris, permittendum, vt æger declinante febre in frigidam descendat, quo tempore etiam vsus balnei tepidioris, & vini pauciferi non est damnandus, quemadmodum & litus ex oleis calasticis ad resolutionem promouendam congruens erit.

Cæterùm cum prædictam methodum inchoante, procedenteq; febre obseruaueris, omni studio subinde vacandum digestioni, & euacuationi, quæ non tantùm leuet, imminuatve materiam, sed potiùs, quæ eam stirpitus rescindat. Nõ est autem cruda materia purganda, nisi vrgente necessitate, & turgente materia, fit enim aliquando, vt alius humor minimè præparatus educatur, aut certè materia seriùs concoquatur, importuna enim purgatio humores commouendo maturitati impedimento est, quæ perficitur quiete, solet etiam ex intempestiua purgatione hoc detrimentum emergere, vt scilicet benignum cum maligno commisceatur, nam cum crudum non concedat, reliquum est, vt suo loco motũ cum bono immisceatur, & damnis ægrum cumulet.

Neque Rhasij authoritati auscultandum, quòd concoctionis scopus consistat in humoris extenuatione, vnde concludit humorem biliosum, calidum, tenuemque non habere opus extenuatione, atque adeó citra concoctionem euacuari posse illico pharmaco seligente; Non est, inquam, auscultandum, nam reuera rem aliter se habere compertum est, siquidem concoctio consistit in æquabili quadam materiæ mediocritate, adeò vt expulsioni morigera sit, & sequax, at subtile immersum, crassumque infixum, & uiscidum cohærens haud promptè sequuntur, quin potiùs renituntur, quamobrem necesse est, ut tenue leuiter crassescat, nam neque succinum uento agitatam paleam, sed quietam trahit, item crassum extenuari mediocriter debet, uiscidumque detergi, incidique sic enim fit, ut materia mediocritatem indepta impellentis naturæ impetum sequatur (Accedat, per coctionem excrementum pharmaco repurgandum produci) Quòd si de concoctione Vir iste in lib. Antiquorum nihil obseruasset, præsertim de genere eius, quam innuimus, & mentis aciem conuertisset ad cernendam dispositionem concoctionis excrementorum, quæ per anacathársin è pectore reijciuntur, nempè quòd crassiora extenuate oportet, & crassefacere subtiliora, alioqui naturæ expellentis impetum, & conatũ eludunt, & subterfugiunt, profectò hinc oculos aperuisset ad dignoscendam coctionis naturam, de qua nunc agitur.

Miror ego, cur homo experientissimus cogitationem non reflexerit super urinas, easque contẽplatus in feb. acutis non animaduerterit, eisdem in principio nullum adesse sedimentum, progrediente morbo adesse. An hypostasis aliunde conflatur, quàm ex humoris portione concocti morbum committentis? Quòd si naturæ non est inte-

gũm ante cõcoctionem illorum recrementorum excretionem moliri per vrinas, quid putas arti licere? Certè neque arti fas est, humorem priùs, quàm per concoctionẽ sit paratus, purgante pharmaco expellere (concoctionem autem, & præparationem ex vrinis facilè conijcies). At si tenuitas est vltimus agentis naturæ scopus, vt ait Rhasius, & hypostasis laudabilis est morbosæ materiæ particula, cur in principijs morborum non expellitur salutariter? certè in feb. cholericis, & sanguineis necessum esset circa initia in vrinis subsidere laudabile sedimen. Quod cum minimè obseruetur, quàm supinè fallatur homo alioquin doctissimus, non est cur pluribus ostendam.

Profectò temerè agit, quisquis crudam materiam euacuare tentat, nam vel nihil educet, vel noxium humorem cum frugi permiscebit, interim laboribus, & doloribus lacessuntur ægri. Si vir ille de Galeno, & Hippocrate benè sensisset, vtique in hanc errorum foueam non incidisset, qui de his appositè, & disertissimè scripserunt, neque tam facilè tergiuersatus fuisset, aut oppedisset, si animũ acriter in eorum scripta intendisset. Vellem medius fidius eorum mentem priùs hausisset, quàm ad contradicendum se se opposuisset, nam licet pro veritate contendere, & repugnare malè sentientibus, maximè cum de principijs artis agitur, in quibus si minimus error committatur, maximus fit in fine. Qui enim ex malè positis bene colligas? Melius, ita viuam, fuisset Rhasio, si maturiùs considerasset, neque enim tam temerè enunciasset. Mihi sanè suspicio non modica injcitur, quòd raro experimenta illi contigerint optabilis euentus, quibus tamen vir bonus planè acquieuit. Sed huiusmodi experimentis, quæ iuxta Canones non accidunt, non est fidendum, etiamsi interdum res ex voto euenerit.

Cæterùm quum materia est plurima, mobilis, & de vno in alium locum vagatur, & intra pauci temporis curriculum non speratur concoctio, quia ex affluxu imminet aliqua inflammatio, vtpote phrenitis, aut pleuritis, tunc procrastinare, & dimittere euacuationem non est congruum, nam si concoctio, quæ non nisi longo post tempore est futura, expectetur, interim plurima incommoda emergere possunt, quæ naturam prosternant, quare satius est multam, vagamque materiam purgare priùs, quàm noua pariat mala, præsertim cum tunc temporis naturam nanciscuntur adminiculantem, quæ à materiæ multitudine, & nequitia irritata expulsionem tentat.

Quid autem opus est facto, quando missione sanguinis opus est? Nemo nescire debet, hic nullam concoctionem esse expectandam, (quod in alijs humoribus præstandum asseruimus) sed præsentibus scopis sanguinem quamprimum esse mittendum, nam si posthabetur, opportunitas elabitur, & vires interim detrimentum faciunt, quas constare necesse est. Eadem cautela adhibenda est, vbi alterius cuiusuis humoris exuberantis victoria timetur, vt scilicet in principio fiat euacuatio, quæ copiam demat, antequam sit concocta materia, & status aduenìat, quo tempore melius est quietem habere, donec natura vicerit materiam, & edomuerit, quo tempore, si ab expulsione, expiationeque supersederit, nihilque mouerit, tunc suppetiæ sunt ferendæ, & proritanda natura ad expulsionem exhibito pharmaco etiamnum die critica. Quòd si ipsa admolitur euacuationẽ natura, tu solùm spectator ades insinuatis manibus, si modò ad normam, & ad numerum agat, alioqui præstanda manus est. Et hoc est illud, quod Hipp. voluit, quando scripsit: *Concocta medicari oportet non cruda, neque in principijs, modò non turgeant, plurima verò non turgent.* Et licèt hæc euacuatio sit intempestiua, est tamen necessaria perinde, atque alimoniæ suppeditatio extra tempus, quam tamen vires fatiscentes necessariò reposcunt, ne penitus deficiant. Quemadmodum itaque hic alimentum offertur ad sustinendã virtutem, ne cadat, ita turgente materia propinatur catharticum ad purgationem humoris, quò feb. acuties, & vehementia cohibeatur, coerceaturque. Vbi igitur euacuandum est, eligenda est intermissionis, aut tranquillior hora, aut si feb. sit vniusmodi, eligenda est diei hora frigidior, vtpote matutina. Caue interim ne die paroxysmi præbeas pharmacum deorsum purgans, aut sanguinem mittas.

Ad hæc sedulò animaduertere oportet, ne mouendo aliquis naturæ conatus interpelletur, aut contraria euacuatio fiat ei, quam natura molitur, siquidem obsequi, & obsecundare necessum est rectæ naturæ operæ. Verùm enimuerò ad materiæ copiam imminuendam blandis vtendum est pharmacis, non his, quæ sua acrimonia accessionem accersunt, aut naturam summopere perturbant.

Verùm quòd ad victus rationem attinet, die paroxysmi extenuanda victus ratio est, vt etiam sola aqua hordei sit danda sine iulapio, aut saccharo, ne meatuum oppletione naturam interpellet, cui potiùs porrigenda manus, & præstandum auxilium, medicus enim adiutor est naturæ, cui non renititur, nisi quando aut perperam, aut superuacuè operatur. Inter medendum autem sæpè opus est pharmaco forti-debili, forti quidem, vt soluat humoris crassiusculi, & viscidiusculi contumaciam, debili verò ne impensiùs hoc præstet, sed mediocriter semel, atque iterum aluum proritet, & exoneret, plurimùm enim, & confertim euacuare non expedit, quòd hinc virtus vitietur.

Verùm enimuerò quod ad sãguinis missionem spectat, ego me eius consilij authorem præbeo, vt, quantùm fieri potest, omittatur, quam si cognoueris esse vsui, tunc ea ratione eam adhibeas, vt per epicrasim potiùs, & partitè exerceas, quàm semel affatim, neque enim conducit repentè multum sanguinem fundere, quoniam vnà illud etiam educitur, quod retineri esset operæpretium (nempè spiritus) siquidem scissa vena nihil effluxioni resistit, nihil obnititur, sed quà data porta ruit. Modus igitur esto, ne vires iacturam faciant, & pro futura crisi non sufficiant.

Neque illud reticendum est, quòd quando feb. cum dolore cap. negotium facessit, febri potiùs incumbendum est, ni dolor sit vsque adeò demens, & immanis, vt iam miteſcentem febrem

exacer-

exacerbet, & augeat, tunc enim paregoricis mulcendus dolor est.

Scisciabitur autem quispiam, si puellus pappans febricitet, qui curabitur ipse? sciat igitur, tunc curandam esse matrem, & eius lac temperandum.

Sed age feb. cum alijs affectibus implicitam etiam attingamus. Vbi igitur febricitans ictericorum vrinis simile lotium profuderit, tunc suspicari licet, aliquod subesse apostema, quare aqua hordei cum syr. acetoso conferet, mitescente verò feb. curatio dirigenda ad inflammatam particulam. Quòd si colico dolori coniungatur febris, dum subsunt obstructiones, dum meatus conniuent, minimè tutum est aq. hordei porrigere, imò galli iusculum conferet, & ea vniuersa, quæ leniēdi vim habent, vt clysterem injcere, & intestina proluere, & propinare pinguiuscula, atque detergentia. Tum reclusis meatibus, & summoto dolore, si vsus postulauerit, tutum est aquam hordei porrigere.

Inter aluum soluentia potio concinnatur èx thamarindis, manna syr. viol. laxatiuo, diluitur aliquando aq. volubilis, cum his interdum cassiæ fistularis atramentum dissoluitur, quibus, si vberiore purgatione opus fuerit, diagrydij nonnihil adijcitur. Nonnunquam solum diagrydium cum Iulapio violaceo dissolutum propinatur. Aliquando etiam, vbi crassior est materia, solam aloem porrigere conducit rosarum succo diligenter abiutam, & in catapotia confictam. Rhasius verò commendauit citrinas myrobalanos, sed vbi meliora, & tutiora suppetunt, expedit eas omittere, quoniam meatus occludunt, & poros adstringunt post solutā aluum, quin viscera exasperant, quare nō nisi post absolutam concoctionem earum vsus mihi tutus esse videtur. *Nihil verò peræquè confert ad sedandam sitim, atque succus malorum acidorum, & acido, dulcium adiecto saccharo modicello.*

Cæterùm inter soluentia etiam illud censetur, quod fit ex violis, & scammonio, ita vt sit viol. aureus vnus, scammonij filiqua, Kirat, quibus adijcitur ad robur ventriculi menthæ momentum, & concinnantur trochisci. Potest etiam conflari pharmacum ex refrigerantibus, & febr. extinguentibus in hunc modum. ℞. Coriandri præparati spodij, rosarum ana ʒ. 5. caphuræ, scammonij ana ℈. vj. atque etiam plus, si lubet, vsque ad grana xij. dissoluuntur in sero caprillo, & propinantur ægroto. Item ℞. syr. viol. sol. mannæ el. ʒ. v. suc. pomorum acidorum, suc. gran. suc. cotoneorum ana partes æquales, succi coriandri vitidis sextam partem vnius, immergantur, dissoluanturque prædicta in his succis, donec per coctionem crassitiem contrahant, dein adde caphuræ script. ß. scammonij script. j. hæc verò posteriora in pollinem rediguntur, & priori massæ iam ab igne remotæ inspergantur, & permiscentur. Tum, ne vis medicamenti euanescat, vasculum obducitur & medicamen intus relinquitur, donec sponte concrescat. Dosis à ʒ. ij. ad ʒ. ij. ß. Fiunt etiam ex manna, & iulapio viol. & saccharo medicamentorum formulæ, quæ æmulantur penidia, quibus adijcitur scammonium, & caphura ea proportione, quæ vni dosi conuenit nempè caphuræ script. j. scammonij gr. xij. & sic componitur medicamen iocundum, minimè abominabile.

Qui acuta febre æstuante cęlo laborant, non delectentur domicilio valde perflato, maximè quando sudant, ne materiæ resolutio, & inaspectabilis ea euacuatio, quæ fit per corporis habitum impediatur. Ea verò quæ roborandi viscera vim habent, non sunt ægris exhibenda, nisi concocta iam, & expurgata penitus materia, tunc verò usui sunt, præsertim si vētriculi tonus lāgueat. Consuetudinis in vitæ, victusque ratione intermissio parit interdum febres, quæ tamen non vsque adeò formidandæ sunt, quoniam intermissa consuetudo iterum repeti potest.

De victu febricitantium generatim.

CAPVT VIII.

VIctus humidus, & humectans conuenit febricitantibus, maximè pueris, & obesis, & ijs qui tali victu uti consueuerūt, quia huiusmodi victus, ut opponitur ægritudini, ita facit ad ægri naturam, & temperiem tuendam. In febribus si aluus substiterit, nec quicquam egerat, ne exhibeas alimoniam priùs, quam subduxeris, atque deturbaueris fęces. Necessum autem est ita ægris alimoniam disponere, ut superueniens paroxysmus nullas cibi reliquias in stomacho inueniat, nam si pransis (exempli loco) incidat accessio, naturalis calor in conficiendo cibo versatur, & interim morbosa materia exorbitat, & insolescit à calore destituta, & ita fit, ut tùm paroxysmus, tū morbus protrahantur. Quare operæpretium est ægros declinante paroxysmo alere, atque etiam si fieri potest, iam sublato, & si nutriendi opportunitas incidat in consuetum tempus, hoc multo est applausibilius. Tota autem victus ratio in triplici genere consistit, nam victus quidam crassissimus est, quidam tenuissimus, quidam denique medius it, qui subinde in alterutrum extremum desergit, prout usus exigit. Tenuissimus autem omnino est inædia, crassissimus qualis sanorum, medius autem in tenuem declinans est ceu succus granatorum, iulapium, aqua hordei, ptisana dilutior, olera, sicuti atriplex, spinachia, beta, blitum, & similia, ptisana crassior. Medius autem victus ad crassiusculū decliuis, est ceu gallinæ extremitas alarum, subtilior pullorum, adhuc subtilior, perdicum, oua sorbilia, pisces parui petrosi, adhuc tenuis magis est ptisana hordeacea, quam panis similaceus ex aqua frigida solutus tenuitate præcedit.

Cæterùm ptisana hordeacea est admodū conueniens cibus febricitantibus, nam lęuis est, lubrica, abstersiua, humectans, refrigerans, adepsos, ideſt sitim sedans, celeriter nutrit, interioraque peruadit, minùs adstringit, neque poros offercit, neque inhæresćit, imò pituitatem abstergit, & si benè percoquitur, minimè inflat. Antiqui verò Medici, ubi magis tenui victus genere opus fuit, melicratò dilutissimo usi sunt, quod sanè modicum reficit, interim à melle in penetralia conuehitur aqua, quæ subinde uiscera humecta reddit, abstergit, aperit, excretricem proritat, calore in-

terim

tetim non officit, quod à nimia aquę copia obtundatur. Post melicratum sequitur acetum mulsum, quod vt magis nutrit, ita vberiùs deterget, incidit-que, neque æstuantibus nocet visceribus, quemadmodum merum mel. Sed huius loco substitui potest saccharum, licet minùs abstergat, quàm mel, pariteq; iuleb acetosum. Verùm diuturnior vsus syr. & iulapij acetosi interdum intestina erodit, eorundemque difficultatem parit, qua de re proprio loco luculentiùs.

Victus autem genus indicat naturæ passio à vi morbi illata, quo enim minùs patitur natura, tanto crassiorem alimoniam admittit, quò minùs agit tantò vbertiorem, à contrario, vbi plurimũ natura ob morbi perniciem patitur, tunc tenuissima victus forma æger nutriendus, pariterque vbi vehementer in causam morbificam natura agit, vt contingit circa morbi vigorem, minimum alimoniæ offerendum, ne ab actione auocetur, seruata interim toto morbi curriculo eadem victus forma. Huc facit etiam materiæ morbosæ conditio, virium constantia, & robur in digerendo, permutandoque materiam, atque in excernendo. In toto autem morbi progressu nullo tempore conuenientior est victus tenuitas, quàm in morbi statu, tunc enim natura strenuè aduersus hostem decertat, quare non est auocanda à pugna maximè instante crisi. Frugaliorem etiam victum postulant pharmacum, phleboromia, clyster, quo die adhibentur, aut certè adhibenda sunt, sed aliqua de causa non licet, tunc subtracta alimonia remediorum intermissus vsus compensandus, ne oblatus cibus naturæ vim impediat, & morbigenam causam conduplicet. Idem dolor reposcit, vbi molestior est, & mulceri desiderat. Porrò robustior vis naturæ crassium victum admittit, qui sanè tunc modò conuenit, quando natura minimum habet negotium circa materiam, minimum autem negotium habet circa initia morbi. Qualis qualis tandem cibus offeratur, is sorbitionis formula exhibendus est, sic enim facilius conficitur.

Cæterùm æstate, quia vires defectæ in corpore languent, & plurima fit dissipatio, & resolutio spirituum, & humorum, pluri ad instaurãdum, quod exhaustum est, alimonia opus est, sed ea lege concedatur, vt partitè, & per discretas vices offeratur, quòd modicæ vires multum alimenti semel conficere non valeant. Quare æstuante cœlo pauca, sed identidem concessa alimenta proficiunt, viresque collabentes commodè sustinent. Hyemali verò tempore à contrario agẽdum est, corpus enim per ambientis aeris frigora minimè difflatur, dissoluitũrve, quare nec multa refectione, instauratioueque opus habet, quia tamen calor intrò regestus viget, si multam alimoniam semel obtuleris, egregiè conficietur. Autumnus etiam non multam fert alimoniam, quoniam inæqualis est, & inconstans, proin cibus mediæ materiæ per vices distribui debet, & ita viuam, sorbitiunculæ admodum sunt vtiles, maximè si virtus non vsquequaque constet. Profectò si vires, ad quas perpetuò Medicum collineare oportet, ferent, subtilissima, & perquam accisa diæta commendatior esset, quò morbi uis citiùs euinceretur ab integris naturæ viribus, sed quia virtus deficit, quam sustinere oportet, vberiùs agendum, nulla enim exolutis iam viribus suffragia prosunt, siquidem virtus morborum curatrix est, Medicus minister, qui suppetiatum it, & virtuti tanquam auxiliares copias offert.

Verùm in victu administrando maximè conducit præcognoscere, an feb. sit acuta, & status proximus, & virtus robusta sit, talisque futura sit vsque ad statum, tunc tenuis quidem victus conuenit, tunc natura per copiosi alimenti oblationem non est auocanda, sed illi per inædiam bellum est indicendum cum morbigena materia, maximè instante crisi. Quod si ægritudo non admodum acuta fuerit, tunc tenuis quidem victus conuenit, sed non extremè, nisi in die critica, aut certè alia de causa maximè vrgẽte. At si morbus chronicus fuerit, aut propè accedat ad chronicũ, tunc victus tenuis pernicioſus est, quia ea victus formula usque adeò extenuabuntur uires, ut postea usque ad statum perdurare non ualeant. Hoc tamen est commune in omni genere febrium, ut in principio uberiùs alantur ægri, procedente morbo nonnihil subtrahatur, donec ad statum æger peruenerit, quo tempore materiæ concoquendæ incumbendum est, nec de alimento ulla cura gerenda est. Et si uirtus ualida sit, benèque sibi constet, meriſſimum iulapium posset sufficere, aut tale quippiam, & quidem per septimanam, maximè si frugaliter uiuere consueuisset æger (necesse est enim aliquid consuetudini condonare, propterea hac tempestate tam difficilè ægri ferunt diætam, utpote qui pluribus cibis sese ingurgitare assueuerint) illud autem maximè præstandum, si internam phlegmonen febris sequatur, quòd si uirium metu tenearis, per interualla propinare licèt ptisanam hordeaceam.

Verùm enim illud alta mente tenendum, quod ubi febris natura nondum planè comperta est, satius est uictum extenuare, quàm adiicere, & tantè nutrire, interim tamen uirium tenorem obseruare decet, & tolerantiam. Rhasis uerò, qui existimauit in febre acuta melius esse alere, quòd nullus adest concoctionis scopus, cum materia per se sit satis fluida, ac tenuis, atque adeo pro libera uoluntate educi possit, tota uia aberrat, sed quid hac de re sentiam, retrò planè edixi. Profectò ibi maximè opus est alimonia, ubi uires fatiscunt, deficiuntque. Inter corpora uerò, quæ diuersam à præscripta uiuendi normam postulant, sunt biliosa, præsertim si plurimo cibo se se replere consueuerint, nam si ipsis cibum non offeras uel in ipso feb. initio, imò in ipso uigore, alterutrum impendet, uidelicet aut syncope, si uires sint effœtæ, lethalis, aut, si uires constent, tabes, quod colliges ex faciei extenuata forma, naribus acutis, oculis cauis, collapsis temporibus, omnino ex facie Hippocratica, quia per diadochen, & palyndromen mordacissimæ bilis ad stomachum cor in consensum trahitur, & syncope superuenit. Sunt etiam quidam homines carnosi quidem, sed cum ijs cibus subtrahitur, usque adeò extenuantur, & macie conficiuntur, ut uix ferendo sint, & in uniuersum quicunque plurimum habent calidi innati,

difficulter ferunt inediam, quemadmodum illi, quibus debilis quidem, & paucus calor est, paucis egent fomitibus, ne copia suffocetur. Sunt præterea quidam, quibus dolor stomachi, & læsio accidit, & per consensum etiam capitis dolor, quibus solus hordei cremor sufficit admixto acidorum punicorum malorum, aut cydoniorum succo, vt stomachi os roboretur. Atqui nonnunquã ante cibi exhibitionem necessaria est vomitio lenis, facilisque namque imbecillissimo stomacho plerumque superuenit syncope ex effusione acerimæ bilis ad stomachum, quam reijcere necessum est, non incuneare stypticis, quæ tamen post vomitionem necessaria sunt ad sedendam ventriculi perturbationem, & ad robur conciliandum. Cietur autem vomitio deuorato acetoso syrupo diluto cum tepente aqua, aut vino perquam lymphato. Senes autem ultimi. Pueri, imbecilles, non tolerant diuturnam inediam: Qui verò sunt in viridi senecta constituti, pertinacissimè tolerant famem, eos sequuntur iuuenes præsertim solido habitu præditi, musculosi, latas uenas habentes, frigidi ætheris incolæ.

Errant autem Medici illi, qui à principio victum adeò extenuant, vt uirtus usque ad statum nequeat consistere, quare ne collabatur, circa vigorem victum augent, & sic duplici errore ægros affligunt; fit enim, vt sic intempestiuè repleti catarrhis crudis afficiantur, cholericisque, & uigilijs infestentur, loco stare nesciant, agitentur, iactentur, viresque præ cruditate quasi instrangulantur, hinc ad caput magna fit anathymiasis, hinc tinniunt aures, & obaudiunt, & cerebro affecto, tremores oboriuntur, iectigationes, subsultus. Quid plura? loco stare nequeunt, lectulos permutant, imaginantur absurdissima, vt credant, quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò, labijs tremunt ob dolorem stomachi, tristantur, & anguntur ob materiæ grauitatem.

De Methodo propinandi aquam, & ptisanam hordei, & syrupum acetosum.

CAPVT IX.

QVædam aqua hordei est, quæ vix dum hordei vim admittit per leuissimam coctionẽ, quæ minimæ est efficaciæ, efficax autem hoc pacto redditur. Aquæ purissimę viginti recipiuntur partes, hordei pars vnica, bulliant ad duas quintas, aqua dein, quæ per ebullitionem rubeum traxit colorem, tenuis seruetur in vsus. Hæc minùs quidem nutrit, sed magis humectat, terget, digeritque superuacua, & temperatè refrigerat. Quædam aqua est, in qua inest hordei substantia, diciturque ptisana, eaque probatissima est, quæ admodum cocta flatus omnes amisit, & visciditatem non admisit per sufficientem coctu ram. Et huiusmodi quidem aqua, quæ hordei substantiam imbibit, magis enutrit, sed minùs terget, abluit, digerit, & in frigidiore uentriculo, aut ascito, alienoque calore æstuante facilè acescit. Porrò ptisana modò fit ex hordeo integro, modò ex hordeo deglubito.

Sed age obiter, & de syrupo acetoso uerba faciamus. Syrupus acetosus sic egregiè concinnatur. Saccharum in cacabo repone, superinfundè acre acetum tantùm, vt sacchari dorsum non superexcedat, cacabum prunis acapnis candentibus admoue, aut suppone præcalidos cineres, donec saccharum sine feruore liquescit, subinde colligatur spuma, & una horula dimittatur cum miti, remissoque calore donec saccharum perfectè cum aceto commisceatur, coeatque, postremò tãtùm aquæ adijciatur, quæ duobus digitis supernatet, & bulliat simul ad perfectam syrupi consistentiam.

Nefas autem est simul commiscere succũ hordei cum syr. acetato, cuius est ingenium, ut ilicet cremorem hordei corrumpat. Præterea animaduertendum, ne ptisanarium propinetur priùs, quã aluus commota sit, saltem clystere: Quod si acorem in stomacho contrahat, subtilior pars eius detur, aut certè unà incoquantur apij radiculæ, aut simile quippiam; Quod si nihilominus acescit, incoquantur simul piperis grana, præsertim si materia non est adeò tenuis, & acuta. Verùm ubi inflationem & pneumatosim parit calidiore in affectu, & temperamento modicum aceti de uino generoso commisce.

Cæterùm cum syr. acetosus mane exhibetur, multa quidem ille commoda præstat, siquidem humores incidit, & præparat ad expulsionem, quo sumpto, & duabus horis iam transactis licet aquam hordei propinare, ut abluat id, quod syrupus incidit, & detersit, & per sudorem proliciat (hoc tamen concoctione apparente duntaxat expectandum.)

Neque dedecens est à cœna (præterlapso iam ad intestina chylo) syrupum acetosum offerre. Necessum autem est saltem duabus horis syr. premittere tum prædicta de causa, tum ut magis humectet, præmittere inquam ante succum hordei, quæ suam gratiam sic opportunè deuoratus spectatè corpori communicat, hocq; tantò alacriùs præstandum, quo squalloris, & ariditatis signa luculentiora fuerint, quo siccior, asperior, nigriorq; apparuerit lingua; Ante tamen ptisanæ usum, si aluus stricta sit, necessum est interdum aluum soluere propinata thamarindorum decoct.

Manard. animaduersio lib. 3. de usu ptisan. c. 2.

De aqua demum hordei, uideant, qui Auic. colunt, quomodo ea utantur, scribente illo lib. 2. c. de hordeo, eam esse malam stomacho, & inflatiuam, nec putent se eiusdem auctoritate tueri eodem cap. & 4. etiam lib. F. p. tract. 2. c. 9. eam commendantis: Sciant enim in eius lib. plerumque pro succo aquam legi, sicuti cap. de cibo febricitantium, ubi dicit, si timueris debilitatem, sis cõtentus aq. hordei, nemo enim nescit, communem aq. hordei reparare uires debiles plusquam iulebum non posse. Boni etiam nec corrupti ob dogmatis amorem, iudicij homo facilè cognoscere potest uerba illa Auicen. sumpta esse ex Gal. in expositione quarti Aph. primi lib. dicente, in quibus non ultra hebdomadem morbus protrahendus est, solùm sufficit melicratum. Quod si non satis fidamus robori, ptisanæ utemur succo. Vbi & aduertere licet, pro melicrato ab Auic. iulebũ

scribi:

scribi: Alioqui nulla apud Gal. iulebi mentio; sicuti neque alterius similis potionis cum snccharo concinnatæ: Aliquando etiam apud Auic. aq. hordei pro ptisana legitur, sicuti vbi conficere eam docet duplici modo, & vbi non esse dandam aq. hordei iubet, quando alnus astricta est. Quod etiam cognouit Ioannes cognomento Mesue, dicens antiquos consueuisse vocare aquam hordei ptisanam. Apud tamen verè antiquos, raró leges nomen aquæ hordei. Me legisse memini 4. de victu morborum acut. vbi scribitur, si siticulosi valde fuerint, aquæ hordei quid bibant. Quæ verba enarrans Galenus, melius fuisset, inquit, docere, quo pacto esset conficienda, per solam ne videlicet madefactionem, an veluti nunc Zython faciétes &c. Neque hoc dixerim quasi communé hordei aq. explosurus, vt qua etiam ego & sedandæ sitis gratia frigida, & ad ciendum vomitum tepida, & ad eliciendos sudores calida vti consueuerim, sed vt ijs, qui medicinæ auctores pro Dijs habent, locum monstrarem. Alioqui licet & ratio, & Antiquorum auctoritas reprobare eos potus videantur, qui ex granis constant, ceu aspectu, odore, gustu etiam insuetis, quod & mihi contigit, horribiles; experientia tamen docet, septentrionales homines, qui nihil aliud ferè bibunt, quàm ceruisiam, & pulcherrimos esse, & salubertimos, & robustissimos. Sed de hac re fortè aliàs, satis enim nunc sit, ostendisse medicos, qui ptisana, farina, & aqua hordei in nostra regione non vtantur, non sine ratione id facere &c.

Huc spectat & Mercurialis lib. 4. variarum lect. cap. vltimo, vbi ait. Apud Gal. duplicem tantùm esse ptisanam, hordeaceam nempè non colatam, & colatam, quæ succus ptisanæ appellatur. Hordeatam vocant Itali. Et hæc est illa Aqua hordei, in quam dicit Auic. ingredi de corpore hordei. Præter hanc ptisanam apud latinos, & Arab. fiebat aq. ex hordeo non decorticato, & est illa, in quam dicit Auic. nil de corpore hordei ingredi. Accipitur pars vna hordei electi, aquæ partes xx. ebulliunt, donec pars quinta remanet aq. expressa, reiecto hordeo seruatur in vsus. Hanc Celsus lib. 3. cap. 7. cremorem ptisanæ vocat, &c. Nec me latet apud Arab. extitisse diuersas methodos in facienda hac aq.

De curationibus febrium acutarum.

CAPVT X.

REuocanda sunt in memoriam, quæ hactenus dicta sunt de alui solutione, de morbosæ, & putrescentis materiæ concoctione, de hydroticis, & diureticis, de pharmaci purgantis exhibitione, de victus administratione, neque enim est, cur hic vitium tautologias uolentes committamus. Nũc proximum est, ut modos percurramus, quibus febrilis æstus, & thermasia extinguitur, quo spectat frigidi aeris inspiratus, cibi frigerantis vsus, & epithematum, allioticorumque eiusdem farinæ admolitio. Hic præcipuè sitis infestat, quam mulcent hypoglottia ex psylii, cydoniorumque mucilagine, & portulacæ, & liquiritiæ succo confecta, & ore detenta, nam acutas ægritudines patientium guttur iugi humectatione irrorare ualde confert. Nec minus clyster ritè suppositus refrigerandi vim habet, si ex succo portulacæ, cucumeris, anguriæ, & cucurbitæ confletur addito ol. ros. quadrante, & caphuræ momento.

Curandum autem, quantum fieri potest, ut aer cubiculi frigidus inspiretur, id autem assequeris, si hominum frequentia arceatur, si uentilabris, & flabellis uentiletur, diffleturque aer, si niues, cæteraque huiusmodi prægelida sternantur, si fontium scaturigines arte concinnentur, si aqua frigidissima identidem pauimentum irroretur. Nonnunquam cubile superponitur suppositis lymphis, insternuntur chordæ instar retium intertextæ, & his suffultus stratus supereminet aquis, lectus autem componitur ex tabari inflato, superfusis Salicum summitatibus, cydoniorum, myrtillorum, violis, nenuphare, rosis, aqua rosacea insperfis, interdum etiam calathi apponuntur intermixtis odoriferis, ut malis citrijs, cotoneis, aurantijs perfusis nymphæa, aut rosarum succo, quibus adijciuntur pulueres santalorum, caphuræ, rosarum modico, sed perquam odorato uino irrorati; his enim gratis odoribus mirè recreantur languentes. Hæcq; quo ad normam refrigerandi aeris.

De victus autem forma non est, quod actum agam, siquidem superiore loco abundè. Illud vole s, lubensq; adijciam, mirificum esse præsidium tùm ad refrigerandum, tùm ad aluum leniendam comparatum aquam scilicet cucurbitæ, & anguriæ, maximè uerò cucumeris, extremum uerò esse lactucam ex aceto comesam. Ad sitim uerò sedãdam concinnantur focula (Foca est genus potionis ex hordeo, Zythũ vocãt) ex pane similaceo, fero depuratissimo, & succo limonum. Quid si refrigerare, & simul nimis fortè fluidam aluum constringere cordi sit? Punicorum malorum succus, aut mororum, aut limonum, aut cittiorum, aut berberum, aut omphacium tãdem sint sub manu.

Reliquum modò est, ut ad epithemata gradum faciamus, quæ ex notis succis conflantur, nempè ex aq. ros. uiol. coriandri, endiuiæ superasperso polline santali citrini, & caphuræ, plurimum enim hæc ad refrigerandum conferunt, quò facit & litus ex mucilagine psylij ex aceto, & aqua rosarum extracta. In primis uerò hepati epithemata sunt admouenda ad frigus conciliandum, nam vbi iecoris calor temperatur, reliquum quoque corpus temperationis consors euadit. Verùm caue, ne oxyrhodina capiti rheumate laboranti admoueas, maximè si tumficula, capitis grauitas, & tensio comitentur, quæ plurimam ad caput anathymiasim testantur, tunc enim satius est, inclinato capite thymiasim ex tepente, & supposita aqua excipere, & inspirare. Quod si nulla te rheumatis suspicio percellat, potes utique ex animi sẽtẽtia perfusiones, & oxyrhodina uiurpare. Si quis autem ad mulcendum dolorem lac super repletum caput emulgere ausus fuerit, præterquam emollito, eneruatoque fortè accersere potest phlegmonen aliquã, nullum arcesset dolorem, sed potiùs ingeminabit affectum. Tutò autem perfusiones adhibentur (etiam repleto capite) si halitus fuerit biliosus, nempè calidus, siccusque, non humens, tunc enim

lac

lac ipsum super futuras mulgeri potest citra noxiam, attemperat enim, & demulcet acritudinẽ. Si verò æger in soporem crebrò deferatur, aut etiã altè obdormiat, aut styria è naribus propendeat, tunc stillicidia, & vniuersæ super caput effusiones, & illitus ablegentur, & studium omne ad retractionem ad inferiora conuertatur.

Quòd si æger genis rubescentibus, nasoq; candente se proferat, hæmorrhagiam è naribus proritare ne tædeat, argumento enim sunt, cap. sanguine repleri, quod deplerí expedit. In primis autem epithemata iecori refrigerando conueniunt, sed ea lege tamen ne vehementer refrigerent, nefas enim est parti principi, & totius sanguinis opifici valde egelida admouere atoniæ metu, hocque eò minùs præstandum, si sudor expectetur, aut materiæ resolutio, siquidem sic importunè adhibita epithemata regerendo, & densando materias ægritudinem in longiùs protrahunt, quamquam faciliùs, æquiorique animo aliquando diuturnitas morbi toleratur, quàm acuties. Verùm enimuerò illud maximè cauendum in acutis, ne frigidorum topicorũ vsu humor intrò repercussus, & regestus ad intestinaque deuolutus dysenteriam pariat, nam solet esse admodum exitialis, cum virium tenorem ob crebrum deijciendi conatum prorsus infringat, alioquin admodum optabile esset per loca conuenientia morbosam materiam deturbari, quæ reflua, aut stagnans multa parit incommoda, vel enim superiora petit, & hypocõdria, & caput lacessit, vel inflat, distenditq; uentrem. Quare si materia sit acrior, & subtilior nihil æquè confert, ac syrupus de papauere, hic enim materiam crassescit, concoquit, somnum conciliat.

De symptomatum censu, quæ in feb. languentes incessere consue uerunt.

CAPVT XI.

NVnc operæpretium esse videtur de symptomatis verba facere, quæ in feb. ægros vehementer affligere consueuerunt, & eorum curationem (dum causæ rationem induunt) mitigationemque aggredi, vt his absolutis ad acutarum febr. distinctionem gradum faciamus. Quæ verò in febr. faciunt negotium symptomata, sunt, ceu rigor, horror, frigus, immodicus sudor, modum non habens hæmorrhagia, laborioſus, & superuacuus vomitus, vires deijciens uentris fluxus, intolerabilis sitis, somnus prolixior, profundiorque, peruigilium pertinax, linguæ, fauciumq; ariditas, asperitasque molestior, sternutamentum indesinens, dolor capitis demens, tussicula morosula, anorexia, citta, seu malacia, singultus, & alia id genus.

De rigoris, & horroris immodestia compescenda.

CAPVT XII.

RIgor criticus, qualis continuis, ardentibusq; febribus accidit, quem sudor excipit, manú medicam non desiderat, imò euenit summo naturæ beneficio per translationem materiæ ab internis ad externas, sentientesque particulas, is enim non deijcit vires, nullamque affert noxam. Vincula tamen artubus injici possunt, frictio leuis adhiberi potest, stragulæ conduplicari possunt, nec litus ex ol. anethino, aut chamomællino dedecet. In cæteris rigoribus naturam ualde lacessentibus præter frequẽntes frictiones, & ligaturas conuenit inunctio ex ol. chamomællino, & liliaceo, quibus oleis nonnulli adijciunt momentum cardamomi, castorei, ruthæ, calamenthi, nitri, piperis, pyrethri, interdum etiam gradum faciunt ad synapismos. Maximè uerò conferre uidetur aqua, aut etiam oleum ruthæ, similiter ozymi aqua, & decoctio.

De oleo mirum in modum laudando aduersùs rigorem, & frigus.

CAPVT XIII.

ANethum siccum, myrrha, rutha, calamenthum, pyrethrum, piper in vino elaboratè coquuntur, colatura cum ol. sesamini dimidio recoquitur, donec vinum sit absumptum. Hoc oleum administretur oblinendo. In forti verò rigore, qualis inest quartanis confert ol. costi, abrotoni, liliorum, myrrhæ, quorum vnciolæ addi possunt piperis ʒ. iij. pyrethri script. j. Prodest etiã ol. absynthij, aut oleum decoctionis apij. Ingredi etiam labrum oleo plenum calẽte confert. Interdum necessarij sunt hauſtus aquæ, aut iusculi præcalidi, & si materia est crassior contumaciorque incoquere oportet anysum, calamenthum, sem. apij, mastichen, erucam, anethum, & similia. Nec minus confert vaporarium ex aqua decoctionis abrotoni, calamenthi, anethi, schœnanthi, ruthæ, sampsuci, costi, sem. calidorum. Quid plura? Vniuersæ medicinæ, quæ irritandi, prouocandique validam vim habent, sedant rigorem. Verùm in quartana ad tollendum rigorem summum est remedium aureus vnus costi puluerizati ex aqua præcalida epotus, aut tantũdẽ agarici, is enim mirè confert, & si nonnihil opij interdum adijciatur, somnum conciliabit, promouebit sudorem, & rigoris vehementiam obtundet. Interdum apium montanum aurei vnius pondere ebibitum cum aqua calida profuit.

Inter composita verò medicamina primas tenent theriaca serena, diachalamentum, diacyminon, diapipereon, mel rosaceum simplex dilutum decoctione benioin, ruthæ, pirethri, piperis. Pilulæ expertæ, quæ dantur ante rigorem, ideſt, ægroto stragulis studiosè cooperto, & in cubiculo per ignem calefacto moranti. ℞. styracis, myrrhę, opij, opopanacis piperis ana partem vnam, vnà cogantur cum butyro, & formentur pillulæ magnitudine fabæ. Vel ℞. opopanacis, castorei, dauci, assæ odoratæ, pyrethri, opij, ana partes æquales, m. & fiant pill. vt supra. Alia præscriptio bona. ℞. opopanacis, sagapeni, cymini, sem. apij, piperis ana aureum vnum semis. sem. hyosciami albi, croci aristolochiæ, castorei, euphorbij, myrrhæ, ammeos, zinziberis ana scriptulum vnum, sem. ruthæ syluestris, pyrethri, ana ℈. iiij. m. & cõficiantur cum melle. Dosis magnitudo auellanæ ex aqua feruida. Fortè etiam necessarium est, propinare vinum generosum præcalfactum, &

epulas

epulas eiusmodi. Interdum expedit hieris aluum ciere, aut diacydonite solutiuo, aut diaphœnico, imò, quando est rigor contumax, & valde nequam, maximè absente febre, dentur in potu pillulæ fœtidæ, quoniam ipsæ certò remouent rigorem.

De superuacuo sudore compescendo.

CAPVT XIIII.

SVdor criticus promouendus, tantùm abest, vt compescendus sit, sed quando modum excedit, viribusque minatur, tunc æger libero, perflatoque aeri est exponendus. Quòd si non satis est, in cunabulis collocetur, ac perinde, atque puellus vagiens, agitetur, vt corpus vndequaque perfletur. Nec sudor mappis, aut sudarijs detergeri debet, quoniam deterfis sudor vberiùs emanat, hinc syncopes pericula impēdent, absterfio enim prouocat, omissio reuocat, inhibetque. Interim corpus ol. rosaceo, myrthino, saligno addito balaustiorum puluere oblini circumquaque potest. Aut immitia cotonea, mala pontica, rosa, balaustia, & similia incoquantur, quibus superinijcitur puluisculus baccarum myrthi. Comprimit etiam, regeritque sudorem oxycratum, omphacium, gallarum, balaustiorum, myrtillorumque decoctio. Succus salicis mirabilis est, item aqua ex aizoo. Vbi verò hæc non conferunt fiunt litus ex mucilaginibus frigidis ammixtis vnà cum gummi ex aqua ros. dissoluto, aer iugiter perflandus. Quibus si non concedat sudor, nix super extrema ponatur, & immergantur etiam, & gelidæ aquæ balneum sit paratum, in quod æger ingrediatur, si per vires liceat, & sudor aliter compesci nequeat.

De hæmorrhagia inhibenda.

CAPVT XV.

CRiticus sanguinis fluor è naribus permittendus, vbi verò modum excedit, & vires prosternit, ei obuiam iræ operæpretium est. Quare extremos artus vincire oportet, cucurbitulas hypocondrijs admouere, refrigerantia circa locum, vnde sanguis effluit, adhibere, quæ si profuerint, cucurbitulæ nulli sunt vsui. De hac verò ipsa re pluribus alibi actum est, vnde huc repeti possunt, qualia sunt, quæ in nares induntur, quæ ore continentur frigida, quæ capiti circundantur. Quartanarijs aliquando sanguis è naribus effluit, queis nō est cohibendus, sed potiùs promouendus, siquidem quartanam de medio tollit, sinēdus, inquam, non compescendus, ni sinè modo fluat.

De immodica uomitione temperanda.

CAPVT XVI.

CRritica vomitio non est interturbanda, sed sinenda, nisi necessitas aliter faciendum suadeat, tunc enim obsistere oportet; nihil autē præsentius, aut præstantius vomitione ipsa per syr. acetosum simplicē dilutum aqua tepidiore proritata, sic enim euacuata, eradicataque noxia materia subsidet vomitio. Quòd si simplex syr. acetosus non fuerit satis, sufficiatur acetosus compositus cum sem. & si humor ventriculi tunicis inhæresat, tunc expedit hieram offerre, aut alioticum quippiam, quo humor ille radicitus abstergatur, abscindaturque, idem præstandum etiam, si humor non fuerit insinuatus, infarctusque, quamquā ipse syr. acetosus ex tepente aqua ebibitus omnino solet esse satis, qui semel, atque iterum repetendus est, donec impetus ille ventriculi sedetur. Extirpato humore stomachus roborandus est, quod quidem mirandum in modum præstat syr. menthaceus vnà cum succo malorum punicorum. Huc faciunt & refrigerantia; sed illud summa animaduersione dignum est, ne humores in ventriculi tunicis impactos habeat ille, qui styptica, pontica, austeraque est deuoraturus, nam sic amplius impingitur, & inculcatur, qui verò in vacuo fluitat humor, fortasse roborata excretrice aut susque, aut deque deijcietur. Ibi verò maximè stypseos participia pharmaca conueniunt, vbi materia cholerica minimè impacta assiduam excitauerit vomitionem, quin etiam cataplasmata ex malicorij, balaustiorum, gallarum omphacitidum, rosarumque puluere excepto oui albumine, & vino austero concinnata sunt admouenda. Cæterùm vomitus melancholici humoris compescitur spongia aceto inebriata, & stomacho admota. Si autem his non sedatur, ad ea recurrendum erit, quæ proprio capite vberrimè censuimus.

De regendi alui fluxu immodico.

CAPVT XVII.

VSque adeò susè de hac ipsa re scriptum est proprio capite, vt frustra hic repeti videantur. Poterit, quisquis vberiorem materiam expetit, è fonte haurire. Satis sit hoc loco dixisse, aluum sisti posse vsu quorundam alimentorum, vt succo quodam acetoso, lentibus torrefactis, coriandris præparatis, quibus si adieceris succum granatorum acidorum, eò afficies auxilium præstantius.

De siti lenienda.

CAPVT XVIII.

FRigerante oleo caput perfundendum, frigida os colluendum, confingenda hypoglottia, quæ sub lingua detineantur. Fiunt ex mucilagine sem. cydoniorum, psyllij, ex pulpa sem. melonum, cucumeris, cucurbitæ, papaueris nigri, rad. liquiritiæ. Item acetosa præmanduntur, vt trifolium acetosum, thamarindi, oxalis. Sitim autem, quam siccitas parit, somnus tollit, quam verò intus calor efficit, abigunt vigiliæ.

De sopore alto.

CAPVT XIX.

DOrmitantibus fabellæ narrentur intenta voce, vincula extremis artubus injciantur dolorifica, ni æger opportunus fuerit podagræ, item suppositorium acriusculum immittatur, si aluus non sit officiosa. In febre autem assidua admoueantur humidæ cucurbitulæ intra scapulas, & spondylos.

De

De capitis grauitate.

CAPVT XX.

His nullo pacto lac super caput emulgẽdum, aut perfundendum oleum, sed potiùs halitus quidam excitãdi ex D. chamæmelli, violarum, furfurum, & similium, quos ægri per spiritum ducant, aut instituendæ persusiones, & caput purgia-.

De vigilijs excedentibus.

CAPVT XXI.

Confert naribus attrahere oleum papauerinũ vnà cum ol. lactucæ, nenupharis, cucurbitæ, confert oblinere tempora aut populneo, aut stupefaciente aliquo noto, item subolfacere nymphæam, mandragoræ poma, halitus vuidos inspirare, nec minùs cap. eiusdem oleis perfundere. Non erit omittendus linctus ex syrupo papauerino. Interim plurima circa ægrum cerea vigilantem accendantur, colloquia mutuò instituantur fabellis, salibusque inspersa, arctè extrema institis vinciantur, ita tamen, vt facilè solui possint nodi. His peractis indicatur somnus, oculi claudantur, quumque dormitat, ex templo lumina extinguantur, silentium interueniat, vincula repentè soluantur, sic enim fiet, vt altum soporem ineat. Atqui inclinante paroxysmo confert etiam manus, & ora decoctione ex nigro papauere abluere, aut mandragora, aut solano. Et cum peruigilium ex nitroso humore prouenit, vtile est lauacrum ex D. syssimbrij, meliloti, papaueris, atque ex his halitum emanantem inspirare licet.

De dolore ventris.

CAPVT XXII.

Dolor fit ex palyndrome, & translatione bilis ad stomachum, acciditque ingruente paroxysmo. Confert syr. cydoniorum, de pomis, oxysacchara.

De linguæ asperitate, & visciditate.

CAPVT XXIII.

Visciditas linguæ detergenda vngulis, aut cochleari argenteo, humectata priùs lingua ol. amygdalino, & saccharo albissimo permixtis, & ore detentis, aut certè spongia ol. rosaceo, & pauco sale inebriata, hinc enim æger non minimum alleuatur. Vbi verò lingua asperior est ex siccitate expedit ore continere sebesten, & nucleos prunorum, aut indum salem, (colore quidem salem, sed dulcedine mel referentem) nempè saccharum, & sumat, ut præscribit Archigenes, ad fabæ magnitudinem, grana item cotoneorum ore detenta vetant, ne lingua inarescat, sed huiusmodi patientes os claudant, fileant, frigidum inspirent, minimè resupini iaceant, ita enim fiet, ut nõ arescant fauces.

De molesta, indesinentique sternutatione.

CAPVT XXIIII.

Vsque adeò frequens aliquando incessit sternutatio, vt noceat, repleatque cap. & vires prosternat, & sanguinem è naribus proliciat, quare oportet, vt frons, & glabella, nempè ciliorum interstitium identidem perfricetur, atque hiante ore palatum quoque comprimatur, pariterque forinsecùs caput uniuersum, præterea calastica olea in aures instillanda, temporum musculi humectandi, similiter mandibulæ, & ceruici calentia puluinaria admouenda. Quod si somno teneantur, non excitentur repentè; fumidi, puluerulentique halitus euitentur, & graues, acutique odores, & quidquid irritandi potestatem habet. Interim fractum hordeum, marinamq; spongiam subolfaciant.

De dolore capitis.

CAPVT XXV.

Capite dolentibus extrema, maximè femora propè genu sunt vincienda, frictiones asperiusculæ adhibendæ, suppositoria acriuscula immittenda, vt materia deorsum trahatur. Caput frigidis circundandum, & ni rheuma, aut tussis vetuerit, caput rosarum, violarum, hordei, salicumque decoctione perfundatur, aut ol. rosaceo, aut saligno. Atque vbi hæc non profuerint, admisceantur frigida cum paregoricis, vtpotè myrtilli cum chamæmello, aut cum stupefacientibus, vt papauere. Lac autem non est emulgendum, nisi remota febre. Tum, si virtus constiterit, licet caprillum lac emulgere, sin minùs muliebre; caue tamen, ne vtaris lacte repleto humiditatibus capite, nam periculum hinc impenderet alti soporis, aut caroticæ affectionis. Neque humectantia sunt adhibenda, nisi quando adest aridior halitus, & caput siccum, & vigiliæ. Vbi igitur vuido halitu caput tentatur, atque repletur, ad inferna-, trahatur, glandibus clysteribus, vinculis, &c. Scire interim decet, recentiores etiam lotiones extremorum imperitare, quas fortasse quispiam respuat, quòd non nisi apparente concoctione-, Gal. balneum concedat. Sed quemadmodum neque nos totius corporis lauacra admittimus, nisi repurgato ritè corpore, & perfecta iam concoctione, ita particulatim extremorum lotione vtimur sæuiente dolore, qui & coctiones perturbare, & naturam infirmam reddere consueuit.

De tussi febricitantium.

CAPVT XXVI.

Tussis febricitantibus accidere consueuit ex calore, aut siccitate, quare bechicha ore cõtinenda, quæ refrigerent, & humectent, qualia sũt lohoc de papauere, item hypoglottia ex pulpa sem. melonum, cucurbitæ cum mucagine sem. cydoniorum, aut psyllij coacta.

De anorexia.

CAPVT XXVII.

Ciborum appetentia destruitur frequèns ob prauum humorem stomachi os occupantem. Restituitur, si humoris nequitia per vomitionem, aut per uentrem ablegetur; vomitio cietur penna oleo illita, aut digitis in gulam immissis, aut

sis, aut ventriculo commotione illata. Accidit interdum ex summa ventriculi imbecillitate, quam intemperatio parit, hæc ergo summouenda erit sumptis,& admotis contrarijs auxiliis. Interim cibi odorati,qui appetentiam ciborum excitent, offerendi sunt,vt ptisana aceto respersa, acida enim solent absentem reuocare famem. Ad hæc exhibenda electaria, quæ stomachi tonum erigant,seb. tamen non augeant, nec minùs modicum vini concedendum, item nonnihil ponticorum, & benèolentium fructuum offerre confert. Huc etiam facit gelatina ex piscibus concinnata. Hoc interim spatio stomacho consulendum admotis emplastris ex fructibus stypseos non expertibus conflatis adiecto absynthio, & aloes momento. Conferet item litus ex ol.odoris,puta ex ol. nardino,mastichino,& melino,& similibus,sed hæc adstringẽtia non nisi post primos dies exhausto iam ventriculo adhibenda.

De bulimia notha.

CAPVT XXVIII.

QVi tali affectu laborant, curandi sunt rebus odoris, boloque Armeniæ, aceto respersо. Subolfaciant recentem, calidumque panem, assasque carnes, extremaque vinciantur, auriculæ intendantur, capillitium uellicetur, cerebrum roboretur admotis humectantibus, modicèque refrigerantibus, siquidem spuria hæc bulimia vt plurimum accidit destructo stomachi sensu, qui per neruos sextæ coniugationis communicatur ori ventriculi, & sanè in hoc affectu fames adest, & summa cibi indigentia,& corpus deficit,sed ventriculus, ut non percipit indigentiam ob sensus priuationem, ita alimenta respuit, & abominatur. Hæc autem mala febrilis intemp. inuehit,proin frig.expungenda.

De nigredine linguæ.

CAPVT XXIX.

NOn est permittendum, vt diutiùs linguæ nigrities ægrum infestet,sed quam mox obliteranda est ijs, quæ aliàs præscripsimus, alioquin praui vapores ad caput efferuntur, qui paraphrenitidem excitant.

De appetitu canino.

CAPVT XXX.

CVratur cynicus appetitus ingestione vnguosorum,melliteorumque,præterea vino.

De syncope.

CAPVT XXXI.

QVando incidit syncope ob palyndromen, & effusionem choleræ ad stomachi os,ante paroxysmum offerenda est panis buccella granatorum succo inebriata, aut omphacio, siquidem præsente syncope febr. negligenda est. Quòd si cibo opus sit, antiquo vino, sed mediocriter lymphato panis infusus detur, aut cydoniorum miua. Syncope aliquando etiam superuenit phlebotomiæ, quæ citò soluitur. His itaque sic malè affectis tùm clyster vtiliter injicitur, tùm vomitio cietur, item vincula artubus arctissima injciuntur, & extrema in aquam tepentem, vt spiritus, calorque foras euocentur,immittuntur. Vbi igitur sibi redierunt syncoptici, reficiendi sunt ptisanario hordeaceo frigido insperfis mali punici granulis.

De anhelitus difficultate.

CAPVT XXXII.

COnstrictio anhelitus accidit eis, aut propter spasmum,& siccitatem,quæ accidit musculis mouentibus thoracem, aut certè propter decubitum materiæ à capite in guttur, & bronchia, aut propter debilitatem neruorum pectus mouentium. Primæ causæ succurritur emplastris,& vnguentis humectantibus: secũdæ succurritur,reuellentibus,deriuãtibus,intercipientibus euacuãtibus materiam: tertiæ succurritur ijs, quæ cerebri æquant temperamentum, litu ceruicis cum ijs, quæ refrigerant, modicèque humectant, admotis stomacho portulaca, cucurbita, santalisq; ex ol. ros. contusis in empl. formam, quando hæc mala calor feb.inuexit.

De vehementi anxietate.

CAPVT XXXIII.

QVando laborem affert angustia stomachi lacessiti causa ex appulsu mordacis,& acriusculi humoris, tunc cibi offerendi refrigerantes, sub styptici, quales retrò censuimus; Æger ventiletur,& lecto affabrefacti fontes apponantur,super cubile sternantur frigida suaueolentia,vt nymphæa, rosa, viola,santalum, myrtillus,clysmi item refrigerantes è succo cucurbitæ, citrulli, portulacæ,aizoi,& ol. ros. conferent.

De deglutitionis difficultate.

CAPVT XXXIIII.

DIfficultas deglutiendi cum accidit, & sanguinea, concluaue adfuerit febr. tunc per phlebotomum sanguis mittatur paulatim, & æger cibetur cum aceto, & lactucis, nempè oxyporo, si appetentia fuerit aliqualiter excitata, alioquin nutriatur aqua hordei, alienentur uerò, quæ subitò occurrunt, & affectum conduplicare possunt, & si aluus minimè officiosa sit, sollicitetur potiùs suppositorijs, & clysteribus, quàm pharmacis ore deuoratis.

De extremorum artuum frigore.

CAPVT XXXV.

SÆpenumero ita coarctatur, colligiturque intrò calor, vt extrema summo frigore rigescant calore destituta, hinc fit, ut calor in uisceribus insinuatus multam ad cap. anathymiasim effundat, vnde dolet. Tunc extrema in calidam aquam immergenda, abdicandusque frigidæ vsus.

De

De febribus cholericis.

CAPVT XXXVI.

FEbres cholericæ tres numero sunt, nempè cõtinua proportionata, interpolis,& causon, seu feb.ardens. Rursum intermittens, aut est pura,& fit à mera bile, & impermixta,aut notha,& ex putredine bilis craffioris propter pituitæ coitum, admissuramque prouenit, vnde hi duo succi ſsub vnius formæ vnione coaleſcũt, quare hoc interest inter notham tertianam, & hemitritæum, quòd hæc ex seiuncta, sepositaque materia putrescente inoritur, illa ex simul mixta, coniugataque, quæ admittit cum calore frigus modicum,vnde putredo grauior efficitur,& digestio,resolutioque difficilior. Hinc fit,vt in semitertiana,vna die duo paroxysmi ingruant,in spuria tertiana nõ item. Verumtamen impura tertiana longissimè protrahi consueuit vsque ad sex menses, vnde corpus ad molliculam, malamque habitudinem, quam cachexiam vocant,redigitur,habitus enim corporis cum pallore tumet, splen obdurescit, tenduntur hypochondria.

Causon verò est de genere cõtinuæ,sed incomprehensibiles accessiones ei sociantur, uehementioraque symptomata, huiusque feb. materia est admodũ acuta, multa,& cor proximè putrescens, in venis stomachi,in conuexa hepatis parte, summum in venis cordi proximis. In tertiana uerò intermittente cholera obputrescit in venulis circa cutem oberrantibus. At verò in continua proportionata in venis medijs,quæ excurrunt inter alas, & inguina putret, longè tamen à corde sunt dissitæ.

Hæc autem in cholericis feb. obseruantur sæuire accidentia,nempè sitis, angustia,inquietudo, seu iactatio, peruigilium, mentis alienatio, nausea, oris amaror, pustulæ circa labia erumpentes, siccitas, sciſſio, dolor capitis. Aluus præterea tali feb. implicitis stringitur, vel quia bilis ob igneam vim sursum pergit, vel quia in corporis habitum effunditur, vnde colore flauo cutis inficitur.

De tertiana absolutè, quæ dicitur Tritæus.

CAPVT XXXVII.

PAroxysmus tertianæ aggreditur cum horrore dolorem punctim inferente, subinde sequitur frigus,quod laboriosus rigor excipit,cęteris frigidis rigoribus difficilior; hic autem non alia de causſa interuenit frigus, nisi quia calor ad putrescentis materiæ locum se se colligit tanquam suppetias laturus. Rigor instar acutissimarum acuum pungit, qui quò infestat vehementiùs, eò sedatur celeriùs; causſam huiusce rei fusè retrò narrauimus.

Cęterũ tribus primis diebus rigor in tertianis est acrior, molestiorque, in quartanis à contrario, multò enim mitior est à principio,& progrediente morbo inualescit. Hic sudor decedẽte paroxysmo foras erumpit, vrina vsque adeò incandescit, rubescitque, vt tendat ad igneam, minimè tamen interim crassa emeitur. In notha tertiana vrina tũ cruda, tùm crassa apparet. Ad hæc puræ tertianæ calor miti r est, quã in causone, in quo maiorem quo tangendo traxeris moram, eo acriùs ferit, in illa verò quo diutius manum admoueris, tantò blandiorem calorem perceperis, euincitur enim ocyssimè. Huiusmodi verò symptomatis stipari consueuit,nẽpè peruigilio,sine cap. grauitate,quæ tamen in nothis adest,siti, delirio, iracundia,taciturnitatis amore. Hic pulsus adsunt perquam celeres,si referantur ad reliquas feb. circa systolen, & diastolen interuenit ob virium imbecillitatem inæqualitas, quæ procedente ad vigorem morbo augetur,& sanè huic feb.ea subest febrilis inæqualitas,quæ in vno percipitur pulsu, quæque singulis putridis adest, minor tamen, quàm reliquis, interim fortes,& vehementes pulsus apparent.

Necessum autem est, vt pulsus in accessionum principio contrahantur, donec calor foras effundatur, tùm consurgant, & fiant ueloces, frequentesque,sed,vt supra innuimus,in his non admodũ notabilis est inæqualitas ob materiæ æquabilitatem, & tenuitatem.

Arguunt autem aliquando feb. tertianam, ætas,cõsuetudo, regio,ars,habitudo corporis, tempus, anni, & tertianæ populariter vagantes, tunc enim per analogismum,si quis in feb. incidat,colligitur tertiana febre laborare. Porrò ubi duæ tertianæ coeunt, quotidie paroxysmus exacerbatur, vnde facilè colligas, illos decipi, qui ex alternis periodis feb. speciem conijcere nituntur, necessũ enim est alijs indicijs feb. ideam rimari, quam subinde & paroxysmorum conditiones atteſtentur. Sed febr. à bilis putredine accidunt uigiliæ, incalescente cerebro ob æstuosos halitus, amor solitudinis ob atræ-bilis prouentum ex aduſtione, & sæpè etiam illis hepatis æstuat regio, siquidem bilis locus hepar est.

De discrimine puræ, impuræque tertianæ.

CAPVT XXXVIII.

SYncera tertiana breuis est, acutaque, cuius paroxysmus à quatuor ad duodecim extenditur horas, neque admodum prętерlabitur, quas si longè excedat, nothę tertianę notas exhibet, vt plurimùm uerò protrahitur ad septem horas, & corpus celeriter incalescit, etiam si extrema adhuc frigeant, similiter septem periodis solet terminari,nisi interueniat error. Nonnunquam exterminatur una accessiuncula, prę sua tenuitate radicitùs aut per uomitum,aut per uentrem euacuata materia. Ad hęc in tertianis materia cocta uidetur aut prima die, aut tertia, aut quarta, aut septima,qua die si non apparet concoctio, spuriã esse tertianã,consentaneum est,& longã,pariterq; si rigor in lõgum protrahatur,si occuper, seruetq; per similes periodos,subsitq; inordinata pulsuum inęqualitas. Similiter cum paroxysmi sibi uicissim respondent iuxta eundem modum, & reliqua etiam signa concurrunt argumento sunt longam fore tertianam,atque adeò notham. Verũ si rigor repentè insiliens celeriter euanescit, & decedente febre sudor affluenter emanat, synceram esse tertianam,iudicandum est, in qua hoc vsu venire cõsueuit, vt post aquę hauſtum vuidus quidã vapor

per totũ corporis habitum diffusus madidas carnes reddat perinde, atque mox sudaturis, quin etiam aliquando sudor foras erumpit. At verò in spuria tertiana cap. grauitas, tensioque molestat, paroxysmi vsque ad horas 24. producuntur, aut eò etiã ampliùs, adeò vt superstes adhuc maneat empyreuma, donec nouus superueniat paroxysmus. Omnino tantò magis à mera, genuinaq; tertiana notha recesserit, quanto plus horas duodecim febrilis paroxysmus excesserit. Ad hæc digestionis notæ in notha serò apparent, neque ęgri tam citò squalore tabescunt, aut priorem deponunt formam, quin neque per vberrimum sudorem febr. omnino de medio tollitur, quæ neque cum uehementi rigore aggreditur, neque admodum acri, mordacive calore lacessit, neque tam sæuis stipatur symptomatis, habet tamen augmentum admodum inæquale, adeò vt modò crescere, modò decrescere videatur.

De tertiana perenni.

CAPVT XXXIX.

COgnoscitur continua tertiana paroxysmorũ collatione, itemque symptomatum, nam grauiora, sęuioraque visuntur in cõtinua. Et sanè huiusmodi feb. ex Galeni sententia exoritur, quãdo sanguis in venis vitium, putredinemq; contrahit. Verùm de hac ipsa re proprio capite vberiùs agemus.

De curatione tertianæ puræ.

CAPVT XL.

REpetenda sunt, quæ generatim de feb. putridarum curatione præscripsimus quoad aluũ lenientia, & cibi exhibitionem, &c. Proin te non decipiat Rhasius pharmaca validiora, & myrobalanos à principio præcipiens, & id genus alia, ni subsint eæ conditiones, quas ediximus. Quare ab initio morbi non licet pharmacum præscribere, quod lenientis naturam, & vires excedat, ut sunt thamarindi, cassiæ fistularis atramentum, mel aereum, syr. violarum, aut rosarum laxatiuus. Quò faciunt etiam clysmi ex althæa, iuiubis, sebesten, rad. liquiritiæ, ol. viol. & succo sicis, & modico sale, aut nitro confecti. Hoc autem præstandum, vbi opus est, neque enim licet ptisanam, atque alimoniam offerre, nisi aluum antea lenieueris, tametsi ventris solutio in principio per pharmacum in germana, synceraque tertiana febre minùs est inconueniens, (ob materię tenuitatem,) quàm in alijs feb. materia quantumuis noxia existat.

Quod autem ad sanguinis missionem attinet, conducere dico vsque ad tres periodos nihil moliri, tùm obseruatis naturæ conatibus, & ritè è corporis sentina eductis superuacuis retrimentis, si mittendi sanguinis scopi præsto sint, tutò sanguis educitur, maximè si furere videatur febris, & grauiter efferari, cuius causa phlebotomum admoueris, tunc enim si quis error accidit, minor euadit, (quòd excrementa in venas alliciendi è sentina periculum sit minus, magisque edomita bilis.) Caue interim ne die paroxysmi quicquam moliaris, ni te magna cogat necessitas, ad hæc neque intempestiuè alimoniam offeras, neque vrinam prolicias vsu sem. melonum ante propinatum pharmacum, sed ita instituendum est alimentum, vt superueniente accessione reliquiarum nihil in stomacho supersit.

Verùm ad materiæ biliosæ concoctionem singulis matutinis hauriendus est syrupus acetosus, & transactis duabus horis aquæ hordeaceæ cyathus offerendus erit, maximè qua die non fit accessio. Die verò paroxysmi talis syrupus propinati potest inchoante feb. decessione, quo tempore pedes in tepentem aquam immergere expedit, vt febrilis caloris reliquiæ ad pedes trahantur, dilui autem poterit syrupus emulsione sem. diureticorum, maximè procedente morbo, & coctione se se proferente, interim aqua hordei, & ante, & post paroxysmum quatuor horis iteranda est.

Atqui vbi victus formam extenuare decet, malorum punicorum succus, aut anguriæ aqua propinetur, & alia id genus, paulatim enim, ut ediximus, in victu procedere oportet. Primis itaque diebus hordeacea ptisana, aut similagineus panis tritus, lotusque ex aq. & coctus concedatur (sic enim vis salis, & fermenti eluitur) sed aqua hordei, aut ptisana non est adhibenda, si in stomacho acescit cibus. Quod si ptisanæ vsus necessarius videatur, ad auertenda mala, incoquere oportet vnã apij radiculam, aut etiam si langueat stomachi robur, & feb. non adeò exardescat, piperis semina monitore Hippocrate. Quòd si crisicos signa se se prodiderint, subtrahendum est quam mox cibo, ne natura auocetur à pugna, & solus hordei cremor, aut succus granatorum, aut syr. acetosus, seu mauis, aliqui fructus sunt concedendi, puta grana punicorum, pruna, anguria, qua nihil pręstantius est, refrigerat enim mirè aluum soluit, vrinas ciet, sudoremque prolicit. Neque melonũ, aut cucurbitæ, aut lactucæ vsus erit incongruus, aut nocens (dummodo sudoris, aut loti) frequens, promptaque sit emanatio.) E profectò dum tertiana febre correptos alimus, aut humectare, virescq; sustinere, cordi est, tuncque gallorum testes, perdiculæ, phasiani, aut hœdorum cerebella, aut ouorum vitelli dantur, aut certè cum humectatione etiam refrigerare studemus, & tũc hordeaceum ptisanarium offerimus.

Caue autem ne ab initio impendiò refrigeres, ne materia impingatur, ni molestissima sit febrilis thermasia, quæ vel continuam, uel ardentẽ feb. minetur. Verùm si vigente morbo, vrinisq; coctionem pręseferentibus crisis optata sequatur, quid opus est facto? Nihil admoliri licet, si natura munus suum integrè obit, at si hiat, tu irrita, tu moue oscitantem naturam, vel propinato vomitorio, uel pharmaco deorsum purgante, uel diuretico, vel etiam hæmorrhagiam è naribus proritet; sed illud in primis animaduertere decet, ne quicquam aduersùs naturę conatus admoliaris, sed potiùs naturã ipsam obsecũdes, & ducas, quò natura vergit per loca conferentia. Facta quoquo pacto morbosæ materiæ euacuatione, si adhuc feb. permaneat, nec manifestã fecerit declinationem, omnino opus est pharmaco, quod aluum soluat,

soluat, & crassiores materias educat. Tale autem erit scammonij semiscriptulus cum thamarindorum, aut cassiæ fistularis pulpa permixtus super hausto iulapio, quibus si adijcias fumariam, & sennæ folicula, efficacius efficies pharmacum. Tale item pharmacum præscribi potest. ℞. myrobal. citrinarum enucleatarum ʒ.iiij. sacchari ʒ.xx. scāmonij script. ß. aquæ frigidæ q. s. m. f. p. b. Huc spectant & trochisci de spodio solutiui. Hoc pacto repurgato corpore ad diuretica gradus erit faciendus. At si plurima, eaque intolerabilis caliditas à pharmaco supersit, tunc refrigerantia sunt adhibenda, quæ in curatione acutarum cēsuimus, tum introrsum deuorata, tùm foris admota, vtpote epithemata, & fotus.

Balneo autem ante perfectam digestionem uti nefas est, at perfecta coctione nullum experiri licet præsentius, aut præstantius auxilium ad morbi reliquias obliterandas, præsertim si æger balneis consueuerit, quamquam error in balnei regimine commissus ante materiæ perfectionem tolerabilior est cæteris consimilibus. Necessum autem est balneum esse dulcis aquæ temperatissimæ in aere laudabili, in quo quidem sudor est expectandus, sed sine labore, adeò vt interna nullatenus incalescant, tùm à balneo æger inungendus ol. ros. aut viol. abluto ex frigida; oportet autem celeriter è balneo egredi, siquidem melius est balneum repetere, quàm diutius immorari, ne sanguinis, & viscerum thermasia augeatur, ne vires defluentur. Quòd si æger tepidiore aqua propè egressurus perfundatur vsque ad lubentiam, & delectationem, non erit abs re. Egressis è balneo conceditur modicus vsus vini albi tenuis, lymphati, & subinde lecto commendantur stragulis benè tecti, vt sudor proliciatur, quo affatim erumpente, superuacua, siquæ supersunt, digeruntur, dissipanturque. His peractis æger nutriendus est cibis refrigerantibus, atque humectantibus, vt oleribus, neque hic in vniuersum iam recedente febre nefas est olygophoron vinum propinare, quin illud idem maximè conuenit, coctiones enim promouet, & commixtam aquam introrsum in viscera conuehit, quò fit, vt vehementer refrigeret, & humectet. Quod si adhuc superfuerint aliquot symptomata, sitis, vigilia, cap. dolor, &c. horum iam curationem præscripsimus. Quando verò post crisim adhuc aliquid caloris supersit, tunc opportunus est vsus syr. acetosi diluti cum D. diureticorum.

Porrò cura tertianæ continuæ perinde est, atque interpolatæ, hoc solo differt, quòd in continua citiùs materiæ coctiones obseruantur, & veriùs aliquanto refrigerandum est cum syrupo acetoso diluto cum D. sem. melonum, citrulli, endiuiæ, & ab hausto syrupo transactis duabus horis aqua hordei propinanda est. Ad hæc magis tenui victus forma ægri nutriendi sunt. Clysteres verò in principio lenissimi sunt injciendi, tùm paulatim procedendum. Pharmaca verò purgantia in principio penitus abdicanda, solaque admittenda lenientia, vt cassia, thamarindi, syr. ros. laxatiuus, & similia, pariterque lenientes clysmi.

De curatione tertianæ feb. nothæ.

CAPVT XLI.

HOc interest inter curationem germanæ, spuriæque feb. tertianæ, quòd quemadmodum in syncera non admodum expectatur declinatio pro ingressu in balneum; ita in notha non conceditur balneum, nisi summa adsit declinatio, balneum enim crassum phlegma liquefacit, & fluxile reddit, quo fit, vt ad locum putredinis peruadat, ibique inquinamenti, & putredinis particeps fiat, ad hæc balneum tenue quidem digerit, resoluitque crassiusculo restitante recremento. Tali febre laborantibus quotidie alimoniam offerre noxium est, satis enim est, si alternis diebus, tranquilliore scilicet die nutrimentum præbeatur, cui medicati aliquid adijci debet, quod calefaciat, atque abstergat (siquidem per famem pituita conficitur.) Hæc tamen cautio adhibenda est, vt in principio spuriæ feb. vberius alimentum concedatur, quàm in syncera, tùm verò extenuandum vsque ad vigorem, hocque paulatim efficiēdum, ne vires præ morbi diuturnitate labascant, maiorem tamen hic consistente morbo cibi extenuationem requirimus, quàm vigente genuina tertiana.

Cæterùm alliotica, quæque ad promouendam coctionem propotismata præscribuntur, minori refrigerandi facultate prædita esse debent, clysteres verò in principio acriusculi injci possunt, non item catharticum propinare licet antequam coctio humorum elucescat, quæ promouenda est syruporum vsu ex D. rad. apij, fœniculi, & similium, quæ hordeaceæ ptisanæ incoqui iussimus, quando in stomacho acescit, quin & valentiora vsui aliquando sunt, vt hysopi, origani, calamenthi, spicæ decoctio, prout fuerit patientis, temperies, & habitudo. Huc facit blitis, aut cicerum iusculum, siue syncerum, siue cum aqua hordeacea permixtum, prout vsus postulauerit. Studiosè autem animaduertere oportet, quantum feb. hæc declinet à syncera, & sic ad ideam collineando præsidia modò validiora, modò blandiuscula præscribes, prout magis, aut minùs recedere hanc feb. videbis.

Sanguis verò in hac feb. mittitur, si vrina crassa, & rubra emeitur, misso verò sanguine nihil opus est clystere, qui veluti succenturietur, mandat enim Gal. clysterem acriusculum immitti, vbi nō licet phlebotomia vti. In huius generis febre nihil peræquè confert, atque vomitio ab assumpto cibo. Sed inchoante febre adhiberi debent lenientia mitiora, qualia forent cassia fistularis, manna dissoluta in D. prunorum, aut thamarindorum, quibus etiam aliquando, vbi materia est copiosior, & vires succumbunt, nonnihil turpethi adijcitur, ut pharmacum uerè minuens euadat. At reuera clysmi ab initio magis usui esse videntur, & sanè mihi præ cæteris soluentibus probantur. Clysteres verò concinnari possunt ex chamæmello, meliloto, helxine, sicla, charthamo, uiolis, sebesten, ficu, & turpethi ui simul concoctis, & in D. dissoluitur cassia fistularis, oleum sesaminum,

nitrum. Et si feb. hæc longè ab idea dèfecerit, ualidiora enæmata præscribi possunt.

At verò coctionem adiuuans protherapia instituenda ex syr. acetoso cum rhodomelle permixto, aut oxymelite diuretico, & transacto die 7. tutò etiam absynthij iusculum propinatur, hoc enim materiam attenuat, & stomachum roborat, item confert syr. acetosus dilutus cum aqua fœniculi, & apij.

Peracta secunda septimana ante apozemata licet deuorandos præbere trochiscos de rosis, & si multam prolixitatè febris minatur, vsui sunt trochisci de eupatorio vnà cum eius decoctione exhibiti. Ad facilitandam etiam humorum concoctionem iuuat hypocondria fouere, hinc enim & infarctus promptiùs expediuntur, & tensiones emolliuntur. Vbi emicuit concoctio, non est procrastinandum, sed confestim euacuandis humoribus cùm per ventrem, tùm per vrinas vacandum. Hoc medicamen in primis præstat. ℞. Hieræ picræ ʒ.v. succi absynthij, eupatorij ana ʒ.iii. sem. apii myrobal. citrinarum ana ʒ.v. turpethi ʒ. vii. malaxentur cum succo apii, & fiat massa, de qua ʒ.ii. pro singulis dosibus distribuantur. Vtilis etiã hæc est potio ex nostro præscripto. ℞. eupatorii absynthii, mirob. kebul. ana ʒ.v. sem. melonum, cucumeris, citrulli, appij suchuha * ...Bedeoard. * .. ana ʒ.x. turbith ʒ.i. cassiæ fist. ʒ.vi. passul. enucleatarum ʒ.xx. ficuum, nu.x. sebesten nu. xxx. mellis medicati cum fl. persicorum ʒ.xv. decoquantur omnia secundum artem, & de hac decoctione laborans cyathum vnum hauriat vnà cum scammonii siliqua. Fortassis autem opus est medicamento forti-debili pro diuersa ratione, forti quidem ad exturbandum crassum, viscidumque humorem, debili verò, vt semel, atque iterum saltem aluum soluat, tali verò pharmaco identidem vtendum, vt crassiora excrementa paulatim minuantur, virtus interim nullum patiatur detrimentum. Cæterùm contumacibus excrementis deturbandis non item conferunt medicatæ potiones, quæ tamen infusione turpethi, agarici, aut scammonii ex cardiaca decoctione conflari possunt addito ad dulcorem melle, aut syr. ros. solut.

De causone febre, quæ Arabicè dicitur færicos, latinè feb. æstuans.

CAPVT XLII.

BIfariam incidit causon, duplicique ab origine pendet, aut enim ex plurima bilis putredine in toto venoso genere, vel certè in uenis proximè cor ebulliente consistit, vtpote in stomachi, aut conuexæ hepatis partis venis, aut denique fit ex falso phlegmate putri in venis, vt ait Hipp. in epid. quæ cor sequuntur, stabulante, æstuanteque. Phlegma autem falsum non fit, nisi permixtione acutæ bilis cum tenui, aqueaque pituita. Est ergo cholera, quæ putrescit, ignea, virulenta plurimæ aqueæ pituitati permixta, atque adeò ob solidiorem corporaturam efficaciot, & contumacior.

Quoniam verò causon grauioribus symptomatis comitatur, quàm simplex tertiana feb. necessum est vt breuior, & contractior sit totius morbi historia. Hæc feb. perrarò senibus accidit, quumque senem adoritur, interficit, tùm quòd à fortissima causa fiat, vnde maximus arguitur recessus à naturali statu, ineptissima enim sunt senum corpora ad igneum ardorem concipiendum, tùm quòd senibus effœtæ langueant in corpore vires. Adolescentes verò, & pueros frequenter inuadit, quamquam pueris ob affluentem vuiditatem leuior accidat, ex nimio tamen madore multa anathymiasis ad cap. effertur, quæ altum conciliat soporem. Hinc præclarè scriptum ab Hipp. fuisse colligitur. Si cuipiam ab ardore correpto tremor superueniat, soluitur alienatione mentis superueniente. Et sanè hoc vero-simile videtur, quoniam nerui, cerebrumque vehementer incalescunt, quo fit, vt materia tremoris discutiatur. Causon verò vt plurimum terminatur superueniente vomitu, alui fluxione, sudore, aut ubertiore hæmorrhagia.

De signis causonis.

CAPVT XLIII.

SIgna feb. ardentis sunt iugis, & vniusmodi calor, qui de tenore, acrimoniaque sua nihil recedit, lingua nigra, aspera, nullus sudor, nisi die critica; sitis vehementissima, nisi accedat tussicula, quæ ex Hipp. obseruatione sitim sedat, arguit enim destillationem è capite in fauces, & thoracem, vnde particulæ istæ humectantur, quare non est à ratione dissentaneum, vt ingens horum sitis pulmonum causa fiat. Ad hæc calor in causone interiùs magis ardet, & intenditur, quàm extrinsecùs, hinc fit, vt membra minùs frangi uideantur, quàm in aliis tertianis. Reliqua uerò symptomata in ardore ex putredine choleræ multò sunt sæuiora, utpote uigiliæ, iactatio, æstuatio, delirium, hæmorrhagia, dolor cap. temporum pulsatio, oculorum cauitas, diarrhœa biliosa, anorexia; Quando huiusmodi feb. infantes corripit, confestim à mammillis abhorrent, & si lactant, illud lactis exiguum acescit, corrumpiturque.

De causonis curatione.

CAPVT XLIIII.

CVratur perinde, atque pura tertiana, & ubi euacuatione opus est, non oportet procrastinare, sed festinare, atque citò eam obire (in acutis enim passionibus tardare noxium est) ac illa eadẽ adhibere, quæ retrò præscripta fuerunt super hausto purissimi feri poculo. Atqui concoctione absoluta euacuatio perficitur.

In phlebotomia uerò exercenda cautè agẽdum est, siquidem dempto puriore sanguine ceu fræno bilis aliquando ferociùs æstuat, exorbitatque, quo fit, ut damnis æger augeatur, interdum etiam proficit, si urina maximè exuberantis sanguinis crassitie, turbulento, saturatoque rubore signa præferat, (cholericorum ebullitio impendet, ait Capiuaccius, missio sanguine, dum bilis putrescit in uenis alicuius partis determinatæ, tunc enim post uenam sectam deducitur in uenas communes totius, quarum sanguis iam est imminutus, & sic cũ

maior

maior subsit in uenis bilis copia, par est, ut fiat cholericorum ebullitio.) Hic opus est dieta magis accisa, tenuique, & refrigeratione vberiore, imò actu, expresèque frigidis tam sumptis, quàm admotis vtendum. Si virium infirmitas formidatur, etiam si ægro appetentia ciborum sit deiecta, offerenda alimonia, & maximè si plurima fiat corporis resolutio, atque diaphoresis, & sanè interdum bulimia accidit tùm ob sensus defectum, tùm ob mentis errorem.

Tali febre implicitis à principio validiora quadantenus pharmaca conueniunt, quæ aluum leniant, & omnino ea vniuersa, quæ acutis febribus conuenire præmonuimus. Somnus aliquantùm mitescente febre confert, qui si sponte non irrepat, conciliandus miti, halituosoque expiramento thamarindorum, & caphurę. In primis verò par est vti syr. acetoso vnà cum emulsione sem. portulacæ, & endiuiæ.

In frigida verò aqua propinanda proponat sibi Medicus consideranda, quæ retrò diximus. Quare ni quippiam vetuerit, tantùm aquæ exhibeatur, quæ vehementer refrigeret omnino vsque ad satietatem. Quod si æger delirio laboret, nec ideò aquã expetat, tunc singulis horis plurima aqua offerenda, quam paulatim sorbeat, maximè si subsit summa linguæ ariditas.

Symptomata verò ea ratione mitiganda, quam propriis cap. innuimus. Arcendus interim timor, & anhelitus obseruandus, & pectus crebro litu humectandum, ne musculi præ nimio ardore, & siccitate conuellantur. Caput autem oxythodinis ex aceto, ol. ros. santal. & aqua ros. caphurata, & similibus præseruandum. In primis verò contumax vigilia remouenda exhibito etiam syrupo de papauere nigro aqua viol. aut lactucæ diluto. Æstu verò declinante vsus trochiscorum de caphura conuenit, pariterque syr. acetosus vnà cum diureticis frigidis, puta emulsione sem. melonum, cucumeris, portulacæ, endiuiæ. At si alui fluxio fit molestior, tunc trochisci de spodio sunt vsui. Verùm vbi manifestior est feb. decessio, tunc balneũ tepidissimum, vel etiam ad frigidum decliue maximè febricitãtibus ex salso phlegmate putri perquam vtile, & accommodatum esse consuecuit.

De febre sanguinea.

CAPVT XLV.

GAlenus arbitratus est non dari sanguineam febrem à putredine sanguinis; (quam opinionem etiam Alex. Aphrodiseus concoxit.) Nã sanguis, inquit, fœtul atque putredinem sensit, in bilem facessit, nec amplius sanguinis forma tegitur, regiturve, quare cholerica febris euadit, minimè cruentosa, sitque causon, vel continua tertiana. Verùm hæc opinio aduersatur Hipp. atque etiam veritati. Fallacia verò in eo consistit, tunc scilicet facessere, atque degenerare in bilem sanguinem, quando putrescit. Quæ sanè sententia bipartito intelligi potest, nempè putrescente sanguinem à putredine in choleram perinde deficere, atque lignum, vbi arsit, combustumque fuit, in cinerem conuertitur; vel sanguinem putrescentem, ipso scilicet putrescendi momento desciscere in bilem, ceu dicitur lignum in cinerem facessere, vbi flammatur, exuriturque. Vtraque thesis rationis calculo subducenda, & sedulò consideranda est. Si primo modo intelligatur, tribus modis erronea est; Primò, quia sanguine putrescente subtilior pars in choleram, crassior, terrestriorque in melancholiam degenerat, quare totus non facessit in choleram. Dein sanguinem post putredinem deficere in choleram, nos verò loquimur in ipso putrescendi actu; Postremò post sanguinem fieri choleram, atque adeo febr. cholericam euadere, & tamen latet, an in bile subsit putredo, nec ne, vnde feb. accendatur, siquidem plurima putrescunt, & tenue à crasso, terrenoque seiungitur, nec vtrobique putredo inuenitur, quoniam non est necesse, illud esse putridum, quod à putredine nascitur, nam plurima ex putredine producta cõstare videmus imputria. Quod si ex putrido ortum necessario esset putridum, vtique quod ex sanguine manet cinerulentum, sęculentumque produceret febrem melancholicam quartanam, & hinc absurdum hoc emergeret, quòd duarum feb. nempè tertianæ, & quartanæ implexus adesset, id quòd non obseruatur. Secundo autem loco positum erroneum est admodum, quoniam putredo est via ad corruptionem, & non nisi procedente tempore absoluitur, quamobrem sanguis putrescens non potest momento in choleram deficere, sed paulatim, & temporis progressu. Propterea dicendum, sanguinem præquè putredini subijci, atque cæteri humores in venis existentes, subiici, inquam, permanente sanguinis specie non secus, ac phlegma putredini opportunum est sub sua forma consistens, itaque putrescente sanguine haud continuò procreatur vtraque bilis, sed duntaxat post absolutam, consumatamque putredinem. Hinc colligitur, quàm verè locutus sit Hipp. quum ex sanguinis putredine febrem excitari dixit, cui nos assentiri par est, & palam fateri, ex putredine sanguinis febrem suscitari, & non modò ex putri, sed ex ardente, bullienteque sanguine feb. fieri, quas Hipp. synochas conclusas appellat. Vt plurimum verò ebullit, inferuescitque sanguis ex infarctu, obstructioneque caliditatem instrangulante, quamquam æstus ille, & incẽdium ex aliis etiam causis inoritur, quæ ualidiores, efficacioresque sunt, quàm quæ ephemeras pariunt, quare quod calfactum est, non est spiritus, sed sanguis, qui nondum putredinem contraxit, sed modò incaluit, propterea inter putridas febres censeri non debet. Et sanè synocha hæc imputris acuta est feb. non ephemera, non hectica, facilè tamen in hanc, aut in putrem febrem degenerat. Galenus verò hanc feb. inter diarias censet, cui uisum est, quòd neque cum reliquis febribus componatur, quoniam putredo cum sanguine est omni humori communis, qua in re sibi bonus Gal. repugnat, sed non est operæpretium sermonem protrahere, quoniam huiusmodi disputatio nihil cõfert Medico.

Sinochæ feb. causæ sunt repletio, oppilatio, quę plerumque eueniunt consueti exercitii intermissione, solemnis alicuius euacuationis suppressione,

vt

vt menſium, hæmorrhoidum: Nonnunquam laborioſa exercitatio cauſſas mouet internas, puta ſanguinis ichorem plurimum, ex cuius putredine talis inoritur febris, ichorem verò, & ſeroſas ſuperfluitates ingenerat crudorum, & aqueorũ fructuum vſus, quales ſunt cucumeres, pepones, pyra, & id genus alia, quæ ſanguinem ipſum putrefactioni diſponunt. Hæc feb. continenter, & vniformiter affligit propter materiæ ſimiles, continuaſque copias, quæ ſemper præſto ſunt vſque ad criſim, aut certè vſque ad acriſiam, & mortem.

Synochi autem tres ſtatuuntur ſpecies, peracmaſtica, adoriens quidem cũ difficultate, ſed paulatim decreſcens, quoniam maior eſt reſolutio, quàm putrefactio. Sequitur Homotona, quæ ſibi peræquè ſimilis permanet. Poſtremò ſequitur acmaſtica cæteris nequior, ac exitialior, in qua id, quod putreſcit vberius, copioſiuſque eſt, quàm id, quod digeritur, reſoluiturque, & vt plurimùm die ſeptima iudicatur tùm per ſpectabilem, tùm per inaſpectabilem euacuationem. Feb. hæc nonnunquam in cauſonem permutatur, in phrenitidem, in lethargum, in variolas, in morbillos, cui inflatio, extumeſcentiaque interdum, & profundus ſopor comes it, quæ ſanè extumeſcens inflatio non demittitur, detumeſcitve per ventris ſolutionem, æmula tympanitis; Vbi igitur ventris ſolutio nihil confert, egrediturque Aſaf, * viridis, lata, hoc eſt lethiferum ſignum, eſt autem aſaf, ſeu alhaſaf redundatio macularum, quæ in corporis habitum emerſerunt, pulicum morſibus ſimilium, & paulò etiam poſt delituerunt.

De ſignis febris ſanguineæ.

CAPVT XLVI.

SYnochi ſigna ſunt feb. continens, oris rubedo, oculorum, venarumque turgentia, temporumque extuberans repletio. Sudor non apparet, niſi proximè criſim, nares pruriunt, locaque, in quibus priùs affixæ fuerunt cucurbitulæ: Adeſt animæ difficultas, & anhelatio, ſomnus profundior ob multam vaporum copiam, & aliquando etiam ſermonis difficultas, auerſioque interuenit, & hoc in malis habetur, quòd pulmones, & internæ particulæ malè habeant. Similiter adeſt gutturis, vuæ, & glandularum inflammatio, plurimæ calidæ lachrymæ genas irrorant, quæ vnà cum calore hument inſtar aquæ balnei, non arent, non vellicãt, vt in cauſone. Pulſus magni ſunt, leues, vehementes, pleni, celeres, crebrique valde, non admodum tamen inæquales, certè multò minùs inæquales, & veloces, quàm in cauſone, quin neque caliditas tam acris, acutave eſt, quam in bilioſis. At verò ſanguinis tenuitas, aut craſſities ab excretis facilè dignoſcitur.

Cæterùm feb. ſynocha imputris à principio ſimillima videtur diariæ, cũ nec calor ſit adeò intolerabilis, neque ſubſint tam ſæua ſymptomata, vt propterea neque inflammationem, aut dyſpnœã pariat, licet propè cor ſanguis inferueat.

Synochus verò putris peræquè ſimilis eſt. Atqui ſigna permutationis petantur ab iis, quæ indicant ea, in quæ fit permutatio, vt præſocationis, inflammationis gutturis, amygdalarumque, item phrenitidis, & variolarum. Signa verò longitudinis ſunt tardæ coctiones, & diuerſa feb. diſpoſitio penes incrementum, aut decrementum, aut ſtatum, hinc enim ſanguis cruditatibus refertus arguitur. Futuram verò criſim ſignificant coctionis indicia, quæ ſi tertia, aut quarta die non appareant, ſeptima die criſis non accidit, quę interdum quarta die contingit, ſi primis diebus coctionis indicia ſe proferant.

De ſanguineæ feb. curatione.

CAPVT XLVII.

IN curanda febre ſanguinea primus ſcopus eſt mittendi plurimi ſanguinis vſque ad ſyncopen (cum vndequaque ſubſit ſanguinis vitium) dein incraſſandi, ſi ſanguis fuerit tenuis, & ſereus, cholericuſque, vel mundificandi, & attenuandi, ſi ſanguis fuerit craſſior, id quod conficere licet ex primitiuis cauſſis, nempè ex antecacta victus, uitæque ratione, quæ craſſum, uel tenuem ſanguinem progignere potuerit, non omiſſa refrigerationis ſedulitate; Poſtremò concoquendi, & euacuandi materiam. Nulla verò præſentior, aut præſtantior euacuatio eſt, quàm quæ per ſanguinis miſſionẽ fit, quacunque hora incidat, neque expectanda criſis, aut digeſtio in abſoluenda phlebotomia, niſi ſubſit nauſea, nimiave cruditas, tunc enim priùs cruditatem conficere oportet, & aluũ exonerare. Peracta prima uenæ ſectione, ſi feb. non remittitur, iteranda eſt uenæ ſectio, donec æger robuſtior ſe deficere perſentiſcat, leue enim animi deliquium totius corporis habitum refrigerat; Phlebotomia enim, & aquæ frigidæ potus in hac feb. ſunt duo ſumma præſidia, quæ ritè adhibita ſolent eſſe inſtar omnium.

Scire autem operæpretium eſt, ſatius eſſe ſanguinem per epicraſim mittere, quam ſemel, & aſſatim (ni aliter vrgens aliqua uehemẽtia ſuadeat.) Repetitam enim phlebotomiam aut apyrexia, aut alui fluxus, aut ſudoris emanatio ſequi conſueuit, quem continenter abſtergere cõuenit ita, vt abſterſio indeſinenter ſudori ſuccedat, is enim ſalutem afferre poteſt, & ſi uires præ languore fatiſcant, ægri tenui reficiantur alimonia, & quiete. Non ſunt autem blandiora lenientia omittenda, qualia ſunt caſſia fiſtularis, aereum mel, thamarindorum pulpa, & ſyr. roſ. ſol. Apparente verò concoctione uſui etiam erũt myrobalani cum ſumma, & caſſiæ fiſtulæ atramento.

Cęterum ſi præ uirium tenuitate non adeò tutum auxilium euadat ſanguinis miſſio è venis brachii, tunc eligenda uena, quæ intercurrit inter minimum, & annularem digitum, ſaluatella dicta, aut infernis partibus humidæ cucurbitulæ admoueantur, ſunt enim phlebotomiæ uicariæ, hinc enim minor ſpirituum diſſlatio ſuccedit. Quòd ſi nullatenus licet ſanguinem mittere ob impedimentum aliquod, tunc uberiùs ſoluẽda aluus eſt.

Refrigerantia verò ſint huiuſmodi, ut etiam aperiant, & incidant, & ebullitionem, æſtumque ſedent. Verùm ſi phlebotomiam ſequatur ſyncope, illicò panis offa omphacio imbuta offerenda eſt.

da est. Quòd si interim hæmorrhagia superueniat, nullo modo intercipiatur, solet enim febrem de medio tollere (ni viribus metuatur, quibus sẽper consulere oportet.)

Pro sanguinis verò crassamento promouendo instituuntur iuiubarum succus, lentes cum acerrimo aceto præparatæ, quibus non est vtendum sanguine crasso existente (imò ob dyspepsiã omnino mittendæ) Atqui refrigeratio cõparatur frigerantibus iusculis, aqua lactucæ, vel ipsa frigida aqua exhibita, (si nil vetuerit) in ea copia, quæ haurienti tremorem, & refrigerationẽ vehementem inducat, sic enim vbertim, & affatim ebibita feb. extinguit, aut certè in mitiorem, aut in phlegmaticam transmutat, quæ subinde trochiscis de rosis, & similibus curatur, quæ sanè curatio adhibita fuit antiquitus, & in præsentiarum quoque à nonnullis vsurpatur.

Tutissimè verò, & vtiliter ptisana hordei propinatur, quia aluum lenit, opportunèque datur vigente morbo, cum scilicet summus adest æstus, anxietia, inflammatio, cumque pulsus frequentissimè micant.

Neutiquam verò fas est omisso pharmaco, atque phlebotomia febr. extinctionem solo frigidæ aquæ hausu procurare, nam sic temere vsurpata oppilationem parit, & oppressionem, vnde & putredo, & feb. augentur inculcata, & cumulata intus materia. Expiatio verò, & inanitio fieri debet pro virium tolerantia, quemadmodum & digerentia adhibenda, prout exigit crudi humoris condicio, vnde fortè sanguinis putredo fieri, & foueri potest. Declinante verò febre dandi sunt trochisci de caphura, de spodio, & id genus alia. Cibentur verò ægri iuiubis, lentibus aceto conditis, granatis, &, si fortè anhelus sit æger, adijciatur aliquid mannæ, & prunorum, præterea vtatur cucurbitis cum succo limonum, citri, aurantiorum. Concedantur etiam fructus, vt mala punica, pyra crustumia, mala acidula, inter olera cucumis sanguinalis, endiuia, olus benedictum, acetosa, coriandrum, & similia; Symptomatum verò mitigationem non est cur repetamus. Nostra ætate sat sit dilutior ptisana, iuscula D. oxalidis, trifolij acetosi, oxysacchara, vinum punicorum malorum cum frigida.

De febre phlegmatica.

CAPVT XLVIII.

PVtredo phlegmatis interdum periodicam, interdum etiam continuam parit, cuius discriminis ratio patet. Huius febris principium durare solet vsque ad duodeuiginti dies, finis verò intra xl. aut lx. diem apparet. Illa cæteris salubrior est, quæ cum multo sudore ad apyrexiã peruenit, hinc enim corporis raritudo, materiæ tenuitas, atque paucitas arguitur.

Febris hæc augmentum reliquis partibus prolixius habere consueuit, tametsi remissio est tertiana declinatione longior. Phlegma autem, quod putrescit, modò vitreum est, modò acidum, modò dulce, modò salsum, ex quo fit æstuans febris.

Humidis autem obesis, & ociosis corporibus aduenire solet hęc febris, senibus, infantibus, eluonibus, qui se se à multi cibi ingurgitatione, exercitio dedunt, aut balneis committunt, his etiam, qui acidum eructant, repletis, rheumaticis, quibus ad stomachum pituita decumbit, vel putret, quare in tali feb. os stomachi semper laborat. Hoc verò fit catholicum in omni febre inchoante cum frigore pulsus contrahi, & paruos fieri excludendarum fuliginum, quibus natura opprimitur, potiùs, quàm frigerationis necessitate urgẽte.

De signis phlegmaticæ periodicæ.

CAPVT XLIX.

IN quotidiana febre à vitrea pituita, aut acida putrescente frigus est valde molestum, atque laboriosum, siquidem subitò non adoritur, sed paulatim extrema inoccupat, quæ sic euadunt frigida, vt cum niue comparari possint, quin neque subitò recalescunt, neque gradatim sine intermissione, imò lentissimè, & reciproco frigoris insultu horrori coniugato, frigus enim ex materia putredinis experte prouenit, horror ex participe. Conduplicantur autem horror, & frigus circa vigoris periodos, quandoquidem hæc materia pituitosa cum sit lenis, mitisque, putrescens non parit punctiles rigores. Aggreditur autem laborantem his stipata symptomatis, scilicet capitis grauitate, sopore ob vaporum sursum respirantium copiam. Et febre inchoante nullus percipitur rigor, nisi procedente morbo. Sæpè verò syncope comitatur, nam cum in hac febr. os stomachi in primis laboret, unde cibi appetentia deiecta est, & concoctiones perperam fiunt, quid mirum si in consensum ob viciniam cor trahatur, à stomacho enim tota naturalis œconomia pendet, & virium robur.

Febris verò salsi phlegmatis soboles anteambulonem habet horrorem, neque admodum molesto frigore stipatur. Quæ verò ex dulci phlegmate prouenit, raro, (nisi procedente morbo) à frigore, aut horrore præcurritur. Hoc febri frequẽs est, vt aggrediatur cum syncope, vt calor tangenti illicò lenior uideatur, qui paulò post increscat, ea verò ratio est, quoniam putredo primò inficit dulcem, salsam, & magis tenuem pituitæ portionem, dein aggreditur crassiorem, & frigidiorem, hinc fit, vt tactui primùm blandus, vapidusq; uehementer uideatur; morosiùs, & cunctantiùs tangenti se se acutulũ, & mordaculum offerat, atque inæquali, disparilique modo calor manũ ferit, quoniam hinc mitior emergit, illinc acrior quasi per cribrum effundatur, quod crassum, uiscidumque phlegma nõ æquè à calore subigitur, patiturque, sicut reliquis uiscidis accidit, dum ebulliunt, in bullas enim hic attollũtur, illic deprimuntur neutiquam inflata. Vtcumque tamen sit eius calidi tas tanta non est, vt inflammet, aut anhelum reddat patientem, & frigoris, aut aquæ egelidæ desiderium ingerat, hinc etiam neque molestiæ ferunt stragulas, & peristromata, neque difficulter spiritum ducunt. Quod si circa augmentum, aut uigorem aliquid molestiæ, & negotij facit, id una, aut altera hora perdurat, subinde mitescit.

In

In hac febre cutis semper rore madet propter humiditatis, & vapidæ substantiæ vbertatem, sed propter humoris craſſitiem, viſciditatemque exiguus ſudor emanat, nam de peculiaribus ſignis huius feb. eſt, vt ægri nullo, aut modiciſſimo perfundantur ſudore. Neque ſitis hic admodũ moleſta eſt, niſi feb. à ſalſa oriatur pituita, aut a vehementi, profundaque putredine. Quidquid tamen ſit, minus fatigat, quàm in alijs febribus. Hypocõdria verò hic tendi, inflarique conſueuerũt. Ad hæc viridi, flauoque pallore fœdantur huiuſmodi febre impliciti, adeò vt ex hac colorum confuſione liuens, ferrugineuſque color reſultet, qui neque vigente febre, (quod in alijs viſitur) mutatur in roſeum colorem, adeò tenaciter priſtinus hæret.

Pulſus verò ſunt parui debiles, contracti, in principio rari, ſub fine frequentes. Et ſanè paruitas, & frequentia pulſuum in quotidiana multo maior eſt, quàm in quartana, aut tertiana, accidit autem frequentia ob inſignem paruitatem, Quod autem ad celeritatem attinet, non ſunt velociores in quotidiana, quàm ſint in quartana febre pulſus, imò aliquando etiam tardiores ſunt, interim tamen mira inæqualitate laborant, ſine ordine, & rhithmo præſertim circa paruitatem, & debilitatem, & huiuſmodi pulſus certò ſolent ſignificare huiuſmodi febrem.

Quod ad vrinas ſpectat, albæ, tenueſque emeiuntur ob infarctuum obſtructionumque multitudinem, atque ob materiæ frigiditatem, ſubinde ob putredinem, alienumque calorem rubeſcunt, ob peruerſam digeſtionem conturbantur, ſummũ reciproca quadã viciſſitudine permutantur identidem. Siquidem putrida portione reſoluta remanet craſſior, terroſiorque, quæ nouas parit oppilationes, vnde albeſcunt vrinæ, ſubinde iterum aggregatum phlegma plurimum putreſcit, putridumque expellitur, expediunturque obſtructiones, vnde rubeum contrahunt colorem, qui tamdiù perdurat, quandiù nouæ generantur obſtructiones, nouique infarctus.

Cæterùm egeſtiones ſunt lenes, liquidæ, viſcidæ, pituitoſæ: Præterea, quòd feb. ſit phlegmatica, uel illud ſignificat manifeſto, paroxyſmus ſcilicet, uſque ad duodeuigeſimã horam productus, & ſex duntaxat horis remiſſus (neque enim perfectè ad apyrexiã peruenit tùm ob materiæ multitudinẽ, tùm ob craſſitiem, & viſciditatẽ.) Hanc eandem ſignificant ætas ſenilis, aut puerilis, conſuetudo, tempus, regio frigida, uictus ratio generandæ pituitæ accommodata, ſatietas præcedens, anorexia, aliquando etiam lienis tumor conſentiente ventriculo, ructuſque acidi multo ante tempore præeunt.

De ſignis feb. phlegmaticæ continuæ, quæ latica appellatur.

CAPVT L.

SIgna febris huius communia ſunt cum quotidiana interpoli. Hoc verò intereſt, quod quẽadmodum periodica ad apyrexiam peruenit, aut certè, ſi quid ſupereſt, ſenſus latet, ita perennis cõtinenter affligit (mitto nunc horrorem, frigus, rigorem, quæ ſunt periodicæ, & intermittentis feb. peculiaria, & veluti tecmiria) & propemodum hecticæ adſimilis videtur, quamquam & in periodica empyreuma, & neſcio quid occulti caloris remanet in interuallo.

At verò feb. quæ ſunt de genere phlegmaticarum, ſunt epiala, & lypiria, quæ ſanè febres eius ſunt naturæ, vt calor, & frigus vno eodemq; tempore intus, & in cute percipiantur, hocque vſu venit tùm ob loci, tùm ob materiæ, quæ putreſcit, quæque imputris remanet, diuerſitatem. Ad hæc tres aliæ febres proprio nomine cenſentur, quæ huc ſpectant, nempè ſyncopalis humoriſtica, ſyncopalis minuta, & diurna, nocturnaque febricula.

De febre epiala, in qua calor ſe ſe foras explicat, intus laceſſente frigore.

CAPVT LI.

FEbris epiala fit ex uitrea pituitate abditiſſimo loco repoſita, à qua continens particula refrigeratur, ubi uerò computruit, uapor hinc in habitum corporis diffuſus exteriora calfacit, refrigerante interim ea pituitæ portione, quæ putredinem minimè ſenſit.

Verùm quis dixerit, cur ante putredinem humor frigore naturam non laceſſiuit? hoc ferat reſponſum. Illud ideò contingere, quòd humor imputris in loco, quocum conſuerudinem contraxit, cuius gratia nulla fit paſſio, quieſcebat, ubi uerò putreſcere cæpit, tunc etiam moleſtus eſſe, & proritare cępit, hinc fit, ut excretrix eum excutiat, & ad inſueta loca propellat, quæ appulſu humoris noui frigoris iniuriam moleſtè ferunt, totum tamen corpus frigus minùs inoccupat, ſed nonnullas tantùm partes.

Præter hæc ſigna alia petuntur ab urinis, quæ ſunt crudæ, tenues, albæ multò magis, quàm in cæteris pituitoſis feb. Alia à pulſibus, qui ſunt rari, tardi. Quotidie uerò reddit cum epiſimaſia, uerùm ob ſubſtantiæ ſoliditatem, & craſſitiem promptè degenerat in quartanam, aut notham tertianam, eoq; magis, quoniam huiuſmodi humor exiguus in corpore aceruatur, neque profunda putrefactio naſcitur, qua cauſſa etiam rarò uiſitur febris hæc.

Cæterùm materiæ paucitas efficit, ut periodus ſeriùs accedat, nempè tertio, aut quarto quoque die, ut uideatur tertiana, aut quartana, ſed hoc nõ impedit, quin à putrefacto phlegmate proficiſcatur, & proin reuera dicenda eſt feb. pituitoſa, quoniam à putredine pituitæ oboritur, non quod quotidie repetat. Spatium uerò paroxyſmi eſt ab horis tribus uſque ad horas 24. ſed ſæpè ante illud ſpatium abſumitur ob putreſcentis materiæ exiguitatem.

De febre lypiria, in qua deliteſcente intus calore foris frigus percipitur.

CAPVT LII.

HÆc feb. licet inter phlegmaticas cenſeatur, plerumque tamen ex ualde craſſa bile progreditur. Quomodo igitur, dices, eſt phlegmatica? Eſt profectò ceu analogum quid, quoniam phleg-

phlegma intestinum, quando inflammatur, & putrescit, calfacit intrinsecùs locum, vnde cum minimum vaporis resoluatur, à quo corporis habitus incalescere consueuit, fit, vt fortis frigus percipiatur quodammodo, calor intus adurat. Huc accedit ipsius naturæ institutum, quæ eò ministros suos calorem, spiritum, sanguinemq; amandat, vbi fit defectus, quare cum accurrat vnà cum calore ad interiora, vbi phlegma putrescit, fit, vt exteriora rigescant proprio calore destituta, hocque præcipuè accidit, quando in exterioribus frigidæ crudæ, vitreæque pituitæ stabulantur, quæ cum alieni caloris vi subactæ imputres effundant vapores, qui paulò post à calore deferuntur, hinc fit, vt pristinæ naturæ restituti refrigescant, atque refrigerent perinde, atque vapor aquæ calfactæ, qui subinde calore destitutus iterum aquescit, quum igitur calor ab ijs seiungitur, iuxtà naturam sui parentis, à quo deriuantur, refrigerant corpus.

Quomodo verò ex cholera fiat lypiria, hinc discе. Pauca cholera crassior intus putret, vnde nil exhalatur, atque hoc interim spatio calor ad putredinis locum confugiens exteriora deserit frigida.

Lypiria ergo est nomen generis, & ab alterutra pendet origine, atque propria conditione solet esse hemitritæo diuturnior.

Sed quispiam possit argutari, quomodo est febr. si à corde in totum corpus non effunditur caliditas? scitum enim est, esse morbum vniuersalem, ad totumque pertinere. Responsum hic tale ferat. Effundi quidem debere calorem alienum è corde in reliquum corpus, (quemadmodum solis radij quaquauersùm emittuntur, ni obijciatur nubes) ni impedimentum aliquod intercedat, quod hanc emanationem caloris intercipiat, quod si interueniat, nihil impedire, quin feb. ratio subsit, dummodo cor alieno calore æstuet, qua ratione dicimus aquam frigidam, humidamque, quando proprias, & naturales retinet dispositiones, sic etiam definimus graue, quod deorsum tendit, ni adfuerit impedimentum aliquod. Sic propemodum in lypiria, effunditur quidem per venas, & arterias calor à corde in vniuersum corpus, sed in quibusdam locis ob impedimenta non admittitur, sed prohibetur, perinde, atque si niuem, aut pruinas superfuderis. Necessum autem est contrariam hanc affectionem actu adesse, vt obsit, & officiat.

De implexu epialæ, & lypiriæ.

CAPVT LIII.

SI fuerit huiusmodi feb. implexus, referenda caussa est in duplicis materiæ putrefactionem, & motum, quarum altera in exterioribus viget, in interioribus altera, & singulæ non admodum diffunduntur, sed suo clauduntur sepio. Verùm cum putrescere incipiunt, vnaquæque congenerem vaporem de se emittit, qui alterna caloris, & frigoris vicissitudine corpus afficit, vt retrò ediximus.

De febre syncopali humorosa.

CAPVT LIIII.

FEbris hæc vt plurimum accidit ex crudo, plurimoque phlegmate, quod elluuiei, & satietatis soboles est, quodque iam vires deijcit, quod sanè incommodum ab oris ventriculi debilitate augetur. Quando igitur putret, & mouetur humor, multò magis officit, & virtutis tenorem eneruat, & labantem reddit, cui onustæ adhuc, & graui sub pondere materiæ si pugnam aduersùs morbosas causssas indixeris, par esse nequit, si verò blandè materiam subtrahere studueris, aut renitentem materiam non euinces, aut certè mota, & excita virtutem præfocabit. Quod si validiore pharmaco euacuationem tentes, aut phlebotomo, virtus ferendo non est; Qui enim excitam ferre possit materiam, quæ residem, quietamque sine syncopes metu ferre nequibat? Nihilominus ægri vehementi opus habent euacuatione, pariterque vehementi virium instauratione, quoniam crudis, non alimentalibus succis abundant, vnde corpus congruenti alimonia destitutum deficit. Quòd si alere studueris, quantum viribus adiicitur, tantundem morbosa materia conduplicatur, si alimentum subtrahatur, virtus collabitur, & cor auræ cuiusdam frigidæ accessu refrigeratur, hinc syncope impendet, pulsus parui, tardi, rarique euadunt. Verùm natura eam materiam calfacere, & extenuare satagit, & putredo quasdam eius partes inoccupans idem præstat alieno calore, quare dum frigus à corde expungitur, calor inducitur noxius, hinc pulsus veloces præsertim in systole, & concitati multò magis, quàm cæteri, quamquam paruitas, raritas, & tarditas pulsuum præpollent.

Periodus autem est persimilis phlegmaticæ, adestque faciei inflatio, pallor, & malus corporis habitus, nimirum subtumida, pallensque habitudo, tametsi vnico stabilique colore suffusi non semper videntur ægri, modò enim cinereo, modò plumbeo, modò citrino, modò etiam atro colore tinguntur prout varia humoris fuerit dispositio, caloriscque reciprocatio.

Interdum his labia perinde nigrescunt, atque nigris moris vtentibus; Oculi offuscantur, virescunt, prominulique euadunt, dum ægritudo augetur, & æger peræquè se, ac synanchicus habet. Hypocondria distenta inflantur, pariterque viscera. Ægri quandoque nescio quid acidum euomunt. Interdum circa viscera apostemata succrescunt, & tunc omnino conclamatum est. Interdum prædominantis choleræ crassioris indicia se se proferunt, quòd viscera intus retorrida ardescant, quòd bilem vomitione reiiciant, nihilominus vt plurimum phlegmaticæ febr. periodi elucescunt.

De febre syncopali minuta.

CAPVT LV.

HÆc feb. est acuta, & illicet pulsum, & vires prosternit vno, aut altero paroxysmo, & celerrimè corpora laborantium resoluuntur, adeò vt virtus vsque ad quartam diem perdurare non valeat.

valeat. Pendet autem febr. hæc ex tenuissimis succis, quorum plurimi sunt vehementer bilioſi, tenues, & permeabiles, atque prauæ, & deleteriæ qualitatis participes, quibus putredo acceſſit in corporibus valde calidæ, ſiccæque temperationis, hinc fit, vt feb. hæc vt plurimum paroxyſmos habeat inſtar tertianarum.

De febribus diurna, & nocturna phlegmaticis.

CAPVT LVI.

Diurna febris eſt, cuius paroxyſmus accidit interdiu, & noctu tepeſcit; Nocturna à contrario ſe habet. Vtraque mala eſt, deterior autem, & prolixior eſt diurna, quæ ſæpè in hecticam cõmutatur tùm ob diei calorem, qui cooperatur, admoliturque ſiccitatem, tùm ob diuturnitatem; Quòd ſi feb. hæc praua non eſſet, non incideret, quo tempore corporis pori recluduntur, & vapidæ reſoluuntur ſubſtantiæ, incidit uerò, quòd plurima, quòd valens ſit materia; Hinc neceſſariò ægri noctu nutriuntur, qua cauſſa uigiliæ præcipiũtur, ne ſomnus ſuper ſtomachi repletionem incidat, propterea vires ampliùs collabuntur. Concurſus igitur cauſſarum nempè febr. perſeuerantia, calor diei, vigiliæ nocturnæ id agunt, ut hectica feb. translato è uenis in ſolidas particulas alieno calore minimo ſuccedat negotio. Quid plura? Febris hæc inter prauas, & difficiles cenſetur.

De febris phlegmaticæ curatione.

CAPVT LVII.

Diuerſa huius feb. inſtituitur curatio pro diuerſitate temporum, principij, incrementi, ſtatus, & declinationis, pro diuerſitate phlegmatis vitrei, acidi, ſalſi, aut dulcis, denique penes digeſtionis, aut cruditatis indicia. Omnes autem phlegmaticarum feb. ſpecies in tribus conueniunt inchoante feb. primò ut aluum blandè lenientia, ſubducentiaque, ut excitantia uomitum, ut attenuantia, incidentia, detergentia, & denique diuretica opportunè admittant. Exactis autem tribus diebus, poſtquam feb. inuaſit, materia attenuatur à febrili calore, quare non eſt quippiam mouendum ante triduum, nam ſi conatus fueris, in caſum laboraueris, quin oberis potiùs. Summè uerò conducit uictum in principio extenuare, ad euitanda plurima incommoda, quæ cruditates ſequi conſueuerunt, quòd ſi ſtatus ſperaretur propinquus, ſola ptiſana hordeacea tribus primis diebus ſatis eſſet, non item conduceret, ſi ſtatus longinquior, quamquam hic fames, & ſitis valde ſunt proficuæ, dummodo uires ſint ferendo, quia hinc cruditates conficiuntur, collineare autem oportet ad vires, & pro earum tenore ſic alimoniã inſtituere, vt modò primis diebus tenuem, modò craſſiuſculum adhibeas pro virium, & vigoris cõditione, prout retrò abundè dictum fuit. Tranſacta igitur ſeptima die, non eſt, cur tenui victu ampliùs vtaris, quoniam magnum viribus detrimentum accideret, & os ſtomachi infirmum redderetur; Hic tamen magis tenuis victus conuenit, quã in quartana, quare niſi debilitas vrgeat, aut adſit declinatio, non ſic temerè properandum ad carnes pulli, & ad panem iuſculo madidum.

Curatio autem, vt prædiximus, variè inſtituitur pro diſſimilitudine phlegmatis, ſiue ſit vitreũ, ſiue acidum, ſiue ſalſum, ſiue dulce, nam ex acida, vitreaque pituita feb. fit, qua corpus non admodum accenditur, ex reliquis pituitæ generibus febr. prognata corpus æſtu retorridum quadantenus reddit, quocirca & blanda alui lenitione opus eſt, atque etiam refrigeratione quadam. Verùm acidum, aut vitreum phlegma non niſi validiore educitur pharmaco, præterea in illis attenuantibus, & incidentibus temperatis vtimur, quæ licet media ſint inter calida, & frigida, ualde tamen aſſiccant, hic ſummè incidentibus, attenuantibus, & calfacientibus opus eſt, maximè ſi phlegma atræ bili commiſceatur, tunc enim uſui ſunt diacyminon, diaſulphur, ſalſa, & inter ea, quæ ab initio adhibentur, uſque ad vii. diem mel roſaceum ſimpl. acetumque mulſum cenſentur, quæ dilui poterunt aqua fœniculi, apij, & endiuiæ. Huc facit & ſyr. acetoſus, item hydromel cum D. hyſſopi, nam huius uſu fieri poteſt, ut leniatur aluus, quæ multò promptiùs ſoluetur uſu ſi. rub. perſicorum cõditorum, quos ſi in aqua volubilis madefeceris multò præſtantius efficies pharmacum, quibus etiam permiſcere licet, aut penidia, aut mannam, aut etiam fiſtularem caſſiam. Soluentia tamen in principio non debent frequenter uſurpari, maximè ſi vnà cum pituitate bilis conuerit, nam ita corrumpitur temperamẽtum. Sunt tamen quidã, qui ſingulis noctib. in principio exhibẽt turbith, aut pillulas maſtichinas bis in hebdomade. Turbith autẽ hoc pacto cõcinnant. ℞. Zinziberis, maſtiches ana ʒ.x. turbith in tenuiſſimum puluerem redacti ʒ.x. ſacchari opt. ad pondus omnium. Datur aureus unus cum iuſculo, quando aluus minimè officioſa eſt, nam ſi bis ſingulis diebus aluus reſpondeat, non eſt opus pharmaco. Ego uerò in primis coctionem obſeruo, antequam huiuſmodi ſoluentia pharmaca propinem, ſed horum uice in principio blandioribus utor, quæ leniunt duntaxat, non purgant trahendo ſingillatim.

Eſt ſanè per uices acta euacuatio neceſſaria, vt humorum prouentus imminuatur, & facilior ſequatur concoctio, qua ſeſe proferente uſurpanda ſunt diuretica. Neque ad leniendum alum probantur mihi pruna, aut thamarindi, & ſimilia, quæ ſtomachum frigore, & acore eneruant, & detrahunt duntaxat tenue. At ſi materia craſſior, frigidiorque fuerit, carthami medulla conuenienter vſurpari poteſt, & ſi materia pituitoſa choleræ nonnihil redoleat, commiſceatur ſyr. viol. ſol. aut violæ cond. aut trochiſci de viol. aut manna. In primis verò clyſteres probantur, qui componi poſſunt ex melle, ſale, oleo ſeſamino, & ſicle decoctione. Huc facit & uomitus, qui mirandum in modum prodeſſe conſueuit, qui promoueri poteſt ſyrupo acetoſo, infuſioneque rad. raphani, & ſanè in hac febr. nihil æquè confert ad tollendam etiam nauſeam, & anatropem, quæ ſi plurimùm infeſtauerit, ſemina raphani deuorata vnà cum frigida ad aureum vnum conducunt. Interim verò obſeruandum, ne quid nimis, nam ex crebro, &

prom-

promptissimo vomitu uentriculus debilitatur, os stomachi inflammatur, hocque multò minùs præstandum, si difficulter, & laboriosè sequatur. Si verò accedente paroxysmo accidat, non est coercendus, nisi modum excedat, & laborem pariat, tunc enim inhiberi debet exhibita mitua, & alijs ad stringentibus, vt syrupo de mentha. Et si hinc cap. dolor accedat, & faceſſat negotium, fiant cap. perfusiones ex decoctione chamæmelli, & extrema, manus, pedesq; in calidam aquam immergantur, crura strenuè vinciantur. Hic si opus sit aqua hordei, una incoquantur radiculæ fœniculi, aut apij, & acetum mulsum intermiſceatur, quod si aceſcat in stomacho, sufficiatur hydromel. Tutò autem cremor hordei conceditur, si inchoante febre, vrinæ coloratiores apparuerint, tunc enim vtile est mel aereum dare, & exactis duabus horis aquam hordei propinare.

In principio neque reſoluentes litus, neque perfusiones, aut attenuantes fotus tutò adhibentur, nam huiusmodi topica viſcera vuido tepore emolliunt, & humores fluxiles reddunt. At verò frigida aqua omnino est ableganda.

Quod verò ad uenæ sectionem spectat, si urina cum craſſitie etiam valde rubra fuerit, tũc venam tundere expedit, & festinanter ad syr. acetosum gradum facere.

Expiato corpore frictiones admodum prodeſſe consueuerunt, maximè si craſſum, uiscidumque fuerit phlegma, & frictiones fiant ex oleo aranearum retibus permixto. Cæterùm quanto magis ad augmentum proceditur, tantò magis os ventriculi læditur, proin huius curam gerere neceſſum est; offerantur igitur præmandenda mentha, masticheanysũ. Huc facit & vomitio raphani D. excitata. Interim cibus subtrahatur, & potus concinnetur cum melle roſaceo, & decoctioni admiſceantur roborantia, vtpotè mentha, masticheſœniculum. Talis verò hauſtus præcalidus, maximè in principio periodi, præterquam quòd uomitionẽ ciere poteſt, rigori reſiſtit, & frigori, atque etiam sitim extinguit.

Sæpè quidem euacuatio phlegmatis conceditur in principio, & crudi humoris, sed reuera melius est perfectam concoctionẽ præstolari. Vbi verò calore feb. moleſta esse incipit, huiusmodi trochiſci proficere consueuerunt. ℞. myrobal. citrinarum, aloes, ſucci eupatorij ana ʒ.v. croci, maſtiches ana ʒ.vj. formentur trochiſci, & singulis diebus dentur drachmę vnius pondere, noctu verò satis erit semidrach. Sed enim ubi digeſtio se se prodit, illicò promouenda est D. apij, fœniculi, ſchœnanthi, capillorum veneris. Quòd si conſtet, materiam esse ualde frigidam, non esſet abs re vti pipere, & uinum album, tenue, modicellum concedere. Huc etiam ſpectat hypocondriorum fotus, qui coctionibus cooperari ſolet, antequam autem præcordia foueas, conſiderare oportet feb. vim naturæ vires, & rigorem, nam si virtus fuerit valẽs, nec admodum uehemens feb. fotus, vnguenta, & ſimilia linimenta valde reſoluentia etiam cum frictione adhibenda, alioquin leuibus, & temperatis ol. hypocondria fouenda.

Tranſacto xiv. die magis attenuantia ſunt vſui, ſicut fœniculum, apium, & eorum ſemina, & anyſum. Nec minùs ammiſcere decet syr. acetatum vna cũ decoctione hyſſopi, & ſerpilli, quibus præmittere decet bolum ex trochiſcis de roſis, quibus nonnihil maſtiches, cyperi, abſynthii, thuris, & ſimilium sit adiectum ad conciliandum ſtomacho robur. Hoc tempore licet etiam vinum album tenue offerre, hoc enim innatum calidum roborat, vrinas, & ſudorem prouocat. Horum uſu si maniſeſtiùs se proferat concoctio, dandi ſunt trochiſci de abſynthio.

Verùm, dicet quiſpiam, si tranſacto principio uniuerſali, & inſtante paroxysmo frigus sit moleſtum. Quid opus est facto? Non est uerendũ potiſmata concinnare ex ſem. anyſi, apij, fœniculi, ozymi, caque identidem propinare, quin ualentiora, si opus fuerit, ſunt adhibenda. Aduersùs igitur uehementem rigorem hunc potum concinnabis. ℞. origani, zinziberis, ammeos ana ʒ. iij. coriandrorum ʒ.iiij. roſarum, calamenthi ana ʒ. iij. paſſul, ʒ.vij. F. D. S. A. Doſis ℥. iij.

Verùm enim uerò cum perfectam obſeruaueris digeſtionem, euacuationem ualidioribus pharmacis moliri oportet, & uomitionem etiamnum efficaciùs proritabis. Quod si coniectura aſſequaris frigidius ſubeſſe phlegma, ne dubites propinare ipſam theriacam, & trochiſcos idẽtidem repetere, trochiſcos inquam de roſis compoſitos cum ſucco fœniculi, ne dubites ſingulis noctibus nonnihil turpethi exhibere, aut pillulas aloeticas adiectis aromat. ſpeciebus ueluti pipere. Eòdem ſpectat hæc præſcriptio. ℞. hierę ʒ.vij. turbith ʒ.x. myrab. nigrarum ʒ.v. eupatorij ʒ.v. ſalis indi ʒ.ii.* Bedeoart. j. ſpinæ albæ, ſuchaha * ana ʒ.iiij. Decoquãtur ex apij aqua, & quantum fuerit neceſſariũ hauriatur. Præſcriptæ potioni prępollent ſequẽtes trochiſci. ℞. rad. apij, fœniculi, liquiritiæ ana ʒ.x. hieræ ʒ.viij. ſucci eupatorij ʒ.v. ſem. apij, fœniculi an. ʒ.ij. ſpicæ, menthæ ana ʒ.vij. m. f. trochiſci, & pro tempore dentur. Aliud efficax apozema. ℞. rad. apij, fœniculi ʒ.x. paſſul. enucleatarum ʒ.vij. anyſi, maſtiches ana ʒ.ij. Bedeoard.* ſuchaha,* eupatorij ana ʒ.iiij. bulliant in ℔.iij. aquæ, donec redeant ad unã. Trochiſci boni in chronicis febribus, & in uehementi rigore. ℞. hieræ, ſucci eupathorij, abſynthii ſuchaha Bedeoard ana ʒ.v. ſem. anyſi, fœniculi, apii ana ʒ.iii. ſalis naphtici ʒ. iiii. ſem. cuſcutæ myrob. kebulæ rum ana ʒ.x. agarici ʒ.xv. trochiſcorum de roſis ʒ.xx. turbith ʒ.xxx. fiant ex eis trochiſci ſolutiui. Multa verò huiusmodi conflari poſſunt, quæ uolens, libenſque mitto. * Agaricus verò est præſidium, quod ritè, & continuè adhibitum à ʒ.j. ad ſcript. iiii. in longum protrahi non ſinit. Puluis ſeminum urticæ poſt digeſtionem cum melle ſumptus est mirabilis. Verùm si quis pillulis maluerit corpus expiare, iis addat ob iecoris imbecillitatẽ ſemen cuſcutæ, ob ſtomachi infirmitatem maſtichen, & anyſum, ob lienem verò rad. capparum, & ſcolopendrium, ſæpè enim lienis tumor comitatur hanc febrem, unde etiam adhibere oportet & cyperum, & grana been, & ſenugręcum, quamquã, dum hæc calida uſurpantur, ad febrem ſemper reſpicere oportet, ne plus iuſto ſanguis incaleſcat, & uiſcera torreantur. Itaque in ſtatu perfecta iã cõ-

coctione ualidiore pharmaco opus est, uel prædictorum augenda dosis est, maximè turpethi, & clysteria ualentiora injcienda sunt.

Cibi verò tali febre laborantium sint attenuãtes, sicut acetum, & ol. admixto salsamenti genere, robustiores autem alimoniæ sunt perdices, pulli, palumbes, auiculæ, & id genus alia.

Accedente febr. vigore augendus attenuantium vsus, atque incidentium, proin acre acetum, synapi, almuri, seu salsamentum sunt vsui, quòd si phlegma fuerit acidum, viscidum, iusculum cicerum decoctionis porri conditum cymino, anetho, & oleo valde confert, atqui animaduertere oportet, olea frigida, & humectantia esse noxia. Quòd verò ad tempus nutriendi, eligenda est hora summæ remissionis, si non intermittat omnino, & quę aduentantem paroxysmum quatuor saltem horis antecedat. Quod verò ad somnum attinet, ille æqualis esse debet vigiliis, vt æquè concoctio, & digestio resolutione fiat.

De balneo non est hic, cur pluribus agam, nam in hac febre, nisi post declinationem, solet esse noxium. De vomitu alibi actum, si nimius sit, compescatur diacydonite, succo punicorum malorũ, syrupo menthaceo. Item si ventris fluxus excedat, constringentis alimoniæ, vtpote ueteris gallinæ iusculo decoctionis verbasci, & medicaminum eadem facultate præditorum vsu supprimatur. Stomachi uerò infirmitati consulitur assati pulli vsu, aromatum suffitu, odoratorumque thymiasi.

Quòd si præ morbi diuturnitate facies, extremaque tumescant, vt cachexiam præseferant, tunc vsui sunt, quæ viscera ab infarctu expediunt, quæ calorem innatum suscitant, quæ corroborant.

Quod verò ad frictiones, hæ maximè conueniunt, & tali modo adhibendæ. Incipiendum est ab humeris, & inguinibus, quando caliditas feb. in manus, & pedes effunditur, quòd si patiens nescio quid lassitudini simile persenserit, tunc dorsum etiam perfricetur, donec egregiè incaluerit, quo tempore cum oleo etiam perfici potest frictio, donec is calor excitetur, qui sit parti cõueniens, tùm aliò conuertendæ frictiones. Inter olea verò congruentia est ol. dulce minimè stypticum, anethinum, chamomællinũ, expedit enim, vt post siccam frictionem sequatur frictio cum oleo. Olea verò, quæ imbecillem stomachum roborant, sunt chamomællinum, nardinum, spicatum. Quòd si quis malit emplastrum, fiat ex chamomello decocto cum mastiche in vino duplici melle adiecto. Deiectæ verò ciborum appetentiæ prospiciẽdum non mero vino, sed medicato cum absynthio, chamæmello, sysimbrio.

De pituitosæ febris continuæ laticæ curatione.

CAPVT LVIII.

Similiter curatio quotidianæ continuæ, atque periodicæ perficitur, hoc tantum differt, quod in illa adhibere necessum est attenuantia, temperatè calida, & syr. acetosus, oxymeli, rhodomel, aqua fęniculi, apij, aut D. duarum radicum diluta satis erunt. Pariterque tutò adhibetur D. anethi, chamæmelli, & capparum, potissimùm digestione apparente. In cibi verò exhibitione obseruanda temporum diuersitas, & virtutis dispositio. Non est autem, cur pharmaca ad censum adducamus.

De epialæ, & lypiriæ febris curatione.

CAPVT LIX.

Hæ febres peræquè curantur, ac priores. Pro in propinanda propotismata attenuantis, & incidentis naturæ, quæ coctionem promoueant, subinde ad euacuantia gradus faciendus erit. Interim lenientia, & vomitum cientia, & stomachum roborantia, quæ in singulis pituitosis feb. conueniunt, non sunt omittenda.

De febris syncopalis humoristicæ curatione.

CAPVT LX.

Hæc feb. difficulter curatur, quid quid tamen moliri licet, hoc gradatim, serióque faciendum, siue alliotica sint propinanda, siue euacuantia exhibenda. Quare si aluus inofficiosa subsistat, mitiori quopiã pharmaco, aut eccoprotico prorrtanda, aut blandissimo clysmo diluenda, qui, quod intestinis, & primis ductibus præsẽtissimũ est, detrahat sine labore: Extenuare autem adhibitis frictionibus oportet. Et Galenus meritò sanè dixit, multos pharmacis exinanitos deficere, solas autem frictiones profuisse, quæ hoc pacto peragendæ sunt, ut primò tibiæ, & femora asperiore sudario, aut mappa cutem uellicante supernè deorsum trahantur, subinde brachia, & humeri perfricentur, postremũ scapulas, & dorsum aggrediatur supernè deorsum sẽper trahendo, atque sic studiosè artus uniuersos affricet, donec cutis incãduerit, desinat autem frictio in femora, & crura. Quid plura? Vniuersa feb. huius curatio perficiatur cùm frictionum recto vsu, tùm somno, & quiete, sic enim cruditates conficiuntur.

Oportet autem in hac febre attenuare quidẽ, sed non admodum calfacere', quamobrem mulsa cum infusione hyssopi, & fœniculi pro matutino syrupo erit vsui. Quòd si feb. hæc immodico alui fluxu stipetur, hydromel accuratissimæ decoctionis propinandum, sic enim fiet, ut aluus salubri modo profluat. Acetum quoque mulsum conferre consueuit ætate quidem cum frigida, si aliena non sit consuetudo, hyeme uerò cum calida, quæ omniquaque curat. Quòd si sitis negotium facessat, syr. acetosus mellinus, aut etiam uinum dilutissimum, si feb. paulò fuerit uehementior, concedi debet, maximè si æger fuerit ætate prouectior, neque enim admodum ualidæ uisuntur huiusce modi febr. præcipuè in senibus. Vt vt autem sit, uinum modicellum à pastu ægris est concedendum, siquidem ad uires in hac feb. semper collineare pulsuum tenorem considerando oportet, nam si collabi incipiant, tunc ægri buccella panis lymphato uino intincta refici debent, dummodo nulla sit phlegmones in visceribus suspicio, quæ si existat, ut conclamatum est, ita uinum subtrahi debet. Et sanè hoc pacto ægros refouere dũtaxat oportet, vbi syncope impendet uehementior, & recreatis subinde frictiones adhibere. Cibus autem, à cuius ingestu dormiendum est, dilutior est ptisana, nec quicquam aliud robustius addijciendum,

dum, ni uiribus metuamus, tunc enim licet aliquid valentius porrigere, vt mulsam, & panem in iulapio infusum.

Hic autem balneum nulli est vsui, imò noxium esse solet, siue calidum, siue frigidum existat, calidum enim fluxiones ciere potest ad pulmonem, ad cor, ad cerebrum, frigidum verò digestionem præpedit, & obstructiones conduplicat. Quòd si vnà cum pituitate subsit bilis, quæ ad stomachum impetum faciat, vomitio facillima excitanda, hæc enim proderit, & sanè, vt prosit, consentaneū est.

De febris syncopalis minutæ curatoine.

CAPVT LXI.

NE perenni tenuium humorum, & spirituum dissipatione vires penitus deficiāt, pectus aq. rosarum addito santalorum puluere allinendum est, cibis interim modicissimis, quales exiguæ vires ferre possunt, sed identidem exhibitis reficiendi sunt ægri. Cibus autem sit panis similagineus granatorum succo intinctus, aut alijs adstringentibus imbutus succis. Verùm si virtus robustiorem alimoniam requirat, pulli aceto, atque omphacio conditi offerantur ex embammate; scitamenta enim hæc facilè conficiuntur, & nullū stomacho laborem afferunt, quibus addere licet aliquid ex frigidis oleribus, & coriandris. Nocturnæ verò, diurnæque febres curantur peræquè, vt reliquæ, quare non est, quòd actum agam.

De quartana periodica.

CAPVT LXII.

RArò quartana continua visitur, sæpè periodica (quod minima sit ad reliquos humores melancholia.) Quartanæ verò causæ sunt ea vniuersa, quæ melancholiam procreant, eamque putredini opportunam reddunt. Porrò quædam melancholia est naturalis, & sanguinis fæx dicitur, alia præter naturam ab humorum exustione prognata, quæ propriè atra-bilis nuncupatur, quā obrem alia sanguinea est, quædam pituitosa, alia biliosa, quædam etiam ab ipsa adusta melancholia oboritur. Non defuerunt, qui existimarint ex naturali melancholia quartanam fieri non posse, quòd ipsa non putrescat, quum sit frigida, & sicca, atque adeò vtraque qualitate putredini obnitatur, sed quam benè de hac ipsa re sentiant, nō est, cur pluribus disputem, scitum enim illud est, humidum quodque loco calido, & humido conclusum, nisi diffletur, putrescere, non est tamen dubium, vnum humorem altero magis esse putredini obnoxium, puta phlegma, quàm sit atra-bilis.

Vt plurimum verò quartana diuersas ægritudines, & alias febr. excipit, quæ diutiùs protractæ fuerint, vnde varia recrementa succrescunt, quæ per adustionem in atram bilem degenerant, quare cum non fuerint foras exacta, & propulsa reliquum est, vt putrefacta quartanam ingenerent. Sæpè etiā malè habito lieni duro, cui defecandi sanguinis incumbit officium, tumidoque succedit quartana, quæ peruicax esse consueuit, quòd per synathrismum quotidie augetur excrementū melancholicum, illa verò salubrior est, quæ nullo lienis affectu, aut apostemate stipatur, quæ enim à splenis apostemate enascitur, aut certe conitugata est, frequēs ad hydropem, atque etiam ad perniciem deducit, malè enim affecto liene iecur in cōsensum protrahi consueuit, hinc hæmatosi vitiata frigida succrescunt recrementa, quæ hydropem, & sethumque pariunt. Simplex verò, puraque quartana solet à multis melancholicis ægritudinibus liberare, vtpote melancholia morbo, epilepsia, spasmo; & sanè febris hæc caret periculo, ni contingat error, neque annum excedit, nonnunquam tamen visa est, quæ duodecimum annum excesserit, atque etiā eò ampliùs. Porrò longissima quartana frequēns hydropem accersit, hinc enim tota naturalis œconomia peruertitur, cum acidū naturæ infestissimum sit teste Hipp. Nec minùs quartana laborantibus autumnus noxius est ob melancholię prouentum, singula enim anni tempora congenerem succum in nobis procreant, prout à temperamento illa recesserint, proin autumnus frigidum, siccumque humorem parit.

De signis quartanæ febris.

CAPVT LXIII.

QVartana ab initio adoritur cum frigore exiguo, quod subinde inolescit, accedente statu minuitur. Calor non est admodum vehemens, maior tamen, quàm sit in quotidiana, quæ modicum contrahit calorem, veluti viridis ligni moles, calor item non æquè totum corporis habitum inoccupat, imò adest calor cum quodam horrore, & grauitate, cuius rei causam in humoris crassitiem reijcio, & cum frigore subest nonnihil ostocopi doloris, quasi ossa contundentis: Insuper adest concussio, & commotio tanta, vt dentes strideant, sed non veluti in pituitosa, hinc fit, vt ad visus debilitatem ægri ipsi deueniant, atqui propè vigorem se se proferente concoctione visus claritas restituitur, rependiturque ad pristinum naturæ statum. Signa quartanæ etiam ex antecedentibus petuntur, vt febr. prægressis chronicis, splenis duritie, & tumore. Inter causas dispositiuas censetur melancholica complexio, ætas consistens, autumnale tempus, inter primitiuas verò, externasque cibi crassum humorem generantes, animi pathemata, tristitia, mœror.

Quartanæ periodus est xxiiij. horarum. Et quē admodum æstate tertianæ populariter uagantur, ita quartanæ autumno, & hyeme.

Sæpè uerò fit, ut diuersæ febres perducant ad permixtas febres, in quibus non est ordo, nec typus, propter diuersitatem restitātis humoris post febr. quare si multiplicatur melancholicum recrementum, tunc erronea feb. illa definit in quartanam, quæ sanè si ex adusto phlegmate fiat, longissimas habet periodos, & hæc quotidianæ succedere consueuit, in qua sudor serò erumpit, urina crassior emeitur, arteriæ non admodum obduruere. Quæ uerò ab adusto sanguine gignitur quartana, signis stipatur affluentis sanguinis, & sanguineæ febr. utina rubente, crassa, cui attestatur forma, ideſt habitus corporis, ætas, tempus. Quartana uerò à cholera rubra perusta arguitur ex pulsus uehementia, uelocitate, frequentia,

ex horrore, & carnis contritione, ex siti, ex sudore, ex ira, furore, ardore, quam ætas florida, tempus æstuosum, præcedens biliosa feb. abundè testantur.

Cæterùm pulsus in quartanis propter humoris siccitatem ad duritiem nonnihil deuergunt, quin introrsùm ita contrahuntur, vt videantur conuulsi, qua causa etiam accedente maximè recrementi crassitie inæqualiter micant. Raritas autem pulsuum est huiusce febr. tecmirion. Sæpè verò diastole, vt diximus, inæqualiter mouetur, & systole concitata, veloxque apparet, à contrario in tertiana obseruatur, quidquid tamen sit, pulsus quartana meliores sunt penes paruitatem, & frequentiam pulsibus quotidiana febre laborantium, penes tamen tarditatem conueniunt. Ingruente paroxysmo tarditas, raritasque pulsuum magis elucescunt, & diuersitas visitur maior, quàm in cæteris, procedente tamen feb. pulsus veloces, frequentesque euadunt.

Vrinæ verò crudiores apparent ob materiæ frigiditatem, & crassitiem hocque in principijs, appellente tamen vigore concoctiores uisuntur. Verùm varijs tinguntur coloribus pro adusti humoris, & in atram bilem mutati varietate. Inter cætera signa, quæ digestionem humoris præmonstrãt, sunt leniti, remissique rigores. Sudor autè in quartanis plurimus effunditur ob ichorum, & serositatum affluentiam ad pituitosam febrem collatione, nec sitis admodum fatigat, ni adustę bilis soboles sit quartana.

De curatione quartanæ.

CAPVT LXIIII.

NOn sic temerè aggredi oportet quartanæ curationem, sed diligenter priùs inspecta causa, scilicet an atra bilis ab adustione phlegmatis, an bilis, an sanguinis, an ipsiusmet melancholici humoris proficiscatur, & pro diuersitate causæ instituenda curatio, sic enim fiet, vt hac præcognitione habita, vnicuique causæ præsidia ex arte, & conuenienter accommodari possint. Vniuersæ tamen in hoc conueniunt, vt euacuandi, & minuendi in principio indicationem præbeant. Quare animaduertere oportet, an sanguis dominetur, præsertim, quando adest sanguinea melancholia, quam si propria indicia prænonstrent, sanguinem mittere expedit, prout vlus postulauerit, & vires dederint, nam si affluens fuerit sanguis, isque crassus, fæculentusq; omnino melancholicus, plurimum sanguinis educere operæpretium est. Vbi verò phlebotomia non est necessaria, si adhibeatur, vehementer officit, quâ debilitat tenus, quâ humorem tenus educit, cuius præsentia atrabilis temperata mitescebat ad pensum contrariæ qualitatis, est enim frigida ficca.

Et tandem prout phlebotomia humores ciendo ad exteriora euocat. In principio aliquid morbifici humoris educi potest, pharmaco ad leuãdã naturam, non ad extirpandã grauiore cathartico materiam, hoc enim duntaxat perfecta iã concoctione vsurpare licet. Dari autem lenientia debẽt die paroxysmum antecedente, sed caue, ne restitãtem, rebellemque humorem graui pharmaco irrites; at blandissima adhibe, & si potiones reformidas, leuibus utere clysmis, non fortibus, qui dum morbus consistit, solummodò sunt vsui. Quod si quis temerè à principio melanagogon nonnunquam propinarit, & ex voto res successerit, ex errore potiùs, quàm ex arte contigisse putato.

Die verò paroxysmi nihil alimoniæ præbendũ, sed ieiunium iniungendum, & omnino frigidæ potu interdicendum, ne magis, magisque compingatur crassissimus humor. Reliquis diebus ægri pullis, perdicibusque vesci possunt. Atqui digerentia propotismata diebus intermedijs propinantur, ceu mel rosaceum simplex vnà cum syr. de pomis iusculo dilutum.

Cæterùm vbi melancholia biliosa est, ad leniendam aluum myrobalani citrinæ, & violæ adhiberi debent. Quod si phlegmatica fuerit, aluus soluẽda est pharmaco, cui vis turpethi commixta sit. Quòd si melancholica atra-bilis fuerit, illa administrentur, quæ melancholiam potissimùm respiciunt, polypodium, epithymus, senna, & similia. Serum autem destillatum est peropportuna materia tùm infusioni, tùm excipiendæ pharmacorum substantiæ in omni melancholico affectu. Et sanè ubi calet impendiò iecur, solùm serum offerre conuenit. Rhodomel quidem, atque eius aqua à longa decoctione percolata instar seri esse solet, quãdo maximè subest aliqua stomachi debilitas, aut humor quidam frigidus exuberat, exorbitatque. Quid verò? Nihil æquè confert, atque vomitio ante paroxysmum excitata, maximè si pituitosa fuerit atra-bilis, & stomachus viscidis, frigidisque excrementis redundauerit, solet etiam reliquis chronicis febribus præsto esse opportunè proritata.

Interim purgantia ableganda prorsus, donec perfecta, consummataque concoctio apparuerit, quo tempore adhibenda sunt, sed quæ nec admodum calfaciant, neque uehementer afficient. Ad hæc neque crebra alui solutione corpus infirmandum, neque ab initio tenuis uictus ratio præscribenda, quæ priùs vires collabi sinat, quàm morbus consistat.

Scire autem decet, quòd quando æstuante cœlo aggreditur quartana, in primis aquam hordeaceam, & syrupum acetatum tribus, aut quatuor horis ab antecedente periodo propinare ad expedienda meatuum obturamenta operæpretium est, vt absumatur celeriùs. Vbi verò rigente cœlo quartana adoritur, blandissimam curationem inire oportet; ne præ cœli inclementia, & humoris contumacia malum asperetur.

Quid autem circa alimoniam tibi videtur? Profectò, si febrem spectes, cibi euchymi, eupepti, frigerantes, humectantesque desiderantur, pariterque si morbificam spectes materiam, quatenus melancholiæ siccitatem contemperant, sed quâ digestionem tenus refrigerando remorantur, temperandus eorum usus admissis, ammixtisque calfacientibus. Verùm vt frigida humida admittuntur, ita prorsus ablegantur frigida ficca. Sed ea conditione tamen illa admittuntur, ne impensè refrigerent, vt lactuca, ne affluentiùs

proli-

proliciant serositates, atque adeò sanguinem crassiorem relinquant, vt dulces melones, ne putredini opportuna sint, vt persica. Quæ sanè summo studio obseruari debent. Quidquid sit, vuidi, humectantesque impendiò cibi, temperatèque calfacientes mirandum in modum conferre possunt, potissimùm si humorum concoctio non sit promouenda refrigerantium vsurpatione, qualia in ea quartanæ specie, quæ ab adusta bile prognata est, desiderantur. Salsamenta autem, & huius farinæ scitamenta, quæ exacuunt, & incidunt, non fuerint absre, si augendæ caliditatis suspicio absuerit. Certè declinante febre tutò adhiberi possunt, quemadmodum trochisci de absynthio.

Nihil verò æquè conducit, atque semicupium, siue tepentis aquæ balneum quotidie ante cibum adhibitũ, ita verò morari decet in balneo, vt æger humectetur quidem, sed non sudet, neque calescat, ad hæc animũ delitijs delinitum semper contineat, quietem habeat corporis, animique, turbidos declinet motus. Hoc est catholicum, vt quartanæ omnes à quacunque tandem causa fiant, humectantibus gaudeant, sed refrigerationis, aut calfactionis vsus non idem est, & si forte aliquando assiccantibus vtimur, hoc per accidens est, vt nimirum abstergamus, & incidamus, non vt resiccemus. In primis verò stomachi curam gerere oportet roborando, & confirmando, nec minùs hepatis, & lienis, ne duritiem, aut apostemata contrahant. Quod si ad ventriculi leuamen meditaris vomitum decoctione sem. raphani ammixto syrupo acetoso eum prorita, qui sanè facilius sequetur, si æger aut atriplice, aut salitis piscibus, aut synapi priùs fuerit vsus. Sed qua die opportunior est vomitio? Dices. Apprehensionis die mirandum in modum confert, siquidem rigorem, frigus, & feb. acutiem mitigat. Hac verò lege se vomitioni præparet æger. Ab vsu alliorum, & mellis abundè hauriat oxymel, & subinde sese repleat, postremò plurimam tepentem lympham hauriat, & euomat. Absumpta accessione frugaliter cœnet, mane balneum ingrediatur. Quod si ante accessionem horis quinque cibum sumat, vt euomat, profuerit, licèt uniuersam a limoniã non reijciat, siquidem vomitus quicunque ante paroxysmum, aut alleuat, aut exterminat febrem. Illa verò optima victus ratio erit, quæ inediã die paroxysmi iniungit, & non nisi absente febre ægrum nutrit; Postridie, vt ediximus, æger balneo destinetur, (si modo humorum concoctio præluceat,) & tepente aqua ad lubentiam, & delectationem perfundatur, ita tamen, vt hinc sola humectatio corpori comparetur, neutiquam humores cieantur, & concitentur.

Cæterùm si quartana ab adusto sanguine proficiscatur, tũc sanguinem è basylica mittere proderit, & reliquum à quisquilijs, & terrestribus impuramentis leniter expiare myrobalanis kebulis, polypodio, fumaria, senna. Talis verò quartana vt citò concoctionem suscipit, ita breui enatur.

Quòd si bilioſæ melancholiæ soboles sit quartana, cùm humectantia, tùm refrigerantia valentiora vsurpanda sunt tam in alimentis, quàm in medicamentis, & balnea in eundem vsum dirigẽda sunt. Interim aluus leniri potetit syr. ros. aut viol. laxatiuo diluto cum sero depurato, in quo nõnihil polypodij, aut epithymi ebullierit. Quòd si æger bolos prætulerit, fistularis cassiæ atramentum in bolos coactum exhibe. Huiusmodi verò quartana transacta vigesima die solui consueuit, si quam mox appareant concoctionis indicia. Quòd si producatur, paulatim ad attenuantia, & incidentia progrediendum est. Si verò extrinsecùs admotis stomacho robur conciliare studueris, atque temperamentum, sufficiant mediocria, qualia sunt chamæmellum, melilotus, absynthiũ, & id genus alia. Ieiunium autem in hac quartanę specie vel in die paroxysmi non admodum conducit, quod succos ampliùs acuat, quare licet nonnihil alimoniæ concedere. Inter mundificantia, & repurgantia sanguinem à fœce censentur myrobalani, epithymus, senna, viola decocta ex aqua, & exhibita cum syrupo acetoso. Atqui ad ciendum vomitum die paroxysmi Asar in potu datur.

Verùm si phlegmatica melãcholia quartanam pepererit, quid opus est facto? Ad parandam materiam rhodomel aq. fœniculi, aut apij dilutum conuenit. Ad ciendam verò aluum lenientibus vis turpethi, & polypodij commisceatur, & procedente morbo gradus ad agaricum fiat. Hic maximè confert vomitio oxymelite, & decoctione sem. raphani proritata. Admota verò stomacho fortia sint, vtpote ol. nardinum, spiceum, costinum. Nec fortè absre foret in hac quartanæ specie vomitum excitare cum syr. acetoso, in quo nonnihil albi ellebori infusum sit, imò aliquando est necessarium, albi ellebori fibras raphano infigere, infixas per noctem relinquere, mane detractis fibris raphanum ægro præbere deuorandum, quin ipsa ellebori nigri substantia vtiliter interdum datur, ni viribus metuatur.

Quòd si quartana à melancholica atra bile suborta ægrum infestauerit, quæ adhibenda methodus? Aluus in primis melle viol. laxatiuo, & el. lenit. subducatur, humor melle viol. simplici, digeratur, & syr. de pomis simplici, de lupulis, de fumaria, tum educatur decoctione myrobal. citrearum & nigrarum, & fumariæ, & passularum. Vbi verò digesta penitus est materia, e basylica sanguis mittendus, (tunc enim cruditates minùs impediunt, nec detracto sanguine digestio retardatur), & ab assumpto alimento validiore vomitorio prouocanda vomitio, aut certè mitiori, prout vsus postulauerit, oportet autem identidem vomitione uti, quoniam radicitus hinc euellitur materia, & multò promptiùs, quàm pharmacis deuoratis, aut iniectis fortibus clysteribus. Medicamina verò, quæ sunt vsui, hæc censentur, nempè epithymus, polypodium, agaricus, stœchas, lapis Armenus, lapis lazuli abluti, & succus fol. pentaphylli cum syr. mellino. Ad hæc elleborus niger. In cholerica verò sufficit senna, fumus terræ, epithymus, & pro digestione syr. acetosus cum syr. de pomis. Euacuatione totius corporis peracta antidoti magnæ conueniunt ad promouendam, roborandamque naturam, maximè in phlegmatica, & melancholica

quartana, vt theriaca, mithridatium, & medicamen de assa odorata, & sulphur, & piper, & cætera id genus, vt synapismus, quem mustardam vulgo appellant, quæ sanè anthidoti alternis diebus administrari debent, similiter Diapipereon. Non sunt autem huiusmodi ante coctionem exhibenda, nam ex simplici duplicem, atque etiam, si dijs placet, triplicem quartanam efficies, aliaq; multa accersis incommoda, maximè hyeme. Decedente verò quartana, si necesse fuerit sanguinem mittere, aut obstructorum viscerum, aut minuendi gratia sanguinis, ne dubites, plurimi enim testante Gal. sic sanantur. Absoluta digestione dãdum est pharmacum purgans, à quo absynthii succus propinandus ad stomachi firmitatem, postremò theriacam dare operæpretium est. Ego verò affirmare ausim, summis viribus pollere odoriferam assam, atque piper. Hoc autem tempore salsamenta, & quæ attenuandi, incidendique vim habent, vsui esse consueuerunt. Sed cur singula ad censum voco, cum plurima in numerato sint, eaq; gratiora, & notiora, quàm vt hic appingi debeant?

Hac igitur scripsisse tenus sat, claudite Riuos.

De cibo quartana laborantibus conuenienti.

CAPVT LXV.

DEcet in quartana victum ad tres septimanas extenuare, vt cruditates conficiantur, ita tamen, vt ne vires concidant, proin abstineant ægri carnibus, & vnguinosis. sic enim fiet, vt materia imminuatur, & ægri alleuentur, atque adeò seb. longitudo corripiatur. Transacto hoc tempore viribus incumbendum administrando pisces petrosos paruosque, oua sorbilia, pullos, auiculas dumeta colentes. Quum ergo id tempus peractum est, quo vnctuosa prohibentur, & ægritudo nihilo euadit mitior, tunc viribus vacãdum magis, exhibendo etiam robustiora alimenta, vtpote gallinarum carnes, pullorum, arietum, hœdorum, auium mollicularum, vt perdicum, turturum, attagenarum, quidam etiam pisces errones huc faciunt.

Quatuor autem conditionibus donari debet alimentum, quod quartanarijs conceditur: Primò vt non sit crudum, imò vim habeat flatus resoluendi, quos parit melancholia, est enim vel teste Hipp. flatulenta, propterea melancholicos vocauit pneumaticos, dein vt non sit crassis partibus constans, nec crassefacieus, sed crassum potiùs attenuans, tertiò vt non adstringat, e ohibeatve aluum, sed soluat, & sollicitet, postremò vt laudabilem sanguinem generet, calidum quippe, humidumque sucum. Quomodo verò, qua temporis opportunitate, quantumve nutriendus sit æger, ex uniuersa iam tradita methodo constat. Canones tamen quædam symptomata frangunt, per quæ necesse est aliquando in paroxysmo, aut paulò ante ægros reficere. In uniuersũ tamẽuerũ est, conducere quippe, ut uentre vacuo seb. accedat, ut ne occupetur natura circa alterius materiæ concoctionem, quàm morbosæ, donec penitus expulerit. Vinum autem clarum, subtile, albũ confert, maximè apparente pepasmo.

De quartanæ continuæ curatione.

CAPVT LXVI.

QValem antea descripsimus talẽ habet quartana perennis curationem, inque curandi methodo parum interest inter continuam, & interpolem. Hoc animaduersione dignum est, quod in continua magis temperata cùm alliotica, tùm etiam aphæretica usurpare decet, quam in intermittente. Præterea quum materia in uenis contineatur, phlebotomia in hac febre magis necessaria est, quemadmodum etiam uictus ratio debet esse paulò accuratior, & accisior.

De febre sextana, & septimana, & similibus.

CAPVT LXVII.

FEbres huiusmodi dicuntur anaferontes, & remigrantes, generantur ex materia melancholica, sed pauciore, crassioreque, & ut plurimum fiunt ex ea atræbilis specie, quæ ex phlegmate præusto generantur. Sextanam, & septimanam, & longioris periodi etiam agnouit Hippocrates. Gal. autem toto uitæ curriculo huiusmodi seb. non obseruauit, imò neque quintanam euidenter apparentem animaduertit, est enim occulta, abditaque febricula. Et sanè, inquit, non est absonum, quin septimanæ, & nonanæ seb. causa sit uitiosa uictus ratio antecedentẽ causam inaugens, quæ cum repetitur, febrem eadem hora accersit, quæ quidem uiuendi formula si dimitteretur, seb. quoque deliteseceret. Harum itaque periodorum causa nulla alia censetur præter uictus normam prauissimam repetitam, non typica humoris cuiuspiam commotio, inquit Galenus. Hoc igitur obseruandum in huiusmodi febre, ne quid in uitæ, & uictus genere peccetur.

Quamquam al. inficiatum ferè it. huiusmodi febres dari, quæ si dentur, nullam radicem, aut causam aliam agnoscit præter enarratam. Sed Hipp. reuera obseruauit tales febres, & eas scriptis prodidit; neque est adeò mirum, aut adynaton, ut opus sit in hac re demonstratione. Septimanæ quidem meminit Hipp. & esse longam, sed tutissimam; quintanam uerò esse cæteris deteriorem, quod fiat ante, & post phtysim, quam sententiam ego sic interpretor (misso tantisper Galeno) ut per phtysim intelligatur hectica, & quintana sit propositio indefinita, quasi innuat, esse unã speciem quintanæ cæteris deterioris, quæ præcedit hecticam, quæque adustis humoribus etiam præ longitudine ita uiscera inflãmet, & solidas particulas, ut hecticam tandé sociã accersat seruato interim tenoris sui ordine. Vt plurimum tamen febr. hæ ad quartanam reducuntur, ubi humidum redundarit, sed ubi plurima fit humorum diffla-

tio, & euidens dissipatio, minimum terreni, exustique relinquitur, quare pro quartana fit quintana periodus. Et in huiusmodi quidem dispositione melius est, ut sit corpus dispositum, opportunumque exustioni, atque adeò hecticæ dispositioni, quàm succedere hecticæ. Quando enim hectica præcurrit, humores adurit, & præ paucitate

eosdem

eosdem in cinerem redigit, quos subinde putredo adoritur, & feb. ingeminat, est ergo mala, quod signum sit adusti humoris pauci, & quod duplicatæ feb. significationem præbeat. Cum verò pauciſſimi sint, non nisi quinto quoque die paroxysmum committunt: Neque est, cur eas morborum species negemus, quas ipsi haud obseruauimus, cum maximè perraro contingant. Nec est, quod quispiam cauilletur, si est quintana, ergo datur quintus humor, quintaque materia, vnde feb. hæc conflatur. Non est, inquam, nam pauciſſima, craſſiſſimaque melancholia hoc potest efficere: Neque enim inficiari licet, in quibusdam corporibus inueniri pauciſſimam, eamque craſſiſsimam melancholiam, quæ concepta putredine febrem pariat. Nec est, cur quispiam dicat, nonne ex craſſefacto, & minutiſſimo phlegmate hoc idem proficiſci potest, vt scilicet aliter fiant, quam quotidie acceſſiones? Quid ni, inquam? Quid absurdi consequens est, si concedatur, fieri posse? Porrò sicut concedenti neque experientia, neque ratio, neque magni viri refragari potest authoritas, ita neque positioni illi, quam tuetur magnus Hipp. Quidã fide digni, se nonanas notasse, deierarunt. Quintanam verò nos multoties ipsi vidimus, & nihilominus fatemur ab eodem melancholico humore proficiſci: quid plura? Res faciat, non verba fidem, procul ite maligni.

De curatione feb. quintanæ, septimanæ, & nonanæ.

CAPVT LXVIII.

CVrantur peræquè, atque quartana ex adusto phlegmate, & in atram bilem iam conuerso. Hic enim opus est diæta tenui, tenuanteque, & somno, vt hinc craſſa materia subacta resoluatur, digeraturque. At quia periculum est, ne vires tali victu concidant, iterum craſſiore victu reponendas vires esse videtur, quare in hac indicationum contrarietate, oportet sic se gerere, vt vno tempore tenui victu, alio craſſiore vtamur, nam hæ febr. non admodum vires lacessunt, victus tamen craſſior is sit, qui citò nutriat, & optimum succum procreet. Nihil verò æquè confert, ac vomitio elleboro ipso, & sem. raphani, aut certè raphano, in quo infixæ fuerint per noctem elleboti fibræ, proritata, aut nuce vomica, seu potiùs diaſſaru. Similiter euacuare licet cum hiera maximè Logadij, qua in melancholicis affectibus vtebatur Ptolomæus, & post purgationem adhibenda identidem vetus theriaca, similiter balnea calida, quæ sudorem prouocent, quæ dicuntur æstuaria, seu sudaria.

TRACTATVS Tertius.

De Febre hectica.

CAPVT PRIMVM.

NOn est, quòd altè repetam, scilicet in corpore humiditates diuersorum generum diffusas esse, inter quas quędam diriguntur ad nutritionem, quędam ad articulos humectandos, ne perenni motione incandentes contabescant. Quæ nutritioni destinantur humiditates, aut in venis continentur, aut extra venas vagantur, ex illis putres, imputresque feb. generantur, vt synochi, ex his habituales febriculę. Quum igitur nutrimentum haud omnino in analepsim absumitur, sed remanet in meatibus reconditum, & semitam occupat, primam constituit humiditatem. Illud autem humidum, quod de proximo debet in membra cogi, & coagulari, diciturque actu nutrimentum, quod sit eius loco, quod à calore absumptum fuit, & proximum est, vt in membra solidescat, dicitur secunda humiditas. Illud verò humidum, quod membra continet, & quo sunt viciſſim sibi continua, dicitur tertia humiditas.

Sed age præfatas humiditates exemplo declaremus; oleum in lucerna effusum instar est, primarum humiditatum, quæ semitas inoccupant, oleum, quo ellychnij corpus imbutum est, instar est secundarum humiditatum. Tertiæ verò humiditates comparantur aqueo illi humori, quo partes xyli continentur, & continuantur, vnde conflat ellychnium. Quom igitur flammantur membra radicalia, maximè cor, fit illa ægritudinis species, quæ dicitur hectica, quam nõnunquam impensa hepatis caliditas inducit, dum radicatum humidum depascitur, hæc verò, haud prestè hectica nuncupatur, cum illa uerè sit, quæ ex præcalfacta cordis substantia inoritur. Similiter pulmonum, & stomachi affectus haud germanam pariunt hecticam. Verùm dum ipsa permanet exhauriens primi ordinis humidum, nempè insitum potiſſimum cordis, sicut absorbet flamma oleum in lucerna infusum, tunc est primus gradus hecticæ nomine generis appellatæ, cæterum ubi primis humiditatibus absumptis secundæ exhauriuntur, quemadmodum quum lumen absumpto in lucerna oleo aggreditur in ellychnij poros receptum humorem, & tunc dicitur secundus hecticæ gradus, quæ tabes propriè appellatur, & habet latitudinem, principium scilicet, & medium, & statum, è qua uix eum redimas (nisi diuina annuente gratia) qui ad ultimam illam perniciem peruenit, in qua caro liquefit. Atqui humiditatibus istis penitus exhaustis calor eas depascitur, quas tertio loco censuimus, ueluti, cum flamma absorpto oleo, quod in ellychnij meatibus latitabat, subinde corpus ipsum ellychnij adurit, absumitque radicatas humiditates, sitque tertius

gradus

gradus hecticæ, qui dicitur marasmus, in quo totum corpus resoluitur, & hæc feb. nullis circumscribitur periodis.

Quidam verò hecticas hoc discrimine diuiserunt, vt quædam pendeat ex insitis humiditatibus, quæ proximè abituræ sunt in partis naturam, quædam ex carnoso genere, quædam ex sordidis, spermaticisque particulis, & est tertij gradus hectica. Hæc verò sententia si ita accipiatur, vt quod absumitur primò, sit membri cohærens humiditas, eòdem recidet cum priore, at si velit, vt primùm, quod absumitur, sit humidum, quod proximè cogi, coagularique debet, fallit opinio.

Quid plura? hectica aliquando ephemeras excipit, aliquando putres, nonnunquam apostemata, rarò verò incipit, quare radicata membra iam calfacta sunt, humores neutiquam nec spiritus, nisi ex forti causa, & progrediente tempore illud fiat. Et vna quidem causa quandoque hecticæ, quandoque ephemeræ aduentum parit, prout eadem leuiter, aut impendiò egerit in dispositâ materiam. Exemplo sit ignis, qui bifariam agit in ligna, nempè excalfaciendo, & vlgines, fumosque excitando, vel inflammando. Et sanè febricula hæc habitualis sæpè ex permutatione putris, aut apostematis fit, maximè ubi vehementior fuerit feb. interim parciùs, frugaliùsque ægri victitarint, nec frigidam, qua opus erat, hauserint, nec fotus, lituſque adhibiti humectantes fuerint. Non rarò verò in hecticam incurritur medentium incuria, quando scilicet collabitur, fatiscitque virtus, & identidem accidit syncope, neque vinum, neque iusculum vllum offertur, neque spiritus reficientia, ceu diambra, diamoscus, & similia. Sed enim putridis interdum implicatur hectica, & apostematibus. Vt verò in principio feb. hæc difficulter dignoscitur: facilèque curatur, ita in fine promptè dignoscitur, sed difficile curatur. Vltima verò tabes nullam recipit curationem.

De signis hecticæ.
CAPVT II.

SIgna sunt pulsus minimi, duri, frequentes, debiles, vniformes. Tangenti Medico primò calor blandior apparet, sed cunctantiùs, & pressiùs tangenti se se profert mordaculum, & loca venarum, arteriarumque impendiò calent. Calor autem vniusmodi est, nõ absimilis, verùm ab assumpto cibo ingraueſcit, pulsus incaleſcunt, crebreſcuntque non sine fortitudine. Hinc fit, vt bardi quidam, fatuique Medici talia animaduertentes, ægris cibo interdicant, quòd calor augeatur ab assumpto, sicque miseros citiùs conficiunt. Perinde enim illis accidit, ac flammæ iniecto oleo, aut candenti sartagini aqua superaddita. Hincque magna ducitur hecticæ coniectura, cibus in reliquis febribus non parit hanc intensionem, quamquam nonnullam affectionem naturæ infert. Porrò hæc inflammatio non est, sicut reliquarum febrium incensio, quæ incipit, inchoatque post pulsuum contractionem, notasque periodos, sed hoc toties accidit, quoties cibos deuorarint. Quicũque verò tali febre laborauerit, non admodum percipit suam caliditatem, cum sit æquè diffusa, & facta domestica, nisi fortè ab assumpta alimõnia.

Verùm signa, quæ in hecticam degenerasse ephemeram monstrant, sunt calor vehementior, mordaculusque, feb. post xij. horas minùs declinans, sed peræquè vsque ad tertiam diem perseuerans fortiter. Implexum verò esse hecticæ cum putrida significant post consummatam declinationem aridæ caliditatis uestigia post uberem sudorem, præterea augmentum siccitatis, urinæ acutæ, crudiusculæque, egestiones pinguiusculæ, & unctuosæ, & si fuerit hectica apparens, & alia occulta febr. tunc pulsuum contractione circa initia paroxysmorum deprehenditur, tale enim quippiam non est in hectica inuentum unquam. Et interdum incipit hectica ex stomachi præcalida, siccaque affectione, ex qua in consensum ob uiciniam trahitur hepar, & de mediocritate temperamenti deiicitur.

De signis aldubul, seu marasmi.
CAPVT III.

INdicia verò permutatæ in marasmum hecticę sunt pulsus uehementer duri, debiles, parui, frequentes, ubi maximè non resoluto apostemati succedit hectica, nam frequentia, & uelocitas ualde concitatæ sunt, & pulsus myuri fiũt. Quòd si ex potu meraciſſimi, præcalidique uini acciderit malũ, pro myuro quid simile apparuerit, & tabis circumstantiæ, accidentiæque non erunt admodum uehementes, non enim dat ei spatium usque ad huiusmodi, & urinæ pingues, petaloidesque apparent, oculi cauantur. Quom igitur tabes ad statum peruenit, oculorum cauitas maior euadit, lippitudo ficca complicatur, excrescunt decrescente carnis mole ossium extremitates uniuersi corporis, in facie collabuntur tempora, cuticula frontis contenditur, decolorque fit, quasi pulnerulenta euadat, & à sole præusta, supercilia difficulter subleuantur, cum præ cruditatibus, & colliquatione tumescant, oculi clauduntur, fiuntque sine somno somniculosi, nares acuuntur, pili suecrescunt, apparent pediculi ex materiæ putrentis situ geniti, uenter inhæret dorso, quin usque adeò contractus uidetur, ut instar sit aridi chorij, cum ergo curuantur ungues, & aduncì fiunt, tunc ægritudo ad statum peruenit, & æger præceps ruit ad interitum.

De curatione febris hecticæ.
CAPVT IV.

DVo scopi hecticæ febris curandæ proponuntur, frigeratio scilicet, & humectatio, quæ admotione præsidiorũ huiusmodi qualitate præditorum, quæ contrarium expungant, comparantur. Scire autem licet unicuique contrario posse contrariam qualitatem esse annexam, utpote frigori siccitatem, ut refrigeratio comparata cum trochiscis caphuræ, & spodij, fortè etiam humectantibus innexa cohæret calfactio, quæ opponitur frigefactioni, ut uino, quod humectat quidẽ, sed præterea calfacit. Quæ sanè animaduertere operæpretium est. Quod si necessitas coegerit ualidiora adhibere refrigerantia, quæ teneant so-

cietatem

cietatem cum ſiccitate, continuò humectantia ſequantur. Similiter cum vſus coegerit adhibere illa humectantium genera, quæ cum caliditate cohæreant, ſimul refrigerantia aceruare par eſt, aut certè paulò poſt adhibere. Quod ſi hecticæ cauſſa fuerit apoſtema, aut quæpiam alia in membris affectio, tunc neceſſum eſt, illi priùs manus admoliri, quod ſi feb. fuerit vehemens admodum, mane exoriente ſole propotiſmata ſunt offerenda, in quibus cancri incocti fuerint admixto iulapio violaceo, aut dulcium granatorum ſucco, & ni ſtomachi imbecillitas vetuerit, pſylij muccagine ammixta, maximè ineunte ſomno. Methodum autem refrigerandi iam innuimus, comparatur enim refrigeratio per apozemata, per frigerantium olerum vſurpationem, per trochiſcos, per litus, & perfuſiones, aeriſque egelidi inſpirationem, quæ cæteris præſtantior eſſe conſueuit. Ad hæc veſtes ſuffire decet thymiaſi ex ſantalis, & caphura, vt æger gratos ſubolfaciat odores, (odor enim animæ cibus perhibetur) proin pauimentum roſis ſternere, & lilijs vtile eſt, interim ſudare in balneo minimè expedit. Cæterùm litus, & epithemata refrigerantia ſuper cordis, & pectoris regionem non ſunt diutiùs retinenda, ne reſpirationi noceant, & voci, ſed neceſſaria ſunt quies, ſomnus, tranquillitas, gaudium. Animi pathemata æger declinet, præcipuè ne iraſcatur, ne triſtetur, ne angatur, caueat, hæc enim pathemata totam corporis œconomiam euertunt, ſitim diutiſſimè non perferat, nec famem. Quæ pectori admouentur emplaſtra, ſint quidem aromatica, & odora, ſed ſtypſeos expertia, ſtypſis enim præter quàm quòd afficcat, vetat etiam, ne medicina intrò ſubeat. Debet autem topicum auxilium perſæpè mutari, ne mora incaleſcat, & calfaciat, obſeruando interim, ne vehementer refrigeret, nam ſi ita fiat, membrorum tenorem, & robur dejicit, & reſpirationi (admotum thoraci) noxam infert. Inter humectantia verò ſunt cibi ex lacte, fructus, litus, & emplaſtra, & odoramenta, & caputpurgia, quies, tranquillitas, non diuturna abſtinentia à cibo.

Repetuntur refrigerantia, quæ hecticis conueniunt.

CAPVT V.

QVæcunque refrigerant, aut humectant, ſimul alere operæpretium eſt, in quibus aut alimonia vim medicatam vincit, qualis eſt aqua hordei decoctionis cancrorum fluuialium, qui ſanè ſic parari debent: Extrema cancrorum nempè caudæ eximuntur, purgantur, ter & ampliùs abluuntur ex aqua frigida cum ſale, & cinere, nempè ex lixiuio dulci; ſubinde in aqua hordei (benè priùs in tepida lota) coquuntur donec cuadat veluti vaccinum ſerum. Aut vis medicamenti alimentalē excedit. Illud interim aduertas, hecticis minimè turò acetum exhiberi, quòd vehementer ſiccet, quòd reſoluat, niſi fortè plurima aqua diluatur, & ijs ammiſceatur, quæ humectant luculentè.

Lac aſellæ humectando etiam refrigerat adeò, vt vaccino ſero longè præſtet, verum lac duntaxat ei conuenit, qui mera implicatur hectica, nec humorum habet apparatum putredini obnoxium. Cæterùm in vſu lactis hoc præcipuè animaduertendum, ne incaleſcat, putreſcatque; hæc verò incommoda vitantur, exhibito ſaccharo, quod ſi omnino corruptelam lac incurrat, ſubducendum erit leui eccoprotico; Quod ſi æſtus, flagrantiaque formidetur, temperandum aliquandiu, abſtinendumque eſt, donec deferueſcat, atque hoc interim ſpatio aqua fructuum concedenda, & trochiſci refrigerantes vſurpandi, ſubinde lac repetendum. Medicamina verò, quæ refrigerant quidem, minimè verò humectant, ſunt veluti trochiſci de caphura, de ſpodio, de corallijs, quæ vſurpati haūd debent, niſi ſymptomatis alicuius cauſſa, puta ſuperuacui fluxus. Vnctiones verò, epithemata, & caputpurgia, non eſt, cur iteratò ſcribam.

Illud interim non ſilebo, inter olea nullum præſtare cucurbitino, papauerino, nenupharino, ſaligno, violaceo. Stratus autem infrigidans, & humectans ſit valde planus ex chorio comparatus, aqua roſarum reſperſus, impletus lino frequenter permutato; Aut certè lecti ſternantur propè aquosis locis vuidis, quæ aſpergantur ſl. viol. nymphęæ, fol. ſalicis, capreolis vitium, & ſimilibus.

Repetuntur quædam humectantia.

CAPVT VI.

HVmectantia frigida iam cenſuimus, proximum eſt, vt methodum inſtituamus lactis genera dandi, & ſerum, & balneum adminiſtrandi, & olea, & vnguenta, & epithemata, & reliquam victus normam. Sed de modo lactis propinandi iam egimus in cap. de phyſi. Scire autem licet ſecundùm lac mulieris nullum eſſe conuenientius lacte aſellæ, à quo eſt caprillum, ex herbis frigidis, humidiſque genitum. Sed propriè lac aſinæ extirpat hecticam, ſi modò curabilis ſit, niſi in ſtomacho corrumpatur, & putredini opportuna materia nulla ſubſit. Dari autem poteſt lac à principio vſque in finem. Quid quæris? Lac mulieris ex vbere exhauſtum cæteris præſtat.

Serum verò perinde exhibetur, atque lac, quod quidem à principio vnciarum decem pondere, vſque ad triginta, atque eo ampliùs propinari poterit, ſi virtus tolerarit, cui quidem doſi nonnihil trochiſcorum conuenientium ammiſcere licebit.

Sed age ad balnea gradum faciamus. Illud cæteris præſtat, quod tepens eſt, quod thermaſia non æſtuat, in quo plurima refrigerantia, & humectantia olera incocta fuerunt. Summùm is ſit calor, qui ne madorem quidem, ne dum ſudorem exprimat. Item vapor balnei non debet eſſe impendiò calens, quin (ni obſtarent multa) nil eſſet vtilius frigido balneo, ſed macies, & extenuatio, viriumque, caloriſque languor vetant, verum inchoante malo quando vires adhuc conſtant, atque corporis habitus nondum eſt excarnis, fortaſſis non eſſet abs re. Cæterùm in balnei vſu illud obſeruandum, vt aqua in primis ſit tepidior, quæ ſub finem paulatim ita refrigerari debet, vt facilè ferri poſſit. Ter autem ſingulis diebus ægri in-

balneum

balneum immergi possint, dummodo vires tolerare queant. Ante balneum aqua hordei, seu cremor duabus saltem horis propinari potest. Sunt etiam, quibus probetur emulsio lactis super vniuersum corpus, antequam æger labrum ingrediatur. A balneo inunctio sequitur ex oleo saligno, violaceo, nenupharino, cucurbitino. Interdum præmittitur vnctio. Quid quid agatur tandem, paulatim,& pedetentim moliri expedit,certè nullo tempore opportunius adhibetur balneum, quâ post cibi digestionem. Quod si á balneo tepente æger immergi posset in frigidam, hoc esset extremum auxilium, sed plenum aleæ auxilium, quare aquæ frigidæ perfusio satis esse potest. Atqui ea lege concedi debet balneum, ne sudorem excitet, ne calsaciat, ne afficiat,neu anhelitum mutet. Ad hæc balnei calor sit suauis, & delectabilis,ætherisque calori suppar.

Æger autem is sit, qui paratis ad putredinem excrementis vacet, qui duntaxat á perfecta digestione in labrum intret, in quo nec longa mora trahenda,ne corpus resoluatur. Ab egressu ex balneo (postquam in tranquillum redierit æger) aliquid alimoniæ cupeptæ, refrigerantis, & humectantis offerendum,vtpote sorbitiuncula ex ptisana hordeacea, cum emulsione seminum melonũ, aut lac ipsum. Quod si æger in balneo molesta siti torqueatur,non est formidanda aqua hordei.

Sed enim balneum suauiter adhiberi debet, nõ tumultuariè, & temerè. Quare æger ad balneum deferatur in gestatorio,in quo stratus sit lectulus, æqualis,lenis,planus,tum subductis vestibus quiescat in parato cubili, subinde se tradat balneo tepenti. Hoc verò mihi summopere probatur,vt locus balnei sit temperatus, & domicilij meditullium inoccupet. Vbi ergo congruentem viribus moram in balneo traxerit, suauiter extrahatur æger indutus molli, lęuique chlamyde,subinde blãdissima, leuiculaque frictione cum mappis corpus vniuersum siccetur, postremò vniuersim allinatur, & nutritu reficiatur.

De cibo hecticorum.

CAPVT VII.

NEcesse est partiri alimoniam,adeò vt non semel,& confertim repleantur ægri ad satietatem. Et sanè conuenientius alimentum paratur ex hordeo,& pane triticeo in frigida soluto,ex lacte, ex sero,ex melonibus, ex cucurbitis. Atque vbi reualescere videtur æger, non est inutile nutricatum moliri ex caseo recenti non salito. Si vires labantur,præsto sit vinum lymphatum,quin & pulli, & perdices, & oua, & hœdi, & gelatina vsui sunt. Et vbi syncope impendet, necessaria est aqua carnis ex hœdino armo parata cum sale modico, cui percolatæ tantundem succi malorũ adijciendum, & decima odoriferi vini particula, tepensque poculum hauriendum. Neque inconueniens est sitienti ægro potandam præbere aquam frigidam, dummodo non admodum vires fatiscãt, non subsit apostema, viscera obstructionibus non sint infarcta, nõ adsint recrementa putredini obnoxia, neu cruditates vetuerint, quæ digestione sunt conficiendæ.

Cum hectica supernenit affectibus vires demolientibus,& effœminantibus,carnem,& ossa arefacientibus, superuenit debilitati, atque adeò admodum funesta esse solet. Cum ergo superadditur huic imbecillitati aqua frigida, æger in aliud genus hecticæ incidit,nempè in hecticam senectutis,quæ in hoc differt, quòd hæc cum siccitate sociam habet frigiditatem, illa calorem. Et sanè hectica senilis crudelis morbus est, in qua calor innatus destruitur. Omnino aqua impensè frigida in omni hecticæ specie est formidabilis, siquidem insitum, innatumque radicalium membrorum calorem vitiat,atque corrumpit, & mortem accelerat,aut certè hecticam senilem accersit.

De summouendis symptomatis, quæ hecticæ occurrunt.

CAPVT VIII.

INter symptomata euenientia syncope censetur,cuius remouendæ methodum sæpè inculcauimus, & fluxus ventris, qui magnum incutit timorem,proin tali pacto curandus. Danda hordei aqua feruefacta cum torrefacto millio,& gummi, & lentibus. Dandum lac,in quo lapilli candentes identidem extincti fuerint, aut ignitus chalybs immersus, donec tota serositas absumatur. Hoc interim spatio vtantur his trochiscis. ℞. boli armeni ʒ. v. castaneæ torrefactæ, rosarum omnium ana ʒ. iiij. spodij, karabes ana ʒ. ij. sem. acetosæ decorticati, berberum ana ʒ. vj. F. trochisci cum succo cydoniorum. Et dentur in potu mane cum succo pyrorum,& hora somni pondere ʒ. j. quod si iam facta sit abrasio intestinorum præ acritudine materiæ,& dysentericus effectus, curatio notis clysteribus obeunda.

De hectica senectutis.

CAPVT IX.

INmore positum apud veteres fuit, vt post hecticam seb. ageretur etiam de hectica senectutis, quam consuetudinem nos quoque sectari addecet. Hectica igitur senectutis nihil est aliud,quã excessus siccitatis, vltra quàm propria patiatur ætas, & complexio, citra febrem. Contingit aliquando primis qualitatibus vicissim temperatis, id quod rarò tamen vsu venit,sæpè fit frigore prępolente, quæ sanè corporis constitutio dicitur hectica senectutis, quoniam corpori accidit importunè, haud instante, aut infestante senecta. Profectò senes ob symbolum qualitatis facilius in eam incurrunt, quàm iuuenes, & pueris adhuc promptiùs iuuenes. Causa verò cur in hunc affectum incurratur, aut est prædominans frigus cum imbecillitate corporis, vnde vegetalis,alumnaque vis munia sua ritè obire non valet,ceu in fine vitę, ad supremã senectã vsu venire consueuit,quod sanè incommodum accidit ex vsu aquæ frigidæ intempestiuo, aut præsente summa corporis imbecillitate cum febre, aut post vehemẽs exercitium vires exoluens, porosque recludens, unde vis frigoris subitò introsubit in viscera, & calor insitus depauperatur, aut certè frigidi halitus cor ipsum inuadentes refrigerant, & temperamentum immutant. Aut certè est impensa caliditas, quæ digerit,

gerit, & resoluit, & liquefacit humiditates, unde calor insitus etiam euolat, & eneruatur omnino.

Et patitur manibus vulnera facta suis.

Et hinc frigus, ariditasque sequuntur. Contrahitur etiam hæc ægritudo refrigerantium immodico vsu instante febre, aut quopiam alio incendio, quod extinguere nitimur. Et sanè vbi temporis interuallo se se obfirmauit affectio nullam ampliùs curationem admittit, & si huic remediari fas esset, morti quoque liceret oppedere.

De curatione hecticæ senestutis.

CAPVT X.

HÆc ægritudo, (nisi à carceribus) curationem non admittit, vbi namq; inueterarit, altasq; egerit radices, hoc tantùm præstare licet, vt mors retardetur, non vt euitetur præpollente morbo. Indicatio verò est calfacere, & humectare; & inter præsidia est balneum tepentis aquæ post cibi digestionem adhibendum, namque si ante chyli elaborationem vsurpetur, vires tranguntur. Conferunt similiter clysteria facta ex cap. & pedibus arietum, cicere, triticoque vehementer discocto, & ficubus cum sandonico, seu origano, & chamæmello. Cuius decocti lb. ß. sumitur cum ℥. ij. olei sesamini, & ʒ. vj. olei de been.

Frictiones item molles à cibo conueniunt. Item lac ab vbere suctum maximè confert. Nihil uerò æquè prodesse uidetur, atque mel, calfacit enim, & innatum caliduni instaurat, ficut nihil æquè noxium hectica feb. laborantibus. Conducit omnino vniuersus cibus humectans, facilis digestionis, penetrans, promptè sequens attractionem, in quo non est visciditas, ceu iuscula, vitelli ouorum sorbilium, vinum tenue odoriferum, paucum; polichymum omnino eupeptum, euchymum, & sorbile alimentum. Vsurpanda item, quæ præscripsimus hecticis humectantia. Intermiscenda verò semper odorata ad spiritus reficiendos, siue cibi sint, siue litus, siue emplastra.

TRACTATVS Quartus.

De Febribus pestilentibus, & de congeneis variolis, & morbillis.

CAPVT PRIMVM.

QVandoque perinde aeri accidit, atque aquæ, vt aliàs edictum est, etenim sicuti contingit, ut aqua de frigore in calorem aptum putredini faceſſat, atque reuera putret, & fœtet iam commutata, & sicuti aqua syncera, germanamque seruans naturam minimè putrescit, sed mixtis duntaxat terrestribus, alienisque athomis, vnde toti pessima accedit qualitas, ita propemodum aeri vsu venit, namque & ipse integer, nulliusque etherogenei permixtione contemeratus imputris permanet, sed alienis vaporibus inquinatus vitium capit, & putret, hinc nequissima qualitas aeri comparatur. Huius mali caussa interdum sunt uenti, qui in salubrem regionem deferunt morbigenos halitus è longinquis locis, vbi cæsorum corpora inhumata manent, siue ensis, siue pestis iugulauerit. Interdum de proximo caussa moritur. Interdum in terræ cryptis accidũt putredines, quarũ latẽt origines, & aquę, & ætheri quoque subinde commuuicantur. Profectò ficca aeris constitutione vrgente rariores, insolentioresque sunt febres, quàm humida constitutione: Hoc tamen incommodi euenit ex illa, quòd ut bilis fit prouentus, ita tertianæ, acutęque febres crebrò repullulant. Atqui pestilentes febres fiunt ex turbido, vliginosoque aere. Quid quæris? Humida aeris constitutio morbosissima est, febres quidem frequentes parit, sed minùs acutas, at longiores. Æstate pariter impluuia, & ficca febres minùs accidunt, sed quæ uisuntur, vt breues sunt, ita acutulæ. Omnino illa tempora probantur, & salubria censeri debent, quæ propriam seruant naturam. Allioses autem, & commotiones istæ, quæ aeri accidunt, ab figuris cęlestibus trahunt originem, quæ sanè necessariò suos promunt effectus ignorata caussa, (quam quam sint qui aliter sentiant) huc tamen cęlum admitto ceu catholicam caussam, & remotam, terrestres dispositiones, ceu proximam, & singularem; Vbi ergo hæ caussæ concurrunt, conueniuntque ambæ ad conciliandam aeri vuiditatem, tolluntur vapores, & insinuantur in aeris substantiam, & molli quodam, effęminatoque calore aerem ipsum vitiant, & putrefaciunt, vbi autem aer sic affectus cor ipsum peruadit, spiritus naturam peruertit, atque corrumpit temperamentum, spiritus inquam, qui in cordis thalamis manet, hinc putret vberrima diffluens humiditate, & extraneo calore uigẽs, qui in totum corpus diffusus febrem parit pestilentem, quæ fit popularis, & ob seminaria contagiosa ijs, qui opportuni, dispositique fuerint; Agens enim nullam edit actionem, nisi inuenerit patientem dispositum, tunc autem dicitur dispositum corpus, quando scatet prauis humoribus, nam habentes corporis succos laudabiles non patiuntur, imò aeris malitiam corrigũt. Corpora item imbecillia sunt per quam obnoxia, maximè ob uenereorum immodicum usum, nil enim æquè spiritus perturbat, dissipatque, item quæ raro corporis habitu constant, humida, balneis consueta, hæc enim externis morborum causis sunt magis parata, & opportuna.

De signis Febris pestilentis.

CAPVT II.

HÆc febris boni speciem foris præseferens intus lædit, perturbat, angit, excruciat, torquet, coquit, & ut plurimùm perdit; tangentibus calor acrior percipitur, flammeus, anima uehementer, crebròque agitur, frequẽns contrahitur, & præ summa putredine fœtet. Aret lingua, urget sitis, nausea perturbat, anorexia perimit, ni uiriliter ingestione cibi resistatur. Cardialgia infestat, splenis tumor, angustia, anxietas, iactatio. Tussis ficca fauces irritat. Vires quam mox ita concidunt, exoluunturque, ut proximè impendeat syncope, & paraphrosine coassecto cerebro. Hypo-

condria

condria tenduntur, urgent uigiliæ. Corporis habitus mollis fit, eneruisque, tepetque, interdum pustulæ rubræ, modò nigræ, modò subalbidæ erumpũt, quæ etiam citò euanescunt, vlcera, & tubercula pullulant. Pulsus frequentes, paruuli, noctu augetur vehementia. Aegri nonnunquam vsque adeò turgent, inflanturque, vt hydropis speciem referant, aluus bilioſis, melancholicis, spumosis, fœtidis, liquentibus fluit excrementis, in quibus colliquationis species eluceſcit. Vrinæ aqueæ, melancholicæ, biliosæ. Atræ-bilis, identidẽque flauæ vomitio. Sudor fœtidus. Febris hæc præfatis stipata symptomatis ad syncopen sæpè peruenit, ad lethargum, ad spasmum, ad artuum extremorum refrigerium. Nonnullæ dantur pestilentes feb. quæ neque ægro, neque tangenti Medico calore moleſtæ sunt, quin neque pulsus, neque vrinæ admodum de proprio statu recedunt; Hæ febres vt cæteris doloſæ, & fraudulentæ magis sunt, ita pernicie longè præcellunt, vis enim mali agit potiùs corrumpendo, quàm putrefaciendo; Medici in harum cognitione hæſitant; Plurimis tamen anima grauiter sętet, qui certò è uiuis tolluntur, cum putredo cordis arcem obtineat obfirmata.

De signis pestilentiæ.

CAPVT III.

PEſtem inſectorum multitudo indicat, ignea phasmata, veluti cadentes stellæ, draconesque volantes, & id genus alia inchoante autumno apparentia, & menſe Septembri, pariter subsolani, & austri perseuerans impetum. Quoties nebulæ, & vliginoſus aer pluuiam portendunt, & à contrario succedit, tunc hyemis temperies vitiatur. Aestiuam verò pestilentiam prænunciant, pauciſſimæ in vere pluuiæ cum aeris, & Austri rigore. Hinc cœlum turbidum per aliquot dies, exin septimana exacta sudum apparet. Insuper noctu viget frigus, dies summa æstuat flagrantia, unde ex hac inæquali aeris viciſſitudine turbantur humores, & præfocatur calor. His præsentibus iam pestem aduentasse putato, quare & pestiferæ febres, & variolæ, & exhanthemata mox etiam apparebunt. Similiter quando æstas non æstuat admodum, sed vehementer conturbatur, & matutinum tempus grauiter afficitur, puluerulentaque temeratur fuligine, & iam Autumno ignea phasmata se se protulerunt, & Cometæ igniferi, haud procul abesse pestilentiam indicatur. Nec minùs arguitur pestis, quando vno, eòdemque die multis, reciprociſque vicibus afficitur aer, vtpote quando Sol puro lumine splendeſcit, modò denſa nubium caligine obſcuratur, vt dies velut puluerulenta videatur. Item ranarum, reptiliumque magnus prouentus ex putri prognatorum idem significat. Item, vbi muſculi, & talpæ, & id genus animalcula, quæ in terræ cauernis inhabitant, cateruatim erumpunt, & apertum cœlum petunt, hucque, illucque temerè diſcurrunt, similiterque vbi acuti sensus alites, miluij nidos, ouaque fœtifica deſerunt, & salubrius uolatu quærunt cœlum, pestem futuram certò significant ab aere vitiato.

De Febrium pestilentium curatione.

CAPVT IIII.

SVmma earum feb. curandarum ratio supereo cardine vertitur, ut corpus alleuetur, exhauriaturque cùm phlebotomia, tùm uentris solutione. Omnino curationem orditi oportet ab euacuatione, & si exuberans, superuacuaque materia fuerit sanguinea, mittatur sanguis è ueſtigio, at si humores à natura sanguinis alieni redundarint, cathartico foras educantur, materia enim cum sit uenenata, furens etiam fit, proin illicò educi, immittique debet; Interim thalamos operæpretium eſt refrigerare, & temeratum aerem corrigere. Cubicula uerò refrigerentur inſperſionibus aquarum odoratarum, fusis salicum, uitium foliis, aut nymphęæ, roſarum, uiolarumque floribus. Irrorari autem quotidie debent potiſſimùm aqua roſacea, saligna, nenupharina, quæ caphuræ, & santalorum uim priùs susceperint. Quod si natura manantes pręsto sint fontes, hoc multò præstantius extat. Cæterùm trochiſci de caphura ceu præstantiſſimi quotidie ægris offerantur, pariterque frigidi, acidique succi, & serum optimè depuratum cum succo limonum, & aqua roſacea vnà cum aceto ad extinguendum scilicet inteſtinum incendium, & conceptam putredinem inhibendam. Hinc etiam frigidiſſima aqua affatim, & confertim ebibita confert, at modico hauſtu pitiſſata calorem inauget, quod si hypochondria tendantur, & extrema refrigerentur, & uigiliæ producantur, & mens aliena, fanaticaq; euadat, & pectus inter reſpirandum uehementer eleuetur, & deprimatur, tunc adhibenda sunt metaſyncritica, puta pyrotica, ueſicatoria, & stragulæ conduplicandæ, ut foras calor euocetur. Vbi uerò cadit appetentia ciborum, excitetur, & ægri edere cogantur, nam plurimi, qui uiriliter alimoniam non reſpuerunt, euadere uiſi sunt, oportet autem ægros super cibum inſtaurare, siquidem corrupta materia nouam poſtulat analepſim, is uerò esse debet cibus, ut acido sapore conſtet, & uim habeat afficcandi, præterea identidẽ, & pauca mole exhibeatur, nam modicæ uires multum ferre semel nequeunt. Quare magnopere cauendum, ne ægri duplici errore afficiantur, copia nimirum, & prauitate alimenti.

Quod autem ad aeris correctionem attinet; hæc aut ad cautelam fit sanorum gratia, aut ægrorum cauſſa ad curationem, sanorum quidem cauſa aer emendatur exſiccantibus, & odoris, uapore, xyloaloe crudo, ambra, moſcho, thure, coſto, ſtyrace, sandaraca, benioino, glutine caryophillorum, maſtiche, ladano, melle, croco, gallia, cupreſſo, iunipero, lauro, cypero, amygd. amaris, aſſaro. Ex præfatis fiunt compoſita, quibus utimur, prout exigit neceſſitas, domus præterea aceto, aſare odorifero, cyrenaicoue opo inſuffiatur. Boreæ recludantur feneſtræ: ægrotantium uerò ratione aer corrigi debet frigidis, & ſiccis, ceu suffitu ex santalis, caphura, cortice granatorum, myrtho, malis, cydonio, ebeno, thamarice, ribe, oportet autem identidem multiplicare thymiaſim, ut in-

deſinenti

desinenti beneficio ægri alleuentur, & conceptum intus incendium quodammodo extinguatur, aer enim is est, sine quo nec præsens sanitas seruari potest, nec amissa rependi.

De pestis cautione.

CAPVT V.

SVperuacua corporis recrementa deducenda sunt, victusque & vitæ ratio eò dirigenda est, vt assiccet, etiam aliquid de consueta alimonia subtrahendo. In exercitio habere modum oportet, ne quid nimis, neque enim expedit affatim corruptum aerem inspirare, & in cordis thalamos illicere. Balneum verò declinari debet, ne scil. corporis habitus effœminetur, & peruius fiat, atque adeò hosti liberior pateat aditus ad interiora. Cõpotationes im modicæ, quæ temulentos reddant, euitentur, ne cruditates, & cacochymia cumulentur, neu corpus fiat causarium, sitis tamen diu tolerari non debet, ne sanguis, calorque exardescat, & spirandi necessitas augeatur. Aer vsu odoratorum corrigatur, epulis acida semper intermisceãtur, vt scilicet, imputres succos sicco frigore seruent. Proin oxalis, Alleluia, siue trifolium acetosum, omphacium, limonum succus, & punicorum vinum identidem administrentur, pariterq; aceto condita, vt cappares. In primis trifolium acetosum arcere consueuit putredinem.

Cæterum præ cæteris antidotbis theriace ritè adhibita tutos à peste homines reddit, item mithridatium, & pillulæ, quæ conflantur ex aloe, myrrha, croco, si quotidie sumantur ʒ.j. pondere, vt enim theriaca mirificè vniuersas vires formæ similitudine roborat, vt resistant contrarijs, ita hęc catapotia miram vim obtinent afficcandi, & putredinem arcendi; præsertim dum obnoxia subducunt excrementa, quæ intus condita insidiæ sunt contrariorum.

De Variolis.

CAPVT VI.

NOnnunquam in sanguine æstus quidam inoritur ad putredinem disponens, in quo caloris vis si quid subest etherogenes, ablegatur, discriminaturque. Huiusce feruoris causa nobis connasci videtur, & à natura ipsa proficisci, vt scilicet expungatur, exturbeturque id, quod superest noxium de inquinamẽto menstrualis alimenti, quod ad generationem in prægnatione confluxit, aut certè ipsa matre fœta coagmentatum fuit ex cibis fęculentis, terreisque, qui sanguinis subtilitiã crassefaciunt, & æstui, ebullitionique præparant, subijciuntque, quò tota massa sanguinis à quisquiliis, & inquinamentis perinde repurgetur, atque sub feruore mustum inæstuans, quod subinde post ebullitionem vinum euadit illime, defęcatissimum, & vniusmodi, terreæ siquidem fæces, aereaque spuma seponuntur, segreganturque. Hunc verò sanguinis impetum, æstuationemque imprimunt quædam extrinsecus occurrentia tacito, arcanoque dissensu humores cum sanguine confundendo, qui proni, opportunique sunt flagrantiæ, ebullitionique, perinde enim nostro sanguini accidit, atque Veri, quod cum sit temperatum, facile susçipit alienas impressiones.

Illud ignorandum non est, variolas, & morbillos esse de genere contagiosarum ægritudinum (tum quòd putredinis sint participes, tùm quòd seminaria de se emittant, & cuti hæreant) ijs potissimùm, qui calido, humidoque temperamento constant, & humores intus gerunt perturbatos, neque bonum habitum, & plethoram soluere studuerunt.

Inter cibos illi potissimùm accersunt variolas, qui nullo in consuetudinem tempore venerunt, qui calfaciendi vi pollent (sicut lac equarum, aut camelorum, quod plurimo scatet sero putredini parato) quibus in gestis vinum superbibitur, aut calorificum medicamen, vnde æstus inoritur. Verùm animaduertere iustum est, variolarum, morbillorumque prouentum fieri natura excernente, decernenteque, quæ quidem variolæ vt plurimùm accidunt infantibus, dein iuuenibus, rarissimè autem senibus contingunt, nisi ex vehementissima caussa, & in tempore, regioneque calida, humenteque. Item promptiùs, affluentiùsque accidunt humida temperie corporibus, (humiditas enim putredinis parens est) quam sicca laborantibus: Pariter Vere magis (tunc enim sanguis veluti turget) quàm hyeme erumpunt, post Ver postremo Autumno, præsertim si æstas impendiò calida, siccaque præcesserit, talisque sequatur Autumnus, quòd calor in ventres regestus obnoxios humores exagitet, virosque ob aeris inæqualitatem sint infirmiores. Porrò variolæ non tantùm in cute repullulant, sed internas quoque similares particulas inoccupant, vt etiam tunicas, & neruos afficiant.

Vbi variolæ erupturæ sunt, pruritu totum corpus afficitur, subinde miliaria, & acuminata quædam tubercula extuberant, quæ paulatim grandescunt, & sanie replentur, dein exulcerantur, pustulæque discolores sequuntur, quæ postremò concidunt. Interdùm in phlegmonam, & grandia commeant apostemata, quæ saniem coaceruant.

Variolæ, vbi erumpunt, vt plurimum phlegmones colore donantur, quamquam & cinereę, & venetæ, & violaceæ, & nigræ etiã visũtur, præterea & albæ, & citrinæ, & rubeæ, & virides, & plũbeæ. Viridi quidem, ianthinoq; colore pallentes variolæ noxiæ sunt, ac deterrimæ, quæ nigrescũt. Albæ inter cęteras meliores sunt, si paucæ, si prominulæ sint, & extantes, non pandæ, nõ planæ, si facilè erũpant foras cum modica febre, quę etiam crũpento variolarum segete miteſcat. Die tertio, aut quarto foras prodire, & se se prodere consuescere. Post has sequuntur albæ quidem, sed magnæ, plurimæ, creberrimæ, cõtiguæ, haud continuæ, nã hæ in magna carnis particula habẽtes rotundatam speciem in malis habentur; Item malæ sunt, quæ conduplicantur, ita vt ab vna radice binæ promineant conglomeratæ, conglobatæque. Albæ verò, paruæ, duræ, cõtiguæ, difficulter erumpentes, & si in principio salutem portendunt, ægrè tamen matureſcũt, & proin perdere consueuerunt, nam labor, & difficultas omnis prouenit ex materiei crassitie. Illæ verò multò pernitiosiores sunt, quæ alterna vicis-

situdine ægros afflictant quà foras emanando, quà deliteſcendo, præſertim ſi violaceæ appareant. Pariterque viſcidæ, tenaculæque, quæ continenter ad excretionem laceſſunt, & vires frangunt, artuſque viridi, pullove colore fœdant, perniciales ſunt: Quæ verò virore, aut atrore fuſcantur, & prodeũtes aut febrem tollunt, aut comminuunt, vireſque alleuant, lethum non adferunt, ſed fortè ulcera pariunt, & id genus alia. Melius autem eſt, vt febrem variolæ excipiant, quàm præcurrant.

Verùm enimverò nihil obſeruatione, animaduerſioneque dignius eſt, quàm anhelitus, & vox in patientibus variolas. Vbi enim promptè, rectèq; agitur reſpiratio, voxq; facilè ſequitur, neque rauceſcit, admodum ſalutare indicium eſt. Atqui vbi difficilè trahitur ſpiritus, alterutrum ſignificatur, nempè aut vires concidiſſe, aut certè in ſepto trãſuerſo ſubeſſe phlegmonen, ſimiliter quãdo variolis impliciti vehementer ſitiunt, intuſq; continenter anguntur, promptèque refrigeſcunt bullæ, detumeſcuntque, morbillique, variolæve glauco virore pulleſcunt, tunc ægri capulo propinquant, illud .n. natiui caloris extincti argumẽtũ eſt. Hocq; verius eſt, quàm quod ad Sagram, ſi eæ fuerint variolæ, quæ ægrè foras exiliant.

Plurimi variolis impliciti angina præfocati de medio tolluntur. Nonnunquam facta ad inteſtina diadoche abraſiones fiunt, & fluxus ventris ſequũtur, vnde vires franguntur, & ægri intereunt. Vbi verò ianthinæ variolæ de tubere ſidunt, detumeſcuntque, tunc ægri ſyncope obnoxij, proximique fiũt ob pernitioſi humoris recurſum ad cor. Item vbi ægri frequẽs ſanguinem emeiunt, ſubinde ſequitur aterrimum lotiũ, ſi vires fatiſcant, conclamatum eſt, ſignum .n. eſt adhuc ſubeſſe in ſanguine incendiũ, vireſq; regendo ſanguini impares eſſe. Cæterùm viride uentris effluuium, aut ſanguineum, aut loturæ carnium recens mactatarum ſimile cum robore uitium vt periculum portendit, ita ſalutis ſpem non adimit, uires .n. ſunt ferendo.

Atqui * Alhamica eſt neſcio quid medium inter variolas, & morbillos ambobus magis tutum, atque ſalutiferũ. Quòd ſi plurima in corporibus aggregatur moles cacochymiæ; ſæpè iterato homo hanc labem, perniciemque incurrit remanente intus mali veſtigio. Suntq; vt plurimum liuentis, plumbeique coloris variolæ, quæ in faciem, in thoracem, & in uentrem uberiùs exilierunt, quàm in infernos artus, ſuntque malæ, utpote quæ craſſam, lentamque teſtantur materiam, quæ ægrè ad extrema propellitur.

De futurarum Variolarum indicijs.

CAPVT VII.

PRæcedunt variolas interdum dorſi dolor ob ſanguinis feruorem diſtentis uenis, naſiq; pruritus, patoreſque in ſomnis ob fuliginum copiam ſurſum reſpirantium, punctiliſque dolor præſertim in facie appellente ad cutem humoris tenuiſſimi colluuie, toto corpore grauitas corpus hebes reddit muſculoſo genere ob humorum impetum affecto, facies, oculique rubeſcunt ob inflammationem illachrymãtur, ardeſcunt, alicũ, oſcitationumque inſolentia moleſtat, anhelitus conſtringitur ob fuliginum copiam, uox rauceſcit accerſita in aſperam arteriam fluxione, ſputum craſſeſcit, caput grauatur, dolet, palpitat cor, atque tremiſcit ſonticorum uaporum copia perculſum, areſcunt fauces, flammantur, dolitant, idem thorax ſentit incommodum ob ſanguinis orgaſmum, & æſtuationem. Reſupinatis pedes contremiſcunt reuocato ad præcordia ſpiritu, quibus comes it concluſa febris.

De Morbillis.

CAPVT VIII.

MOrbilli in hoc differũt à uariolis, quòd proueniunt à cholerico ſanguine, quòd minùs increbreſcunt, minùſq; grandeſcunt, protuberantue, quòd ſolam quaſi cutem afficiãt prodeuntes ob materiæ tùm paucitatem, tùm tenuitatẽ. Variolæ uerò in principio emanantes ſuam habent eminentiam, & elationem, ſed morbillus minutior eſt, minùſque infeſtat oculos. Indicia verò futurorum morbillorum sũt ferè eadem, quę uariolarum, ſed in morbillis maior anatrope, ſtomachique ſubuerſio ob bilis palyndromen, ſubeſt maior angor, inflammatio uehementior, dorſi dolor minor, quoniam in uariolis eſt repletio ſanguinis uenas diſtendẽs poſitas ſuper dorſum, ſiquidem generantur uariolæ à copia corrupti ſanguinis, morbilli magis à malitia, & prauitate bilioſi ſanguinis, quàm à copia. Præterea morbilli, ut plurimum ſubitò, confertimque ob materiæ uim, tenuitatemque erumpunt, uariolæ ſucceſſiuè, & procedente tempore.

De ſignis ſalutis, aut mortis.

CAPVT IX.

VAriolæ celeriter, promptèque erumpentes, atque ad pepaſmum peruenientes ſalubres ſunt, naturę enim energiam, & materiæ morigeræ obſequium demonſtrant. Duræ verò, tardæ uiolaceæ, ægrè matureſcentes, queis angor, & ſyncope it comes, quæ modò foras emergunt, modò ſeſe intrò recondunt, peſſimæ, lethiferæque ſunt, ſiquidem ut inuictæ materiæ uim, copiamque arguunt, ita naturæ ſuccumbentis infirmitatem.

De curatione Variolarum.

CAPVT X.

VAriolarum curationem ordiri neceſſe eſt à miſſione ſanguinis, ſi ſcopi præſto ſint, ante quàm quarta dies præterlabatur, hoc idem faciẽdum in curatione morbillorum, dummodò copia ſanguinis, unàq; uirium robur ſubſint. Sed procedente morbo, & erumpentibus iam uariolis nõ eſt amplius opus ſanguinis miſsione, ni ſumma adſit plethora, quo caſu tantùm ſanguinis detrahendũ, quod ſatis ad leuandam naturam. Nullum verò præſidium æquè conuenit huic ægritudini, atque phlebotomia; Quod ſi ſanguis è naribus effluat, is tuetur ſuperiores partes à læſionne, nequitiaque variolarum, quæ pueros vt plurimum adoriuntur. Sed quando neceſſaria eſt phlebotomia,

botomia, & prout res exigit, sanguis non effunditur, verendum maximè, ne extrema corrumpantur, sphacæloq; afficiantur. Idem periculum manet illos, qui indesinenter frigida, extinguentia intrò vsurpant. Quid verò? Ægros in primis alere oportet cibis quoquo pacto roborantibus, & citra adstrictionem stypsimve, aut crassitiem sanguis feruorem compescentibus, qualia forent iuiubæ, thamarindi, & immitium dactylorum flores, lentes præparatæ, nempè decorticatæ, deglubitæque.

Necessaria item est alui lenitio, & propterea vnà cum cibis administrare oportet thamarindos. Inter alimenta verò, quæ præcipuè conueniunt, censetur cucurbita, & anguria, nam hæ aluũ leniunt, & sanè in principio confert aluum esse lubricam. Sed nulla ratione tutiùs aluum subduxeris, quàm thamarindorum pulpa, quibus nihil promouentibus addatur aereum mel, aut Damascenorum prunorum infusio, cautè tamẽ, ne quid nimis, ne naturæ conatus interpellentur. Verùm prodeuntibus variolis expedit præbere ʒ. iij. succi dactylorum syluestrium con. ʒ. ß. trochiscorum de caphura. Similiter syr. concinnatus è floribus, aut dactylis immitibus mirandum in modũ confert. Quum itaque secunda iam exacta die variolæ emergere incipiunt, tunc refrigerare nefas est, siquidem frigidorum vsu, quæ natura foras propellere, protrudereque nititur, intus cohibentur, retinenturque, quę ad præstantissima membra temerè regeruntur. Cùm igitur isthæc superuacua exitu prohibẽtur, regesta angorem, iactationem, & fortassis etiam syncopen inducunt. Quare apparentibus maculis, æstus, & digestio promoueri debent, vt promptiùs hęc superuacua ad cutem totius corporis emissarium ablegentur, vię, meatusque expediendi. Hæc verò beneficia præstabũt fœniculũ, apium, siue decocta, siue exuccata, item ficuum D. ficus enim egregiè ad cutem excremẽta conuehunt valde salutari consilio. Sequens itẽ præsidium apprimè confert. ℞. laccæ ʒ.v. lentium decorticatarum ʒ.vij. tragacanthi ʒ.ij. decoquantur in ℔.j. ß. aquæ ad quartam, deturque ex potu. Nec minus istud conducit. ℞. ficuum citrinarum ʒ.vij. lentium decorticatarum, laccæ ana ʒ.ij. tragacanthi sem. fœniculi ana in ʒ. ij. coquantur ℔. j. ß. aq. ad tertias, colatura tepens propinetur. Hoc apozema è centro, partibusque cordi proximis calorem in habitum corporis effundit, & cordis palpitationem abercet. Interim caue, ne oleo, aut quopiam alio emplastico vtaris ad oblinendum corpus, nam hæc meatus offerciunt, & impedimento potiùs sunt, sed ægri studiosè stragulis tegantur, & tepidiore cubiculo decumbant, nec aerem frigidum admittant ne cutem densent, præsertim hyeme, frigus enim poros conniuẽtes reddit, introque materias tegerit. Pessimè proin agitur, dum frigida affatim offertur, cum habitacula niue, & ventis perflata, rigentiaque conceduntur. Exactis autem duobus, tribusve diebus postquam prodire foras variolæ cœperunt, satius est venæ sectioni parcere, ne phlebotomia naturæ impetum remoretur, retrahatve, cuius vice, si opus fuerit, suffici possunt humidæ cucurbitulæ.

Conducit sanè decumbentes accuratè protegere, sed interdum ob nimiam anicularum diligentiam ita operiuntur peristromatis ægrotuli, ita calfiunt, vt vel superueniat animi deliquium, vel nihil sit illo propius, quo quidem tempore (ne ægri suffocentur) necessum est frigidum aerem admittere, qui inspiretur quidem, minimè verò corpus ambiat, quin odoris thymiamatis suffiri debet, vt santalis, & caphura. Quòd si omnino necesse fuerit corpus aeri frigido, & stridentibus exponere ventis, hoc cautè, paulatimq; fiat, simile in calfaciendo sit consilium, ut scilicet paulatim procedatur.

Cæterùm vbi erumpit variolarum seges, nullumque emersione afferunt naturæ leuamen, quin maior ardor, maiusque detegitur incendium, quod ex nigredine linguæ conijcitur, tunc calfacientibus parcendum, & ab emplasticis abstinendum; quæ ventri inducuntur, ne subitò spiritus contrahatur, aut fluxus ventris, vel cruenta accidat mictio. In fine verò, ut natura conseruetur, operæpretium est, ægros alere biscoctis lentibus renouata aqua, & loco lentium acidarum thamarindorum commercio dentur lentes aceroſæ factæ cum succo acido granatorum, & sumach, & omphacio, & similibus.

Medicinæ verò sanguinem crassefacientes, refrigerantes, & ebullitionem inhibentes, quæ ab initio præscribuntur, sunt ceu rob de ribes, omphacium, aqua fructuum frigidorum, syr. de floribus dactylorum immitium, seu dactyli ipsi immaturi. Sed age missis pluribus, quæ etiam in antidotario notantur egregiam, & mirabilem præscribamus medicinã. ℞. succaginis alchedar partes duas, aut eius vice, si desideretur tantundem alchori, qui in scobem minutissimam redigatur, tùm cum subdupla santalorum portione macerentur in aceto destillato, aut in omphacio puro aliquot diebus, dein facili, longaque ebullitione coquatur donec dissoluatur, dein exprimatur, & succus hauriatur, & quanto plus aceti, aut omphacitidis succi supereſt, tãto melius est. Subinde sumatur aqua detracto butyro, & caseo accuratissimè depurata siue per consumatissimam colaturã, & residẽtiam, siue per decoctionem etherogenea segregantem, digerentemque. sumatur post hec hordeacea farina, ex qua cum aqua lactis acidi fiant focula, quæ acida quoque reddita percolẽtur, iterumq; focula compingantur, & acida fiant eadem industria sæpius repetita. Horũ ergo partes quinque sumantur succi pyrorum agrestium, cotoneorum, granatorum acidorum, pomorum acidorũ, limonum, alzarur, prunorum acidorum dactylorũ immitium. Alkendi recentis, mororum nigrorum immaturorum, vuæ immaturæ, ribis, pampinorũ vitis, rosarum, persicorum, nenupharis, violarum omnium ana tertiam vnius partis, succi aciditatis citrij, aurãtiorum, lactucæ, papaueris, endiuiæ coriandri, portulacæ ana quartam vnius partis, succi foliorũ salignorum, fol. malorum, fol. pyrorũ, fol. alzarar, fol. rosarum bursæpastoriæ ana quartam partis vnius, succi herbæ hircinæ, rosarũ siccarum aceto madefactarum, nenupharis siccæ, berberum siccarum, sem. endiuiæ lactucę, balaustiorum ana

medietatem decimæ partis vnius, succi menthæ humidæ sextam partis, vna coguntur omnia, cùm succi berberũ partis medietate igni admouebãtur, quibus lentium partes quatuor adijciantur, hordei deglubiti partes duæ, sumach partes tres, granorum malorum punicorum, partes totidem, coquantur simul vniuersa igne acapno ad dimidias, subtracta dein ab igne refrigescere sinuntur, & cõprimuntur fortiter, & percolantur, colaturæ pro singulis tercẽtum drachmis tritæ caphuræ adijcitur aureus vnus, diligenter autẽ contrita caphura super fundum vasis insternitur, subinde medicatũ scitamentum infunditur, tùm vasis osculum accuratè obturatur, & super prunas ponitur donec deintegro ebulliat. Postremo ponitur in phiala vitrea, & studiosè osculũ obducitur luto, ne vis caphurę expiret, & euolet. Dosis est vsuq; ad ʒ.x. sũt, qui piperis, spicæ, Zinziberis, sem. fœniculi, anisi, cyperi partes æquales, iuxta dosim conuenientem apponunt.

Et vbi variolæ perfectè emanarunt, se sequę prõpserunt, & septima præterijt dies, & perfectio, maturatioq; visitur, tunc bullas, & tubera disrumpere necesse est sũma dexteritate aurea acu adhibita, & gossipio, hapsuq; humiditas accuratè exhaurienda. Salis autem aspersio necessaria est, sed ijs deneganda variolis, quæ vastæ sunt, dolorificæque. Cauendumque, ne sale claudãtur, ne adstringanturve meatus, per quos repurgãtur vlcuscula. Præterea nec sale sunt aspergenda priùs, quã maturuerint perfectè, alioquin & dolorem, & inflammationem pareret. Salis quidem affusio est necessaria post maturationem, sed hoc salita aqua præstandum, quæ vim croci receperit. Quod si aqua illa est rosacea, præsidium multò efficacius euadit. Similiter mirandum in modum confert aqua salita decoctionis rosarum, thamaricis, lentium, maximè si santalis, atque caphura aromatizetur, salitura enim præterquam quòd maturat, assiccat, & absumit ocyssimè pustulas; prosunt etiam thymiamata, atque suffitus maximè hyeme ex thamaricibus, & si variolæ fuerint admodum vuidæ, ex myrthi baccis, & foliis. Conuenienter etiam patientes egerint, vbi maturuere tubercula, si super farinam subtilissimè tritam oryzæ, milii, hordei, fabarum obdormiant, si magna stet corde voluntas siccandi; Sed satius fuerit, huiusmodi polline culcitram rarissima tela contextam, & intersutam replere, per quam farinæ arentis vis in carnes peruadat; oleum verò huc nullatenus admittitur, quoniam afficationẽ, quæ habetur pro scopo, inhibet. Quando verò assiccari occipiunt variolæ, promouenda est actio præfatis remediis, quæ uim croci admittant. Vbi verò variolæ exulcerantur, tunc præclarè conducit vng. album camphoratum cum puluere rad. arund. & aq. ros. aut certè cum puluere ligni saligni, aut arzarar. Interdum puluerem cerussæ inspergere vtile est, aut lythargiri. Vbi verò crustæ, pustulæq; sæuiores subsunt, confert adhibere cerarum concinnatũ ex cerussa, cadmia cum puro ol. ros. addita ceræ suff. copia. Vbi autem aruerunt prorsus variolæ, non erit absre adhibere aliquod genus olei, quod pustulas quam mox tollat.

Cęterùm rubrum vnguentum præstantissimum est ad vlcera variolarum.

Vt membra quædam ab insultu, & læsione variolarum, & morbillorum præseruentur.

CAPVT XI.

MEmbra, quibus præstare oportet auxilium, ne offendantur, sunt oculi, nares, guttur, pulmo, intestina, hæc enim membra facilè vlcerantur, oculi verò fortasse occæcantur, interdum albugine vitiantur. In gutture nonnunquam vlcera emergunt, quæ deglutitionem præpediunt, & esthiomena, corrodentiaque euadunt, nonnunquã suffocatio oboritur. In naribus verò aphtæ excitantur, quæ obturant meatus odoris, in pulmone pustulæ exoriuntur, spirituſque difficultates, quæ quidem pustulæ si exulcerantur, phthoen pariunt. In intestinis accidit excoriatio difficillima curatu.

Sed age prophylacticen percurramus. Oculi præmuniantur ad cautelam frequenti fotu ex aqua rosacea decoctionis sumachiorum & caphuræ. Confert item acidorum granatorum succus. Quòd si oculi vitium aliquod contrahant, expungitur ol. de phisticis ritè adhibito, hoc enim caligines, albugineſque ex oculis eximere, & oculos integritati restituere consueuit, os verò, & fauces tueri licet gargarizatu ex succo malorum punicorum, mororum immitium, siue diamoro dissoluto ex aqua plantaginis, aut millefolij, maximè si dolor subsit, oportet autem identidem aliquid lambere succi hypsideos participis; superiores verò nares in primis tuetur acetum tùm olfactum, tùm in nares sæpè attractum, verùm tuendis pulmonibus lohoc de lentibus cum sem. papaueris conducit. Atqui intestina præmuniuntur adstringentibus, & roborantibus, qualia sunt rob de ribes, de berberibus succi malorum punicorum, trochisci de spodio.

De variolarum extirpandis vestigijs, vibicibusque.

CAPVT XII.

NOn est hic, cur longum faciamus, cum hæc materia ad caput de decoratione pertineat, dicemus nihilominus quædam, quę magis vsui sũt futura. Abolent uariolarum uestigia rad. arundinum, sarcocolla sem. melonum, & reficcati cortices, aqua hordei, albumen oui, lythargiron, saccharum optimum, amylum, amygdalæ dulces, & amaræ, inter olea præstant ol. liliorum phisticorum. Adeps asselli cum oleo ros. Sed omnium est optima aqua, quæ colligitur in vngula arietis, cum assatur. Fortiora sunt spuma maris, pumex, ammoniacum, thus, sapo cum nitro, ossa vetusta adusta, & puluerizata, farina raphani reseccati, aristolochiæ, lupini.

Inter cibos verò, qui suauem, iocundumque colorem corpori conciliant, sunt mala punica, dulcia, & cicer, & vinum bonum, & sorbilium ouorum vitelli, iuscula, & carnes gallinæ, perdicis, auicularum, pinguiumq; coturnicum. Sed illud in primis obseruandum, vt frequẽs balnea adhibeantur.

Inter

Inter composita hæc præstare videntur. ℞. ossium adustorum stercoris ouilli antiqui, testarum recentium. amyli, sem. mel, oryzæ ablutæ, ciceris ana partes decem, granorum albem, lupinorum, costi, aristolochiæ longæ ana partes quinque, rad. arundinis aridæ partes xx. f. linimentum cum aqua melonum, aut cum aqua cucumerum syluestrium, aut cum aqua hordei, aut cum aqua fabarum, membraque hinc oblinantur, & mane ex aqua violarum abluantur. Aliud. ℞. testarum nouarum, ossium veterum, rad. aridissimæ arundinis, amyli, sem. melonum, oryzæ ablutæ, granorum albem, costi partes æquales, fiant ex eis succo aliquo exceptis gumera, nempè linimenta ori adhibenda.

De Febribus apostemata sequentibus.

CAPVT XIII.

IAm prædiximus, quænam feb. sequantur externa, euidentiaque apostemata, quod nimirum vt plurimum sunt feb. ephemeræ, cum calor duntaxat ad cor perueniat, non putredo, vbi verò simul putrida fuligo cordis peruadit thalamos, aut propter apostematis magnitudinem, aut propter viciniam, tunc putrida febris repullulat, & talis quidem fit causis externis replentibus. Fiunt interdum etiã ab vlceribus, ad quæ malignæ confluunt materiæ, & inculcatæ ibi in carnibus molliculis coercentur. Febres autem, quæ internas inflammationes sequuntur, sunt deteriores, & non fiunt solo caloris accessu ad cor sine putrida fuligine appellente, maximè si pendeant ab aliquo erysipelate viscera occupante, sic enim uehemens fit dolor, & sitis & febris, illisque potissimùm significantur indicijs, quæ bilis plurimæ cum sanguine coitum, commixtionemque arguunt.

Hæc verò intestina apostemata sunt, sicuti cerebri, & mænyngum, & aurium, & fauciũ, & pleuræ, & hepatis, & renum, & ueficæ, & intestinorum, & similium. Prout verò feb. uehementiores, aut mitiores fuerint, ita discrimina constituunt, tales ad hæc sunt, prout apostemata cordi viciniora, longinquioraue fuerint, apostema enim carneam occupans molem vehementem parit febrẽ, quod verò panniculos obsidet, aut similia membra remissiorem procreat; Rursus apostema maximum magnis implexum arteriis feb. parit ardentiorem, quod uerò est proximè uenas mitiorem.

Non carent autem istæ febres pro conditione materiæ, quæ ad inflammatas particulas confluit, suis periodis, & typis. Vnicuique enim inest sua periodus, quæ sibi conuenit.

Scire autem decet, sæpè inflammationes aboleri remanente febre, hocque accidit, quia corpus scatet excrementis, quæ feb. fouent. Et profectò huiusmodi feb. si producantur, diuque perdurent, desinunt in hecticam, præsertim si apostemata iecur obsederint. At verò febr. quæ velaminum, phlegmonas excipiunt, ubi obsirmantur, consistuntque diutius, interficiunt priùs, quàm fiat ad hecticam gradus, quæ frequèns consequi malè curatas phlegmonas assolet.

De signis, & iudicijs apostematicarum Febrium.

CAPVT XIV.

TRia signorum genera se se nobis exhibẽt noranda in febribus ex internis inflammationibus oriundis: quædam enim sunt, quæ affectam particulam demonstrant, quædam morbosæ materiæ speciem denunciant, quædam ægrotantis dispositionem arguunt. Prima signorum species est, ueluti pulsus serrinus, & dolor punctorius, quæ ambo significant apostema in partibus pectoris, similiterque tussis sicca in principio, tum humida, & quæ in pleuritide obseruantur, & in summa dolor, & grauitas insueta in mẽbro, quod est reliquis membris præter morem calidius; Et sicuti conuulsio, quoniam idẽtidem neruosarum partium phlegmonas comitatur. Secunda signorum classis arguit materiam, ut tertiana uehemẽter exardescens denunciat bilioſam materiam. Tertia uerò classis significat aut mortem, aut salutem ægrotantis. Et sanè abditę inflammationes diuersimodè febres accendunt penes acutiem, & uehementiam, penes perennitatem, & intermissionem, prout magnæ, aut paruæ inflammationes fuerint, prout maximas uenas, & arterias, præcipuaque membra occupauerint, nam quædam excitantur propè cor, vt in pleura, & pulmone, quibus cum corde summa intercedit consensio, quædam longè à corde enascuntur, & paucum cum corde obtinent consensum, vt quæ obsident renes, hic enim excitata phlegmone non semper magnas parit febres, & continuas; imò sępè intermittentes uisuntur, & sunt de genere feb. commixtarum, & feb. tertianarum, & quartanæ, & quintanæ, & rigor semper huiusmodi feb. comitatur, & horror, hinc anceps redditur harum febr. natura; phlegmonen autem significant grauitas circa regionem renum, dolor, & solito molestior caliditas. Vbi verò in particula prȩcipuis propinqua phlegmone repullulat, aut certè in parte, quę magnam cum principibus consensionem habeat, aut sit acutissimi sensus, aut neruea, tũc unà cum febribus accidunt sęua symptomata, nempè iactatio magna, uigiliæ, conuulsiones, & insolentiora etiam incessunt sympcomata, utpote cum inflammatio obsidet matricem, tunc enim comes it dolor capitis, & cernicis. Porrò caliditas in hisce apostematibus, quando inflammatur non vsque adeò tamen exardescit, quemadmodum in causone; ea uerò est ratio, quoniam putredo non est ita diffusa, atque explicata ad exteriora; pulsus verò feb. ex phlegmone intrinseca peræquè se habent, ac pulsus feb. ex putredine, siquidem in principio parui sunt, systole concitatior, in statu veloces fiunt magni, quin variam & ipsi subeunt affectionem pro inflammatę particulę, & materiæ inflammantis conditione. Fit enim aliquando undosus, serrinus, pro membri disparili ratione. Vrinæ verò vt plurimum crudæ albidæ apparent, minimùmque coloratæ, quoniam materia confluit ad apostema, ut notum est, totius enim satagens natura ad particulam infirmam quidquid præsenti auxilio esse potest, amandat.

De curatione feb. apostematicarum.
CAPVT XV.

CVrantur hæ febr. perinde, ac putridæ acutæ præter studium, quod impendi debet ipsis phlegmonis, radix enim curationis ab inflammatione percurata pendet exhibendo interim, quæ febri debentur, frigida, & humida. Cæterùm interest inter harum feb. curationem, & simplicium feb. quoniam in hisce feb. non conceditur potus aquæ frigidæ, neque introitus in balneum. Et si fuerit apostema erysipelaceum, licet apponere actu, potentiaque frigida, sicut lactucã, portulacã, semperuiuũ, quæ crebrò immutãda sunt, ne calfacta recalfaciant, quibus licet permiscere omphacinum oleum, aut rosaceum, & si ægri lactucas esitauerint diligenter ablutas, incendium, æstusque remittitur, & commodis augentur, familiaris siquidem remedij materia euadit lactuca opportunè adhibita.

De dispositionibus feb. compositarum.
CAPVT VXI.

INterdum fit febrium mutua permixtio, siue componantur, quæ summo genere conueniunt, vt putris cum hectica, siue quæ proximo genere consentiunt, vt putris cum putrida, puta tertiana cum quotidiana, qualis est hemitritæus. Interdum coeunt, quæ specie conueniunt, vt implexus duarum tertianarum, aut duarum, triumve quartanarum, adeò vt si paroxysmos respicias, speciem referant quotidianæ febris. Interdum videre licet implexum trium tertianarum. Quare die tertio, si alternatim succedant, paroxismus erit vehementior, quoniam fit feb. anadiplosis, pariterque quinto die. Hoc idem cernere est in hemitritæo: Duæ tertianæ quotidie perinde repetunt, atque quotidiana. Quare ad paroxysmos non est, cur collineemus, mentisque aciem conuertamus, sed potius ad symptomata intendere animum oportet. Hoc verò discrimine tertianarum implexus distinguitur à quotidianis febribus, quod vti istæ cunctanter procedunt, ita illæ festinanter cursum suum absoluunt. Implexum feb. potissimũ significat nouissimus horror priore decedente febre. Ignominiosum autem est Medico prima, aut secunda die febr. compositionem non internoscere. Cæterùm hecticæ coitio, atque coniugatio cum putri valde difficilis cognitu est; siquidem cernere est certas periodos, crementique, & decrementi distincta interualla, rigoris, horrorisque insultus, & sudoris eruptiones, quare facilè persuadentur ad credendum, ibi adesse implexum putrium feb. continuarum, aut certè perennis cum interpoli. Atque interdum compositio ita continuatur, ita æquiter progreditur, vt appareat vnica febris continua synocho similis. Tunc verò sedulò ad signa animum intendere necessum est. Si breues fuerint accessiones, continuationis consecutione destitui consueuere, (ni magna vis causæ interueniat, quæ euentum deteriorem pariat) præsertim illæ, in quibus magno interuallo interpolationes dissideat. Sed enim vbi diuersæ febres commiscentur, vti in hemitritæo, chronica remanente febre extirpatur acutior, siue sint ambæ interpoles, siue continuæ, siue perennis vna, intermittens altera. Nonnunquam cum semitertiana coit alia tertiana, aut quotidiana, aut quartana. Interdum alia ratione fit febr. connexio, vtpote quando tertiana intermiscetur quartanæ, aut comparis generis febres congrediuntur, puta interpolis tertiana cum continua, aut continua cum continua; & licèt non defuerint, qui rati sint, binas febres perennes simul coire non posse, puta duas tertianas, quoniam quando materia est intra venas, fieri non potest, vt humor, cui accedit putredo, discrimen subeat, quando in totam humoris molem diffusa est putredo. Sed hæc opinio nihil solidi, aut necessarij concludit, quoniam certo foco accenditur putredo, quę subindę dilatatur, vnde incrementi signa palam fiunt, postremò etiam tepescit, prout paulatim putredo prior absumitur, & certos, statosq; motus proferr, nec diu protrahitur remissio, quin secunda succendatur putredo, quæ præcurrenti, mitescentiq; præpolleat, & suos motus obeat vehementia, & lenitate distinctos. Verùm enimverò permixtionis feb. tres species sunt, scilicet intrãs, coalternata, & communicans. Intrans est, quæ nondum extincta priore feb. suboritur; alterna, quæ priore summota repullulat, communicans, quæ unà ægros aggreditur, insultatq; eodem temporis momento. Cumque feb. conclusam obseruaueris, & vnà rigorem, minimè verò sequentem sudorem, nisi post plurimas rigorum vices, illud argumentum est, feb. esse compositam, pariterq; cum videris in concluſa immodicum extremorum frigus, ex retracto intrò calore id accidisse puta, sed imago, speciesque horum symptomatum etiam soli concluſæ interdum intercidere consueuere.

De hemitritæo.
CAPVT XVII.

HEmitritæus est febr. composita ex duabus febribus, quarũ vna est tertiana, altera phlegmatica quotidiana, adeò vt tertiò quoque die bini incidant paroxysmi. Coeunt verò huiusmodi febres uel penes communicationem, vel penes alternationem, vel penes subingressum. Implexus primò, vel secundò modo difficilè cognoscitur. Quandoque sunt duæ feb. continuæ, quando subsunt duæ inteſtinæ putredines, & quandoque duæ sunt periodicæ, quæ ad apyrexiam perueniunt, quando duo subsunt putredinis foci, & minoræ extra maiores venas. Interdum complicantur tertiana perennis, cuius interna putredo, & phlegmatica interpolis, nonnunquam contrarium uisitur. Quidam germanam hemitritæum statuunt febr. cõpositã ex interpoli tertiana, & quotidiana continua, quæ sequius accidit, impuram, spuriãq; semitertianam vocant, sed distinctio non est tanti momenti, vt sedulam occupationem requirat, satis sit nosse, interdum putredinem cholerę anteuertere, sæpè occupare phlegmaticæ, sępè vnà recedere, atque congredi. Nonnunquam materia feb. quotidianæ præpollet, interdum tertianę, quò fit, vt materia quotidianę producat, pronehatque

etiam

etiam paroxysmos tertianę, & crisim eius protrahat, interdum materia cholericæ febris periodos phlegmaticæ à contrario corripit. Sed reuera hemitritæus interdum extenditur vsque ad septem menses, atque etiam eò ampliùs, interdum etiam ex hemitritæo fit acuta ægritudo. Sed enim hemitritæus vt plurimum febris est interficiens, quoniam aut in hecticam, aut in feb. chronicas solutu difficillimas definit. Hoc autem ob materiæ copias, & contrarias dispositiones euenit, vnde contrariæ eliciuntur indicationes.

De signis hemitritæi.

CAPVT XVIII.

INter signa magis propria, quæ hanc feb. arguũt, illud est potissimum (quamquam & alia indicia sunt necessaria) quòd scilicet febr. hæc duarum dierum intervallo, vna die paroxysmũ prolixioris spatij committit, quàm tertiana, sed pacatiorem, mitioremque, altera verò die leuior succedit accessio, & minora emergunt symptomata. Fit hæc feb. horrifica propter materiarum correpugnantiam, aut ob alterius feb. ortum, accessumque, nec horrores admodum pergunt, quin calor succedat ex aliqua parte, horrore adhuc in alia parte perseuerante. Nec profectò febr. hæc integrè ad apyrexiam peruenit. Nonnunquam principium, & incrementum huiusce febr. est admodum vehemens, magnam in corpore commotionem excitat, quando maximè febres vnà reciderint, aut alteri superuenit altera, tunc enim horrores vicissim, iteratòque repetũt, & incessunt, & status feb. longè producitur (nam quando creditur iam ad vigorem peruenisse, tunc horror lacessit) quæ quidem symptomata ob materiæ repugnantiam interueniunt. Status certè huiusce febr. tùm penes particulares accessiones, tùm penes vniuersalem feb. constitutionem anteuertit statum phlegmaticæ, cholericę verò statum non occupat, sed sequitur segnior, quoniam calor liberè non se se explicat foras, imò difficulter, maximè à principio. In vigore morbi acuties cõduplicatur, decessio verò, declinatioque prolixa est, tardaque quoniam mutua materiæ concertatione retardatur perfectio. Minimùm porrò cum sudore tepescit. Hoc autem ordine procedit febr. vt tertia die feb. primæ respondeat, quarta secundæ. Hemitritæum esse aliunde etiam dignoscitur, nam ex vitæ consuetudine, & ex accidentibus colligitur. Ex consuetudine quidem, vt si quis ex cholericorum vsu bilem aceruet, quæ subinde putrefiat, postea delitijs vtatur, exercitia dimittat, & cibis vescatur, qui degenerent in phlegma: Aut à contrario primò pituitatis prouentus succrescãt, & putredo subinde choleræ ex vsu biliosorum, siue ætas, causſæque dispositiuæ illud efficiant, vt cum adolescentia excipit pueritiam, quæ humiditatis ferax est, vt illa caloris, aut cum virilitas iuuentutem, æstuosamque temperationem. Conijcitur etiam ex accidentibus, vt ex pulsus, & vrinæ conditione, & ex alijs excrementis per vomitum, & egestionem, penes item concoctionem; penes sitim, penes tactum, penes dispositionem horroris, & rigoris, & iuxtà etiam periodorum circuitus, & aggressiones. Siquidem pulsus in hemitritæo minores sunt, quàm in phlegmatica; Vrinæ sero digeruntur, perficiunturque vomitiones ex cholera, & phlegmate permixtæ, egestiones similiter. Quoad verò frigoris, & calefactionis, quoad horroris, & paroxysmorum dispositionem, & reciprocationem abundè actum est. Vter verò humorum præponderet, præpolleatque suis indicijs conijcitur, nam si phlegma excedat, paroxysmi lõgiores sunt, horror minor, maiorq; in pulsu contractio, promptiùs refrigescunt extrema in principio accessionum, segniùsque incalescunt, sitis minor adest, cholericorum vomitus minor, vrinæ impendiò crudæ, pallidæque meiuntur, sudor minor, ætas puerilis, aut senilis viget, complexio corporis ob viscerum antipraxiam pituitæ, & choleræ prouentui opportuna. Accedit vitæ consuetudo, vt ediximus; generandis excrementis cum pituitosis, tùm biliosis idonea. Quòd si præpolleat cholera, breuiores sunt paroxysmi; extrema ocyus calescunt, sitis magis fatigat, & cholericæ vomitiones negotium faciessunt, sudor vberior erumpit, horror is est, vt rigorem referat potiùs. Vrinæ coloratiores sunt, huc faciunt ætas, temperamentum, consuetudo quæ ad bilis generationem conducunt, disponuntque. Vbi verò peræquè se habent humores, æqualia quoque sunt signa, siquidem horror completus adest, feb. continua, interpolisque iugantur, quam quidem societatem veram genuinamque semitertianam parere nonnulli rati sunt, vbi quippè subest phlegmatica perennis, & biliosa intermittens, quando scilicet materia cholerica est extrinseca, cui innexũ phlegma nullum vim infert, quòd attinet ad rigorem, qui debilior est, & frigus, horrorque identidem reciprocantur, vt hallucinari Medicos circa statum cogant. Verùm dum extrema algere cernuntur, viscera intus flagrantia torrentur, pulsus uehementer parui fiunt, & rari. Quòd si à contrario continua sit feb. cholerica, non fit rigor, neque magnus horror, sed pulsus maiores, velocioresque sunt, & angustia, anxietasque maior apparet. Quod si ambæ continuæ coeant, non visitur rigor, & continuæ tertianæ accidit, vt mitificetur antequam phlegmatica alleuetur, quamquam illa non anteuertit eius aduentam.

De curatione hemitritæi.

CAPVT XIX.

IN curatione hemitritæi maius studium adhiberi impendique debet circa euacuationẽ materiæ per secessum, per vomitum, per vrinas, per sudorem, quàm circa refrigerationem, caloriſque alieni extinctionem. Ante quàm verò cathartica adhibeas, concoquentia sunt administranda; lenientia verò, quæ humores intus minimè perturbant, tutò in principio dari possunt, veluti manna, mel ros. sol. si phlegma præponderarit, si cholera, pulpa thamarindorum, syr. ros. laxatiuus, & similia, si pari mole coeant humores, pharmacum componatur æquis portionibus respondens humorum vitio. Apparente concoctione, conceditur euacuatio per attrahentia pharmaca. Vomitus item præscribi ita debet, vt superuacuos, redun-

redundantesque humores educat, excitari autem poterit aut ex raphani decoctione vnà cum syr. acetoso, aut ex aqua tepente cum eodem syrupo. Proritatio omnino temperatis fieri debet, ne violens succedat humorum impetus. Vbi verò ante concoctionem cito pede gradus fit ad diureticas, aut diaphoreticas decoctiones, certè multum impendet phrenitidis periculum, illa enim cum impendiò excalfaciant, materiam ad caput sublimant. Cæterùm progrediente ad statum morbo nihil æquè tum ad æquandam materiam, & concoquendam, tùm ad roborandam naturam aduersùs noxia symptomata confert, atque absynthium, dari tamen debet duntaxat exacta saltem septimana apparente iam concoctione; Romanum verò absynthium volo. Quod si absynthij vsu concoctionem anteuenias, humores quidem ciebis, & nihil educes, interim angores, anxietudinesque, & tristitiam, & nauseam excitabis, adhæc absynthium sua amaritie excitos humores resiccat, subinde etiam impingit, & ineptos motui reddit. Et sanè Galenus, Galenoque vetustiores curarunt hanc febrem ptisana hordeacea respersa modicello pipere. Et Coryphæus quidam, nempè Alexander Tralliānus alenum inexplicabilis erroris impudenter insimulauit, quòd scilicet nesciuerit inflammari, cumularique febrem à pipere, & ab hordei vsu materiam crassèfieri, & inepcam perfectionibus reddi; sed Antagonista inexcusabili errore se se perstrinxit, nam si naturæ opitulari necessum est redigendo materias ad quandam æquabilitatem, & temperamentum, vt minùs reluctentur calori perficienti, cuius solius est coquere, operæpretium est cum frigidis calida administrare, vt singulis morborum cauffis opponantur præsidia, sic enim fit, vt natura discretrix frigida febri, & cordi accommodet, calfacientia verò materię. Ecquis per Deum immortalem est, qui semitertianæ curam perficiat citrà hanc methodum? Quod si natura in discernendo, digerendoque non sit valens, & robusta præsidia quocunque pacto administrentur, nulli sunt vsui, pro nihilo curatio suscipitur. Vir ille bonus aliter quoque falsus est, sed non est, cur longum faciam singulas afferens fallacias. Atqui bonus iste Antagonista ad pauca respiciens dixit, opus esse attenuantibus non admodum calidis, vtpote apio, & anetho; quippè nescius, quòd deflectere piper videtur modicum ab apio, & anetho extenuandi facultate, quòdq; eius caliditas tanta non est, vt formidari debeat, cum modestè conceditur; quod à multa hordei mole obruitur, obtunditurque, & interim ad interiora conuehitur, vbi materias lenit, exæquatque, uiresque interim in humores agendo dimittit. Ad hæc mirum, atque iterum mirum, quòd Galenum inter eos censuerit, qui ignorant, piper inflammare, intendereque feb. & appellat eum obliuiosum, cum subindè piper ipsum præscribat febrientibus. Sed hactenus indisciplinatum. Composita quæ conueniunt huic febri, sunt trochisci de absynthio, & de rosis. Mitto alias præscriptiones, vtpote quæ passim extant, & prostituuntur trochiscorum. Satis sit, vnum, atque alterum præscribere pharmacum, quo aluus subducatur. ℞. Aloes, mastiches, myrobal. citrearum, rheubarbari, succi cupatorij, succi absynthij, ros. rub. omnium ana partes æquales, croci partem dimidiam, m. f. pillul. cum aqua endiuiæ Dosis ʒ. 11. cum syr. acetoso. Præscriptio altera post digestionem. ℞. aloes, mastiches, succi cupatorij, succi absynthij, ros. ana partes æquas, croci ʒ. v. m. formentur pillulæ cum aqua endiuiæ, Dosis ʒ. 11. cum syr. acetoso.

De recidiua.

CAPVT XX.

REcidiua deterior est anteriore febre, vnde deraditur ipsa, tùm quia vires (prioris ob vim morbi) debiliores nanciscitur, tùm quia pars est augmenti antecedentis ægritudinis. Proin eius consilij author sum, vt curatio temerè, festinanterque non suscipiatur (properante enim ad statum morbo melius est quietem habere) sed maturo consilio omnia priùs perpendantur, dum ægritudinis modus, & conditio se se euidentiùs prompserit, prodideritque, namque vt plurimùm sæuis stipatur symptomatis, quom ex ipso accretionis fonte dimanet.

CONSI-

VARIORVM CONSILIORVM MEDICINALIVM

Decem Decades.

IOANNIS STEPHANI
IATROPHYSICI
VENETI.

Quæque suos retinent numeros, numero omnia constant,
Fatalis nexu complectitur omnia Denus.

DECAS PRIMA.

Pro Maniaco Hemianthropo Accedicola.

CONSILIVM PRIMVM.

VRanti Medico inter reliquos artis Magistros cõsultatione præcipuè opus esse Plato, atque Arist. scriptis tradidere, quòd fortasse, vt monuit sapiens ille, Vbi sunt consilia multa, ibi salus sit. Cæterùm consultatio non de fine, sed de medijs ad finem conducentibus instituitur, vt docuit Philosophus (est enim consultatio rationalis inuestigatio mediorum latentium, quæ ad nos pertinent, suntque in nostra potestate posita, quibus inuentis potioribus vtimur ad sanitatem) hæc vero ipsa media sunt, quæ fieri, rectèque, & conuenienter adhiberi debent. Medici porrò officium est tria efficere nempè præcauere, curare, custodire pro varia corporum constitutione. At verò rectus præsidiorum vsus in eo potissimùm eluceſcit, vt congrua, & decenti dose, opportuno tempore, conueniente formula, modoque dispensentur, loco denique suo adhibeantur.

Verum efficienda, rectumque vsum nequicquam serutari contingit, si sanari nequeat affectus, aut certè sit sponte sanabilis, quos enim natura curat, frustra Medicina fatigat. Quare in omni benè instituta consultatione quinque sunt præcipuè ad examen reuocanda: An scilicet sit affectus; quid sit; vtrum sanabilis arte; quibus remedijs, & quo materiæ præsidiorũ vsu tutò queat curari. Methodo mederi, inquit Galeno masyx Argenterius, est videre, an agendum, quid, quantum, quando, quomodo, qualiter, vbi, Quo ordine. Quamobrem acri iudicio hæc omnia deinceps nobis coniecturã consulentibus erunt perpendenda. Quòd si hæc negligentiùs interdum persequi videar, incuriæ haud imputandum erit, sed potiùs temporis angustiæ, quæ tam accuratam methodum non admittebat, nostrum enim consilium est, prout in globõ, & coram ægris protulimus, consultationes prorsus edere. Age ergo propositam ægritudinem aggrediamur.

Trifariã mẽtẽ de gradu deiici, vt homo belluino more, & secundũ phãtasiæ imperiũ, ipsis agat, scripsit Arist. Primũ vbi graui quodã pathemate percellitur, dein vbi somno obruitur, denique vbi delirio tenetur. Huic nostro languenti mens laborat ob insaniam, quæ symptoma est ad actionem deprauatam principis facultatis attinens, adesse enim maniacam dispositionem ex morbosa, assataque melancholia oriundam, multa testãtur. Inter reliqua morum permutatio ad ferinam consuetudinem, vt ait Auic. profunda cogitatio, tenax silentium, aut profusa, feroxque verbositas, strigosa corporis constitutio, color aterrimus, tor ui ocu-

Plato in Alcibiade. Arist. in Ethic. & Pol.

Rhetor. c. 5. & 3. Eth. cap. 3.

Hip. 6. epid. sect. 2. §. 13. Transitus aperire, & aliaperagere, quib' opus, & vt conuenit, & qualia, & quã, & quando, & quantum oportet.

2. de Anima text. ....

Efficiens signa.

Forma. ui oculi. Porrò mania (latinè furor dicitur) est mentis alienatio impetus, furorisque pleniſſima ex ignea cerebri, animaliumq; ſpirituum intemperie profecta, quam vinum meraciſſimum maximè peperit. Externæ cauſſæ vinum fulmine tactũ, menſes primi epoti, cluri cerebrum, veſicariæ alterum genus, coriandrum, altercum, ſolanum, mandragora, &c.

Methodus. Quare eò allaborandum, vt tùm cerebrum, tùm ſpiritus ad craſim reducantur per humectantia, & refrigerantia (malo enim hic humectantia, quàm refrigerantia); verùm quia ſubſunt congenei humores atræ-bilis naturam redolentes, qui & caput, & præcordia infeſtant, & toto etiam uenoſo genere ſtabulantur, in primis ex arte præmiſſa protherapia euacuandi, exigendique humores ſuperuacui, ſubinde ad alliotica gradus erit faciendus, quæ & viſcera naturalia humecta, minuſque calida reddant, ne atræ-bilis prouentus magis augeatur, & caput ſimili qualitate afficiant.

Prognoſis. Inſania cùm affectæ particulæ ratione, tùm læſæ actionis præſtantia maximus eſt affectus, qui præſidia deſiderat extrema, eòque magis, ſi inueterarit, & altas egerit radices, quemadmodum hîc vſu venit, hinc fit, vt admodum difficilis curatio ſit futura, cum intemperies veluti habitum contraxerit, & tota naturalis œconomia ſit peruerſa. Accedit, deliros minùs audire Medicis præceptis. Quare delirium omne malum, & vt cauſſa, & vt ſignum. Propterea nonniſi ſummo ſtudio, & longa, diligentique remediorum vſurpatione, & congruo victus, vitæque genere inſtituto omnino profligari poterit. Sed quia æger nondum quadrageſimum attigit annum, âge ad præſidiorum materias pergamus.

Curatio per Chirurgiam. A fonte Chirurgico ſanguis hauriendus de cõmuni vena dextri brachii, vt peræquè cap. & præcordiis conſulatur. Singulis menſibus creſcẽte Luna admouendæ quinæ hæmorrhoidibus hyrudines, totidemque ſanguinis vaciæ promendæ, ſummum enim beneficium tale præſidium affert, ſi vllam Hippocrati fidem habemus ſcribenti. Inſanienti ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperueniant inſaniæ ſolutio. Sunt, qui ſuadent trepanũ, quòd viſi ſunt vulnerati, qui reſipuerint. Nolo tanti pœnitere. Cucurbitam uertici admotam commendat Galenus, refellit Auic. quòd dementiam inducat. Illius conſilio ſtandum, ſi poſtremò adhibeatur ritè repurgato corpore, Auic. auſcultandum, ſi humorum prauitate adhuc ſcateat corpus. Non auſim conſulere cauteria, quæ Hippoc. in omnibus diuturnis cap. affectibus circa caput adhibebat. Nõ erunt hoc interim tempore omittenda vincula, & frictiones infernis partibus adminiſtratæ. Quin procedente tempore venam ſub lingua, aut in fronte tundere conferet. Balneum tepentis aquæ omnino profuerit, & præcipuè cap. lotio ex aqua tepente, in qua maluæ, acanthus, bugloſſa, violæ, ſtœchados, aut chamæmelli flores ebullierint. Stillicidium item conducet ſuper curonalem futuram ex aqua tepente, & ol. amygd. dulcium. Non erit negligendum Auic. conſilium, vt ſæpiuſculè lac mulieris ſuper caput ægri eraſum emulgeatur. Sunt, qui præferant iuſculum teſtudinum. Embrochæ ex ol. violaceo initio frequèns adhibendæ.

Per Pharmaca. Inter pharmaca primò occurrunt hypagoga, ſiue lenientia, quare primo quoque tempore ſubducenda erit aluus caſſiæ Ægyptiacę atramento, & leniente electario, aut violaceis trochiſcis in bolos redactis. Si malit hauſtum, propinetur ſyr. de polypodio comp. ad ℥.vj. diluantur D. cardiaca ex fol. ſennæ Orient. ſemuncia confecta. Superbibat ſeri puriſſimi heminam vnam.

Alliotica. Inter alliotica, quæ parant humores præcipui ſunt ſyr. de pomis ſimplex, de lupulis, de endiuia, de fumaria.

Cathartica. Inter cathartica primo loco ſe ſe offerunt mitiora, vtputa Rheubarbarum, epithimus, ſenna, quæ infundi debent in ſero caprillo, ſubinde dulcoranda expreſſio ſyr. roſ. ſolut. quadrante, aut triente. Hinc repetenda propotiſmata, contumax enim eſt ob ſubſtantiæ modum affus, & ater humor. Præ cæteris hic probatur ſyr. de pomis ſimplex (non compoſitus) ſyr. de Nymphæa, iulapium violaceum, diluuntur iuſculo D. borraginis, endiuiæ, bugloſſæ, ſonchi, fl. nymphęæ. Horum apozema tum diuturniore vſu æquandus pertinax humor, tùm ad helleborata, atque ad ipſum helleborum erit properandum, Hipp. enim Democrito inſanienti, lymphatoque, vt putabant inſani Abderitæ, radicem nigri hellebori ex altis montibus erutam, & diligenter in pyxide cuſtoditam à Crateua Radiciſeca, parauerat, quo auxilio haud accommodatius, aut præſtantius alterum, neque enim abs re fanatici ad Anticyram relegantur. Plurimos memini me priſtinæ menti reſtituiſſe congruo hellebori vſu. Corrigitur odoris ſeminibus, aut (ſi credimus Rondeletio) floribus nymphęæ, atque amaranthi. Tutò ſextula, ſeu ſcriptuli quatuor exhibentur infuſi. Quòd ſi laborans refellat hauſtum, obtrudenda catapotia ex lapide lazuli ſuperhauſto ſero, melancholici enim ijs ſunt purgandi, teſte Hipp. quæ minima ingeſta plurimum educant, quamquam cautè exhibendum eſſe lapidem lazuli, monet Auic.

Accedat materiam eſſe in tertia corporis regione fixam, quæ valentiora poſtulat pharmaca, ut faceſſat ea obiectiuncula, morbos à melancholia blandè eſſe tractandos, quod quidem à carceribus faciendum non item in calce. Hinc Hipp. in Aph. dixit fortiùs per inferiora eſſe purgandos, h. e. validiore pharmaco, vt interpretatur Philotæus. Agyrtæ non verentur ad album veratrũ confugere. Quia melius eſt non viuere, quàm ſine ratione viuere. Sin renuat medicamenta, vt dementes conſueuere, pomum, in quo hellebori fibræ infixæ fuerint, ſubinde exemptæ, offeratur deuorandum. Hiſce ex ordine peractis, & corpore ritè piato, cap. & viſcerum naturalium diſcraſiæ erunt ſummouendæ longo vſu caprilli ſeri, in quo fumariæ pugillus bullierit: Vſurpandum autem erit veterũ more ad heminas quatuor. Interim nõ erunt omittenda condita cardiaca, in omni enim melancholica, & delira affectione commendat Auic. cardiaca, & lætificantia, inter quæ maximè conueniunt, quæ atrum humorem diſpeſcunt, & æquant complexionem. Proin ſaccharum borraginatum,

ginatum, rhodosaccharum, iosaccharumq; præstabunt, maximè si per intervalla recens theriace, nempè annua intermisceatur. Nec minùs profuerit lapis bezoar. Auic. præscribit diuretica, vt hipposelinum, & radicem vitis albæ.

Per victum. Victus is esse debet, vt humectum corpus reddat, & refrigeret; Proin clemens cœlum eligendum, vbi nec torreat Sol, nec venti arefaciant. Immodici labores declinandi, quies optanda, somnus prolixior omni arte quærendus, si vigilatæ sollicitum teneant noctes. Vsui erunt anacollemata ex papauere, litus temporum ex ol. lactucæ, vsus diacodii. Aluus officiosa seruetur, terrestris enim humor per inferiora repurgandus, proin frequès sit clysmorum vsus. Pisces carnibus præferantur; Inter hos maximè præstant fluuiales, lucii, troctæ plauicolæ, aut mesulicolæ, cancri, testudines. Inter carnes præstant agni, hœdi, vituli, pulli gallinacei: oua sorbilia, hordeata, amygdalogala, horizogala conferent. Inter herbas lactuca, borrago, endinia, cucurbita, pepones commendantur, quarum frequèns esse debet vsurpatio. Mus assus, & comestus sanat maniacos, ait Montuus. Vinum cane peius, & angue refugiat, maximè odorum, ni viribus metuatur; quo tempore cõcedi potest borraginatum.

Amuleta ad maniam: Dens equi capiti appositus. Lapis lazuli gestus. Adamas sinistro lacerto alligatus, insanos curat. Rasura cornu Rhinocerotis. Cinis testudinis vsta potus omnem mentis insaniam curat. Caro Phocæ dœmoniacus curat. Huc facit & semen Pœoniæ suffitum.

Pro Vestali Virgine Nobili, è melancholia in furorem incidente.

CONSILIVM SECVNDVM.

Cur delirio corripiatur homo. HVmana prudentia, congruaque differendi, & iudicandi ratio turbari, intercipique consueuit, vbi imaginosa vis, quæ mentis imperio morigera, & obtemperans esse debet, effrænis exorbitat, & oppedit, id quod potissimum vsu venit in deliriis, quorum cum tria genera nobis reponant Antiquiores, nempè cum acuta febre cõiunctum, diciturque phrenitis, alterum cum mœrore, panicisque timoribus coniugatum, & atrabilis appellatur, postremum audaciam, rixas, temeritatem adiunctas habens, & mania nuncupatur. Consequens est, vt Illustrissima hæc Vestalis Virgo, quum tumultuariè, & citra acutam feb. desipiat, maniaca detineatur insania, quæ mentis alienatio est furoris, impetusq; plenissima ab igneo phantasmate profecta, symptoma in actione depraua ta principum facultatum (neque enim arbitror imaginationem deprauari citra mentis vitium). Cæterùm quando rectum est iudex sui, & obliqui, age in medium causas feramus, quæ ex Hipp. humanam parere consueuerunt prudentiam. Dictator vlios in lib. de Flat. Si sanguis, inquit, inconstanti habitu constiterit, consistit & prudentia, sanguine verò permutato concidit & prudentia. At verò lib. de structura hom. Reminisci, ait, & esse prudentia præditum ex cerebro inter calidum, & frigidum valde temperato proficiscitur. Quò collimans lib. 1. de Diæta. Si quod in igne humidissimum, & in aqua siccissimum in corpore temperamentum acceperint, fiunt sapientissima.

Quid Mania. Quæ prudentem hominẽ efficiunt.

Cerebrum valde temperatum esse debet penes omnes qualitates ad rationis munera absoluenda. Ex quibus colligere est ad rectam ratiocinandi normam cerebrum valde temperatum desiderari non modò penes actiuas qualitates, verùm etiam penes passiuas, præterea sanguinem admodum commoderatum desiderari, atque ea proportione, vt scilicet, plurimum sit sanguinis, deinde pituitæ, minimum bilis, dein melancholiæ, quamquam Galenus animi dexteritatem à bilioso humore proficisci asseuerauit. Ea mediocritas si violetur, homo fit ægritudinibus obnoxius. Aristot. intelligendi acrimoniam à sanguine tenui agnoscit, quemadmodum robur à sanguine crasso, qui scripsit etiam humores corporis mutatos animæ actionem immutare. Quidquid sit tandem, insaniæ contingere nequeunt, nisi cerebri temperamentum permutetur, proin Hipp. lib. de morbo sacro. Insaniæ, inquit, fiunt ex cerebri permutatione, æque contingunt siue ad caliditatem, siue ad frigiditatem cerebrum deuergat, eo tamen discrimine, nam qui à pituita insaniunt, non tumultuantur, neque vociferantur, qui verò à bile, vociferatores sunt, inquieti & semper aliquid intempestiuum efficiunt. Quamobrem cum Illustrissima hæc Virgo perpetuò tumultuetur, angatur, agitetur, consequens est, vt eiusdem cerebrũ præter modum incaluerit tùm ex immodicis vigiliis, & sollicitudinibus, animi mœrore, tùm ex iugi, acrique anathymiasi ex hypochondriis ad caput elata, in quibus plurima atra-bilis coercita, inæstuans stabulatur, quæ priùs melancholicum pathos inuexerat. Cum verò summa sit consensio inter cerebrum, & cor, quis dubitet, quin & cor in huius ruinæ consortium tractum sit, atque adeò plurimùm incaluerit, hinc animosa vis concitatior apparet, & odium vehementius. Hinc scitissimè Auic. Non est nouum, non est longinquum, inquit, si cerebri complexio vitietur, & sequatur eam cor, si cordis complexio vitietur, & sequatur eam cerebrum. Quid mirum igitur, si Vestalis hæc Virgo desipiat, cum & sanguis intemperatus sit, atra nimirum bile refertissimus, cum cerebrum præcalida, & sicca, omninò igneã laboret intemperie, quid mirum, si tot, tantaque emergant symptomata. Verùm enimuerò illud in primis non est omittendum, non modò in cerebro adesse igneam dispositionem, sed etiam congeneres humores eòdem confluxisse: hoc autem inde coniicitur, quòd desipientia nonnunquam intendatur, & aliquando etiam remittatur de tenore suo, id quod non accideret, si vna adesset intemperies. Humores autem ad caput impetum faciunt tùm leuitate sua sursum delati per venas hæmatitidas, tùm attracti, cerebrum enim, ait Hipp. non tam caliditate, quàm propria figura, aliunde humores allicit. Verùm humores attracti atram-bilem sapiunt non ex sanguine vsto, nam Virgo in cachinnos sæpius incideret, non ex assata bile flaua, nam rixæ, & luculentior adesset furor, sed ex præusta naturali melancholia, quæ pri-

Lib de part. anim. Insaniæ ex cerebri permutatione. Summa inter cor, & cerebrum cõsentio. Causæ symptom. fingũtur. Lib de vet. Medicina.

dem

dem hypochondriacum pepererat pathema, hoc autem facilè colligitur ex studio, & taciturnitate: Hinc verè Auic. notauit, facilem esse transitum è melancholia morbo in maniam, quam & Aristot. nouit, quando scripsit, homines morbis insaniæ corripi, quando atra-bilis sedi mentis appropinquat. Generantur autem huiusmodi humores in hepate retorrido præ obstructionibus, quas ventriculi cruditates pepererunt, hinc etiam febricula inoritur, quàm minoris famæ tertianam nothan libenter appellarim.

Lib. 4. c. de Melanch. 3. sec. Pro. bl. Probl. 1.

Vtrùm verò indignatus vterus nonnunquam symptomata augeat, non contendo, qui scio, hinc fœmellis plurima mala prouenire. Eò igitur nobis erit collineandum, vt cerebri intemperies refrigerantibus, & impendiò humectantibus summoueatur, hoc autem assequi non licet, nisi humorum affluxio retrahatur, & ijdem foras exigantur, frustra verò humores euacuare contingit, ni eorum generatio inhibeatur sublata cordis, & iecoris calida intemp. idque consequi non erit integrum, ni cruditates, & obstructiones tollantur, & ventriculi tonus erigatur roborantibus. Vix fieri potest, vt hisce scopis respondeatur, siquidem Hipp. testimonio, nulla desipientia est secura maximè, quæ cum studio est, dein quæ aggreditur post quadragesimum annum, difficile tollitur, vt testatur Hipp. præterea morbus magnus est vehementia essentiæ (quia fœmina) & dignitatis.

Methodus.

Prognosis.

Adhæc plurima subest bilis-atra, quæ ob substantiæ modum summæ est resistentiæ, & nescio quid habet cacoethes. Quin nec in hoc affectu per excessus medicinam facere licet: vt docet Arist. quia refrigerantia cautè adhibenda sunt partibus principibus, quia quantum ramis prosunt, tantundem radici nocent, vt ait Auic. Denique ægrotans minimè se præstat opportuna facientem, cum omnia respuat. Verumtamen quia manus Domini non est abbreuiata, & quia Virgo nobilissima nondum experta est extrema præsidia, age ad auxiliorum materias gradum faciamus.

In Probl.

Circa chirurgica præsidia probatur sanguinis imminutio per hæmorrhoidas; scitum enim est, quantum apertæ conferant insanientibus. Non ausim aliunde sanguinem mittere in tanta prauorum humorum colluuie, & palyndrome. Scripsit Galenus in quartanis nõ esse fundendum sanguinem, nisi vehementer abundarit, eaque lege mittendum, vt si ater, & crassus appareat, finatur effluere, alioquin vena supprimatur. Quare nec è fronte missus sanguis, vt Arthisio, probatur, quòd laudabili sanguine veluti fræno dempto atra-bilis ampliùs efferari possit, quod de flaua bile metuũt Arabes meritò. Scio esse ad refrigerandum caput efficax auxilium, sed vbi probus deficit sanguis, parcendum. Vesicantia ad ichorum retractionem, quæ sursum respirant, qui sunt veluti vehicula crassi, vtique humoris ad cerebrum non improbantur. In primis verò probantur cauteria, quæ renouari debent, si fuerint obsoleta, & vieta, atque alterum circa coronalem suturã est inurendum, mirandum enim in modum conferre consueuit. Nec minùs cruribus vincula arctissima conueniunt, & lauacra, vt quadantenus materiæ impetus infrænetur. Huc spectant irrigationes, & embrochæ, illitus, fotus, ex D. capitis, & pedum veruecis, ex D. testudinis, ex tepente lacte, quod summopere commendat Auic. epithemata cordi, hepatique non erunt omittenda, quæ vim habeant refrigerandi, atque humectandi, nec minùs fotus identidem hypochondriis adhibiti conferent, quos ante helleborismum Hipp. commendauit. Huc facit & balneum dulcis aquæ, in quod crebriusculè immergi debet laborans.

Chirurgica.

2. ad Glauc.

Lib. 1. de Diæta.

Inter pharmaceutica, & quidem euacuantia primo loco probatur extractũ polypodii, sennæ, el. catholicum, leniens, & similia: Secundo loco, præparata iam per alliotica materia, probatur extractum hellebori nigri vna cum pulpa fistularis cassiæ super hausto purissimo sero. Hoc pharmacum sæpè repetendum, nam Præti filias ceritas Melampus helleboro sanauit, & Hipp. ad insaniã nullum habuit paratius auxilium. Hinc dementes per prouerbium ad Anticyram ablegantur, quòd helleboro indigere credantur. Pro paranda materia exteriùs hypocõdriis Hippocratico more frequèns adhibendi fotus, introque assumenda apozemata refrigerandi, & humectandi vi prædita, qualia forent iuscula, in quibus incocta fuissent endiuia, borrago, cicerbita, lupulus, radix glycyrrhizæ, maluæ, dulcorata iulapio violaceo, & syr. de ponis simplici. Diutissimè hisce iusculis vtendum, & repetenda pharmaca. Quòd si malum sit contumacius, ab vsu Antimonij ritè præparati non erit abstinendum, extremis enim morbis extrema remedia conueniunt. Alex. Trall. commendat lapidem Armeniacum ablutum duodecies. Ad partiũ autem discrasias tollendas minimè (Viri Excellentissimi) thermales aquæ probantur, vtpote quæ & si actu, imaginationeq; sint humidæ, potestate tamen siccæ sint, quõ fit, vt in affectibus huiusmodi, in quibus vberiore humectatione opus est, suspicione non vacent. Vsum seri purissimi vehementer laudo, si Antiquorum more propinetur ad xx. aut etiam xxx. dieculas, tanta est enim morbi resistentia, vt citius euinci nequeat. Hoc interim spatio cardiaca identidem erunt repetenda, quò spectant conseruæ borrag. violarum, rosarum, nymphææ, margaritæ, smaragdus, hyacinthina confectio sine moscho, & ambra. Non sunt omittenda hypnotica, nam scripsit Hipp. à somno sanguinem refrigerari. Aristot. verò caput refrigescere inter dormiendum excalfactis pedibus, quare sæpè danda erit recens theriace, aut pillulæ de cynoglossa, aut recens populeum crebrò temporibus inducendum.

Pharmaca.

Quòd spectat ad victum, detinearur ægra potiùs humente, & obscuro loco, ne spiritus lumine agitentur. Victus concedatur frigerans, & humectans, qualis esset ptisana, pisces saxatiles, oua sorbilia, fructus, &c. Vinum olygophoron non est denegandum, mirè enim spiritus recreat, & lætitiam parit, quom maximè vires præ mali diuturnitate vacillent. Auic. & maniacis concessit in calce.

Victus.

Pro Reuerendissimo Præsule atra-bile correpto.

CONSILIVM TERTIVM.

SApienter, si quid aliud, scripsit Herophilus, oportere, Medicum, priùs quàm de remedio cogitet, nosse, quę, qualis, & quãta sit caussa morbi, vt congruum remedium inueniri, aptarique possit. Quamobrem cum ea nobis incumbat cura, vt Reuerendissimum Episcopum molesto quodam pathematum genere affectum vindicemus, par est, vt primò quid nam sint, & à quibus fiant initijs, accuratè inspiciamus. Præclarè autem scriptum reliquit Plato, vnicum principium esse ijs, qui benè consulere volunt, intelligere nimirum quid illud sit, de quo edisseritur, consultaturq; id quod nulla ratione commodius fieri posse iudicauit, quam cum singula definiuntur: quippe hoc est, ait, optimum initium. & fundamentum diluendorum quæstionum omnium, cum in quaque re exquirenda à quæsita rei natura, quæ finitione exprimitur, inchoandum sit. Illud autem exploratum, compertumque est abundè, Reuerendissimum Virum temperie biliosa donatum tristari, atque terreri etiam suprà quàm par sit, ob quædam ventris tædia, quæ interdum infestant, sollicitumque tenent. Quare cum metus, atque mœror diu perseuerantes non modò melancholiam arguant, sed etiam inducant, non est absonum asserere D. inchoata melancholia laborare, timor enim, atque tristitia tecmiria sunt atræ-bilis. Timor, inquit Galenus, nunquam deserit melancholicos. Et Hipp. lib. de Virg. Morbis timoris nomine melancholiam audiuit. Proximum igitur est, vt quid sit melancholia morbus, palam fiat. Quidam arbitrantur esse imaginatricis facultatis actionem tristem, vtpote quę obiecta omnia sub tristitiæ, & timoris specie susceptat, cum interim ægri rectè ratiocinentur. Quidam animi angorem vna in cogitatione defixum, atque inhærentem citra feb. atque furorem à melancholico phantasmate definiunt, sunt denique qui prauam imaginationem cum metu, & mœrore coniũctam ob tenebrosum phantasma esse opinantur. Quid quid sit, videtur apud omnes constare, continentem huiusce molestissimi affectus caussam esse spirituum animalium malam habitudinem à vapore melancholico tùm claritatem adimente, tùm spiritus extinguente, species, & coniuncta, modosque perturbante, vnde tam multiformia, & enormia efformantur phantasmata mœroris, metusq; pleniſſima.

Quid Melãcholia Argenterius.

Aretæus.

Neoterici.

Porrò vapor iste melancholicus aut localem in cerebro generationem habet, aut aliunde communicatur, nempè à toto corpore, aut ab hypochondrijs (triplicem enim melancholiæ differentiam nobis diligens Medicorum obseruatio in scholas inuexit) cerebro quidem per idiopathiã, & protopathiam affecto atram-bilem infestare non crediderim, siquidem huiusmodi melancholici continenter afficiuntur, nunquã non metuunt, nunquam non tristantur præter rationem. Caput ijs frigidum, siccumq; est, vnde spiritus syluestres, vt ait Auic. gignuntur, aut certè æstuosum est, & nimis rétorridum, quare sanguis exuritur, & in atram deficit bilem, à qua spiritus inficiuntur. Dignoscuntur autem huiusmodi, quòd rubore quodam saturato facies suffunditur. Nihil verò talium hîc extat. Multò minùs à toto corpore communicatur affectio, quandoquidem tales melancholici venas habent turgidas, toto gracilescunt corpore, veneto, ferrugineoque colore liuescunt, libidine turgent, corpus numerosa pilorum segete horrescit, præcessit victus ratio atræbili generandæ accommodata, denique solemnis aliqua euacuatio, vt hæmorrhoidum suppressa, est. Sed hîc signa talia nulla subsunt. Reliquum igitur est, vt hypochondriaca sit melancholia his notis stipata, quas Diocles obseruauit flatulentam melancholiam comitari. Et reuera circa epigastrij regionem percipiuntur rugitus, strophi, inflationes, aluus strictior, infestant ructus, cruditatesque, quæ omnia inualescunt instante digestione, & à flatulentorum, & dyspeptorum ciborum vsu. Hîc autem non subest pylori, non lienis inflammatio, sed meseraicarum flogosis, & incendium, quod pertinacissimi pariunt infarctus, hinc contentus sanguis non diflatus exardescit, & exuritur, & in atram-bilem mitiorem facessit, quæ quidem obstructionibus veluti repagulis coercita æstuans plurimos flatus emittit, qui pro læsarum partium ratione multa, & multiformia symptomata producunt.

Signa melãcholiæ ãroto.

Signa melãcholiæ hypochõdriacæ.

Hæc mala augentur, imò originem trahere videntur ex naturalium viscerum antipraxia; iecur enim nimio æstu retotridum vtriusque bilis ferax est, ventriculus verò temperie frigidiusculus accedente viuendi intemperantia plurimas parit cruditates, quæ in præiacentes hepati venulas præreptę, vt infarctus conduplicant, ita mineram reddunt cumulatiorem. Quid mirum igitur si circum præcordia æstuante atra-bile vapores in caput sublati tristitiam, pauoremque incutiunt mutatis impendiò spiritibus animalibus, & imaginibus peruersis? Huc facit & cor pręcalidum, à quo sanguis peruritur, hinc vitales spiritus arescunt, & nonnihil temerantur, quare cum animales inde conflentur, non est mirum, si peruicaciora sint symptomata, quàm vt Viri Reuerendissimi prudentia euinci possint. Rectissimus tamen discursus vndique eluceſcit, vt eloquentiam, & sapientiã mirari liceat, non imitari. Quare hypochondriaco affectu potiùs, quàm melancholia, quæ semper sibi sociam ascisce consueuit mentis alienationem, D. laborare, asserendum est, quamquam perperam Hulsmannus hanc differentiam fugillat apud Sennertum, inquit enim, vt absynthium non minùs est absynthium, cum tria habet folia, quin cum floret, ita melancholia tuetur nomen suum etiam cum est in principio vniuersali.

Generationis ratio.

Cor admelancholiam generãdam facit, vbi calore æstuat.

Cæterùm cum ita se se res habeat, ea quippe methodus instituenda erit, quæ flabulantem, æstuantemque circum præcordia atram-bilem stirpitus educat, detergentibus, & incidentibus infarctus expediat, stypticis, calfacientibusque stomacho robur conciliet, præcordia, iecurque, &

Triplex melancholiæ differentia.

Signa melãcholiæ primariæ affecto cerebro.

Melancholia differt ab affectu hypochondriaco.

Methodus.

cor ipsum moderato refrigerantium vsu remittat, denique capiti, & cordi appropriatis consulat.

Prognosis. Hisce scopis respondere non est adeò peruium tùm ob morbifici humoris substantiæ modum (est enim terrestris, & maligni moris) tùm ob contrarias discrasias, quæ pugnantia postulat præsidia, quare aut alternis vicibus adhibenda contraria, aut euecrata diutiùs vsurpanda, quæ vtrique prospiciant excessui. Profectò vt affectio hæc morosa mora contracta incurabilis euadit, ita à carcetibus, & nouissimè emergens obtruncatur, teste Auic. hoc tamen fieri contingit succedente tempore, summo studio, recto non naturalium rerum vsu: Affectus verò is penitus extirpari debet, vtpote, qui tùm corpus, tùm animum exerceat, & mille modis ludificetur.

Lib. 3. c. de Melanch.

Curatio per Chirurgiã. Χειρουργία venæ sectionem communis dextri brachij proponit, quæ sanè agenda est, & ampla incisione, vt crassior sanguis effluat ad libram, ætas enim floret, ver instat, viscera æstuant thermasia, sanguis affluit, vires constãt, quãquam Capiuaccius cautè agendum esse monet, imò dehortatur sang. missionem è venis supernis, ne saburra trahatur in venas; sunt qui præferant sanguinem è talo missum, sponte enim grauis humor eó contendit, & proin varices superuenientes melancholiam sanant, Hemorrhoides recludendæ, vt fœculentus sanguis, qui natura sua deorsum propendet, educatur, solet enim huiusmodi euacuatio, si Hippocr. fidem habemus, in primis atra-bile vexatis conducere. Cauterium dextro femori inurendum, vt perennis excrementi generatio habeat remedium continenter euacuans. Balneum æstuante cœlo ineundum ad sanguinem, & corporis habitum temperandum. Concinnari autem debet ex aqua pura tepidiore: Clysteres verò, si credimus Aetio Amideno mirandum in modum prodesse consueuerunt deriuatis in intestina excrementis, & foras explosis.

Curatio per Pharmatiã. Φαρμακεία cùm euacuantia, tùm alliotica præsidia præbet, vtraque temperata esse debent, nam melancholicus humor blandè tractari vult, vt est in confesso. Proin inter euacuãtia probantur mihi cassia, elect. lenit. diacatholicon, tripherum cum sp. hieræ, & modico epithymo commendat Auic. passulæ præparatæ ad morem Capiuaccei cap. de Melanch. in primis videntur ad rem facere, quarum frequens sit vsus. Non ausim ad helleborata peruenire, cum circum præcordia hæreat minera, Hipp. enim aliquando humorem melancholicum ijs esse educendum præcipit, quæ minima ingesta plurimum educant, quum minera à primis ductibus dissita resistit, aut est rebellior. Inter alliotica ad parandos humores syr. de pomis simplex vnà cum iulapio acetoso eligendus, diluendusque iusculo decoct. lupulorum, borraginis, sonchi, melissæ, sem. citri, quibus tandem adijciendæ erunt rad. filicis masculi, pentaphylli, agrimonia, cassutha, scolopendrium. Expiato ritè corpore, roborandæ sunt viscera, & quidem stomachus propinata Tettutiana aqua admixto rhodomellis soluentis triente, vt aqua præceps ad intestina deuoluatur. Tum iocinori, & ventriculo consulendum iusculo decoctionis absynthij pontici, borraginis, cychorij, rad. liquiritiæ. Hoc iusculo vtendum, donec adhibendi seri opportunitas affulserit, quod serum erit propinandum incocto priùs fumariæ pugillo. Interim verò cardiaca non erunt omittenda, & lætificantia, quæ humorem atrum dispescant, &c. scitum enim est, vel Auic. teste peræquè in hypochondrijs humoris cacoethes succrescere, atque in vtero, &c.

Cardiaca.

Lib 3 c.vj. Tract.1.

Pro Virgine Vestali varijs symptomatis correpta.

CONSILIVM QVARTVM.

Historia. SAcra Deo mulier melancholica temperie, & gracilento habitu prædita quartum supra trigesimum annum agitans hypochondriaco laborat affectu non sine cordis palpitatione, & quodam animi angore, qui, dum caput grauiùs afficitur, leuatur (caput enim graui pondere premi videtur) leuatoque capite vicissim ingrauescit. Videntur vniuersa à sinistro hypochondrio erumpere, atque emanare, stare loco nescit, & nequit, vt si sedeat, agitatione, & motiuncula quadam opus habeat, si decumbat, summis pedibus motatis molestia leuior fiat. Sopitæ mala omnia obtorpescunt, vigilanti excitantur.

Ratio symptom. Ex hypothesi vniuersa hæc symptomata insolentissima ab vna scaturigine perfluunt, nempè à crasso, & copioso melancholico flatu, qui dum è liene, in quo abstructo munera turgescit, ad stomachum, & cor irrepit, animi angorem, & palpitationem ingenerat, quæ disparent, aut certè imminuuntur, dum idem vapor præcordia linquens caput impetit, & incessit, vnde lacessitur, & grauescit, imaginatio turbatur, & de statu deijcitur. Si quis asserat esse in cerebro pituitæ proventum, non contendo. Dum ergo cap. afficitur, & molestiam excutere conatur; tenuissimæ pituitæ portio in neruosum detruditur genus, ad quod etiam vapor tota copia appellit. Hinc irritatæ neruosæ particulæ ueluti contenduntur, & moueri appetunt, ut quà possunt tenus molestiam, & noxiam declinent qualitatem, & excutiant. Qui malignis Exemplũ. febr. implicantur, aliquando stare loco nesciunt, & summa laborant iactatione communicato musculis maligno vapore. Quid plura? ut spurius ille spasmus, qui noctu crura inuadit, leui obambulatione euanescit, ita docente natura, spasmodes istæ affectiunculæ uel minima cruris motiuncula leuantur. Ita esse arguit repentina affectuum productio, & reciprocatio.

Genus symptom. & natura. Vniuersa hæc symptomata ad actionem aliquã læsam attinent, siquidem angor, cum sit molestia, est actio depranata sensus tactionis. Palpitatio est cordis motus prauus, quo noxium excutere contendit. Imaginatio itidem deprauatur, dum obliquè, & perperam res æstimat, cuius tanta est libertas, ut fingat.

Quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.

Dubitatio. Totius corporis etiã ille agitatiunculæ sunt actiones praue motricis facultatis. Cæterũ cur inter dormiendum nihil percipit molestiæ excitata quàm

quàm mox negotium, & labores percipit? Respondeo, hoc in sensum communem potissimùm referendum esse, qui dormienti seriatur, & vacat, dolor autem percipi nequit, ni sensus interior interueniat, qui obiecti molestiam internoscit, & diiudicat. Hinc rectè dicebat Hipp. qui *dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, his mens ægrotat*. Quare cum in sopitis sensus non agant, non est mirum, si dormienti dolor disparear, redeat excitatæ. Hinc tamen conijcio, omnino leuem esse doloris caussam, vtpote quæ sonos non interpellet, quare affectionis pars imaginationi accepta ferenda est, quæ etsi sine alterius caussæ immissione nihil per se extra moliri valet, quum eius actio sit immanens, attamen vt eius imperio subsunt humores, & spiritus morborum parentes, quos pro arbitrio ciet, dolorem ingeminare potest. Quid igitur opus est facto?

Imaginatrix actio immanens.

Vapores discutiendi, minera, vnde efferuntur, præparanda, extirpanda; lien expediendus, & roborandus, cap. siccandum, neruosum genus confirmandum.

Methodus.

Præmissis generalibus auxilijs, quæ volens prætereo, ac mitto, inurendum sinistro femori cauterium, quia dolor vehementior alterum obscurat, & quia materia deriuabitur. Adhibenda interim lætificantia, quæ in omni melancholica affectione primas tenent, siue quæ spiritus vitales instaurant, vt vinum, maximè citragine medicatum, quod tanti facit Actuarius, siue quæ lumen, & splendorē ijsdē impertiūtur, vt margaritæ, vt sericum, aut quæ spiritus congregant prohibendo eorum dissipationem, vt Karabe, bolus Armeniæ, terra sigillata, aut quę complexionem temperant, & moderantur, vt frigidam doronicum, calidam caphura, aqua rosarum, aut quæ delectant per suauem complexionem, & crasim, vt suaueolentia aromata, aut quæ turbidum, & melancholicum humorem dispescunt, & segregant, vt buglossum, lapis lazuli, aut quę per proprietatem lætitiam pariunt, vt Hyacinthus. Quòd si iunctim omnia colligas præstātissimum efficies præsidium: Auic. nil peræquè probatur, atque Theriaca, & Mithridatium, quæ lætificantibus omnibus longè præstant. Si Mauis. Bz. conf. fl. citri, fl. borrag. buglossæ, cōfect. hyacinthinæ ana ℥. 5. Theriacæ serenæ ʒ. ij. m. cum syr. de cort. citri. & F. electariū, de quò mane, & vesperi quantitaté auellanæ ponticæ deuoret quatuor ante pastū horis, siue Bz. fl. borrag. cond. cum saccharo, violarum ana ℥. ij. conf. Alkermes ℥. 5. sp. lætif. Gal. ℈. iiij. m. cum iulapio violaceo, & f. electarium, quod possit esse instar omnium Antonio Valetio Auctore.

Lætificātiū varia genera

Lib. de vi. cord.

Nio mira lectaria tificātia.

Pro Muliere melancholica.

CONSILIVM QVINTVM.

Ægra mulier ob affectum cerebrum delirat, delirat verò non sine metu, & mœrore, quare melancholijs implicari necessum est. Est verò melancholia morbus iuxta Aretæi sententiam, animi angor vna in cogitatione defixus à phantasmate melancholico proueniens, hoc verò phantasma ingenerat vapor aterrimus, qui animalibus spiritibus claritatem adimit, hinc timor, si credimus Hipp. qui Virgines ob spiritus caliginositatem pauere lib. de Virg. morbis prodidit; Vapor iste soboles est, melancholici humoris (est enim summè flatuosa melancholia, vnde melancholicos Hipp. vocauit pneumaticos, qua caussa libidine, eosdem turgere scripsit Arist. At Gal. melancholiæ enthos fabaceum comparauit, quod & si tota die discoxeris, nunquam amittit flatulentiam, & ita propemodum melancholia quantumuis à valido calore agitata) qui aut localem generationem habet in cap., vt ijs contingit, quibus ob curas, aut vigilias sanguis circa cap. exuritur, & in atram-bilem deficit (mitto illorum opinionem, qui arbitrantur, fieri primariam melancholiam cerebro frigida, & sicca intemperie laborante, vnde animales spiritus, vt Auic. vtar phrasi, sylueſtres redduntur) aut toto coaceruatur corpore, aut circa hypochondria stabulatur, & æstuat. Honesta hæc mulier notas præsefert primariæ melancholiæ, quæ originem quidem traxit à curis, & sollicitudinibus, ceu externis, euidentibusq; caussis, quæ sanguinem adussere, & cap. mirum in modum exsiccarunt, vnde vigiliæ subortæ sunt, à quibus miseræ malum veluti redit in orbem. Cùm igitur mala hæc omnia à tenebroso phantasmate excitentur, hoc autem soboles sit aterrimi vaporis, qui de atra-bile deraditur, quæritur, num huc admittenda sint indigitamenta, & maleficia, quæ sunt hyperphysica.

Melancholia flatuosa.

Comparatio atræ-bilis cū fabæ.

Primaria melanch. nō fit cerebro frigido, sicco.

Equidem cum Auic. existimo posse quidem Dæmonas maleuolos, vt vocat Hipp. huc conuenire, sed cum sint substantiæ finitæ, atque adeò finitæ virtutis, vtique non possunt melancholica symptomata ciere citra coitum, admissuramque melancholici humoris, qui per idiotypiam tale pathos ingenerat, nam etiam sani in tenebris, inquit Montuus, timent non ob atram-bilē, sed quia destituuntur optimo duce, nempè lumine, quare expedit physicas caussas tractantem Metaphysicas hasce missas facere, & à patiente subiecto, & naturalibus, coniunctisque caussis indicationes vtiles prolicere, quæ curantis mentem dirigant, ne aberret à scopo. Quare eò allaborandum est, vt caput iupendiò humectetur, interim nec calida valde, nec frigida admittenda, sed eucrata, & temperata, flatuosi spiritus discutientia postulant, melancholicus humor, quā copia peccat euacuātia, quā nimia siccitate humectantia, & cætera temperata, ediximus enim hic atram-bilem potiùs adesse ex sanguinis exustione, quare cale non oportet facere, ne calor, & thermasia magis, magisque augeatur, & sanguis præuratur. Interim vires recreandæ maximè his, quæ spiritus lucidissimos, & plurimos reddunt, caputque appropriatis roborandum.

Num indigitamenta admittenda. Auic. lib. 2. c. de Melanc. Hipp. lib. de virg. morb.

Methodus

Melancholiæ, quartanis, lapidi renum eucrata conueniunt.

Hanc Prouinciam difficillimam reddit, ne dicam impossibilem cōtractus habitus, modus substantiæ humoris, ob quam summæ est resistentiæ: Ad hoc in muliere maior recessus arguitur, quare non minima essentiæ vehementia subest, cui accedit & vehementia dignitatis, laborat enim pars princeps præcipuo deuota muneri. Sed quia me-

Prognostícon.

Latio symtom.

lius est anceps, quàm nullum remedium, age ad præsidiorum materias gradum faciamus.

Chirurgica. Ex chirurgia hęc remedia sumi possunt, nempè sanguinis missio hac tempestate rigente cœlo ex hæmorrhoidibus, aduentante vere tundi poterit cephalica, ab ijs vena frontis, aut narium aperiri poterit, quamquam cautè sanguinem esse mittendum in primaria melancholia docet Galenus. Huc spectant embrochæ, & stillicidia ex humectantibus parata.

Pharmaceutica. De pharmacia tùm alliotica, tùm euacuantia pharmaca hauriuntur: Inter euacuātia probātur mihi in primis blandiora, ne educta tenui portione per pharmaca valentiora humor reliquus exasperetur, morbi longi, inquit Plato, quatenus à melancholia proficiscuntur, blandè tractari volunt, &c. Alliotiotica eucrata sint, parumque deuergant ad humectum, &c.

Pro Mercatore Funiendulo fatuitate implicato.

CONSILIVM SEXTVM.

Actiones Principes, vt & cæteræ tri fariam vitiantur. Duplex Methodus. PRincipum facultatum munera, quas Græci Egemonicas appellant, trifariam vitiari compertissimum est, aut enim deprauantur, aut minuuntur, aut abolentur. Deprauantur cum febre, aut citra febrem, si cum febre, tunc phrenitidis species quæpiam emergit, si citra febrem corrumpantur, tunc aut cum audaci quadam temeritate, & furore, & mania resultat, aut cū metu, & mœrore sine manifesta caussa, & melancholia producitur. (Mitto nunc de industria lycantropiam, Hydorolcos dicitur Arabibus, & Arabicum Iliscin, siue insanum amorem) Cum igitur bonus hic Mercator non febricitet, non erit phreniticus, multò minùs maniacus, cum placidissimus sit, & ad somnum proclivior, neque atra bile vexari credendum, cum neque mœreat, neque præter rationem metuat, quę duo sunt melancholici morbi tecmiria. Nec prætereundum, atrā bile correptos circa obiectum aliquod peculiare vehementer apprehensum aberrare quidem, in reliquis verò benè sentire. Reliquum igitur est, vt videamus, nunquid principes functiones imminutæ, an potiùs ablatæ sint. Equidem non puto omnino summotas, cum ægrotus noster nonnulla accommodatè, & ad rem proferat, tametsi tardè, & oscitanter discurrit, ex quo intelligere est, intellectionem, iudiciumq; eum penitus non defeciſſe. Hinc possumus conficere, vt affectus, quo laborat patiens, sit imminuta actio facultatum principum, potissimum memoriæ, & ratiocinatricis, stoliditas quippe, & mentis hebetudo vulgo dicta. Caussa huius symptomatis est communis instrumēti scil. animalis spiritus vitium, quom à melancholici, & pituitosi humoris præsentia, spiritus obtorpescant refrigerati, quo fit, vt rerum idola decenter interiori animæ non referant. Hinc scitè Hippoc. *Tristantur*, inquit, *& præter temporis consuetudinem obliuiosi fiunt homines, dum à pituita cerebrum refrigeratur, & spiritus torpidi redduntur*. Nec minùs læsa est facultas, nempè cerebri temperamentum, in cuius integritate consistit facultatis recta operatio, quæ quidem vis per se nulla passione, nulla vi affici potest, cum sit animæ ad agendum aptitudo quædam, propterea scripsit Philosophus, *Si senex acciperet oculum iuuenis, videret veluti iuuenis*. Quo exemplo nobis indicat fore, vt facultas perpetuò rectè operaretur, si præsto esset organon benè constitutum, propterea scriptum fuit ab eodē, *Actiones esse suppositorum*, cum compositum sit omnifariū operationis principium.

Vires animæ per se immobiles, vt & anima ipsa.

Pulchrum Aristi. exemplum lib. 4. de An.

Ratum igitur, & constans erit, affectionē hanc nil aliud esse, quam principum functionum imminutionem à nimia cerebri, & spirituum refrigeratione ob melancholici, & pituitosi humoris præsentiam, id quod colligitur ex inclinatione ad somnum, facie pallore, corporis habitu, & temp. ex antecedentibus caussis, quæ paralysim minabantur. Mitto nunc in corporibus obesis, & crassissimis, quemadmodum docet Galenus, difficilè colligi melancholiæ copiam.

Determinatio symptomatis.

Li. 3. de loc. aff.

Ea igitur erit curandi methodus. * A morbi genere nulla ducitur vtilis indicatio, sed à subiecto, & ab efficiente petuntur. Hinc cerebrum calfaciendum, & siccandum mediocriter, melancholicus, & phlegmaticus humor euacuandus præmissa protherapia, vt decet.

Methodus.

Non erit facile præsidiorum materias, quæ respondeant, inuenire, quandoquidem morbus magnus est per se, cū valde deficiant vires cognoscētes à suo munere, magnus est ratione etiam dignitatis, cum cerebrum laboret princeps particula, & arx totius corporis, princeps inquam non tantùm commodioris vitæ ratione, sed etiam vitæ simpliciter propter respirationem, quæ simpliciter necessaria ad vitam à cerebro pendet saltem quoad actum imperatum. Accedat, imaginationem, & rationem simul esse læsas, cum fieri non possit, vt alterutra sine alterius vitio offendatur, ratio autem est, quia intellectiuum est in sensitiuo, vnde necesse est intelligentem phantasmata speculari, (quæ nil aliud sunt, quàm rerum similitudines loci, & temporis circunstantijs delibutæ) hinc scripsit Arist. nos sine continuo, & tempore nihil intelligere, hoc autem non modò in primæua rerum intellectione audiendum, vt putauit Auic. sed etiam in discursu rerum iam perceptarū, vt in nostro de immortalitate humanæ mētis lib. demonstrauimus, cum species in memoria collocatæ iterum imaginitrici sint obijciendæ, quæ subinde immediatè phantasmata ratiocinanti animæ offert diiudicanda, quæ simplicem, & metaphysicam nouit essentiam à materiæ conditionibus alienam. His tamē non obstantibus spes omnis salutis non adimitur, cum morbus iste respondeat ætati, anni tempori. Vnde Hipp. scripsit, *alienationes mentis fieri potissimùm vere, & post quadragesimum ætatis annum*. Concepta igitur aliqua sanitatis spe dicimus necessaria esse fortia præsidia, quæ respondeant morbi magnitudini. Proin commendatur phlebotomia, pariter cauterium coxis inustum, alterumque humeris, nam tanta est materiæ copia, vt per vnam emissarium satis imminui nequeat. Ignitum igitur ferrum adhibendum

Prognosis.

Respiratio animalis quoad actū imperatum. Ratio sine phārasiç errore non legitur, & sic é contra.

Lib. 3. Aph. xx.

Curatio per Chirurgiam.

dextro

Metus, & mœror tecmiria melancholiæ.

Morosit. Symptomatis ratio.

Lib. de morbo sacro.

dextro femori ratione hepatis, & sinistro brachio, quòd pars sinistra, vtpotè frigidior, maiori scateat recrementorum vbertate, subinde præmissis generalibus, & subalternis Hippocratico more inustionem circa coronalem futuram moliri oportet. Per Pharmaciam. Post lenientia, & præparantia valentiora pharmaca sunt vsurpanda, quòd materia longè dissita sit, in tertia nimirum corporis regione, proin. Hiera Logadij. Hiera Logadij in primis probatur, quæ recipit helleborum tantopere ab Antiquis commendatum, præcipuè ab Tolomæo, cum maximè corpus humiditatibus refertum offeratur. Huc faciunt & pill. cochiæ cum helleboro paratæ, Indæ, lapis lazuli, similiter helleborisinus, & D. epithimi Mesue. Non improbatur syr. de helleboro à Massaria præscriptus, aut à Gregorio Horstio. Vomitus ex oxymelle scyllino commendatur Auic. Fortia clysteria similiter erunt vsui. Lib. pract. Auic. confortat, lætificatque cor cum diamoscho, Mithridatio, & Theriaca. Lib. Cõsult. Eligatur cœlum serenum, & luminosum, lux enim sensus iocunditate replet. Vitet crapulam, nam ex Auic. nil est magis inimicum rationi, quàm repletio ex cibis, & humiditatibus. Lib. 1. cap. de stult.

DE CAPITIS DOLORE,

Definitiua. *Dolor capitis sensus est rei contrariæ perceptus à tactrice vi, quæ capiti insidet: Caussæ vel sunt primitiuæ, æstus, grauis halitus, boreale frigus, Auster, percussio, ebrietas, repletio, &c.*

Caussæ externæ.

Internæ. *Aut sunt internæ, hæque continentes, nempè solutio continui, aut corrupta repentè crasis, quæ à minera, aut à vapore item pendent: si minera, calida, aut frigida, si calida, sanguinea, aut bilio sa, aut mixta, si frigida, melancholica, aut pituitosa, si vapor sanguineus, bilio sus, aut melancholicus, aut pituitosus. Rursus hæ caussæ aut localem habent generationem in cap., aut alibi in cap. efferuntur, à stomacho, liene, hepate, vtero. Rursus quædam immobiliter agunt, committuntque eum dolorem, quem communiter Græci Cephalæam vocitant, si leuiter afficiant, cephalalgiam pariunt. Rursus hæ caussæ aut totum cap. afficiunt, aut partem dimidiam, aut signatam particulam, si primò nomine generis donatur, si secundò hemicrania, si tertiò monoplegia, Auic. omnia appellatur, clausque.*

Discrimina. *Differentiæ à genere, caussis, & à particula effecta sumuntur. Dolor enim quidam grauis, quidam acutus, quidam extensiuus, lancinans alter, cæteræ differentiæ patent. Caterùm illud minimè negligendum, dari quædam capita vsque adeò imbecillia, vt à minima etiam caussa afficiantur.*

Signa. *Signa vel ipso ægro loquente deprehenduntur.*

Ratio symptom. *Vt sunt variæ caussæ, ita variè instituëda curatio. Procatharticis nullum remedium destinetur, nisi abstinentia, nam si insolatio dolorem efficit, domi sub tegmine morari conuenit, si ebrietas, vitanda, &c. Internis verò, ijsque antecedentibus instituenda curatio, prout agunt, & officiunt, agunt certa quadam specie definitæ officiunt, ut sunt uitiosæ, uitium spectatur penes substãtiam, copiam, qualitatem, & motum. Vitium substantiæ subest, si sit putris materia, aut uenenata, si uermes, aut scorpius dolorem generent, ut cuidam Italo militi frequèns basylicam herbam olfacienti fortuna contigit, referente Hollerio. Vitium copiæ subest, si sit multa materia, eaque confertim agens. Vitium qualitatis visitur in caliditate, aut frigiditate, &c. in motu uitium cernitur, si aliunde in cap. efferatur.*

Ratione igitur doloris anodynum indicatur, & vt sunt diuersæ caussarum ideæ, ita diuerso quodam modo instituenda curatio, &c. Auic. nil peræquè familiare, ac lotio pedum ex tepida.

Pro Illustrissimo Præsule capitis dolore laborante.

CONSILIVM SEPTIMVM.

DOlor capitis, quo Illustrissimus Antistes afflictatur, soboles est bilioli, atque acrioris halitus, qui cerebri membranas præcipuè vellicat. Ab infernis autem partibus in cap. effertur, nempè æstuante in venis bilioso sanguine. Nulla in. capite stabulantis materiæ indicia se se proferunt. Quare eò allaborandum esse videtur, vt cap. quadantenus roboretur, ne tam facilè suscipiat, halitus motu, & qualitate peccantes corrigendi reuulsione, seu potiùs repercussione, & refrigerantibus potiunculis, quæ æstum compescant. Ad cap. robur probatur succus polygoni, & lactucæ cum tantillo rosacei aceti fronti inductus, aut certè ol. cucurbitæ cum succo citri. Forestus vtitur recenti populneo vnà cum myrthino vnguento. Inter sumpta probatur saccharum rosatum ammixto cornu ceruini puluere. Quid agendum. Præsidia.

Ad dissipandos halitus probantur frictiones cruribus adhibitæ supernè deorsum, vincula, & tepentis aquæ balnea, cucurbitæ cùm humidæ, tùm siccæ infernis partibus primùm, tùm scapulis affixæ, maximè si caput incaluerit. Denique ad retundendam acrimoniam congruum mihi videtur serum caprillum destillatum vnà cum syr. de limonibus, cui si guttas binas, aut ternas spiritus vitrioli adieceris, miraberis effectum. Clysteres acriusculi non erunt omittendi, si dolor non concedat. Hæc verò vsurpanda erunt duntaxat post alui lenitionem ab assumpto pharmaco. Auic. commendat embrochas, & stillicidia ex lacte, vbi suspicio rheumatis abest.

Pro eodem perunigilio laborante.

CONSILIVM OCTAVVM.

QVamquam scripsit Plato, vigiliæ finem esse sapere, nihilominus ex Dictatoris sententia scitum est, somnus, atque vigilia, vtraque si modum excesserint, malum: Motus, cibus, potus, somnus, vigilia, venus, omnia mediocria, inquit idem. Nam quemadmodum immodicus somnus caput rheumaticis dispositionibus præparat, & cæteris grauissimis affectibus, ita immodicæ vigiliæ formæ corruptionẽ pariunt, vt Rhasij more eloquar. Hinc Vates scitissimè cecinit. Somni longioris & vigiliarum detrimenta.

Quod

Quod caret alterna requie durabile non eſt.
Hæc reparat vires, feſſaq; membra leuat.

Quare cum Illuſtriſs. D. immodiciſſimis afficiatur vigilijs, par eſt, vt obuiam eamus, ne quid deterius accidat. Atqui vigilię ſummoueri poterunt ſummota cauſſa, vnde proficiſcũtur, & quoniam, vt aliàs determinatum fuit, non proueniunt deficiente benigna illa anathymiaſi, quæ quodam modo ſpiritus obnubilat, & adumbrat, ne ad ſenſoria procedant, neque ex nimia cerebri ſiccitate proueniunt, quæ vapidam ſubſtantiam abſorbeat, & exhauriat, neque ex immodica cap. caliditate, quæ vapores exagitet, neque concreſcere ſinat, ſed reuera enaſcuntur appulſu ſicci, & maligni halitus ex atra-bile ſublati, quæ in præcordijs æſtuat. Quare vt educenda huiuſce recrementi moles caſſia, & el. leniente, ita vaporum conditio permutanda benignioribus, quare indefinens eſſe debet vſus ſeri, lactucæ, emulſionum ſem. melonum, amygd. dulcium recentium, balnea cruribus frequẽs adhibenda, &c. Tempora oblinantur populneo, aut ol. papauerino vnà cum cucurbitino, ladanum opiatum ad duo, aut tria grana ſolet eſſe inſtar omnium Auic. artificioſa induſtria, adhibeatur, aut Albucaſis ſecretũ, quod ab Hollerio ſummè laudatur, necnon à Saladino.

Quotæ ſint vigiliarum cauſſæ.

Remedia.

Cap. de vigil. & Sahara.

Pro piaculari Sacerdote paralyſi ſecundùm manus laborante.

CONSILIVM NONVM.

Hiſtoria.

VIr religioſus, & probatæ, ſpectatæque uirtutis Protomyſtes cum iamdudum expoſitus humenti, humilique loco obdormiſſet, ut præſentior graſſante peſte pietati uacaret, & præſto eſſet egentibus, & omnino non ita accommodatam iniſſet uiuẽdi normam, ecce (malum) priſtinum motionis tenorem manus alioquin ſatis promptæ amiſerunt, ut difficulter & calamum, & minima quæque apprehenderent. Quamobrem tantæ imbecillitatis pertæſus medicam implorauit opem, ut denique artis auxilio organum organorum, & ſapientiæ machinamentum pro libera uoluntate, adhibere poſſit. Nos igitur acciti explorata penitus affectus natura (eſt enim ſymptoma ad motricem facultatẽ ſpectans, hoc eſt uoluntarij motus imminutio ob animalium ſpirituum, qui ad manus liberè appellere non poſſunt, defectum à pituitoſa materia in neruorum ſubſtantiam recepta) narcoſim potiùs, & uiam quandam ad conſumatam paralyſim eſſe ſtatuimus. Quare iniuncta ex media materia diæta, quæ & tenuaret, & aſſiccaret, curationem à primis cauſſis auſpicati ſumus, & una, alteraq; purgatione ſuperuacuas humiditates detraximus, tùm ad ſubalterna gradum fecimus, caputque errhinis, & maſticatorijs depleuimus, quo tempore & Guaiacinæ hebani decoctum arte parauimus non ſine nerualibus accõmodatis, idemque ſeduló propinauimus, quibus cum nihilo haberet melius, topicorum uſum minimè reformidauimus, quare cum in mentem uenifſet Pauſaniæ Syri, qui ex alto in dorſum ceciderat, & digiti manus motum amiſerant, ciuſque memores, qui hyberno tempore diutiùs madens pallium circa ceruicem obuolutum detinuerat, vnde ſuborta eſt manuum paralyſis, quos Galenus admotis ceruici remedijs curauit, & illos ſubſannauit, qui particulæ affectæ duntaxat auxilia, nequicquam contulere, alieno cauti periculo, ceruici multa adhibuimus, quæ digerẽdi facultatem habebant, affectam particulam attrectari, perfricarique curiosè iuſſimus, ſynapiſmos, dropaceſq; omiſimus, atque cętera metaſyncritica, tùm quia inſtabat Syrius ardens, tùm quia reſumptis viribus ex futuro ęſtu aliquod expectabamus emolumentum.

Lib. 5. de loc. aff.

Denique cum ſpe omni deiecti rem penitus ſcrutari cępiſſemus, ganglia quædam ambas manus obſidere obſeruauimus, quæ cauſari nos, & non minimum habere momentum ad affectus incrementum decernebamus. Quamobrem cum tã opportunè adhibita præſidia nihil hactenus profuiſſent, non ſine conſilio Virum Religioſum, & vndequaque ſtudioſum ad thermas Apponenſes ablegauimus, vti leui, catholicaque habita corporis prouidentia, luta adhibeat thermalia, atque etiam vinacea per quindecim dies, atque eò etiam amplius, ſi opus fuerit, neque enim in ganglia vniuerſam reijcimus cauſſam, quibus ſatis eſſent malactica, & modicè digerentia.

Pro Viro paralyſi correpto.

CONSILIVM DECIMVM.

NObilis hic Vir ex priori morbo reualeſcens in affectum incidit, quem motus, & ſenſus obliteratio dextri lateris excepit, hunc vocant Græci paralyſim, ſymptoma animalis facultatis, ſoboles pituitoſi humoris in dextrum initium ſpinalis medullæ, & in neruos eiuſdem lateris decidui, atque caduci. Prouentus huiuſcemodi pituitatis ex cap. & ſtomachi frigida, humidaque intemperie originem ſumpſit, illud enim Hipp. pituitæ metropolim vocat, hunc verò affectionum omnium, quibus cap. tentatur, ſcaturiginem. Externam, & euidentem cauſſam, quæ internam excitarit, auſtrinum aerem, quem carepharicum vocat Hipp. h. e. caput grauantem, & auditum hebetante, præterea vini potionem cognouimus. Hoc Platoni ſententia, ideò paralyſim inducit, quòd ſit narcoticum, Rondeletius putat, quòd ſit excrementorum uehiculum ad neruos, Rudius cauſſatur acetoſitatem, quam in neruis indipiſcitur. Proxima affectus cauſſa eſt animalium ſpirituum defectus, neque enim poſthac ſunt audiendi, qui exiſtimant facultatem à cerebro defluere, hæc enim per origiuem vbique eſt, cum ſit animæ quædam proprietas, & aptitudo ad operandum, hęc verò eſt vbique, quamquam hoc negauit Cæſalpinus in quæſt. Peripateticis, quæ tamen ad munus ſuum obeundum organi certam deſiderat diſpoſitionem, hæc verò paratur per effluxum ſpirituum animalium ad organum, effluunt verò per neruos, ni præpediantur, quare ſummouenda impedimenta, nimirum infarctus pituitoſi humoris, qui neruos remollit, & offarcit, cacochymiæ moles phar-

Ratio ſymptom.

Ratio ſymptom.

Li. de glid. lib. de Virg. morb.

In Aph. 3.

Cur vinum paralyſim inducat.

Methodus

les pharmacis imminuenda apharreticis, cap. roborandum, h. e. calfaciendum, & siccandum, dum enim parti propriam temperiē restituimus, roboramus eandem, stomachus confirmandus, h. est calfaciendus, & modicè siccandus, excitanda facultas, exercenda pars resoluta.

Prognosis. Quàm sit difficile verò has complere indicationes, affectus magnitudo facilè monstrat. Veruntamen quia affectio non est admodum incongrua ægri naturæ, habitui, & anni temporibus, hinc fit, vt ex Hipp. minus arguatur periculum.

Lib. 2. Aph. 22. Curatio per Chirurgiam. Quoad Chirurgiam, nulli vsui esse venæ sectionem duximus, quòd neque vt causa principalis, neque vt adiuuans, neque vt causa, sine qua tutò curatio iniri nequeat sanguis vitiosus esse videatur. Cucurbitulas siccas ratione symptomatis potiùs commendamus, frictiones asperas, & vincula corpore per pharmaca ritè piato. Si non excitetur æger, non improbantur cauteria & in inio, & in bregmate inusta, clysmi, suppositoriaque acriuscula semper erunt vsui. Sunt quibus probentur phænigmi.

Per Pharmacum. Quoad pharmaciam. Pharmaca ore sumenda, quæ in perendinum poterunt præscribi. Hic mora periculo, proin manus admoliri oportet, nec procrastinari. Post generalia præsidia succedunt subalterna, & topica. Quo tempore danda est D. chinæ, & visci querni, vt per inaspectabilem quoque euacuationem materia neruis impacta resoluatur.

Cap. de cura paralyf. Non est negligendum Auic. consilium, vt quotidie detur aureus vnus hieræ, tantundemque piperis ex potu: Sanat enim citissimè, dummodo aq. non ingurgitent.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS SECVNDA.

Pro Vincentio Mannareno Veteramentario paralysi correpto.

CONSILIVM PRIMVM.

Historia. VIncentius Mannarenus sexagenarius temperie calida, & humida præditus, dum flante borea sub Ioue frigido ligna in familiarem vsum cæderet, interim præ diuturno labore vehementius caluit, cumque sese à labore subtraxisset perfecto, paulò post stolidulam filiam iubet cæsa ligna recondere, id quod illa minimè effecit, quare ira correptus, & veluti furore quodam perculsus accessit, vt ligna in culinam exportaret. Ecce autem, dum inclinatur, manusque exporrigit ad ligna capescenda, repentino lapsu colliditur, & dum se in pedes recolligere nititur, dextrum crus veluti emortuū haudquaquam in suppetias mouere potest, quo casu non modò pertusus, sed etiam perterritus ad domesticos acclamat, vt sibi opem ferant, qui cōcurrentes leniter in cubile deferunt, vbi torporis & otij pertæsus me consultum voluit. Cum autem dogmaticum Medicum dedeceat, quàm mox præsidia aggredi indiscussa morbi idæa, & illius indicta causa, videor mihi ex officio facturus, si paulisper circa res naturales, & adiaphoras, quas vocant non naturales, & post remò præter naturam diuagabor. Initium autem sermonis à rebus naturalibus, & non naturalibus auspicor, quoniam magnam partem conferunt ad dignotionem affectuum præter naturam.

Res naturales. Homo igitur, de cuius sanitate acturi sumus, sexagenarius est, temperie calida, & humida, sanguine alias affluxit, prout ex florido faciei colore, venarum latitudine & eusarco corporis habitu est colligere. Lætabundus vitam nec laboriosam nimis, nec desidem vixit, crassis cibarijs, & aquarum hausti bus assuetus. Iecur satis retortridum volæ manus incalentes arguunt, cor verò eiusdem temperamenti cùm physica, tùm ethica signa demonstrant. Physica quidem, pulsus magnitudo, pectoris latitudo, numerosa pilorum seges. Ethica, iracundia prompta, animositas, maligni mores. Hinc colligitur, ex ætate, ex aquarū, & crassorum ciborum, vi pote polentæ, casei vaccini vsu frequentiore, ex stomacho tùm aquarum potu, tùm hepatis vicinia labefactato pituitę prouentus, Iecur autem non minimam bilis copiam suppeditat, pituitæ vehiculum. Caput nullis se prodit symptomatis, quod calidum, humidumq; facili assequor coniectura.

Res non naturales. Res non naturales, vt aer ad frigidum, & sicum vergebant, nam tunc quemadmodum etiam postea, ab Aquilone aer perflabatur, præterquam quod obliquitas & Solis recessus ęcium nostras rigidius relinquebat, vnde caput noxam suscepit, & pituitæ ferax euasit. Huc accedit vehemens ille labes, cuius vi bilis efferbuit, pituita licuit, & magna pars in caput elata est, quæ paulò post deferuescente calore in sinistrum spinalis medullæ initij sinum relapsa commeatū, & appulsum spiritus animalis in subiecta sinistri lateris membra præpediuit, cuius etiam pituitæ pars bilis tenuissimæ beneficio exiles neruorum meatus subiuit, & impedimentum cumulauit, quamobrem infelix Diabatrarius se se sustinendi impos collapsus est. Hinc ad res contra naturam patet promptus aditus, quis enim tam crassæ est Mineruæ, aut Gelenifugus, quem fugiat, hunc affectum paralysim esse, * amissionem nimirum sensus, & motus ob priuationem influentis spiritus animalis in sinistrū latus? qui sanè affectus symptoma est de genere abolitarum actionum animalium, sensus scilicet & motus. (Sciendum interim non omnino abolitum esse sensum, sed sic videri, alioquin animal, inquit rectissimè Auer. perijsset. Hic porrò discuti quædam dubitatio solet, qui fiat, vt interdum motus amittatur seruato sensu, aut incolumi motu sensus euanescat? Quidam facilè se se explicant vnica distinctiuncula afferētes, quosdam neruos motui duntaxat dicatos esse, quosdam sensui, ac proinde minùs mirari subit, inquiunt, si diuersis affectis organis vnius facultatis functio tollatur, alterius ritè absoluatur. At ego non is sum, qui tam facilè his manus dem & pollicem, quod aiūt, stringam.

Res præter naturam.

Sympt em ratio.

Qui motus amittatur incolumi sensum.

sam. Existimo enim rem ita definiendam esse, vt affecto neruorum principio, vtpote spinalis medullæ principio motus, & sensus perpetuò simul pereant, effectis autem ipsis per idiopathiam, & protopathiam neruis nonnunquam sensus agatur delitescente motu, interdum seriante sensu motus sospes abeatur, quæ sanè ideò eueniunt, quoniam neruuli desinunt aut in organum sensus, aut in organum motus, quare si propagines neruorum, qui in subiectam cutem inseruntur, offarciantur à pituita, aut alio modo premantur, sensus disparebit, sin obstruantur nerui, qui ad membra mouenda immittuntur, procul dubio seruato sensu obliterabitur motio. Sed nos fortè abs re nimis longum fecimus. Quocirca, vt eò tandem perueniamus, quò mens nostra contendit, perspecta affectus, & causæ natura per indicationes curationem aggressam oportet. Cum itaque affectus iste consequatur morbum organicum, obstructionem scilicet principij spinalis medullæ à crassa pituita medendi methodus desiderat, vt hæc qualitate peccans emendetur calfacientibus, siccantibusque, copia imminuatur, officinæ roborentur, præsertim caput, pituita neruoso generi impacta omninò elidatur, & si quæ sunt symptomata leniantur.

Methodus.

Cæterùm quoniam nefas est, remedia adhibere suppressa prognosi, idcircò euentus prædicendus. Affectus certè terribilis est, & chronicus paralysis, qui senes maximè vsque ad mortem comitari solēt, ait Celsus, verùm quoniam nonnihil restitutus sibi videtur æger, & ad eam anni quadrā properamus, quæ salubres reddere solet morbos nempè ad Ver, Magna salutis spes affulget; Non dubito tamen, quin aliquod mali vestigium sit permāsurum, quod ægrum vsque ad capulum sit comitaturum.

Prognosis.

Lib. 4.

Initium curationis auspicari oportet ab eccoprotico (nam Auic. monitore blandè in principio agendum) vti excluſis superuacuis humoribus tutior euadat reliqua curatio. Et quamquam hic sanguis non peccat vti præcipua causſa, vti tamen causſa sine qua non. Quare hæmorrhoidibus admouendæ quinæ hyrudines, & totidem sanguinis vnciæ promendæ. Sic enim & sanguis difflabitur, & iecur temperabitur. Hinc ad apozemata pergendum. Probantur syr. de betonica, mel ros. simplex adiecta oxymel: portiuncula, tutò enim vel Amato teste in neruorum affectibus adhibetur oxymel, vbi simul Rhodomel simplex coit. Post syrupos purgans pharmacum ritè succedit. Tale autem concinnabitur agarici infusione, & rheubarbari adiecto in colatura mellis ros. sol. quartario, & diaphænici didrachmo. Ab his ad compositos syr. gradus faciendus. Proin vsui erūt syr. de betonica comp. de stœchade, oxymel cōpositum, scyllinum. Quibus per hebdomadam perhaustis ad valentiora pharmaca accedere necessum erit. Qualia forent pill. fœtidæ, de sagapeno, cocchiæ reformatæ cum succo saluiæ infusionis trium granorum diagrydij; mandat enim Auic. vt in neruorum affectibus valida aphæretica vsurpentur. Præmissis generalibus ad subalterna pergendum, quare caput omni studio deplendum

Curatio.

erthinis conflatis ex succo cyclaminis, anagallidis, sampsuchi, in quo diaphænicon, aut agaricus fuerint dissoluta, aut certè decoctione cephalica, in qua folia sennæ, semina carthami, & radiculæ polypodij incocta fuerint. Gargarismi ex eadem materia concinnandi adiecta oxymel. scyllini ℥. j. pro quartarijs duobus, iniecto etiam puluisculo synapi, pyrethri, & cubebarum. Masticatoria quoque huc faciunt, conficiuntur ex pyrethri, synapi, staphisagriæ, & cubebarum puluere excepto cera, & mastiche Chya.

Postremùm ad topica deueniendum, quæ frequèns adhiberi debent ceruici, & toti spinæ. Litus, embrochæ, stillicidia, balnea synapismi, dropacismi huc faciunt, quos commendat Auic. Dum hæc exercentur generosum aliquod præsidium experiri decet, quod materiam per inaspectabilem modum dissipet, & discutiat. Tale erit D. guaiacini ligni cum salsa, & viseo querno. Hoc tempore concinnandi boli ex Cyprio terebintho vnà cum trochiscis viperinis, aut sp. dianthos. Nec minùs conferet Vesperi deuorare aliquod electarium, quod roborandi capitis vim habeat. Tale autem erit. ℞. conf. betonicæ, anthos, saluiæ ana ℥. ij. diaolibani, diaxyloaloes, cort. citri cond. diacinnam. ana ʒ. j. Rad. acori conditæ, zinzib. conditi ana ʒ. iiii. m. cum syrupo de stœchade, & f. elect. Huc faciunt myrobalani chebulæ conditæ. Theriaca, Mithridatium Auic. instar omniū sunt. Non erunt omittendæ frictiones supernè deorsum, litus ex ol. laurino, nardino, costino, caryophyllorum, de cinnamomo conuenient, item vng. Arragonium, Agryppæ, Martiaton, Dialthæa, &c. Si hæc non satis essent, concludendus papilione, aut dolio æger, & subtus suffiēdus erit ex decocto herbarum cephalicarum, & calidarum asperso super ignitos lateres, aut molarem lapidem. D. fiat ex viuo. Quod si nec his curatio absoluatur ad balnea sulphurea ablegandus æger, in quæ ingrediatur, & quæ etiam hauriat.

His si non restituatur, conclamatum erit. Diæta debet esse tenuis & attenuans, ea tamen, quæ peræquè viribus, & morbo studeat. Auic. concedit vinum Antiquum modicellum in omnibus ægritudinibus neruorum.

Qualis dia.

Pro puero epileptico Cadubricola.

CONSILIVM SECVNDVM.

AB hinc sex mensibus puer hic sexennis, sanguineo præditus temperamento, & satis bona indole, atque ardelio à uehementi timore, qui frequèns solet intercedere, ut monet Auic. cœpit amisso sensu quibusdam conuulsiuis motibus percelli, quos grauis, profundusque excipit sopor, nonnunquam vomitus, & ventris tædia præcessere, nec minùs vermes fæcibus intermixti visi sunt. Post quam hoc symptomate cœpit affligi, vrinæ lacteæ emictæ fuerunt, admodumque crassæ. Paroxysmum præcedit quędam cap. grauitas, & perturbatio mentis, quam cum persentiscit, confestim ad parentes recurrit veluti suppetias petiturus. His grauibus motus accidentibus Genitor

Historia.

Medicæ

Medicæ diligentiæ eum commendauit, quando & pharmaca plura deuorauit, & hyrudines brachijs admotæ, sed nequicquam. Hinc factum est, vt ad nos tandem ventum sit auxilij studio, cui nos præsto esse par est. est enim affectus iste abominabilis, qui homines, inquit Aretæus, exanthropos efficit, i. extra hominum mores.

Sed vt rem paucis conficiã, videtur mihi puellus spuria quadam epilepsiæ specie laborare, quæ suam habet essentiam in motus prauitate, & sensus absentia ob vapidam substantiam ventriculos obstruentem, & membranas vellicantem, vnde expellés vis irritata ciet prauum illum motum, dum animalem facultatem in consensum trahit.

Supereſt ergo vt inſpiciamus, nunquid affectus iſte eſſentialis ſit capiti, an potiùs per conſenſum, multum enim refert hoc dignoſcere tùm ad prognoſin, tùm ad curationem. Videtur ſanè eſſentialis, ſi acceſſionis frequentiam, & affectus diuturnitatem ſpectemus. Attamen vomitus, nauſea, ventriſque faſtidia, quæ paroxyſmum antecurrunt, vermium deiectio, aduenientis mali præſenſio, ſomnus poſt acceſſionem, qui non grauat, ſed leuat caput manifeſtò arguunt malum à ſtomacho proficiſci, quare meritò dicendum erit, hunc affectum eſſe per idiopathiam in cap. neutiquam verò per protopathiam, cum excitamentum ſuſcipiat à materia morboſa extra caput exiſtente. Fatemur.n. in cap. ſubeſſe morboſum apparatum, cuius gratia à quauis cauſa facilè impellitur.

Cæterùm vapor is, qui tùm obſtruit, tùm conuellit, è ſtomacho effertur multa pituitate refercto, id eſſe arguit repentina inuaſio, & receſſus, hinc ſcitiſſimè ſcripſit Auic. melancholiã, & plegma ideò epilepſiam committere, quatenus ab eis vapor effertur, qui vt mole offarcit, & obnubilat, præpeditque ſpirituum irradiationem, ita praua qualitate moleſtat, hinc expultrix ad vrgendum inſurgit, cui ſubditum nertoſum genus aſſentitur, & ſimili motionum genere corripitur. Itaque cõfectum ſit, vt ſpuria puellus laboret epilepſia, quæ eſt quidem cap. eſſentialis, ſed etiam per conſenſum à ſtomacho cruditatibus ſcatente ob frigidã, & humidam intemp. & ob errores externos, vnde vapores fontici tolluntur ad cerebrum.

Noſtræ igitur partes erunt id agere, vt quã mox paroxyſmus tollatur, & ne denuo redeat ſtudere. Primum aſſequi licebit vinculis iniectis extremis artubus, frictionibus aſperis, acribus glandibus, inſtillato in os nigrorum ceratorum extracto, aut ſcyllino aceto, commoto ſternutamento cum puluere pyrethri, & caſtorei, oblato ad olfaciendum oleo balſamino, illitis temporibus ex cerebro coturnicum vnà cum myrthino vnguento, quod eſt Gal. conſilium lib. de facilè parabilibus. Huc facit & ſanguis teſtudinis naribus oblitus. Secundùm verò ſcopum adipiſci licebit ſummotis vniuerſis cauſſis, quę ad huius affectus productionem conueniunt, quare cum puer iſte cap. prę humidum habeat, multum in ſtomacho phlegmatis, multum etiam in viſceribus æſtus, à quo vapores tolluntur in caput. Neceſſe erit repurgato phlegmate caput afficcare, ventriculum roborare, iecur refrigerare, & externos errores circuncidere.

His indicationibus ſatisfieri poſſe ſperamus auctoritate Hippoc. moniti, & muniti, non tamen citò, nec facilè, quòd malum altas egerit per tempus radices, quòd frequenter inceſſat, quòd grandis ſit in cerebro apparatus. Supereſt videre, an præſidijs tentanda ſit curatio, cum per ætatem eadem ſuccedere poſſit, vt teſtatur Valleſius. Mihi tamen tutior eorum opinio videtur, qui puellis etiam manum admoliuntur, & naturæ ſuppetiatum eunt. Age igitur ad auxilia gradum faciamus.

Probantur inter Chirurgica cucurbitulæ lumbis affixæ non ſine ſanguinis effuſione. Gerit in brachio cauterium, ſed magis conferet, ſi femori dextro inuratur & alterum. Frictiones, & vincula probantur. Neutiquam verò probetur pyroticum, aut veſicantia inio, & ſcapulis inuſta.

Inter pharmaceutica, & quidẽ purgantia in primis probatur Agar. necnon ſpecies hierę picræ redactæ in bolos cum rhodomelle ſoluente, ſimiliter pill. maſtichinæ uſui erunt. Ad parandos humores ſatis erit ſyrupus de pomis ſimplex vnà cũ oxymelite dilutus iuſculo decoctionis hyſſopi, & thiliæ; repetenda identidem leuia phlegmagoga, poſt quæ tranſeundum ad mellis ſcyllini vſum, his tamen adhibitis circunſtantijs, quas innuit Auic. æſtate neceſſarias, ſolo mellis ſcyllini vſu profitetur Galenus ſe plurimos perſanaſſe quadraginta dierum ſpatio, & reuerà hoc mihi accommodatiſſimum videtur præſidium. Succedente tempore non erunt omittenda illa remedia, quæ quoniã occulta qualitate agunt, dicuntur amuleta; inter hæc probantur potiſſimùm conſerua fl. liliorum conuallium, rotulæ ex ſem. pœoniæ, cranij hum. præp. puluere vngulæ Alces cum ſacch. diſſoluto in aq. Pœoniæ. Spiritus vitrioli nunquam non vſurpandus, tùm ob vermium ſuſpicionem, tùm quia creditur proprium amuletum. Auic. nil præſentius Mithridatio.

Nihil verò profuerit, ni recta victus ratio adhibeatur, cum hoc dæmonij genus exercitia quærat, victum tenuem, & attenuantem, frugalitatem, & lauta cibaria. Galenus eſt aliquanto indulgentior, & liberalior, Auic. parcior, ſed Galenus rationem conceſſæ liberalitatis affert, quòd priuatio deſiderium augeat, quare clanculum pueri enormiores committunt errores.

Frons aſini geſtata fide, viridiſque ſmaragdus, ſeu duro confecta lupi de tergere Zona.

Sacrum arcet morbum, pyrethrumque parabile collo.

Prognoſis. Lib. 5. aph. 7.

An tentanda curatio.

Curatio per Chirurgiam.

Per Pharmaciam.

Lib. de puero epilept.

Per diætam.

Amuleta.

Pro Viro quadragenario ſpaſmo cynico, & balbutie laborante.

CONSILIVM TERTIVM.

EXacto Autumno oris tortura, fandique difficultate correptus fuit Vir egregius, quare maioris mali metu perculſus Medicum conſuluit, & nonnulla adhibuit remedia, quibus melius habuit: In præſentiarum poſt meracioris vini uſum,

Historia.

eodē affectu correptus est, hinc noua quærit præsidia. Oris verò tortura, siue Cynicus spasmus, sardonicus risus vocatus, nil aliud est, quam præter naturam figura dependens à motu præter naturam musculorum, qui buccas mouent, & labia, quare si affectus formaliter spectetur, est symproma ad qualitatem mutatam attinens, si verò sumatur pro præcipua caussa, vt morbus, tunc erit morbus in compositione spectans ad figuram deprauatam, & sic erit potius caussa læsæ actionis. Porrò, quando dixi à motu præter naturam dependens, tùm abolitum, tùm deprauatum audiui, hîc ablatum intelligo, nam pars sana ad se trahit malè affectā ob resolutionem, siquidem sensus semiablatus est, & nullus subest dolor. Hoc autem vitium contingit ob decubitum tenuis, aqueæque pituitæ ex cerebro, quæ cum sit opus præter naturam, sequitur actionem aliquam læsam, nempè cerebri alteratricem, quæ læditur tùm ob humidam cerebri intemperiem, tùm ob errores externos, aeris scilicet inclementiam, & meracioris vini vsum. Quare eò allaborandum est, vt circumcisis externis erroribus pituita è capite, & musculis elidatur, & cerebrum afficcetur, & pristinæ figuræ pars restituatur, id quod nos assequi posse confido, etsi Rhasis difficilem curationem asserit, vbi saluatio multa redundat, vt in nostro patiente: Præterea affectus non est spernendus, quia post sex menses est incurabilis, & paralysim, epilepsiā, aut apoplexiam minatur, vt docet Auic. A sanguinis missione auspicari oportet curationē, nam sanguis & viscera æstuant, & peccare etiam videtur tanquam causa, sine qua tutò curatio iniri non potest. Admotæ hæmorrhoidibus hyrundines conferent. Item cauterium inustum brachio.

Ratio symptom.

Methodus.

Prognosticum.

Curatio per Chirurgiam.

Inter pharmaceutica probatur leniens ex melle ros. solut. & el. leniente, tum serapia præparantia, denique sequi debet purgatio, quæ repeti debet post validiora propotismata ex pill. cochijs de nitro Alex. & aggregat.: Ritè piato corpore sequuntur subalterna, errhina masticatoria, gargarismata, post quæ D. ligni, & salsæ per mensem erit vsurpanda. Postremò localia vsui erunt. Non est omittendum Auic. consilium, qui mandat, vt ægri frequentius se se inspiciant in speculo chalybeato, vt vel obirascantur, & sic calorem suscitent, dum se tam deformes tuentur, vel studeant reductioni. Præterea mandat, vt per mensem ʒ. ij. hieræ Hermetis deuoret, & rad. acori, nucis moschatæ, pyrethri, nigræ myrobalani condimenta commendat, & præcipuè caput purgium ex aq. auriculæ muris adiecto modico sagapeno, & oleo. Faciem illinat aceto D. synapi &c.

Per Pharmaciam.

Pro Reuerendissimo Archipresbytero obtusa oculorum acie laborante.

CONSILIVM QVARTVM.

PRo libris hæc tibi antidora remitto, consilium quippe ad oculorum aciem acuendam (sæpius enim mecum oculorum hebetudinem, & infirmitatem deploraſti, & auxiliaria præsidia postulasti) quod cæteris gratius tibi futurum opinor, nam cum oculus sit cæteris sensibus præstantior cùm ob nobiliorem functionem, tùm quia plures rerum differentias menti suppeditat: qua caussa scripsit Arist. nos oculos præ cæteris sensibus diligere, eos sedula cura cauere, par est, & dignum, eoq; magis, quoniam oculus in microcosmo eandem habet analogiam, quam Sol in Megacosmo, hinc ab Homero Sol oculus Iouis dicitur. Hac de causa scriptum etiam inuenimus, Raphaelem Angelum amicis verbis non posuisse Tobiam Solari, quòd cœli lampadem suspicere non valeret. Hinc meritò etiam Adriani Imperatoris mancipium oculum sibi à Domino erutum præferebat quibusuis oblatis muneribus. Quid enim æquare possit animatum hocce speculum, per quod in animam cœli, & vniuersa mundi machina ingreditur? Cui cui igitur perpetua impendet cæcitas (ni mens cæca sit) is vtique omnium virium suarum conatus intendere debet, vt eat obuiam, & obijciat, caussas, à quibus progignitur abijciens. Vt rem igitur aggrediamur, acri perpensione in primis censendæ sunt caussæ vniuersæ, quæ visionem cùm adimere, tùm imminuere valent. Id quod nullo consequaris negotio, si eas, quæ ad obeundum visionis munus conueniunt, ad numerum reuocaueris. Cum itaque ea sit oculi structura, vt tribus humoribus, sex tunicis constet, præterea neruus opticus, musculi, certa figura, decens situs, congrua spirituum copia splendentium desiderantur; Ad hæc facultas, quæ est actionis immediatum principium, operæpretium est singulas caussas ad censum reuocare, & acri iudicio perspicere, cuinam earum minutæ visionis vitium imputandum sit. Non dubito quin possit esse cerebrum praua quadam dyscrasia affectum, vnde nec decens, nec sufficiens spirituum copia producitur, nec minùs crassioris, aut prætenuis tunicæ vitium, vel congenitus, aut aliunde illapsus humor concretus. Praua oculi figura, præsertim pupillæ, quando mydriasi laborat (tunc enim uberiùs dilatantur, dissipanturque spiritus) prauus oculorum situs huc faciunt, hincque fit, vt qui oculos habent eminentiores, iustoque maiores, imminutè cernant.

Caussæ visionis ablatæ.

Caussæ imminutæ visionis.

His prælibatis aliarū remotione statuenda præcipua caussa, vt eadē summota affectus delitescat. Equidem oculorum aciem nulla alia de caussa tibi obtundi arbitror, quàm quòd oculi grandiores eminentioresque sint natura, quibus per opticos neruos crassior, offuscatiorque accedit spiritus. Ita esse vel ex eo facilè colligas, quòd obiecta eminus discretiùs, quàm cōminus cernas, id quod illis dunraxat usu uenire consueuit, queis spiritus insunt crassiores, ac nebulosi, qui propterea plurimo externo lumine opus habent ad capessendas rerum imagines. Contrariorum contraria sunt consequentia, quòd si illi, qui paucos, & tenues spiritus habent res duntaxat admotas commodè tuentur, par est, vt qui crassos, & obtenebratos, eminus, & longo interuallo res diffitas oculis hauriant; per maius enim interuallum attenuatur spiritus, si credamus Platoni, aut certè plus luminis intercipitur, sufficiturque, à quo spirituum crassities, &

Laus oculorum.

Lib. 1. de

ties, & obscuritas dispescitur, & dissipatur, si Peripateticis assentiri velimus, scio enim aliter à Platonicis, & ab Alex. in Problematis responderi, atque ab Auic. Quid igitur faciamus inueterato malo, quod natura ipsa procreauit? Oculi maiusculi, & extantes, protuberantesque natura sunt obtusiores: quare remedia possis moliri, malum non demoliri, possunt tamen crassiores spiritus, & nebulosi ea victus formula, quam præscribit Actuarius, ad crasim, & temperiem redigi. Quare omni studio tibi declinanda crapula, legumina, quæque dispepta sunt & halituosa, lentes, brassicæ, lactucæ, caricæ, petroselinum, anethum, pisces præsertim mulli, quorum vsu scribit Auic. induci cæcitatem, columbi, acetum. Vinum sit dilutissimum, nam hydropotæ acutiùs vident, sit album, nam minus uapidum est, vel Themistio, & Arist. teste. Exercitium ante pastum ineundum, non tamen sub Sole, nec impendiò, scripsit enim Arist. Probl. 31. 14. exercitium esse inconferens ad oculorum aciem, fortassis quòd oculos afficeret. Somnus prolixior, & pomeridianus cane peius, & angue declinandus, nam cerebrum vaporibus opplet, hinc caligant oculi, neque tamen longior vigilia commendatur. Aluus sit lubrica, nam doloribus oculorum Hipp. pharmaca deiectoria ex arte præscripsit, nimis tamen cita aluus officit. A prandio parcendum libris, nec oculi exercendi, nisi iocundarum rerum intuitu, viridi, aut cæruleo potissimùm recreantur oculi, scripsit enim Arist. viridium aspectu maximè disponi. Animi pathemata tibi non sint cordi, ne per reciprocam caloris, & spirituum vicissitudinem turbata vegetante vi cerebrum coafficiatur. Abhorreat à fumo, quia oculos mordet inquit Arist.

Lib. x. c. 17. [de] spiritu Anim.

Lib. de som. & vigil.

2. Prob. 19.

Curatio per Chirurgiam.

Inter Chærurgica probantur hyrudines admotæ hæmorrhoidibus, per quas ab ineunte ætate excretoria vis superuacuum sanguinem exturbabat. Vberior sanguinis effusio non probatur, neque enim vana est vulgi opinio, larga sanguinis missione visionem minui. Frictiones artuum probantur, item pedum lotiones. At verò non erit omittendum cauterium sinistro brachio inurendum, vt superuacua cerebri recrementa foras deriuentur per affabrefactum emissarium.

Per Pharmacum.

Corpus pharmacis diligenter exinaniendum, non cassia, sed elect. leniente, aut chebulis myrobalanis. Senna enim, & myrobalani oculorum aciem proprietate creduntur acuere, sed illud certè præstant, quòd aterrimum humorem deijciunt, & explodunt. Parandi humores pituitosi, & melancholici syrupo de pomis, de fumaria, & rhodomelle, parati humores exigendi cathartico in pillulas redacto, quare præscribenda erunt catapotia ex massa cocchiarum & lucis ad ℈.v.

Deindanda opera, vt cap. depleatur masticatorijs, aut apophlegmatismis, errhina enim, ni sint leuiora, non congruunt. Concinnari poterunt pastilli mansiles ex mastiche Chya, & sem. fœniculi, cubebarum alpinoque filere.

Expiato corpore, & cap. tutò ad oculos accedendum ex Platonis præscripto; ea tamen duntaxat adhibenda sunt, quæ proprietate creduntur prodesse. Propterea punicorum succus in æneo vase ad Solem diu cum melle subactus commendatur. Hoc vtuntur Pictores ad acuendos oculos, inquit Hollerius. Aqua ex viperina carne collecta solet esse mirabilis. Viperæ cæduntur, fimo, aut cœno sepeliuntur, ex ijs (quidquid alij dicant) nascuntur vermiculi, qui vaporario mandati exhalantur in aquam. Hoc tutius est, quàm fel viperinum, quod commendauit Auic. Succus marrubij, anagallidis cum melle illitus confert. aqua rosarum, in qua sæpius thutiam, aut antimonium extinxeris, laudatur. Aqua mellis addito lucij felle præcipuè commendatur. Esculenta condiantur puluere oxydorcico, qui confieri solet hoc pacto. ℞. euphrasię partes duas, sileris vnam, suboctuplum maceros, & cinnamomi, salis octuplum, aut decuplum. Gestet inaures, & in foramen primùm intrudat rad. Thymelęæ. Hæc prodesse solent oculis à quacunque causa laborantibus. Vtatur per interualla veteri theriaca, mirum enim in modum vires excitat omnes, & senium arcet. Vsus frequens sit myrobal. kebularum, & matathri saccharo tecti. Rapa ne sint neglectui, quadã enim occulta vi, si credamus Auic. pollẽt. Vinú verò citragine, & euphragia medicatum tibi cordi sit, quod tantopere commendat Arnoldus, Auic. laudauit collyria, quæ ex antimonio confiãtur thutiã ex aq. fœniculi, si assiduè oculi abluantur, item collyria ex punicis malis dulcibus, & acidis conflata, & æneo vase diu ducta.

Pro Muliere Nobili oculorum lachrymatione ecthropio, & suffusione correpta.

CONSILIVM QVINTVM.

Historia.

HOnestissima Mulier sexagenaria totius corporis calida, siccaq; temperie æstuantis hepatis causa prædita, humidum, calidumque caput, stomachum frigidiusculum habet, singula testatis inditijs satis notata, his laborat affectibus, nempè legitima suffusione, quam Barbari catharractam appellant, oculorum inuolũtaria lachrymatione, Græci Epiphoram appellant, Celsus pituitæ cursum, præterea dolore, rubore, atque ecthropio, non sine suspicione venereæ luis temerati ratione mariti, quæ mala temporis diuturnitate confirmata sui ortus partem (vt mittam externa) ab infernis agnoscunt visceribus. Nam iocinoris æstus (neque enim dubitandum est, subesse calidam intemperiem, quæ ex prima mixtione resultauit, quæ sanè permanet etiam prouecta ætate, & vitali diminuto calore: duplex enim in nobis temperamentum, vitæ, & mixtionis, illud per ætatem minuitur, & mutatur, hoc nequaquam, vt facessat obiectiuncula) feruidum, vaporosumq; procreat sanguinem, vnde congeneres ad caput sublati vapores tandem aquescunt veluti in alembico, & catarrhis, & fluxionibus materiam substernunt, quibus homo præ cæteris animantibus, vel Arist. testimonio, est opportunus ob corporis rectam figuram. Non minima tamen huiusce excrementi portio ob morbosum cap. apparatum frustrata concoctrice ui resurgit, nam quum sit calidum caput, plus, quàm conficiendo sic attra-

Cur homo præ cæt. animal. catharrhis obnoxius.

Ratio symptom. hit. Hinc excrementi prouentus, quod sanè acrius est tùm ob luem veneream, tùm ob salsos ichores permixtos, quod sanè ad oculos illabens lachrymas primùm parit, tùm dolorem ob acredinem, & erosionem; ruborem denique, & ecthropiũ accersito sanguine parit (natura enim sanguinem, qui præsentior est, semper eò, vbi defectum fieri persentiscit, suppetiarum ergò amandat;) suffusionem verò primò spuriam fuisse, & per sympathiam à stomacho frigidiore sublatis eiusdem naturæ vaporibus ad oculos, vbi loci conditione (sunt enim aquei Arist. opinione oculi) concreuerunt, & tandem in genuinam temporis successu abiit, desciuitque, plurima indicant.

Quid suffusio. Methodus. Cum igitur suffusio sit morbus in numero, seu mauis in meatu (additur quippe oculo quippiam præter naturam) hæc tui ablationem insinuat, oculorum rubor, palpebræ inuersio, dolor, lachrymæ cum fiant ex affluxu serosæ, & acris materiæ vnà cum pituita, est enim mater omnis catarrhi, indicant oculum esse roborandum, prohibendam fluxionem auertentibus, deriuantibus, intercipientibus, euacuantibus, denique summotis caussis excrementum generantibus, habenda interim totius corporis prouidentia, & Venereæ luis, quæ huc maximè facit.

Prognostica. Hisce scopis admodum difficile est respondere, siquidem adest summa essentiæ vehementia ob excrementi copiam, adhæc principes particulę ferè omnes laborant, & mala in habitum habitudo abijt, quin lues Celtica subest, quæ contumaciores affectus omnes reddit. Ne tamen auxiliares manus ei, quæ precariam opem sedulò expescit, & se curari efflictim peroptat, denegare videamur, age in medium paucula afferamus, queis malum mitescat.

Curatio per Chirurgiam. Mittatur sanguis ex media dextri cubiti vena, vt & iecur temperetur, & à cap. reuulsio fiat; post septimanam verò hæmorrhoidibus admoueantur hyrudines quatuor. Et verò quando cauterium in occipitio inustum nihil confert, transferatur ad coronariam suturã abraso capillitio, ita enim mãdat Hipp. Chærurgiam, quam præscribit Paulus μειχιτιτμον laboriosam censeo, quemadmodum temporalium arteriarum sectionem, quam Galenus præfert, suspectam habeo ob Chirurgorum apyriam. Fortasse conducet phænigmus ponè aures infixus.

Per Pharmaciam. Aluus interim leniatur leniente electario, diapruno, speciebus hieræ picræ craffioribus, omissimus cassiam Ægyptiacam, tùm quia oculis infensa est, tùm quia multa vaporum sobole cap. impetit, adiecimus picram ob ventriculi crassa recrementa, crassè verò contundi iussimus, ne ad iecur perualat. Ab hoc pharmaco propinanda propotismata ex syr. de betonica, de succo borrag. & acetoso.

Parati humores foras exigantur catapotijs ex massa pill. lucis, sine quibus, & mastichinis cũ succo fœniculi concinnatis. Repetantur alliotica, & purgantia pharmaca eiusdem generis aucta quãtitate, subinde ad D. epithymi Mesuæ pergendum, qua sanè quater per interualla perhausta ad D. Chymæ properandum, præmissis tamen subalternis remedijs, quæ cap. præcipuè depleuerint, nempè errhinis leuioribus (neque enim grauiora conueniunt) & apophlegmatismis. Chymæ addatur ligni Guaiaci scobs, vt appropriatum fiat luis Alexiterium. Salsam omittimus, quia peculiari vi oculis, & vẽtriculo officit, & miror seniores quosdam Acesias, puta Zoncã, hoc non animaduertisse, cum tamen interim agant Aristarchum, sed facessant ignauissimi obtrectatores, qui præter consuetam cantilenam in consultationibus nihil afferunt solidi, quod aut Hipp. aut Arist. aut Gal. doctrinam sapiat. Hi sunt, qui quæstui semper inhiant, & vix à limite bonas artes salutarunt, satius sit obmutescere, quàm absurdissima audenter deblaterare. Sed hactenus. Dũ haurit Chymæ vim, ventrem creorò subducat infusione sennæ, & myrobal. kebul. additis passulis, senna enim mirè oculis conferre creditur. Corpore ritè piato diligens oculorum cura suscipiatur.

Topica. Quo ordine adhibenda. In hoc affectuum implexu hac methodo procedendum, vt ab ijs auspicium ducatur, sine quibus reliqui affectus remoueri nequeunt. Proindolor mulceatur aq. plantaginis infusionis summachiorum, cuius expressioni adiecta sit semũcia aq. euphragiæ, & album oui, modico adiecto saccharo candefacto trito. Rondeletius præfert pomum coctum in lacte, tritumque ex saccharo, quod nos experti sumus efficax. Ad lachrymas exsiccandas conferet infusio thuris, & aloes in succo granatorum, aq. ros. plantag. subinde insufflatur pulvis ex ossibus myrobalanorum, & vuæ acerbæ. Summotis his affectibus, si fieri potuerit, & fluxionis omni suspicione summota præscribatur ad suffusionem collyrium, quod possit esse instar omnium. est autem huiusmodi. ℞. aquæ euphrasiæ ℥. v. antimonij nitrificati, & in subtilissimum pollinem redacti ʒ. j. m. & per noctem linquantur in tepente loco, dum vsus appetit, aqua turbetur exagitato uasculo. Vsus frequẽs sit aq. Ros. & fœniculi pari modo permixtarũ cum margarit. præp. ʒ. j.

Pro Nobili adolescente aurium vlcere laborante.

CONSILIVM SEXTVM.

Aurium dignitas. OCuli, & aures duo sunt instrumenta, quibus magnopere opus habet intellectus, oculis quidem, quia plures rerum differentias nobis suppeditant, propterea oculos præ cæteris sensibus, testante Arist. diligimus, auribus verò, quia præter quam quod per aures loqui discimus (sermo enim ex auditu) omnes subministrant disciplinas, hinc Arist. aures sensum disciplinæ uocauit, propterea horum organorum magna cura gerenda, cum meliori uitæ inseruiant. Huic adolescenti bilioſa natura ornato ante quinquennium auris dextra sanie manare cœpit, & eò tãdem increuit, vt modò sanies multa, liquens, fœtensque effluat, auditus verò usque adeò hebes factus est, ut nisi à magnis uocibus impellatur. Hìc duo adsũt symptomata, quorum alterum ad ametriam in excreto pertinet, alterum actio læsa est, quæ accidentia

Historia.

à morbo

à morbo pendent suo. In primis autem uerba faciemus de emanante ob aure sanioſa materia, tanquam de vrgentiore ſymptomate, ſubinde ad obtuſam auditionem gradum faciemus. Huiuſce excrementi prouentus opus eſt prẽter naturam, quare neceſſum eſt, cauſſam aliquam præter naturam adeſſe, quæ id producat, & vt ſuperuacua mittam, dico eſſe morbum in ſoluta vnitate, vlcus inquã, quod quidem aut primarium eſt, aut ſecundariũ, ſecundarium voco, quod phlegmone ſuppuratæ ſuccedit, aut rupto abſceſſui, quod quidem vlcus epigenematicum appellatur, nil talium hîc præceſſit, proin erit vlcus primarium, quod quidem ſuboriri poteſt, aut ab excremento proprio, aut ab humore aliunde influente, non puto ab excremento proprio, ſi quidem cyſtis à felle acerrimo non læditur, imò delectatur quemadmoduꝫ nullum receptaculum offenditur à ſuo concremento. Erit igitur alienus humor aliquis, & vt ego quidẽ conijcio, humor biliоſus fuerit auctor, qui vt eſt cæteris leuior, & facilè ſurſum repit, ita acrior, & erodentior, quare in internam auris particulam irrepens maiori copia, quàm par ſit, aut ob percuſſionem, aut ob dementem ſtrepitum, extra venas elapſus putruit, & maiorem nactus per putredinem acrimoniam partem eroſit, ac vlcus commiſit, quod in dies augmenta capeſſens propter perennem congeneris materiæ affluxum maiora accerſiuit ſymptomata. Hic ergo erit generationis ordo, & modus. Supereſt iam vt videamus, quomodo ſe habeat vlcus, id quod nulla ratione commodiùs conſequi poterimus, quàm ſaniem inſpiciendo emanantem. Sanies multa eſt, fœtida, liquens, cruenta, vetuſta. Liquiditas, & tenuitas ſaniei ſignificat malignitatem, fœtor putredinẽ, cruor eroſionẽ, multitudo magnitudinẽ vlceris & aliorum humorum appulſum, antiquitas arguit oſſis, quod ſubeſt corruptionem ex Hipp. Quare dicere poſſumus vlcus eſſe malignũ, putridum, erodens, magnũ ſinuoſũ, dyſcraton, dyſepuloticon, rheumaticum, vetus. Quid igitur mirũ, ſi auditus obtuſus eſt, cum auris temperies, & ſtructura ſint ſubuerſa. Scripſit Hipp. lib. de principijs, oportere auditionis inſtrumentum aridum eſſe, modò autem madet, & meandri humore ſcatent, & obturantur.

Ratio affectus.

Quale vlcus.

Signa.

Methodus.

Indicationes curatiuæ tales ſunt, vt ſiccemus, tergamus, carne repleamus, & ſolidemus vlcus, ſed conſequi hoc nequimus, ni confluxio humorum inhibeatur, nec prohiberi poteſt affluxus, ni ſuperuacui humores repurgentur, nec repurgare ſatis eſt, ni generantes cauſſæ removeantur, quare neceſſe erit aſſiccare caput, iecur refrigerare, & ſuperuacua penitus abſumere.

Prognoſt.

Difficilem prouinciam ſuſcipit, quiſquis hunc affectum curandum accipit, quandoquidem morbus magnus eſt, magnitudo morbi ſpectatur penes receſſum à ſtatu naturali, auris natura ſicca eſt, modò madet, vlcus vetus eſt, & peſſimis ſtipatur conditionibus, & proximè eſt cerebrum, quare periculum, ne adoleſcenti huic accidat, quòd puero illi, cuius meminit Hipp. in Epid. Attamen cum ſit adoleſcens, qua ætate vis alens admodum vegeta eſt, quæ reparat, & reſarcit abſumpta, cum nondum expertus ſit medica auxilia, ſperandi non parua porrigitur anſa.

Franciſco Miſtrucio Medico præſtantiſſimo habitum conſilium pro iuuene mittitur.

Affectus generatio.

COnſultè adeò nobilis iuuenculi res præter naturam ab Excellentiſſimo Viro perueſtigatæ, & curam exhibitæ fuerunt, vt nil ſuperſit aliud, quàm adſcribere, & manus dare. Maluimus tamen repetere, & veluti eandem crambem reponere, quàm calamo temperare. Saniem vlceris ſobolem eſſe primarij ſtatutum fuit, idque originem ex acriuſculi cuiuſdam, & biliоſi humoris affluxu traxiſſe potiùs, quàm ex ſordibus, quæ perinde familiares ſunt auribus, atque cyſti fel. Vlceri eam auris particulam ſubijci, quæ concha nuncupatur, probatum fuit, vlcus non eſſe adeò magnum, quia auris oſſea eſt, & chartilaginea præter exiguos muſculos, ſaniem copioſam emanare, quòd rheumaticum ſit vlcus. Auditionem verò hebetiùs fieri, quod madeat myrinx, & meandri auriculæ offarciantur, vt cõmodè ſoni ſpecies ad neruum expanſum traijcere non poſſit. Curari, & ſaneſcere poſſe affectionem decretum fuit, quòd nullam adhuc artis opem ſenſit, quòd alens vis pueris viget, & vitia facilè reparat, quod plurimi Authorum teſtimonio conualuerint, opus tamen eſſe sũma diligentia, & accurato præſidiorũ vſu.

Cauſſæ.

Prognoſis.

Hyrudines hæmorrhoidibus admoueri poſſe, & pro vitio is ſanguinem exhauriri non improbatum fuit, quamquam non eſſe faciendã conſuetudinem eius euacuationis, concluſum fuit, quòd ſit præter naturam. Humidas, & ſiccas cucurbitulas dorſo admouendas probauimus, pariterque cauterium inter bicipitem, & deltoida. Inuſtionem inter primam, & ſecundam vertebram differendam cenſuimus, nec niſi cæteris fruſtra tentatis vſurpari debere tam moleſtum præſidium. Laudauimus Thimelęæ radicem auri ſanæ infigendam. Propotiſmata, quæ proponuntur ad parandos humores cùm biliоſos, tum phlegmaticos probantur, item leniens, & catharticon. Si catapotia offerantur, vſui erit poſt duhorium aliquod refrigerãs apozema propinare, quod caloris vim infringat. Præſcriptæ D. ex rad. chynæ, & ſantal. concinnatæ addendum erit tantillum ligni lentiſcini, & viſci querni, perſeuerandum in vſu ad triginta, aut quadraginta dies, tanta enim eſt morbi reſiſtentia, vt tantam auxilij actionem deſideret. Non erunt omittenda errhina, & maſticatoria, quæ ſummo ſunt vſui, & caput præcipuè repurgant. Præmiſſis generalibus, & ſubalternis præſidijs ad topica gradus erit faciendus. Commendantur, quæ à Viro Excellentiſſimo præſcribuntur. Inſtar erit omnium D. ex melicrato, addita myrrha & aloes modico. Ægyptiacum turò adhiberi non poſſe in tenello puero ſubuerendũ. Deterſo vlcere excipienda erit in aurem per embotum thymiaſis, ſiue ſuffitus ex myrrha, & thure &c. Victus porrò is eſſe debet, vt omnino laudabilem, & temperatum ſanguinem aggignat minimè

Curatio per Chirurgiam.

per Pharmacum.

nimè acutum &c. Aer ad siccum declinet, si deficiat, arte paretur aliquo suffitu minimè affectato &c. Interim exciderat non esse omittendum stillicidium ex aq. thermalibus supra coronalem futuram ad siccandum cerebrum præhumidum.

Pro quodam vertiginoso, & spasmo non proportionato ad materiam in toto thorace laborante cum odoratus amissione, & pedum tumore.

CONSILIVM SEPTIMVM.

Historia. NOster patiens ab obitu consanguinei tanta animi ægritudine correptus fuit, vt ab illo tempore nunquam benè habuerit, siquidem paulò post incidit in feb. acutam cum singultu, & laborioſa diarrhæa, quam vix euasit, subinde passus est vertiginem, in qua stare non poterat, sed cogebatur cadere, postremò etiam summos cruciatus patitur per interualla, qui è spina exordiũ sumentes toti thoraci subinde communicantur non sine subsultu, & maxima in fine lassitudine. Huic etiam pedes intumescunt vesperi, mane detumescunt, olfaciendi præterea munus perijt, & nares nihil emungunt. Hæc sunt mala, quibus vir bonus afficitur miserrimè per certa tempora.

Affectus cordis toti facilè communicantur, minima enim caloris, aut frigoris, inquit Arist. in corde facta alteratio magnam in toto corpore parit differentiam, vt timone paulùm translato magna fit proræ transpositio.

Generatio. Tristitia cordis affectus est, quæ præter quam quòd ossa resiccat (hanc Græci meladona vocãt, quòd membra peredat) vt sacræ testantur paginæ, totam corporis œconomiam perturbat: Hinc Chrysippus lypeu vocauit .i. totius corporis solutionem, & inter Socratis symbola hoc præcipuè cauendum præcipitur, vt effusus risus, & tristitia amandentur, ille quidem, quoniam spiritus nimium dissipat, hæc verò, quod calorem, spiritus, sanguinem intrò reuocando id agat, vt viscera exardescant, & reliquæ partes caloris, & spiritus influxu destitutæ langueſcant, hinc duorum excrementorum prouentus necessariò sequitur, atræ scil. bilis, dum sanguis intus inculcatus exuritur, & cruditatum, dum caloris paupertate partes muneri suo præsto esse nequeunt, maximè stomachus, cui publicum inest officium, hinc viscerum infarctus, atque flagrantia, vnde magis, magisque sanguis inuritur, & fit prouentus atræbilis, atque adeò malum misero redit in orbem, dũ ergo cordis complexio corrumpitur, necessũ est, vt & cerebrum trahatur in consensum. Non est

Cap. de melancholia. longinquum mirum, inquit Auic., si cerebri complexio corrumpatur, & sequatur eam cor, si cordis complexio corrumpatur, & sequatur eam cerebrum, siquidem magna est inter hæc viscera cõsensio. Dum igitur sub propria forma, aut sub vaporis specie hæc recrementa sursum respirant ad

Ratio symptom. cerebrum morboso apparatu laborans, quid mirum si, dum leues parit ventriculorum obstructiones, circumactis spiritibus vertigo succedat, in qua æger cadat ob defectum spirituum, qui detenti nó communicantur partibus, dum verò noxia materia partim pituitosa, partim etiam biliosa spinali medullæ impingitur, neruosum genus irritat, hinc contrahuntur, hinc dolor, & species quædam spasmi non proportionati ad materiam inoritur. Quid igitur opus est facto? oportet noxia recrementa euacuare, cor, cerebrumq; roborare, infarctus deobturare, ventriculum calfacere, cerebrum siccare, &c. Non erit verò facilè scopos assequi, quia duplex adest vehementia, nempè dignitatis, & essentiæ. Methodus.

Quod spectat ad Chirurgica sanguis est mittendus è dextra iecoraria, tametsi Auic. laudat sinistram basylicam in affectibus cordis. Recludendæ hæmorrhoides. Binaque cauteria inurenda sunt, alterum dextro femori, alterum verò sinistro brachio. Stillicidium cap. & ventriculo non erit inutile, tametsi aliqui in vertigine illud detestantur. Inter lenientia primo loco potio sol. Mag. mihi probatur, aut certè mel ros. sol. cum manna, & El. leniente. Humores parandi syrupis de succo borrag. lupulorum, melle ros. simpl. & modico iulapio acetoso. Parati humores purgandi Rhabarb. infusione, cui par modus Rhodomellis ros. sol. & syrup. de polypod. adijciẽdus est. Iterum parandi humores propotismatis, iterumque repurgandi, probatur mihi hiera Logodij cum el. lenit. aut certè pill. cochiæ, fœtidæ: brodium Decoct. post deuoratos bolos potent propinari. Properandum ab his ad D. epithimi Mes. Hinc ad aq. Tettutianam. Hinc verò ad D. ligni sancti, visci querni, & salsæ. Hoc interim spatio subalterna erũt usurpanda, errhina, masticatoria, tempore succedente concinnandi boli, qui admittant conf. betonicæ, borrag. anthos, qui modicum theriaces. sp. lætificantium Gal. & trochiſchos viperinos recipiant. Autumno repetenda purgatio, quo tempore vinum medicatum concinnari poterit, puta ceſtrites. Curatio per Chirurgiã. Per Pharmaciam.

Pro Viro Acedicola catarrhis obnoxio.

CONSILIVM OCTAVVM.

BArtholomæus Bortoia annũ agens xl. circiter, calida, humidaq; temperie præditus me conuenit, vt sibi medicas admouerem manus, cui ego ex officio operam, studiumque meum pollicitus sum. Patitur autem rheuma, seu catarrhum salsi quadantenus saporis, & in pulmones deciduum à decem annis ineuntibus ferè Vere, & Autumno. Cuius ego rei causſam altiùs inuestigans, comperi denique in capite excrementum aggigni partim per idiopathiam, partim per sympathiam à præcordijs, iocinore nimirum, quod impensiùs retorridum sanguinem halituosum conficit, quare vapores caput impetentes tandem densantur in liquentem humorem ceu in quodam alembico, & graueſcentes in pectus decumbunt, tuſſimque excitant pertinaciorem, crasſeſcit enim consumptis à pulmonum calore partibus tenuibus, hinc difficiliùs expectoratur. Caput verò, quod Historia. Ratio symptom.

calidum,

calidum, humidumque existit, plus attrahens, quàm coquendo sit, auget excrementorum proventum, humiditas enim caloris energiam retundit, quemadmodum acuit siccitas; atque mehercle rectissimè Cous senex cap. cucurbitulæ contulit, à quo etiam omnes humani generis ægritudines proficisci palam profitetur. Porrò Vere magis, atque Autumno rheuma maius facessit negotium: Vere quidem, quod humores per hyemem compacti superueniente calore liquescant turgescantque, Autumno autem, quod ob antecedentem æstum calidorum humorum copia succrescat, qui ambientis primo frigore compacti, & veluti compressi catarrhum committant, acced t tunc facultates ob aeris inæqualitatem languescere, hinc cruditatum proventus. Salsus autem percipitur catarrhus admissa bilis cum liquente pituita portione.

Prognosis.

Quæ cum ita sint, vt mihi planè visum est, superest, vt ad remedia gradum faciamus, sed interim sciendum, malum fore contumaciissimum ob viscerum antiquam intemperiem, nec nisi longo post tempore adhibita etiamnum diligenti diæta concessurum. Vsui autem futurum existimo, si præmisso eccoprotico, aut cataterico, sanguis què mox hauriatur de basylica dextri brachij ad lib. 1. vt sanguinis copia minuatur, & viscera diffidentur, nil enim æquè vel Gal. teste refrigerat. Cauterium peracta purgatione in femore, & in brachio inuri debet, tametsi non me latet à Mercato subsannari illos, & supinæ ignorationis insimulari, qui ob affectus secundæ regionis cauteria præscribunt, solæ enim tertiæ regionis solidæ partes id admittunt, & beneficio afficiuntur.

Curatio.

Per Chirurgica.

Per Pharmaca.

Misso sanguine viscera refrigerantibus apozematis temperentur, humoresq; parentur futuræ purgationi. Hinc ad pharmacum properandum. Tale autem erit dilutum Phei ex aq. endiuiæ adiecto rhodomellis sol. quadrante, & el. lenit. semuncia. Si his præsidijs non satis exhausta sit cachochymiæ moles repetantur eiusdem generis præsidia auctis mole, & viribus, additoque agarico; tùm aliquod generosum præsidium adhibeatur, quo tùm discrasiæ tollantur, tùm absumatur superuacua humiditas, tale autē erit decoctio rad. Cinæ, & alborum santalorum ex iure pulli per 40. dies propinata. Postquam probantur mihi aquæ thermales nempè B. V. præmissa ex more Tettutiana &c. Becchica interim non omittantur.

Pro quodam Nobili iuuene falsa destillatione, & hypochondriaca Melencholia implicito.

CONSILIVM NONVM.

Historia.

AFfectus, quibus nobilis. Iuuenis, iamdiu est, afficitur (calida quantū licet ex corporis habitu conijcere, siccaq; intemperie præditus) sunt metus, & tristitia nō sine sinistri hypochondrij tēsione, & borborigmis, salsa, frequensque destillatio, spirandi difficultas, quæ stare, aut sedere cogat patientem, minimè procumbere sinat, noctu potissimùm, & certis interuallis inuadens, paristhmia, quæ gulæ inhærentis boli imaginem referunt, leuis dolor cap. aliquandiu ab assumpto prandio perseuerans. Verùm cum Plato scribat, vnicum principium esse ijs, qui benè consulere volunt, intelligere nimirum quid illud sit, de quo edisseritur, consultaturque, age singulorum affectuum naturam, & causas in mediū feramus. Scitè enim scriptum reliquit Herophilus, oportere medium priùs quàm de remedio cogitet, nosse, quæ, qualis, & quanta sit causa morbi. Physes igitur, & murmura, quæ ab ægro circa sinistrum hypochondrium percipiuntur, sunt symptoma ad qualitatem mutatā attinens, auditur enim aliquid quod ab eodem benè habente minùs audiri consueuerat. Tensio circa lienem (emphysema diceres) morbus est in aucta magnitudine; Metus, mœrorque vt sunt tecmiria melancholici affectus, ita symptoma sunt deprauatæ, siue mauis dicere cum Argenterio tristis imaginationis. Destillatio item symptoma est ad ametriam in excreto pertinens, quemadmodum spirandi difficultas pertinet ad actionem motoriæ pulmonum facultatis vitiatam. Dolor denique cap. deprauata est tactoriæ potentiæ actio partium cap. sentientium. Atque hæc obiter, superest iam, vt singulos affectus in proprias causas referamus, vt ijsdem ex arte sublatis vniuersa mala penitus euanescant. Hæc malorum seges ex naturalium viscerum antipraxia potissimùm succrescere, & propagari videtur: Ventriculus enim imbecillior tùm ob iecoris incendium, tùm ob frigidam, humidamque intemperiem, & fortasse etiam ob externos errores maximè circa venerea (hoc enim arguit tarda concoctio, & pituitatis prouentus) cruditatum ferax est, quæ cum elaborari, & penitus confici nequeant (scitum enim est, vitia primæ coctionis à secunda non emendari) par est, vt pars in venas commeans sanguinem contemeret, crassior verò terrosiorque portio restitās angustissimos mesenterij, iocinoriſque meatus offerciat, hinc hepar ventilationis beneficio prohibitum, atque adeò maiori inæstuans flagrantia vtriusque bilis proventum facit. Nec minùs lien, dum ex vena porta imperfectum limum attrahit, & digerendo non est, sibi necessariam obstructionum consecutionem infert, à quibus maiorem in molem attollitur flatuum copia intercedente, à quibus murmura, & rugitus in epigastrio fiunt, dum alij aliò prouoluuntur, & insinuantur in sereas humiditates; sunt enim familiaria melancholiæ tùm serum, tùm flatus, propterea Hipp. melancholicos pneumaticos vocauit, & splenem aquæ fontem. Dum igitur tota naturalis œconomia laborat, quid mirum, si tot mala, tot symptomata emergunt? Scitum enim est excrementa subire vices contrariorum, à quibus naturæ robur continenter afficitur. Itaque dum melancholica anathymiasis ex hypochondriorum sentina, vbi atra-bilis coercita inæstuat, caput, & Mineruæ sedem inuadit, spiritus animales obtenebrat, cerebro splendorem adimit (est enim diaphanes) species, specierumq; modos, & coniuncta peruertit, animo metum, mœroremque incutit, atque adeò illud melāncholiæ genus procreat, quam hypochondriacam appellant, Arabes myrachialem. Dum cap. quod

Ratio symptom.

Modus generationis.

calidum,

calidum, humidumque conijcimus, quodq; propria vi, si credimus Hipp. per figuram, & positum humiditates aliunde attrahit vitiosum alimẽtum sufficitur, necessum est, excrementa succrescere, quæ cerebri robore deorsum propulsa destillationem pariunt (omnis enim catarrhus, vel Gal. teste fit, vel ab intemperato cap. vel à vitiato sanguine) Quæ sanè destillatio, dum glandulas, quæ ad radicem linguæ vtrinque iacẽt, imbuit, anguſtiam quandam parit, quæ hesitantis boli speciem refert, dum verò confertim in pulmonum bronchia decumbit, eademque perobstrusit, orthopnœam procreat statis temporibus inuadentem, quæ etiam ab inspirato puluerulento aere inuehitur, dum pituitosæ visciditati cohærens pulmonum meatus inoccupat. Porrò rhenma hocce pituitæ soboles existit, (est enim catarrhi parens pituita, vel Platone, & Galeno teste) quæ salsedinem contraxit non ex putredine, sed ex serosæ humiditatis coitu, & adustorum ichorum, & fuliginum admissura, quæ plurimæ ab hepate retorrido fieri consueuere. Hinc Auic. opportunos catarrhis eos esse scripsit, quibus iecur æstuat. Cęterùm cap. dolor à prandio vaporum soboles est, qui è ventriculi, laxique stomachi imperfecta cõcoctione sublati in cerebrum membranas tendũt, & conuellunt, & sic dolorem pariunt. Hinc rectè ab Hipp. scriptum esse constat, vniuersos morbos, qui capiti contingunt, à stomacho proficisci.

Huius enim validus firmat tenor omnia membra,

Et contra illius firmantur cuncta vigore.

Methodus curatrix.

Quid igitur opus est facto? In primis cacochymiæ moles extirpanda est, obstructiones viscerum detergentibus, attenuantibus, incidentibus expediendæ, flatus discutiendi, caput assiccandum, roborandumque, ventriculus calfaciendus, & firmandus adstringentibus, iecoris incendium temperandum, pulmones roborãdi. Hisce indicationibus respondere non est peruium, imò quàm maximè difficile, siquidem vniuersa viscera laborant, & recessus à naturali statu non est minimus, quin adsunt contrariæ indicationes, quæ impediunt ne medicina fiat per excessus. Catarrhus porrò continuus, & salsus magnum tabis periculum minator. Scripsit enim Hipp. Quæcunque destillationes à cap. raucos, & tussiculosos homines efficiunt, ni tempore conquieuerint, alteram faciunt tabis differentiam, quam Serapio vocat phthyseos similem. Accedat magnam, & omnigenam esse cacochymiam, & nobis rem esse cum plurimo humore melancholico, qui ob substantiæ modum medentibus magnopere reluctatur, nec patitur se acriter tractari. Verùmtamen quia mala nondum malignitatis apicem attigere, neque adest feb. speramus fore, vt, quæ meditamur præsidia, sint adeò profutura, vt nobilissimum patientem à maioribus malis sint præseruatura, eòque magis, quod laborans sese opportuna præstabit facientem.

Prognosis.

Curatio, per Chirurgiam.

Quod igitur ad præsidia, quæ nobis Chirurgica suppeditat officina, laudo summopere venæsectionem vtriusque basylicæ ineunte Vere obeũdam, dico ineunte Vere, nam si curatio protrahatur, periculum impendet, ne aucta fluxione, affectus ingraueſcant, & difficiliùs subinde curentur, dico vtriùsque basylicæ, siquidem & iecur, & lien obstructionibus laborant. Sanguis autem non affatim mittendus, sed pro virium ratione. Hęmorrhoides verò consuetæ seruandæ sunt, quòd si supprimantur admotis hyrudinibus erunt reuocandæ, multa enim mala apertæ hæmorrhoides auertunt. Laudatur alterum cauterium in crure dextro, aut sinistro. Interim frictiones, & lauacra erunt vsui. Quòd si mala mitioribus auxilijs non concedant, properandum erit ad grauiora, malo enim nodo malus quæritur cuneus, vt parœmia dicitur; Inter quæ & setacea, & stillicidia censeri poterunt. Hoc interim spatio non improbantur cerata, quæ assiccandi vi pollent futuræ coronali admota, qualia sunt myrrhatum Foresti, aut emplastrum de corr. Cast. Montagn.

Per Pharmacum.

Inter pharmaceutica, & quidem lenientia primo loco probatur hausſtus (siquidem abhorret à solidis medicamentis) ex mellis ros. sol. triente pinguissimæ mannæ sextante, & elect. lenientis semuncia dissol. in iusculo D. sem. citri. Cæterũ inter alliotica probantur in primis mel ros. simpl. iulapium acetosum, syr. de pomis simplex diluta iusculo D. sem. citrij, cicoreæ, borrag. buglossæ, tussilaginis, pentaphylli. His iusculis ad parandos humores vtendum erit integram septimanam. tum pergendum ad pharmacum, quòd cacochymiæ molem detrahat ex venoso genere. Quale commodùm foret dilutum optimi rhab. in aq. betonicæ infusi addito rhodomellis sol. quadrante mannæ vnciola, catholici semuncia. Ab hoc pharmaco gradus faciendus ad validiora propotismata, quæ & cupatorium, & cetrachum, & rad. nasculi filicis, & liquiritiæ, & asparagorum, & bruſci, & betonicam admittant, quibus adijci debent vnciæ binæ syr. de pomis, & byzantini. Hoc apozemate diu vtendum, donec vrinæ crassescãt, tùm ad nouum pharmacum properandum, quale foret optimi agarici, & Rheub. dilutum vnâ cum syr. de polypodio, & melle ros. sol. addito recentis diaphœnici didrachmo. Hoc pacto detracta cacochymia, & expiato ritè corpore tantisper quiescendum, tùm de maioribus auxilijs consilium capiendum. Proin ad conciliandum stomacho robur aqua Tettutiana probatur vnâ cum melle ros. sol. in primo Cyatho dissoluto; sic enim fiet, vt detersa penitus mucida pituitate salsedinis beneficio ventriculus confirmetur. Verùm quoniam & in cap. & in pectore subsunt, atque etiam in abditioribus partibus superuacuę humiditates, quæ siccari, absumique postulant, apprimè laudo D. rad. Chynæ in bracteolas incisæ ex iusculo pulli addita farfura, radicula liquiritiæ, & borraginis, ne melancholia incandescat. Hæc decoctio. xl. dies hauriendа summo mane quatuor ante prandium horis, quo tempore singulis hebdomadis alui subducendæ cura gerenda, sed mollioribus pharmacis. Interim erthina non erunt negligenda, maximè si conflentur ex aq. hordeacea, in qua nonnihil mannæ dissolutum sit. Hoc tempore etiam conflari poterunt boli ex puluere pulm. vulpis liquiritiæ, cornu cerui, & conſ. ros. Appellente verò Maio, mense accedendum erit

ad

ad serum caprillum depuratum, quod Antiquorum more sumi velim, nempè ad heminas tres, & quatuor singulis vicibus, quod sanè primis diebus nempè biduo admixtum cum mannæ quadrante hauriri poterit, subinde addito emuls. lem. melonum, aut syr. de lim. sextante, hocque vtendum viginti saltem totos dies, vt iecoris incendium hinc temperetur. Quod si stomacho subinde sit consulendum, nihil erit vtilius pauca conf. absynthij pontici, qua matutino tempore vti poterit.

Hìc congrua victus, vitæque ratio adijcienda est, proin alimenta sint eupepta, & euchyma, qualia sunt ouorum vitelli, aues dumeta colentes, pulli, columbi turricolæ &c. Improbantur salita omnia, acria, piperata, aromata, dyspepta, flatulenta. Vinum sit modicellum olygophoron, somnum fugiat meridianum, ventum, pluuias, solares radios, omnino inclemens cœlum. Aluum citam habeat, nares frequenter emungat, curas graues cane peius, & angue fugiat. Ab assumpto cibò tranquillè agat, frugaliter viuat, maximè vesperi, nec se lecto committat, nisi exactis duabus à cœna horis. Venerem minimè exerceat, summopere enim ventriculum, & cap. eneruat.

Pro Viro Polono spirandi difficultate laborante &c.

CONSILIVM DECIMVM.

Historia. AFfectus, quo præcipuè Magnificus Patiens percellitur, afflictaturque, vetus est, & vehementissima spiritus difficultas, quæ noctuq; diuque quatuor ab assumpto alimento horis ægrum miserè incessit, cogitque subrecta ceruice sedere, cubitoque incumbere, donec maxima crassæ, viscidæque materiæ portio per anacatharsin excernitur. Tunc se leuatum percipit, delitentq; symptomata. Quo tempore lacessitur, catarrhû percipit salsuri non modo in thoracem, verùm & in ventriculum decumbentem, vnde multa anathymiasis sursum efflatur, quæ dum præcipiti materiæ it obuiam, & opponitur languenti maiora accersit incommoda. Affectus orthopnæa dici potest, nempè prauus pulmonum motus ab angustia bronchiorum prouenies, angustiam verò pariunt premendo non modò infarctu obsita præcordia, sublatique vapores, qui diaphragma contendunt, verùm maximè crassa, & viscida pituita pulmonum asperas obstruendo arterias. Hoc pituitatis excrementum aliunde influit, nempè ex cap. vbi ortum trahit tùm læsa alteratrice vi, tùm ob externum errorem, alteratrix verò læditur ob humidiusculum cerebri intemperamentum, cuius causa caloris energia eneruata, vt plurimùm colligitur excrementi, ita aliunde promptè suscipitur, accedit situs, & figura, qua ratione ab Hipp. modò vaporatio, modò cucurbitulæ Medicæ cõparatur. Externos autem errores appello vniuersas eas morbidas causas, quæ extra partis constitutionem existunt, proin & ventriculus huc facit crudorum recrementorum ferax, quę dum in venas subrepunt, massamque coinquinant sanguinis, eúndem perfectæ analepsi ineptum reddunt, quo fit, vt duplici nomine cerebrum recrementis scateat, rheumatisque sit opportunum. Hinc scitè ab Hipp. scriptum colligitur, vniuersos morbos, qui cap. contingunt, ex stomacho proficisci, hunc enim ritè à Sereno vocari totius corporis regem scimus, à quo naturalis regitur œconomia, cuius summa vitia nec secunda, nec tertia rependit coctio. Cæterùm ventriculus suo supersedere officio videtur non modò ob enormem viuendi normam, copiosiora scil. alimenta, eaque fortassis praua, sed etiam ob frigidam, humidamque intemp. quam cruditates arguunt. Proximum est, vt huiusce excrementi vitia rimemur, neque enim officeret, ni praua quadam conditione constaret. Nullum substantiæ vitium agnoscimus, quando nec constat, an lue gallica vnquam laborarit Patiens, an excrementum fœteat, necne, nullaque subsit febricula, quæ comes ire solet putrenti excremento. Copia, & affluentia vehementer excedit, multò magis motu, & qualitate vitiosum est, siquidem vt valde crassum est, ita salsedine linguam corradit, crassitiem comparat ex calore pulmonum, dum enim angustia locorũ premitur, efferuescitque, subtilissimæ particulæ dissipantur, hinc quod reliquum est, crassescit. Salsedinem verò indipiscitur admixtione salsæ serositatis, quæ ab hepate calidiore suam trahit originem; hepatis verò caliditas augetur meracioris vini vsu, & obstructionum, quibus implicatur, caussa: hinc etiam magnus atræ bilis prouentus fit, qua animus Domini identidè percellitur. Quid igitur mirum, si dum tota naturalis œconomia laborat, tanta recrementorum vbertas affluit, quæ cum sint ceu hostes intestini, naturam continenter incessunt? Noctu inter dormiendum liquens pituita ex ore prolabitur, quòd teste Sarapione, tunc temporis humor ille iuxta suam idiotropiam commouetur, & suum conficit cursum, crura interdiu tumescunt, quod phlegma idẽ impetum naturæ secutum, nempè grauitatem vehiculo ichorum ad crura deferatur. Noctu detumescunt, quod per decubitum fluxio desistat, quòd per somnum teste Arist. refrigerato cerebro inferiora calescant, quò fit, vt aucto calore dissipentur superuacua. Arescunt fauces, & guttur, quòd perenni, pernicique motu pulmones incalescant, dum expectorandis excrementis impendiò laborant, quòd cordis thermasia augeatur denegato conuenienti respirationis vsu, hinc quæ in confinio sunt particulæ in consensum trahuntur, & exhaustis humiditatibus arescunt. Animi deliquia, nihil est propius, quàm vt superueniant, dum anhelationibus corripitur, quòd vitales spiritus deficiant tùm ob copiam suliginum suffocati, tùm ob commodę respirationis priuationem, vnde spirituum materia quadantenus subtrahitur. Quotidie quatuor ab assumpto cibo horis repetit morosa accessio, quòd orthopnæa typica sit affectio instar epilepsiæ, quòd instante digestione, distributioneque alimoniæ ob infarctus plurima fiat vaporum soboles, qui vt animum angunt, cor opprimunt, & palpitationem quandam spuriam inducunt, dum eius thalamos adoriuntur, sic compres-

Li. de struct. Hom. ad Perd.

Vitia excrementis.

Symptomatis ratio.

Orthopnæa quid sit.

Generatio.

Li. 1. de glãdulis, & de veteri Med.

so diaphragmate lenis respirationis instrumento paroxysmum accersunt presente iam in bronchijs materia, quæ continenter illuc illabitur. Quòd si ita se res ægri habent, quid opus est facto? Eò allaborandum est, vt cuiusque generis excrementa foras exturbentur, flatus discutiantur, & id agatur deinceps, ne amplius repullulent, hoc autem fiet, si circumcisis extetnis erroribus ventriculus calidis, siccisque præsidijs suo tenori restituatur, si cap. humidum superuacuum exhauriatur assiccantibns, roboreturque, si pulmones proprietatem ipsam respicientibus confirmentur, si excrementum aliò diuertatur reuellentibus, deriuantibus, intercipientibus. Obstructiones præcordiorum, & iecoris expediendæ, eruſque immodica caliditas temperanda. Hisce scopis respondere, si non adynaton, saltem admodum arduum, quòd magni sint affectus vehementia essentiæ, vehemẽtia dignitatis, quòd temporis diuturnitate habitum contraxerint, quòd contrariæ subsint indicationes. Attamen quia deteriora mala impendere videntur, ni petulantes insultus cohibeantur artis ope, age manum operi admoliamur, quando maximè ægrotũ nacti sumus opportuna facturum, quique nondũ generosa artis præsidia expertus est, vnde sperare licet non exiguum leuamen.

Methodus.

Prognosis.

Quod igitur spectat ad Chirurgiam, probatur nobis venæ-sectio basylicæ dextri brachij, quòd si lien aliquo se se tumore proferat, non erit abs re, si & sinistra basylica secetur (modò sanguinis vitium subsit, quod conijcimus, & vires constent, quod volumus) quantitas sanguinis præsenti Medico decernatur. Nec minùs procedente tempore probantur hyrudines ani venis admotæ, quò fœculentus sanguis eductus viscera alleuet, & iecur retorridum refrigescat, quòd si huic euacuationi assuescaret Patiens, plurimùm commodi susciperet. Huc faciunt cauteria singulis brachijs singula, alterumque in dextro femore inustum; æquũ enim est, vt perennis excrementorum proventus habeat remedium continenter euacuans, frustra enim Eugenius tale præsidium dehortatur. Caput, expiato ritè corpore, stillicidio supponatur, si cætera non profuerint, nempè cerata siccandi vi prædita, aut lotiones ex lixiuio medicato. Accessionis tempore commendantur cucurbitulæ ficcæ admotæ lũbis, & ilibus, nec minùs frictiones aspersusculæ, vincula infernis partibus adhibita. Ad hæc vsui erunt acriores glandes, enemataq; nõ ex lacte, sed ex D. Mercurialis, cẽtaurij minoris, aristolochiæ vtriusque fl. chamæmelli, meliloti, verbasci, sem. fœniculi, sẽugræci, & similibus addita etiam benedictæ laxatiuæ semuncia.

Curatio per Chirurgiam.

In Epist. ad Octauium Sanctacrucium. lib. 4.

Quòd verò ad pharmaciam attinet, primo loco aluus laxanda mellis ros. sol. & syr. de polypod. comp. quadrante soluto mannæ pinguioris sextante in D. pectoralis suff. quantitate. Tùm gradus faciendus ad præparantia propotismata, qualia sunt mel ros. simpl. oxymel simplex, syr. de farfara pari modo mixta, & sine diluto triduo deuorata ad vncias binas singulis matutinis. Subinde concinnandi boli, qui paratos humores subducant, quales forent. ℞. cl. lenit. catholici, mannæ cl. ana ʒ. ij. agar. troch. ʒ. j. ß. zinziberis ℈. vj. m. f. b. cum neb. postridie repetenda apozemata valentiora. ℞. oxymel. diuretici, syr. de betonica, de succo borrag. ana ℥. iij. syr. de hybisco, de prassio, de hyssopo ana ʒ. 15. m. Horum binæ vnciæ dissoluantur in D. hyssopi, farfarę, betonicæ, capill. ven. botryos, borrag. fumariæ, sem. citri ex iure, hauriantur mane quatuor ante prandium horis. Vbi per hebdomadam parati fuerint humores contumaciusculi, exigendi sunt foras huiusmodi pharmaco. ℞. agarici trochis. ʒ. ij. zinzib. ℈. iiij. infundantur per noctem in aq. fœniculi, betonicę ana ʒ. 15. expressioni adde mellis ros. sol. quadrantẽ, diaphœnici ʒ. iij. m. f. potio. Postridie repetenda protherapia, quare quotidie per quatriduum hauriat oxymel. scyll. & iulapij violacei semunciam, atque eò ampliùs, diluuntur D. tussilaginis, & tabaci, qui mirã solet præstare opellã anhelosis. Tùm pharmaco tota eradicanda moles cacochymiæ. ℞. massæ pill. de nitro Alex. aggregatiuarũ, de agarico Mes. ana ℈. ij. m. cum succo betonicę, & f. pill. Vorentur quinque ante prandium horis. Expiato ritè corpore de maiori præsidio consilium capiendum, tùm quod vniuersa superuacua exhauriat, & dissipet, tùm quod suæ harmoniæ partes restituat, ne de integro noua recrementa pariant. Probatur proin D. parata ex rad. Chynæ, ligno guaiaco, & visco querno in iusculo galli trimi incoctis ficubus, pulmonaria, betonica, passulis. Hæc potio adhibenda quadraginta minùs dies, eaque adhibenda victus ratio, qua qui luem Gallicam eluunt, vti solent (si modò uires ferant, & æger sit frugalitati assuetus) Hoc interim spatio ante haustum D. deuoret bolum ex ʒ. ij. terebintinæ Venetæ, & ℈. 5. sulphuris uiui ex succo maluæ loti concinnatum. Præterea herrhinis utatur, quæ cap. depleant. ℞. succi anagallidis, betonicæ, saluiæ, sampsuci ana ℥. ij. incoquantur turbith, & agarici ℈. ij. succus trahatur in nares tepidiusculus. Huc spectat elaterium lacte dissolutum, & in nares attractum. Fiunt & solida errhina, quæ in nares induntur. Dum utitur præscripta D. singulis hebdomadis aluum subducat, aut mellis ros. sol. triente, & mannæ sextante diss. in D. aut certè deuoret bolos, aut pill. quæ etherogenes excrementũ repurgent. His ex arte peractis hoc autumno sibi medicatum victũ instituat, qui minimè generando phlegmati faciat, proin laudamus, imò præcipimus, ut sibi paret uinum medicatum ligno Indo, citragine, pulmonaria, betonica, quo quotidie uti debet inter mensæ exordia. Laudamus uictum tenuem, extenuantemq; quare assa elixis erunt conuenientiora, si stomachus ferre possit. Quotidie aut alternis diebus sorbeat iusculum summo mane alterutrius aristolochiæ, aut certè baccarum iuniperi. Conferet & elect. è sem. urticarum in pollinem redactis concinnatum ex octupla Hispani mellis portione. Interdũ usui erunt ficus tres mane deuoratæ, quæ priùs in aqua uitis per noctem maduerint. Quòd si denis quibusq; diebus deuorarit drachmam unam pill. mastichinarum additis pill. aggregatiuarum scriptulis duobus maximo erit emolumento. Nunquam non erunt adhibenda errhina, quę naturam sui officij memorem efficiant, h. e. ad excretionem

Per Pharmaciam.

nem proritent. Quòd si hisce auxilijs parum se leuatum sentiat æger proximo vere eandem repetat purgationem, curetque, vt alterum sibi cauterium inuratur circa coronariam suturam, caputque validiori stillicidio supponat, quod afficet quidem, sed minimè calfaciat, vtatur præterea thermalibus aq. sulphureis, si earũ copia fiat. Omnino lapis omnis commouendus, ne graviora mala superueniant. Multum nos victui damus. Illud proin frequèns Salernitanæ scholæ in memoriam reuocet.

Per diætam.

Esuriant, vigilent, sitiant, qui rheumata curant.

Remedia tempore paroxysmi vitanda.

Sed age ea quoque, quæ paroxysmi tempore sunt adhibenda, in medium feramus. Aer frigidior inspiretur. Thorax ol. calastico, & laxante linatur. Sorbeat iusculum perquam calens, in quo aliquot guttulæ veri balsami, aut spiritus chalcanti, aut terebinthinæ dissolutæ fuerint. Vtatur conserua ex fl. maluarum addita fl. sulphuris parte suboctupla. Vtatur conserua enulæ campanæ vuà cum puluere millepedum, hinc enim mirandum in modum iuuari solet expectoratus. Euperistum est, & Græcæ Blebeculæ etiam hac tempestate vsitatum remedium, Asellos panno lineo inuoluunt, vino albo macerant, hinc facta expressio potui datur. Dictu mirum, quàm breui saburratos pulmones depleat. Vtatur identidem hoc hydromelle. ℞. vini albi optimi, hydromel. ana ℔. j. in his infunde xxiij. horis rad. helenij ʒ. iiij. subinde bulliant, & colatura seruetur in vsus.

Probatum est ad leuandum asthma quantumuis magnum, tabellam vnam diatragacanthi cal. guttulis aliquot ol. saluiæ, anysorum, aut rosmarini arte chymica extracti irrigatam præsentaneũ afferre adiumentum. Antonius Valetius cap. de Asthmate.

His medijs, atque remedijs si Numen, vnde Medicina vires suscipit, affulserit, si æger se se præstiterit opportuna facientem, speramus futurum, vt si non integra sanitas, saltem lenitas succedat, quam ex animi sententia auguramur.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS TERTIA.

Pro Viro Illustrissimo vulpina tusse, & macie laborante.

CONSILIVM PRIMVM.

Historia.

ILlustrissimus Vir duobus laborat affectibus, nempè totius corporis macie, & salsiusculo catarrho, qui nihil aliud est, quàm symptoma ad ametriam in excreto pertinens, pendetque ab excretrice cerebri facultate irritata ab excremento copia, & qualitate vitioso, quod cum sit opus præter naturam, necessariò vitiatam eiusdem cerebri concoctricem vim arguit, quæ sanè lædit tùm ob calidam, humidamque cap. intemperiem, quę actionem vtcunque interpellat (siquidem omnis intemperies deijcit actum propriæ facultatis) caputque externis impressionibus opportunum reddit, tùm ob errorem externum, hunc voco & importunas mentis cogitationes, & curas, & vniuersas animi passiones, sed potissimùm ubertimam anathymiasim, & exustos halitus ex feruido sanguine ad caput elatos, & incongruum alimentum cerebro suffectum, bilioſum scilicet, plurimaque serosa, & salsa humiditate refertum sanguinem, quò fit, vt tenuis pituita coitu, admissuraque cùm ichorum, tùm bilis salsedinem contrahat, quæ in fauces decidua linguam corradit, & exasperat, & in asperam arteriam, pulmonesque decumbens tussim excitat vulpinam. Vt autem vstilagines ab æstuante sanguine efferuntur, ita bilioſus, feruidusq; sanguis à retorrido hepate proficiscitur, quòd calida, siccaque impensè intemperie laborat, quam obstructiunculæ inaugent.

Ratio symptom.

Macies (alterum pathos) easdem ferè causſas agnoscit, præterea cordis calidam, siccamque intemperiem, quam celeres animi motus, in iram propensio, pulsus citati satis testantur. Est autem macies morbus in magnitudine minuta. Quare eò allaborandum esse videtur, vt rheumatica dispositio intercipiatur, summoueaturque, quod consequi erit integrum propulsatis generantibus, fouentibusque caussis, calida quippe cap. cordis, hepatisque intemperie sublata, præterea circumcisis vniuersis in vitæ, victusque genere erratis, interim aphæreticis vtendum. Non erit peruium, immo difficillimum (quod ad prognosim spectat) votis fruisci, atque potiri, siquidem intemp. sunt in habitu, & ferè naturales, attamen iugi, accurataque præsidiorum usurpatione aliquod emolumentum afferri poterit, quod ad vitam prorogandam conducat, non ad debellandum penitus morbum.

Quid macies, & vnde prouenat.

Methodus

Prognosis.

Age ergo ad præsidia pergamus. Vt basylicæ dextri brachij sectio necessaria mihi visa est, ita hæmorrhoidum reclusio apprimè probatur; hinc enim & sanguis bilioſus, & melancholicus facilè educitur sine virium iactura, quas constare volumus, summopere enim iecur, atque totius corporis habitus refrigeratur misso sanguine. Ignis, ait Aristot. quodammodo refrigerat aliò conuersus, sic missus sanguis. Ex hoc fonte elici possunt alia auxilia, nimirum lauacra, quæ pedibus identidem adhiberi debent ex D. papauerum, lactucarum, maluarum, nymphæarum, & fl. chamæmellinorum, præterea puræ, tepentisque aquæ balneũ, quod temperandæ viscerum caliditatis vim habet, & præterea totius corporis habitum ita afficiet, vt eusarcum euadat, perspiratumque mirè promouebit.

Curatio per Chirurgiam.

Quòd ad Pharmaciam attinet, aluus exhibito pharmaco ex fl. cassiæ, & leniente, & mannæ didrachmo citata fuit, & non minimum bilis excretum fuit. Præscripta propotismata, nempè iulapium acetosum dilutum iusculo D. cicoreæ, endiuiæ, borraginis, & sem. citrij. Deinceps meditamur purgans pharmacum, nempè agarici dilutum, & syr. ros. sol. recenter paratum vnà cũ cucardiaca D. cum ʒ. ii. fol. sennæ acuta. Iubet Galenus Agaricum exhiberi semper laborante cerebro, quòd est

Per Pharmaciam.

pituitatis metropolis, vt ait Hipp. accedat agaricum peræquè pituitam, & bilem educere. Interposita vnius, atque alterius diei mora gradum faciendum esse ad maiora præsidia, duco, nempè ad serum caprillum depuratum antiquorum more propinatum, nimirum ad heminas quatuor, quod vt ab intestina facilius deuoluatur, & foras exturbetur velim commiscri in primo cyatho vnâ cum electissimæ mannæ quartario, quo serosa illa humiditas, & bilosi ichores affluentes simul extirpentur, hocque auxilium, si benè, & innoxiè sequatur, repetendum erit semel, atque iterum. Expiato verò ritè corpore propinandum idem serum ad heminam vnâ cum emulsione sem. melonum, aut cum succo endiuiæ defecatissimo, hocque vsque ad dierum decadem, si eluceſcat euphoria. Cæterùm quia naturales discrasiæ vix medicamentis tolluntur, docente Galeno, transeundum erit ad medicatum alimentum, medicatum alimentum voco alicuius qualitatis excessu corpus afficiens. Quare probatur in primis iugis ptysanarij hordeacei vsus, iusculà decoctionis endiuiæ, hepaticæ, sonchi, oxalidis, trifolij acetosi. Vesperi non erit omittendus vsus sacchari ros. recentis, aliquando etiam vsui erunt tabellæ diacodii paulatim deglutitæ.

Lib. simpl. Medicam.

Per diætam.

His præsidiis ritè, diuque adhibitis non modò viscerum feruor remittetur, temperabiturque, sed corpus etiam polysarcon euadet, scitè enim Auic. frigida commendat in macie à calidiore iecore.

Lib. 2.

Pro quodam Ciue Veneto seniore catarrhis obnoxio.

CONSILIVM SECVNDVM.

Generatio.

IN senili ætate ob imminutionem natiuæ caliditatis, quæ est vitalium functionum instrumentũ, coctiones perperam obeuntur, hinc excrementorum prouentus, quæ in humano corpore instar sunt hostium intestinorum, cum ratione formalis contrarietatis continenter naturam nostram lacessant. Augentur huiusmodi recrementa, si viscerum intemperamenta, & victus, vitæque errores concurrant, hinc malorum myriades, & præcipuè destillationes succedũt, & fluxiones, cum in nostro corpore ea regiminis ratio obseruetur, quę in olygarchiis, vbi debilior opprimitur à fortiori; Sic propemodum in nobis vsu venit, dum excrementorum pondus in debiliorem partem protruditur. Nunc Virum Clarissimum catarrhus afficit, quem aliàs etiam passus est, quoniam excrementorum prouentus perauctus est. Præterea adest ætas grauis, quæ per se ferax est pituitatis, huc facit & cerebri frigida intemperies, & humida, sed potissimùm stomachi imbecillitas, quam frigida, & humida intemperies parit, vnde pituitatis excrementum alioquin stomacho familiare, conduplicatur, quod sub vaporum specie communicatum capiti, quod instar alembici est, conuertitur in catarrhum, qui nihil est aliud, quàm crassum excrementum à cerebro productum, & in pulmones deciduum, vbi anguſtiam pariens & tussim, & spirandi difficultatem excitat. Nostruũ igitur erit officium, stomachum roborare, calfaciendo, & siccando, similiterque caput, nec minus pulmones confirmare obsiccando, ne facilè suscipiant, interim superuacua recrementa erunt repurganda. Tota curationis difficultas ab ætate pendet, quæ sociam habet natiui caloris imbecillitatem, vnde nec in publicis coctionum officinis, neque priuatis in partibus perfectæ obeuntur coctiones. Nihilominus detracta cacochymiæ mole, & roboratis partibus grande eluceſcet emolumentum.

Quid rheuma sit.

Methodus.

Prognostic.

Ad primam igitur regionem piandam hauriet mel ros. sol. & mannam dissoluta in D. pulli alterato sem. citri. Vt verò fluidum corpus fiat, deinceps per hebdomadam hauriet iusculum pulli D. betonicæ, farfaræ, botryos, hyssopi, in quo dissolutæ sint binæ rhodomellis simpl. & oxymel. vnciolæ. Exacta septimana properandum erit ad pharmacum, quod erit dilutum agarici vnâ cum manna, & rhodomelle soluente. Post huiusmodi purgationem probatur in primis aceti, aut oxymel. scyllini vsus, à quo, si quæ ventris tædia negotium faceſſerent, properandum erit ad catapotia ex massa mastichinarum conflata vnâ cum aggregatiuis. Post opportunum horum præsidiorum vsum ad viscerum robur probatur columbi turrialis iusculum per mensem summo mane perhaustum D. menthæ, farfaræ, betonicæ, pulmonariæ præmisso bolo ex terebinthina Cypria cum modico pulu. ireos. Interim subalterna erunt vsurpanda errhina præsertim, quæ oscitantem naturam excitent.

Curatio per Pharmaca.

Hæc verò, parum profuerint, ni conueniens viuendi norma seruetur &c. Ad deriuandam verò materiam, quæ necessaria consecutione quotidie succreſcit, probatur cauteriũ, vtatur mane mellis Iberici cochleari, solet enim vsui esse &c. Qui perennibus, inquit Auic. destillationibus tùm hyeme, tùm æstate opportuni sunt, eos nil peræq; iuuat, ac usus pill. cochiarum, pariterque impigrũ exercitium, & inferiorum partium motus, quia deorsum recrementa trahuntur.

Pro quodam Viro falsa destillatione correpto.

CONSILIVM TERTIVM.

PLenus aleæ solet esse salsiusculus catarrhus. siquidem, & hæmopthoidas, & phthyses parere consueuit, aliaque plurima mala, quare omni studio obuiam ire decet, ne maiora accersat incommoda maiores vires nactus progrediente tempore. Hoc quippe rheuma originem pariter à capite, & stomacho humidiori, nec minùs ex calido hepate trahit, unde præusti halitus plurimi ad cap. efferuntur, qui tenui pituitæ commixti perinde eam salsam reddunt, ac terrenæ ustilagines marinæ intermixtæ aquæ. Quare curationem aggredi necesse est hisce intentionibus, ut nimirũ totius corporis superuacua recrementa priùs generatim euacuentur, tùm particulatim cap. subalternis depleatur, postremùm discrasiæ tollantur

Ratio symptom.

Quare indicationes.

siccando

ficcando cap. & uentriculum sine caliditatis excessu, & refrigerando iecur. Scopos adipisci non licet sine ingenti studio, & accuratissima viuendi norma.

Praedictio.

Curatio per Chirurgiã.

Quod ad manualia spectat praesidia, mittendus sanguis est ex dextra basylica ad ℥. x. haemorrhoidibusque admouendae hyrudines, vt iecur refrigeretur.

Per Pharmaciam.

Quòd ad pharmaciam lenienda aluus melle ros. sol. & manna. Tùm propinanda apozemata, quae vias aperiant, & humores fluxiles reddant, qualia forent mel ros. simpl. iulapium acetosum, & syr. de lupulis, dilui poterunt D. borrag. cicerbitae, hepaticae, betonicae, tarfarae. Post triduum propinandum erit agarici dilutum, & rheub. cum melle ros. sol. Tùm alia propotismata praescribenda, qualia forent oxymel simplex, syr. de betonica comp. de hyssopo, de violis. Post hebdomadem deuoranda catapotia ex massa cocchiarum aggregat. & mastichinarum conflata, post quae iusculum alteratum borragine superhauriendum erit.

Post corporis purgationem tollendae discrasiae longo usu D. rad. Chinae & ligni lentisci, & santali albi. Nõ erit omittendum rhodosaccharum cum pulu. ceruini cornu, & sp. diarhodon. &c.

Pro Monacho lignipede archimandrita rheumate laborante, & pedum tumore.

CONSILIVM QVARTVM.

Generatio.

VNiuersi affectus, quibus P. T. implicatur, & laceßitur, soboles sunt catarrhi, cui praecteris obnoxius est animantibus homo tùm ob cerebri humiditatem eximiam, & situm (incumbit enim toti ceu vaporarium) tùm ob ingluuiem. Accedit figura, cuius ratione, si credimus Hipp. lib. de vet. med. fit attractio, habet enim, inquit ille, figuram medicae cucurbitulae. Est autem rheuma crassum excrementum in cerebro productum ob interceptam coctionem, & in inferas partes deciduum, crassum, inquam, ad differentiam tenuissimi, quod halitus specie dissipatur (in qualibet enim coctione duo excrementorum genera redundant, crassum, & tenue) cuius excrementi spectanda in primis species, cuius ratione agit, subinde vitium, cuius ratione officit. Cuiuslibet catarrhi materiam esse pituitam nos docuit post Platonem in Thimaeo Gal. lib. de Plac. Hipp. & Plat. quare & hic proculdubio adest pituitatis excrementum, quod & substantia, & copia, & qualitate, & motu laedere potest. Substantia quidem nec venerea labe, nec aliqua venefica qualitate inficitur, peccare tamen videtur, cum per putredinem salsitudinem comparat. Copiam oportet esse vberem, quum vniuersum fere corpus infestet, praesertim genua, & tibias, quae in tumorem etiam interdiu tolluntur. Qualitas non est profectò acredinis, & tenuitatis exsors, vtpote quae vlcuscula, & aphtas in gutture commiserit, & in tota fauciũ regione flogosim excitarit, quam gargarismus ex sero summouit. Motus est prauissimus quandoquidem ad musculosum genus thoracis, & ad genua, & ad causa dirigitur.

Cur homo ext. anim. catarrhis op portunior.

Quid rheuma.

Quid igitur opus est facto? Infestantis catarrhi causas rimari in primis oportet, subinde curandi methodum instituere spectata cuiusque natura. Ob interceptã coctionem excrementum produci ediximus, intercipitur verò aliquando vitio facultatis, nonnunquam obiecti ratione (facultatem hic audio particularem, & ad temperiem, certumque organum contractam, cuius optima cõstitutione opus habet ad agendum, alioquin facultas, cum sit proprietas animae indiuidua impassibilis est,) qua in re consideranda venit cerebri temperies, quam sanè statuo calidam, siccamque, vt ex caluitio detegitur, tale autem cerebrum teste Galeno, excrementis vacare solet, & sensus integros, & alacres obtinere. Qui fit igitur? Dicendum est, Galenum in Art. parua sermonẽ habere de cerebro calido sicco intra latitudinem sanitatis, hic autem excedit, quare cum omnis intemperies deijciat actum propriae facultatis, quid mirum, si excrementa succrescunt, cum maximè magna fiat ad cap. attractio, cui par esse non potest, accedat stomachi imbecillitas, & iecoris aestus, quorum ratione ad caput magna fit anathymiasis, quae in cap. concrescens materiam catarrhi couduplicat, retinet tamen naturam sui parentis, vnde particeps est salsedinis ob exustos halitus ab hepate sublatos. Hinc scitè Auic. scripsit, opportunos scil. esse catarrhis, qui sunt calidiore hepate. Hipp. verò scripsit cerebrum à stomacho humectari, & omnes morbos, qui cap. contingunt, ex stomacho proficisci. Inuestigatis igitur ex otdine caussis instituenda medendi methodus, quae sit accommodata. Excrementum igitur qua substantia peccat, extirpandũ, qua copia imminuendum, qua praua qualitate attemperandum, qua motu deriuandum, reuellendum, intercipiendum: Particula recipiens confirmanda, intemperies, vnde producitur excrementum, emendanda, quare refrigerandum iecur, roborandus calfacientibus ventriculus, temperandum cerebrum, vt coctiones perficiat, & ne calore amplius trahat, quàm sit conficiendo.

Quid per facultatem agendum.

Quomodo cap. siccum catarrhis subueniatur.

Methodus.

Hisce indicationibus non est facilè respondere, siquidem sibi mutuò repugnant, vnde auxilia contraria desiderantur: eucratis tamen procedẽdo optata sanitas affulgebit, quãdo maximè malum in habitum non euasit, sed adhuc est à carceribus.

Prognosis.

Praesidia, quae hac tempestate usurpanda sunt, dirigi debent potiùs ad mulcenda sympt. quàm ad discrasias adimendas, extirpandasque, quae tamen omnino negligi non debent, quare cum generalia praesidia praecesserint & corpus multifariã à superuacuis recrementis expiatum fuerit, proximum est, vt subalterna succedant. Inter Chirurgica remedia probatur cauterium, quod si dextro femori inuratur, reuellentis praesidii erit materia. At si adhuc genu, & crura laborent, & si intercipientis auxilij instar esse possit, omittendum tamen, & sinistro brachio inter bicipitem, & deltoida inurendum, euocanda interim materia catar-

Curatio.

per Chirurgiam.

catarrhum committens ad nares errhinis ritè vsurpatis. Aqua proin hordei cum pauca manna dissoluta, si naribus summo mane hauriatur, instar erit omnium, aliquando acrium aurantiorum acerbus cortex naribus inditus profuerit. per Pharmaca. Ad elidendam verò materiam in neruosum genus illapsam nil præstantius erit veneta terebinthina vnà cum saccharo rosaceo, si aliquandiu vsurpetur. Capiti prospiciendum inspersis puluueribus, qui cap. confirment, è rosis damascenis, myrtillis, rad. glycyr: & saligna. His porrò compar esse debet victus ratio. Per diætam Proin vitanda, quoad fieri potest, omnis aeris inclementia. Cibus sit boni succi, & facilis digestionis, aromata, piperata, legumina, & vniuersa dyspepta ablegentur. Copia cibi sit moderata, in primis cœna sit frugalior. Alui cura gerenda, vt quotidie sit officiosa, alioquin in familiari vsu habeatur quippiam, quod aluum citam reddat, vtputa prunæ præparatæ, didrachmum cassiæ cum scriptulo aloes ante pastum sumptum. Reliqua curatio in opportunius tempus differenda, nimirum ad proximum Ver. Interim, si adhuc intumescant, cruribus admouenda, quæ roborent, & discutiant quidquid subest noxium, quare abluenda crura aqua marina, in qua candens ferrum sæpius extinctum fuerit, ad hæc vtendum erit caligis ex pelle canina confectis, aut certè ex chorio Phocæ, vt mandat Aldrouādus. Muniantur crura, ne vim frigoris persentiscant, motus cautè ineatur. Satis sit digitum ad fontem intendisse apud virum omnigena doctrina imbutum, & summa prudentia præditum, cui ego hæc paucula festinanter exaraui, vt meæ erga P. T. voluntatis specimen extaret. Deus verò omnium languorum verus Medicus nostris vim tribuat conatibus, teque pristino restituat tenori, vt christianæ religioni diutissimè prodesse possis. Cautio pulchra. Vnum hoc omittendum non est, faciem frigida non esse identidem abluendam rheuma patientibus, nam ex Auicennæ monitu solet officere, &c.

Pro Viro Nobili tabido ex catarrho.

CONSILIVM QVINTVM.

Historia. ANnus iam agitur, ex quo Illustrissimus Patiens lacessitur febricula, macie, & vberrima destillatione, quæ priùs salsiuscula fuit, modò salsedine vacat. Multum sanguinis cum valida tussi, eiusque floridi, & spumantis multoties reiectum fuit, qui putabatur ex capite in thoracis cauitatem illapsus, rursumque per anacatharsim reiectus. Vt hæc mala euaderet æger, plurima expertus est remedia vacuantia, & alliotica, inter quæ sunt Chinæ D. ex iusculo pulli & santalorum alb. Aquæ Lucentes, serum asininum, lac ipsum, fellæ, sed omnia nequicquam adhibuit. Nec minùs expectoratum promouimus miris, multigenisque remedijs. Quid plura? Vt rem paucis conficiam præ manibus Virum habemus laborantem ea morbi specie, quæ ex Hipp. tabes appellatur, quæ non pleuritida, non peripneumoniam, non anginam excipit, non pulmonum vlcera, sed perennem à cap. destillationem pituitæ, quæ in pulmone pyodes euadit. Hinc rectè scripsit Hippoc. Quæcunque destillationes à cap. raucos, & tussiculosos homines reddunt, ni tempore conquieuerint, alteram faciunt tabis differentiam, alteram inquit, quod vera tabes ex vlcere proueniat. Hæc benedicta destillatio omnium malorum origo creditur, quæ prouenit aut ex intemp. cap. aut à vitioso sanguine: Ab vtraque caussa hîc proficiscitur, siquidem adsunt malæ viscerum constitutiones, nempè cordis, & iecoris calida intemp. vnde vtriusque bilis prouentus, & stomachi intemp. frigidior, vnde pituitæ vbertas. Febris non tantùm schetica est, sed hectica etiam, hinc ab assumpto cibo calescit, & arteriarum loca quoque calidiora videntur. Macies verò testatas satis habet caussas, nempè alimenti impuritatem, iecoris, cordisque calidam, siccamque intemp. & pulmonum flaccescentiam.

Cum ergo oporteat in primis vnamquamque caussam rescindere, deinde ad eam, quæ facta est, discrasiam peruenire, medendi methodus exposcit, vt destillatio remoueatur summotione caussarum, quæ illam pariunt, quæ si auferri omnino nequeunt, saltem intercipi, deriuariq; debet materia, & aliò auerti, ne ad pulmones præceps fluat, qui & ipsi roborari debent, ne facilè suscipiant superuacuorum influxum. Methodus.

Interim analepticis corpus reficiendum, & febr. hyperboles frigidis, humidisque temperanda. Quas quidem endixes non modo difficulter assequi possumus, sed nec omnino possumus, quod viscerum intemperies, & totius corporis sint in habitu, quod pulmones natiua quadam dispositione sint labefactati, atque adeò de tenore suo deiecti, vt proprium alimentum ampliùs conficere nequeant. Quare reliquum est modò, vt duntaxat leniantur symptomata, vt malum mitiùs ferat æger, & vita diutiùs protrahatur, si fieri potest. Prognostic.

In fonte Chirurgico adhuc extant præsidia, quæ adhiberi possunt, nempè cauterium circa coronariam futuram, & in ceruice setaceum, quamquam parum sint modò profutura hæc præsidia. Sanguinis missio vt nec indicatur, ita nec permittitur à virium imbecillitate, tātòque minùs, quòd paulò ante per hæmorrhoidas multum sanguinis effusum est sine iuuamento. Frictiones, & illitus ex ol. amygd. dulc. sine igne expresso identidem adhibiti fuere, sed incassum. Curatio per Chirurgiam.

Inter pharmaceutica nullis opus est euacuantibus, siquidem aluus nimis quàm fluida est, & in tabidis fluor alui, malum, inquit, Hipp. Quotidie mane haurit iusculum alteratum santalis albis, sarsara, cycorea, haud dulcoratur addito syr. de hybisco, ne fluor inualescat. Sed hinc expectoratus parum permouetur præ virium languore, proin arbitror vsui futurum, si gradum faciamus ad myrrhidis decoctionem quam commendat Dioscorides, aut ad D. Tabaci, quem tanto laudat opere Epiphanius, quibus infundi poterunt aliquot guttulæ spiritus vitrioli, aut terebinthinæ. Vsui itē erunt flores sulphuris, aut eiusdem butyrum Per Pharmaciam.

rum cum conf. flor. maluarum, & capill. veneris, item puluis mille-pedum tantopere commendatus ab Hollerio, & Antonio Valetio. Analeptica non proponuntur cum tota curatio pendeat à remotione catarrhi, qui altas, immobilesque egit radices, &c.

Pro puella Hæmoptoica.

CONSILIVM SEXTVM.

Quæ mala pariant defillationes.

CErebrum non absurdè omnium morborum parens perhibetur, nam fluxione in oculos facta per tunicas, quæ à mæningibus oriuntur, aut per neruum opticum fiût amauroses, epiphoræ quoque, & suffusiones emergunt, si per nares liberaliùs tenuis humor destillet coryza, quæ actimonia sua aliquando nares exulcerat, & ex vlcere simplici sæpè fit putre, quod ozena appellatur, inde etiam polypus, quod si destillatio descendat in os propriè tum catarrhus dicitur, si in fauces raucedo, siue branchos, si in gurgulionem staphyli, quod si à faucibus per œsophagum descendat in ventriculum, illum relaxat, appetitum, & coctionem peruertit, diarrhæam deinde parit, lienteriam, coli dolorem, & si per venas defluat, feb. excitat catarrhalem, & affectum rheumaticum, atrophiam, cachexiam, leucophlegmatiam tota massa à catarrho contaminata, si per arterias transmittatur compatiente corde per aortam frequèns vrgebit syncope, & palpitatio, si per neruos feratur, nascentur neruorum affectus, nempè stupor, tremor, paralysis, conuulsio. At si per asperam arteriam in thoracem illabatur, morbos accersit pectorales, pleuritidem, phthysin, asthma, hæmoptoidem, &c. Quæ nos in præsentiarum veriora esse, quàm quæ ad Sagram, experimur, nam ægra adolescentula nobilis, quam præ manibus curandam habemus biliosi, & gracilenti habitus, postquam austrina viguit constitutio, quæ cap. aggrauat, & humiditates conduplicat, in tussim vehementiorem, in cruentum sputum, & in feb. incidit, quorum affectuum vnicus parens esse videtur catarrhus, qui se multis prodit indicijs, vt nihil opus sit ea inducere. Est autem catarrhus nil aliud, quàm crassum excrementum (ad differentiam tenuissimi, in qualibet enim coctione duplex resultat) à cerebri alteratrice vitiata productum, quæ partim per errorem externum, partim per essentiam, nempè per humidam cap. intemperiem læditur, errorem externum appello obiectũ, scilicet biliosum sanguinem, nam pituitoso nutritur cerebrum. Hoc igitur excrementum in asperam deerrans arteriam, & inæqualitatem pariens primò tussim excitauit, mox vasa sanguinem continentia recluſit, demum feb. peperit duplicem tertianam perennem, nam illud idem excrementum in venas illapsum obstructiones inducit, hinc bilis exuperans putruit ventilatione vetita (omne enim calidum humidum loco calido humido cõcluſum, nisi diffletur, putret) hinc ad cor elatæ fuligines eius innatum calidum præter naturam auxerunt, quod in reliquum corpus per venas, & arterias diffusum calidam intemperiem ingenuit, quæ formaliter febris est. Quæritur autem, nunquid sanguis è capite, ex aspera arteria, è pulmonibus, an ex aliqua thoracis particula decidatur, & an aperta, rupta, an exesa vena effundatur. Hic diuisiua methodo vtendum erit, quam Plato donum Deorum in terras demissum vnà cum Promethei lucidissimo igne appellat. Non erumpit è cap. quia titillabitur palatum, inquit Aretæus, & dulcedo in ore sentietur, & si os aperiatur, cruentum conspicabimur palatum. Non ab aspera arteria, quum sanguis hinc solo reijciatur screatu. Non è pulmonibus, quia floridus, totusque spumeus, & sine doloris sensu reijcitur. Superest ergo, vt ex thorace amandetur, nam per tussim vehementem expectoratur cum doloris sensu, & non est tota substantia spumeus, non nigricat autem, quoniam toto corpore sanguis bilescit ob biliosæ mulieris naturam. An verò per diæresim, anastomosim, an diapedesim effluat, considerandum. Non per diæresim quidem, nam primò magna copia reiectus fuit sanguis, catarrhus non est salsus, leporis marini vsus non præcessit, aut veteris casei. Non per diapedesim, nullum enim in corpore apparet malæ constitutionis signum, neque sanguis adeò tenuis est, vt veluti transudare valeat. Reliquum est igitur, vt per anastomosim reijciatur, nam sanguis biliosior aperuit ora venarum accedente tussis impetu. Quid igitur opus est facto?

Diuisiua Methodus donum Deorum.

Methodus.

Instituenda est curatio, quæ singulas caussas rescindat, proin excrementum, quà copia peccat, minuendum, quà prauo motu reuellendum, deriuandum, intercipiendum, intemperies, vnde fit, & fouetur, summouenda per contraria, quare cap. afficcandum, iecur refrigerandum. Aperta vena adstringentia postulat, febris refrigerantia, bilis putrescens concoquentia (sola enim coctio cessare facit putredinem) putrida eradicantia postulat, nil enim est, quod corruptam substantiam restituere possit. Vires totius ea victus forma seruandæ sunt, quæ morbum non augeat, & vires manu teneat, vires partium custodiendæ auxilijs proprietatem ipsam respicientibus.

Lucio symptom.

Prognosis.

His indicationibus haud facilè erit respondere, nam sanguis reiectus est exiens mutatum toto genere præter naturam, & sanguis supra exiens, qualiscunque fuerit, malum, & cum feb. pessimum. Quia à sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes &c. Scio notari ab Auic. aliquam sanguinis reiectionem, quæ sit critica, & salutaris, quæ ex facili tolerantia dignoscitur, & Vollusius Saturninus quotannis magnã sanguinis copiam expuebat. Age igitur qualicunque salutis spe concepta ad præsidia gradum faciamus.

Curatio per Chirurgiam.

Ex fonte manuali excepimus phlebotomiam ex saphena secuti Auic. Actij, & Rondeletij consilium hac mente, vt si opus fuerit, etiam ex basylica mittatur per epicrasim, hoc enim voluit Auic. quando subtilem phlebotomiam præscripsit, ita enim minor fit uirium dissipatio, & maior reuulsio. Nec minus ficcæ cucurbitulæ infimis partibus conferent, uincula, frictiones asperiusculæ.

Per pharmaciam.

Ex pharmacia excipienda cassia cum pulpa, thamarind. & pulu. myrob. citrearum. Lenita-

aluo

aluo præscribenda apozemata ex plantagine, acetosa, liquiritia, ad sistendum verò sanguinis anacatharsim parandi linctus ex melle cocto, syr. iuinbino, de rosis siccis cum pulu. ex bolo Armeniæ, terra sigill. trochiscis de karabe &c. Nonnunquam adhibendus saluiæ succus ex syr. de liquiritia, & cornu Ceruino. Huc facit & syr. de stercore asinino Arnoldi. Ore continendus hæmatites lapillus, aq. plantaginis, aut portulacæ perfusus. A cœna deglutiendæ tabellæ diacodij. Cibis immiscenda acida, acerbaque Hipp. monitu. Recens theriaca non omittatur, aut persicum Philonium, si cætera non profuerint. Huc spectant puluercs ex combustis ossibus humanis, ex auriculis leporinis, ex limacibus, ex ouorum corticibus detracta interiore pellicula, exhibentur ex ouo sorbili. Porrò victus ad normam institui debet, vt sanguinem tenuem crassefaciat, calentē refrigeret, proin hordeata, horrizogala, amylum, & capitum, pedumque vituli iura vsui erunt. Item gelatina, pro potu oxycratum propinetur Auic. monitu. Interim summa corporis, animique tranquillitate contineatur, vt ne quidem musset, aer frigidior inspiretur, & obscurior fiat.

Pro Aurifice pleuritico.

CONSILIVM SEPTIMVM.

Hipp. lib. 3. Aphor.

ETsi quoque tempore ægritudines quæque erumpere possunt, & inuadere, quibusdam tamen temporibus quædam magis, ingruentiúsque incessunt, proin austrina vigente constitutione capita infestantur nimia repletione, hinc lacessita excretoria vis onus, & quidquid molestat in subditas deponit partes, quod si per asperam deerret arteriam excrementum in pulmones, tusses, & anhelationes excitat, & grauiora etiamnum accersit incommoda, si morbosus subsit apparatus, nempè pleuritides, & peripneumonias, nam cum identidem moueatur thorax ad expectorandum, quod colligitur in bronchijs, eò natura suppetiarum causa sanguinem non rarò amandat, si superfluat, atqui cum natura cęco ordine procedat, vt ait Hipp. fit aliquando, vt particula opprimatur auxilij copia, hinc quæ cauere cupit mala, committit. Hoc palam fit, & planissimum in hoc ægroto, qui rheumate, & tussi vehementer lacessitus tandem in veram pleuritidem accersito sanguine incidit. Sanguis autem eò peruenit cùm attractus, tùm transmissus. Est autem pleuritis tristis sensus pleuræ ob excitatam phlegmonem, quæ tùm afficit, tùm soluit continuitatem.

Quid Pleuritis.

Quæ spectanda sint in Aph.

Hic tria potissimùm acri perpensione digna videntur, quodnam scilicet sit subiectum patiens, quænam sit particula mandans, quæque sint fluētis sanguinis conditiones, modusque fluendi. (Propterea scripsit Hipp. Dolores, qui sunt in pectoribus, atque lateribus, an multum differant diligentem perdiscendum.) Quod spectat ad patientem particulam, faciamus membranam esse succingētem, quod doloris proprietas, & pulsus durities, & inæqualitas indicant. Quod verò ad mittentem particulam attinet, iure quispiam cum Argentario suspicari possit esse caput, cum illinc auspiciū duxerit per destillationem malum; Ab officina tamen hepatis mitti, probabilius est, cum nullæ copiosi sanguinis in capite notæ subsint. Sāguis porrò amandatus bifariam spectari potest, nempè vt mixtum quoddam, & vt quid noxium, & oblædens, primo modo potest esse merè sanguineum, biliosum, pituitosum, melancholicum, secundo modo perpensum vitium subindicat, quod quidem & in substantia, & copia, & qualitate, & motu, & quiete spectatur. Hic omnifariam sanguis vitiosus est, tùm quia putridus, & gallica lue inficitur, mole etiam, quia affatim, & multus affluxit in pleuram, nec minùs qualitate, quia biliosior existit &c. Qua igitur methodo curari poterit ægritudo? Tria maximè sunt, quæ curandæ pleuritidis methodum insinuant, patiens particula, forma, & efficiens. Forma, quæ est tristis sensus indicat anodynorum genus omne, subiectum appropriata, efficiens verò pro vario vitio indicat minuens, reuellens, & deriuans; nam huc repellentia non admittuntur, ne regestus sanguis in nobiliorem partem irruat.

Argenterius.

Methodus

Morbus ille valde periculosus est, tùm quia sanguis maximæ est energiæ, cum sit biliosior; tùm quia sputa crudiora videntur, à quibus nos docet Hipp. præsagia ducere. Optat Hipp. sputum luteo, alboque commixtum. Sputum cruentum vt in principio mitiorem significat pleuritidē, ita in fine damnatur. Aggredienda igitur curatio non sine præmeditatione.

Prognosis.

Curatio per Chirurgiam,

Quoniam verò missus fuit sanguis, & ægrotus languidior est non aliani ausim admittere sanguinis missionem, tùm ne vires ampliùs collabantur, tùm ne bilis detracto sanguine eius freno ferociùs exorbitet, incandescatque. Quare ablegata tantisper phlebotomia, donec fatiscentes recreentur vires properandum ad pharmaca. Equidem non abhorreā ab vsu rhabarbari, nam eius adstrictio, quæ timetur, poterit eximi infusione facta in aqua violarum. Summum hoc præsidium commēdat Hollerius, meticulososque appellat Medicos, qui perhorrescunt. Hoc eò libentiùs facturādum, quòd dolor descendat. Nam si Hipp. peplium, & helleborum propinabat, quid ni infusionem Rhei tutò exhibebimus in tanta bilis copia? Neque ab hoc pharmaco peræquè viribus est metuendū, cum purgatio non item viribus detrahat, quemadmodum phlebotomia teste Hippoc. atque Gal. Cætera cum nullam admittant difficultatem non est, cur repetantur inaniter &c.

Per Pharmacium. Historia.

Pro Cœnobita Bronchocele, & sputo sanguinis moleſtato.

CONSILIVM OCTAVVM.

Comparatio.

SAnitatem præclarè ædepol harmoniæ constitisse videtur Aristot. quæ vt in temperata quadam vocum consonantia consistit (vna enim fidicā si relaxetur, aut intendatur, alijs interim loco suo non dimotis, diuersus omnino concentus à priore resultat) ita bona valetudo in mensurata humorum, & primarum qualitatum medio-

Historia.

diocritate, quæ cum ex integra causſa fiat, lubricum, & obuium admodum est deficere, id quod nobis indicat potrò Reuerendissimus hic Vir annum sexagesimum quartum agens, bono corporis habitu, vt est cernere, calido, humidoque temperamento præditus, cui in primis iecur immodico calore retorridum æstuat, caput humore utcunque diffluit (quarum intemp. signa volens mitto, neque enim apud eruditissimos viros singula minutiùs prosequi est necessum) is ab ineunte ætate, vt erat integræ sanitatis, nullis se vitæ legibus obligare voluit Latinum Hipp. secutus, quare meracioris vini vsu iecur tandem, atque tota sanguinis massa ampliùs incanduit æstu, vnde non leuia emerserunt incommoda, siquidem facies vniuersa saturato quodam, & affectato rubore suffundebatur, & dolores identidem articulos, & vniuersum corpus infestabant. Quamobrem inito cõsilio vinum dilutius adhibuit, & liberum viuendi genus quadantenus arctauit, & contraxit. Postmodum leui morbo defunctus sanguinem screatu, & leuissima tussi reijcere cœpit non spumeum, non floridum, sed nigricantem, sanguinis autem reiectionem semper anteibat aliqua occasio, quæ sanguinem, & cap. calfaciebat, quo tempore circa supremam thoracis partem, quâ aspera deerrat arteria, dolorem percipiebat. Hoc symptomate perterritus peritissimos Medicos consuluit, qui & pharmacum, & phlebotomiam præscripserunt. Vtrumque præsidium expertus nobilissimus patiens nihilo habuit melius, quin ex errato in morbum deteriorem incidit nempè in feb. non sine maxima dextræ manus phlegmone, quæ manum integri muneris impotentem reddidit: Hoc autem accidit mense Februario præterito, quare ex morbi violentia, & longo medicamentorum vsu exhaustis viribus functiones naturales debiliùs obiri cœperunt, vnde salsiusculus catarrhus apparuit, & tumor in gutture prædurus, qui loco dimoueri non potest, sensimque in dies augescit, vt non tam turpitudinem, quàm difficultatem spirandi minetur. In his angustijs positus Reuerendissimus Vir, cum maximè sanguinis reiectio adhuc per interualla negotium facessat, ad vos præstantissimos Medicos confugit, & præsidia quærit, quibus munitus infestantes ægritudines propellat. Habetis ægrum paratum, siue ferrum, siue ignem meditamini. Hæc præfari libuit, vt tota vitæ ratio, & morbi series patescant.

Iam igitur præ manibus duos potissimùm affectus habemus, quorum alter est sanguinis reiectio, symptoma in exeunte mutato toto genere præter naturam pendens ex retentione vasorum sanguinem continentium vitiata. Alter est tumor, morbus ad auctam magnitudinem spectans, qui quotidie incrementa capessit, vt difficilem reddat anhelitum. Quare ea nobis incumbit cura, vt singulorum affectuum causſas, & generationem perscrutemur.

Ratio symptom.

Quod spectat ad hæmoptoidem Reuerendissimus Patiens sanguinem per interualla reijcit non vehementi præcedente tussi, non magna efflatione, sed leui tussicula, & excreatione modò syncerum, modò cum mucosa substantia commixtum, sanguis non spumescit, non floreſcit, sed nigricat, sanguinis sputum anteit cap. grauitas, & incalescentia, & thermasia. Quare magna probabilitate colligi potest, sanguinem ex ebullitione sursum repentem è venulis capitis manare, & deerrare in asperam arteriam, vnde subinde reijcitur per tussim. Emanat autem è venis non per diapedesim, non per diærhesim, sed per anastomosim auctus, & excalfactus sanguis. Quod non effluat per diæresim, aut diapedesim, satis compertum esse puto, vt nullis egeat indicijs. Sed dicet quispiam, vbi dolor, ibi morbus, ibi morbifica causſa, dolor autem infestat summam thoracis particulã, quare inde effluere sanguinem credibile est. Equidem manus darem, si vndecunque signa concurrerent, sanguis per vehementissimam tussim reijceretur, & dolor eo duntaxat tempore perciperetur, quo sputum cruentum expectoratur, credendum igitur dolorem esse sobolem materiæ illius catarrhalis, quæ decumbit in pectus, & continuum soluit.

Causſæ.

Cæterùm tumor gutturis, qui brõchocele dici potest, est meo quidem iudicio de genere primariorum abscessuum, non sanè meliceris, non ateroma, sed steatoma, & quidem scyrrhodes, quod ex summa colligitur duritie, generatur autem ex pituitosi humoris illapsu, & congestione, caput enim humidum ferax est pituitatis vnde etiam catarrhus salsus proficiscitur, salsedo autem subest, quia tenui cap. pituitæ adusti vapores commiscentur, qui è torrido hepate, & tota sanguinis massa ad cap. efferuntur: Hinc rectè dicebat Auic. eos catarrhis esse opportunos, quibus iecur est præcalidum. Quare confectum sit, tumorem istum esse sobolem frigidæ, & pituitosæ materiæ, quæ circa guttur colligitur, & partem sensim attollit, obduruit verò, quia caloris actione tenuis pars euolauit, & crassior restitit.

Bronchocele quid sit.

Quærendum porrò est, num materia illa folliculo contineatur, vt fieri solet, necne. Equidem puto, non includi, quia flabilis est tumor, & loco dimoueri non potest, mobilis autem esse solet tumor cysti, & pellicula inclusus. Non defuerunt, qui hunc tumorem aneurisma esse sunt arbitrati, sed multis errant interuallis, siquidem aneurysma siue ex dilatatione arteriæ, siue ex vulnere fiat, mollis est, & pulsans, & tangenti concedit. His sic se habentibus, reliquum est, vt medendi methodus instituatur.

Quæstio.

Sanguinis igitur sputum compescendum retentrice roborata, iecur refrigerandum, caput asſicandum, tumor nullam præbet vtilem indicationem, materia verò emollientia, resoluentia, & extirpantia postulat. Interim totius corporis habenda est prouidentia. Mala, quibus Reuerendissimus Vir implicatur, non sunt spernenda, nam sanguinis reiectio per os, qualiscunque fuerit, ab Hipp. damnatur, & reuera non leue minatur incommodum. Tumor insignem habet essentiæ vehementiam, nam durissimus est, & in calido corpore materia frigida viget, quare vix sperandum est per resolutionem summoueri posse, tota spes reposita est in chirurgia, incrementum autem inhibebitur summotis causſis, vnde incrementa capessit.

Medendi Methodus.

Prognosis.

Curatio per Chirurgiam.

Accedamus igitur ad præsidia, quæ ex triplici fonte sumuntur. Quod spectat ad Chirurgiã probatur venæ-sectio ad minuendam sanguinis copiam, caliditatemque, & ad reuellendum impetum, sunt, quibus placeat saphena, vt Tralliano, & Auic. quos sequitur Rondeletius; sunt, qui præferant basylicam Gal. auctoritate suffulti, ego prætulerim Gal. consilium, sed hac adhibita cura, vt per epicrasim sanguis mittatur, quo enim magis auxeris particulares detractiones, eò maiorem efficies reuulsionem. Velim singulis mensibus decrescente Luna hæmorrhoidibus hyrudines admoueri, vt sanguis deorsum fluere assuescat: gerit in femore cauterium, & alterum in brachio sinistro erit inurendum: Probantur frictiones infernarum partium, & balnea, vt humor anarthropos fiat catarrhopos.

Per Pharmacam.

Ex pharmacia sumenda sunt præsidia partim vacuantia morbificam materiam, partim alliotica. Euacuantia debent esse mitiora, ne sanguinem exasperent. Quare syr. ros. sol. vnà cum manna, & D. cardiaca satis erunt, si malit bolum, cassia cum El. leniente, & pulu. myrobal. citrearum probatur. Humores parandi apozemate, quod partim biliosos, partim pituitosos humores respiciat; syr. igitur de succo acetosæ, aut oxysaccharæ cum melle ros. simpl. sat erit. Parati humores foras exigendi Rhabarbaro, & Agarico, si cacochymiæ moles non satis videatur imminuta, repetantur eiusdem generis præsidia. Ad compescendum sanguinem lapis hæmatites succo plantaginis perfusus affricetur, & ore contineatur, item looch ex melle cocto, & bolo Armeniæ, siue sacch. ros. cum pulu. lap. hæmatitis. Ad tollendum tumorem nulla resoluentia sufficere arbitror, quod si quid experiri licet, illud Hollerianum probatur, quod ex Actio desumpsit, tantopere commendatum: sumuntur cupressi folia nec duriora, nec teneriora, contunduntur, & affuso mulso effingitur cataplasma, admouet tumori, tertio quoque die remouet, nono, inquit, omnis tumor sublatus videtur. Quercetanus tale præscribit auxilium. ℞. spongiæ, quæ in cynosbatis, h. e. rosis caninis nascitur. spongiæ marinæ ana ʒ. ij. redigantur in cinerem ex arte. ℞. huiusce cineris ʒ.x. chartæ leucophæx. i. binæ ʒ. ij. cinnamomi ʒ. 5. corallij rubri ʒ. 15. cuncta in pollinem redacta in lagenam vino plenam iniiciãtur, atque ibi duos, aut tres dies immorentur. Subinde huiusce vini colati laboranti Luna decrescẽte duo, aut tria cochlearia lambẽdo deglutiat, &c. Huc spectat diachylon cum gummis, & emplastrum de bdellio. Summo vsui erunt setones, si filo traijciatur tumor. Excisionem non laudo, quia tumor & venis, & arterijs implicatur. Interim errhina non sunt omittenda. Dum hæc fiunt ad tollendam viscerum discrasiam parandum est D. ex rad. chinæ, & santal. rubeis, & modico lentisco, pergẽdumque vsque ad quadragesimam diem, vt superuacua cap. humiditas absumatur. Aquæ thermales, vt V. B. aut Lucenses non improbantur. Victus sit compar curatio ni &c. quare piperata, & aromata sunt omittenda, item salsa, & dispepta, & flatulenta. Dum sanguis reijcitur omittatur vinum, bibat aquam chalybeatam cum iulapio rosato, proderunt cydonia, mespila, mora, &c.

Pro piaculari sacrificulo triparco ventriculi imbecillitate, & vigilijs infestato.

CONSILIVM NONVM.

SCitè Serenus Samonicus ventriculum Regem totius corporis esse dixit;

Stomachi ius.

Huius enim validus firmat tenor omnia membra,

Et contra istius firmantur cuncta vigore.

Quare huius magna habenda cura, cum maximè vitium primæ coctionis secunda non emendet, siue quia sanguis fibras, quarum causa solidis partibus apponitur, & agglutinatur, à ventriculo accipit, siue quia crudiorem chylum hepar rectè conficere nequit. Quidquid sit, noster hic perquam Reuerendis. Patiens abhinc decennium de stomachi infirmitate conqueri cœpit, quod cruditates congereret, quòd dolor circa præcordia infestaret, quòd copiosior saliua in os redundaret. Hoc autem maximè sollicitũ habet Virum, quòd cum ille semper frugaliter vixerit, eu chymos, eupeptosque cibos ingesserit nullam suę infirmitatis causſam agnoscere valet præter frequẽns ieiuniũ, quo corpus in seruitutem redegit. Huc accedit & aliud malum, nempè vigiliæ, quæ quatrimensi spatio incesserunt. Quòd si tandem somnus obrepat, varijs, & multiformibus visis, & idolis perturbatur, vt minimè secũdùm naturam succedat. Hi sunt affectus, qui virum molestijs afficiunt, quique eum impulerunt ad nostram opem implorandam. Nos igitur, vt optimi viri votis præsto simus, & constet, quid illud sit, de quo edisſeritur, in primis infirmi stomachi signa censebimus, tùm causſas rimabimur, demum methodum instituemus, qua iuuantia inueniantur, quo absoluto ad peruigilij causſas inuestigandas gradum faciemus. Historia.

Quòd spectat ad notas imbecillis stomachi, Celsus sex connumerat dicens. Stomachum autem infirmum indicant, pallor, macies, præcordiorum dolor, nausea, nolentium vomitus, in ieiunio dolor capitis, quæ in quo non sunt, is firmi stomachi est. Infirmi stomachi signa.

Atque huic nostro Patienti plurima adsunt, quare conficiendum, vt stomachi imbecillitate laboret, pallor enim ora decolorat, macies ossa denudat, dolitant præcordia, nauseaque laceſſit. Cæterũ huius infirmitatis causſa quærenda, cum enim omnis intemperies, vt est Medicum axioma, deijciat actũ propriæ facultatis, credibile est, aliquam subesse intemp. cuius causſa functio ventriculi, nempè chylosis malè obitur, non potest autem alia esse, quàm frigida intemp. cũ calida potiùs deprauet actionẽ, quæ quidem intemp. cum diu, multumq; perduratuerit, non potest, quin sibi sociam humiditatem asciuerit, quare concludendum est adesse frigidam, & humidam intemp. quæ quidem ea ratione traxit à ieiunio originem, quatenus calor naturalis feriari nescius non habens in quod ageret, absumpsit humiditates proximas, non proprias, nullum enim accidens agit in proprium subiectum, vt est logicum axioma, quibus absumptis Morbus. Causſæ.

tis calor imminui cœpit, vnde paulatim excrementa frigida congeri cœperunt, quorum præsentia frigida intemp. in ventriculum paulatim induci cœpit, hinc postea malum ventriculo in orbem redijt: Accedit huc alia causa, quæ studiosorum omnium communis est, nempè spirituum tenuitas, quæ vt sentiendi, intelligendiq; vim promouet; ita corporis robori detrahit, robur enim tollit Arist. à crassiori, & calidiore sanguine prouenit. Fernelius caussaretur morbum materiæ. His igitur sic cõstitutis age methodum aggrediamur. Excrementa igitur per eccoproticum sunt exigẽda, frigida intemp. summouenda calfacientibus, sed interim substantificè humectandum, nam ventriculi humidum substantiale per frequens ieiunium absorptum fuit.

Studiosi omnes vitæ naturales debiles habẽt.

Fernelius.

Methodus.

Supereſt, vt vigiliarum cauſſas perſcrutemur, hoc autem facilè aſſequemur, ſi naturalis ſomni naturam prius, & cauſſas inueſtigauerimus. Eſt autem ſomnus naturalis ſuauis quædam ſenſuum detentio ob vinculum primi ſenſorij, primùm verò ſenſorium nempè communis ſenſus vincitur à benigna quadã anathymiaſi ex coctionũ officinis in caput illata, quò fit, vt calor, & animalis ſpiritus huius vapidæ materiæ occurſu obũbratus recurrat in fontes, & organa ſenſuum deſerat. Quod ſi materia hæc deſideretur, cum nihil ſit, quod caloris, & ſpiritus effuſionem ad organa impediat, ſuccedunt morboſæ vigiliæ, deſideratur autem vapor, aut quia non effertur alimenti penuria, aut quia delatus non concreſcit ob calidum cerebri intemp., aut certè denſatus, quia abſumitur à ſicca cerebri intemp. Equidem exiſtimo partim vaporem deſiderari ob ieiunium, partim etiam abſumi ob ſiccitatem, qua ratione Homerus Senes vigiles vocauit, cerebrum enim quotidie ſiccescit, vnde vigiliæ etiam ſubinde conduplicantur, accedunt curæ, quæ ſpiritus exercent, & calefaciunt. Quæritur autem in præſentiarum, nunquid ſtudium, & cura, quam impendit non ſine animi angore Monialibus piandis, poſſit ſaluti ipſius patientis officere, & præcipuè ſtomachi debilitatem augere. Equidem inficiari non auſim, qui ſcio à paſtu ne cogitationem quidem eſſe tutam ijs, qui ſtomachi infirmitate laborãt. Omnis enim naturalis functio per ſpiritus & calorem editur, quò fit, vt ad caput delati ſpiritus coctionis officinas deſerant, atque adeò minùs rectè chyloſis obeatur. Temperandum igitur erit hoc ſtudium, & aliquod temporis interuallum concedendum ventriculo ad coctionem perficiundam. Supereſt modò vt præſidiorum materias percurramus his præfatis, difficilem prouinciam ſuſcepturum, quicunque ad priſtinum tenorem ventriculum ſe redacturum acceperit, poterit tamen longa adhibita cura in melius promoueri.

Vigiliarum cauſſæ.

Quid somnus.

Prognoſticum.

Blandè igitur aluus erit citranda melle roſ. laxatiuo, & manna, aut certè bolo ex caſſia Ægyptiaca, & ſp. hieræ, hæ enim ab Auic. commendantur, qui ſola Aloetica admittit. Subinde propinãda propotiſmata, quæ hærentem in ſtomacho pituitam extenuent, & extergant. Huiuſmodi verò fuerit oxymeli cum ſyr. de cort. citri. Parata materia foras exigatur diluto Rhab. & Agarici cum melle roſ. ſol. Ab hac purgatione ad alliotica gradus erit faciendus, & ad roborantia aſſumenda, & admouenda. Præ cæteris probatur iuſculum, in quo mentha, & nonnihil integri cinnamomi, aut nucis-myriſticæ ſub finem ebullierit, quotidie ſummo mane hauriendum. Nec minùs profuerit vſus morſulorum ſi in hunc conſiant modum. ℞. piſtacciorum ℥. iiij. maceros, cinnamomi, ligni aloes roſarum ana ʒ. ii. ſacchari diſſoluti in aq. roſ. q. ſ. f. conſ. per Lozengas. Abſythii genus maximè pontici, aut vmbelliferi profuerit, ſiue cretico vino immaceretur, & ſubinde infuſam vino exhaurias uim, ſiue ſaccharo conditum abligurias. Foris admoueri poterunt ſcuta, litus, cerata, quæ calfaciendi polleant vi. Stillicidium ex ol. amygd. dulc. & vino, in quo aromata incoxeris, conferet, ſi ritè adhibeatur quidquid ſcripſerit Obicius lib. de multiplici Abuſu, &c. Quod ſi his nihil profeceris ad Rhapontici D. erit confugiendum ex iuſculo palumbino: Vigiliæ aucta anathymiaſi, & humectato cerebro vſu anacollematum imminuantur: commẽdantur lactucæ à Galeno, & Auic. dummodo mens nullis ſollicitetur ambagibus, qui enim curis anguntur vix obdormire poſſunt ob animi intentionem in id, quod faceſſit negotiũ. Amandentur igitur pathemata, & ſi non in apathia, ſaltem in metriopathia decumbat. Quod ſi vigiliæ nullo modo recedant, hoc vtatur præſidio. ℞. opii ℥. i. ſucci lactucæ, ſucci mandragoræ, ſucci hederæ arboreę ana partes æquales, diſſoluatur opium in his ſuccis, dein ſpongia hiſce ſuccis inebriata ad Solem exponatur, donec areſcat, ſubinde uſus tempore, madefiat in aq. fontana, & naribus admoueatur, mirabile præſtat auxilium.

Ad vigilias præclarum remedium.

Curatio per Pharmaca.

Pro Illuſtriſſimo Senatore ventriculi imbecillitate, & Renum dolore affecto.

CONSILIVM DECIMVM.

VNiuerſa corporis conſtitutio calida exiſtit, quòd ſimili temp. ſint prædita cor, iecur, renes, videtur tamen ad humidam craſim inclinare propter corporis habitum carnoſum, & floridum aſpectum dominantis ſanguinis indicium, verumtamen quia vis bilis copiam ſanguinis æquare videtur, in paſſiuis qualitatibus temperata eſt, aut certè modicùm ad humidam temp. deuergens. Ex hac corporis cõſtitutione neceſſaria quadam illatione colligere licet miram humorum æquabilitatem, quæ non modò ad ſanitatem, ſed etiam ad vitæ longitudinem conducat. At verò bonam hanc expectationem ſtomachus eludit, dum ſuo ſuperſedet officio, id quod multiplex pituitatis prouentus arguit, quæ in ſtomacho cumulata ſubinde eum ad vomendum excitat. Quoniam verò læſa omnis functio, aut ab errore externo, aut à facultatis noxa proficiſcitur, ſcire operæpretiũ eſt, ægroto noſtro ſtomachum utraque de cauſſa laborare: Errorem externum appello quãcunque cauſſam, quæ ad organi animati conſtitutionem non cõuenit, qualis profectò eſt intercepta quies, importuna exercitatio, vehemens, & intenta cogitatio,

Temperamentum.

Hiſtoria.

Ratio ſymptom.

gitatio, incontinentia, aut intemperantia viuendi. Hæ cauſſæ per ſe poſſunt phlegmaticũ excrementum gignere, quod ſubinde à frigida ventriculi intemp. multiplicatur, talis autem eſt potiſſimùm ob calidam iecoris intemp. quidquid dicat tandem Victorius Angelutius, qui inficiatur acriter, quæ pinguedinem circumfitam abſumit, vnde ventriculi calor tanquam à culcitra foueri ſolebat, qua cauſſa ijs omnibus, quibus iecur eſt retorridum, ventriculi robur deſideratur. Huc accedit excrementum pituitoſum, quod præſens frigerat, & ventriculi tunicas relaxat, quare malum ventriculo redit in orbem.

Victorius Angelutius taxatus.

Hæ igitur ſunt cauſſæ à quibus pituita colligitur, quæ cum à iecoris incendio rapiatur, & ad renes traijciat, non poteſt, quin agitata in flatus vertatur eius aquoſior portio, hinc diuulſæ particulæ indoleſcunt, & graui premuntur pondere, craſſior faceſſit in arenulas renum calore exuſta. Vt igitur hæc mala omnia auertantur, oportet pituitoſi excrementi prouentum inhibere, inhibebitur ſummotis generantibus cauſſis. Hoc autem quàm primum fieri debet, ne ſuccedente tempore materia, quæ per emulgentia vaſa traijcit ad renes, aliquando ſubſideat in calculos conuerſa, & nephriticos excitet cruciatus.

Indicationes.

Tota igitur ſuper hoc vertitur curatio, vt ventriculi tonus delectus erigatur calfacientibus, & ſiccantibus excrementitium madorem, & externæ euitentur προφάσεις occaſiones. Proin ſuper omnia commendatur infrequens Veneris vſus:

Vna ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos ſines tranſiliſſe nocet.

Nihil enim peræquè ventriculum debilitat, atque immodicus vini, & veneris vſus, declinanda omnis cruditas, eſculenta adhibenda euchyma, & eupepta, frugalis omnino vita ineunda, neque tamen ieiunium præſcribo, quod tamen vel Philoſopho teſte lib. de ſomno, & vigilia ſtomachum calfacit, & ſiccat. Somnus ad horas ſeptem porrigatur. Cauendus à cibo motus cùm animi, tùm corporis, ſed ſumma corporis tranquillitas ineunda. Porrò ventriculi frigida diſpoſitio tolli poterit excreto phlegmate, & excalfacto ventriculo, quæ ſanè indicationes expleri poterunt, cum malum ab externis erroribus præcipuè dependeat. Vt igitur omnis cauſſa remoueatur, expediet iecur refrigerare miſſo ſanguine. Hoc peracto pianda ventriculi regio rhodomelle ſcilicet ſoluente, & elect. leniente. Interim pituita æquanda ad purgationem exhibito oxymeli, & ſyr. de cort. citri abſque diluto, ne traiiciant ad iecur. Ab apozematis præſcribẽdi boli ex caſſia cum ſp. hieræ ſimpl. ruditer pinſitis, qua peracta euacuatione properandum ad aquæ Tettutianæ hauſtum cũ melle roſ. ſoluente, quod ſanè præferri debet mannæ, vbi ventriculi robur quæritur ſiquidem manna ventriculum eneruat. Quod ſi ab aquę vſu abhorreat Vir, repetat rhodomel ſoluẽs, deuorato priùs bolo ex craſſis ſpeciebus hieræ, craſſas volo ſpecies, ne ad iecur peruadant. Repurgatus ab excrementis ſtomachus poterit iocunda aliqua præſidiorum materia roborari, propterea commendatur iuſculum pulli, aut columbi, in quo coxerit mentha, borrago, fœniculi ſemina ſumpta priùs diarhodon rotula. Roborato ſtomacho noua refrigerandi hepar, & renes neceſſitas inſurgit: Quo circa æſtuante cœlo non erit omittendum caprillum ſerum, quod ſi ſtomachus ab vſu ſeri lędatur, repetenda erunt roborantia ſolida, vtpote conſ. Abſynthij pontici. cort. citri cond. Lozengiæ ex piſtaciis, macere, xyloaloe, cinnamomo, roſis confectæ cum ſaccharo diſſol. in aq. menthæ, & ſimiliter admoueri poterunt, litus, cerata, ſtillicidia, &c.

Curatio per Pharmaca.

Prognoſis.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS QVARTA.

Pro quodam Nobili adoleſcente cardiogmo, & deſtillatione affecto.

CONSILIVM PRIMVM.

DVo ſunt potiſſimùm affectus, qui negotium nobiliſſimo iuueni exhibent, quorum alter catarrhus eſt, ſymptoma ad ametriam in excreto pertinẽs, craſſum quippe excrementum productum ab alteratrice cerebri facultate partim labefactata ob humidam cerebri intemperiem, partim intercepta ob errores externos, hos voco quamcunque cauſſam morboſam extra cerebri conſtitutionem genitam, vtputa erroneum victum, vapores cùm à ventriculo frigidiuſculo, tùm à iecore calidiore ad caput ſublatos. Scitè enim Hipp. ſcripſit, cerebrum à ſtomacho humectari. Auic. verò catarrhis opportunos appellat, quibus iecur æſtuat. Qui ſanè catarrhus prout diuerſas impetit particulas varios etiam parit effectus, de quibus quæritur æger. Alter verò affectus eſt moleſtia, quæ inter sẽtiendum percipitur à ſtomacho, quem ſanè affectum ſiue cardiogmon, ſiue angorem appelles, nihil refert, dummodo conſtet, fieri metaſtaſi, & translatione cuiuſdam materiæ biliioſæ, cuius amaror ore percipitur, quoties dolor inceſſit, prouentus vero bilis augetur, quod iecur cruditates à ventriculo imbecilliore alliciens in meſenterii exiles venulas obſtructiones parit, quibus calida hepatis intemp. augetur, vnde vtriuſque bilis ferax ſubinde euadit, quare non eſt mirum, ſi circa præcordia atra bile ſtabulante & borborigmi percipiuntur, & moleſtæ affectiones emergunt, quæ hypochondriacæ melancholiæ naturam ſapiunt. Hinc ergo ad cap. euaporans melancholia (eſt enim mirificè vapida, propterea melancholicos Hipp. vocat pneumaticos, & eadem cauſſa Ariſt. ſalaces appellat) mœrorem, metumque incutit, & panicos excitat timores, dum animalium ſpirituum claritatem adimit, & obliqua obiicit phãtaſmata. Dolorem verò ingenerat dum mænyngas ferit, & quoquomodo conuellit, ut ſoluatur vnitas.

Forma.

Cauſſæ.

Quid cardiogmon.

Cauſſæ.

Hypochondriacæ melancholiæ notæ.

An verò ſubſit lues venerea, quum prodromi, & præ-

& præcursores appulerint, equidem affirmare potiùs, quàm inficiari ausim, nam & si nullis adhuc se se protulerit indicijs, qui scias, quin praua illa, & deleteria diathesis subsit, quæ tandem in dies vires, & incrementa capessens maligna sit promptura symptomata, prout excrementa suffecerint. Quare eò allaborandum esse videtur, vt ex arte euacuatis supernacuis primùm excrementis humida cap. intemp. corrigatur siccantibus, iecoris nimia caliditas tollatur refrigerantibus, ventriculi frigiditas submoueatur calfacientibus, obstructiones aperientibus expediantur, nempè incidẽtibus, & attenuantibus. Dolor anodynis mulcendus erit, stomacho robur conciliandum, luis suspicio perimenda proprio Alexipharmaco. Quibus sanè indicationibus est difficile respondere, quia vicissim sibi repugnant, eucratis tamen procedendo spero futurum, vt procedente tempore tandem aut penitus auferri possint affectus, aut certè ita emẽdati, vt nullum, aut exiguũ sint exhibituri negotium.

Methodus.

Quod spectat ad præsidia, probatur venæ sectio ex basylica dextri brachij ad vncias decem, item reseratio hæmorrhoidum, si præcessit consuetudo, cauteria maximè dextro femori poterunt inuri. Inter lenientia probatur cassia cum sp. hieræ addita portiuncula el. lenit. syrupi respiciant bilem, sed potissimùm pituitam, & melancholiam syr. de betonica, de borragine acetosus primo loco vsurpari poterunt. Purgatio ineunda erit infus. Rhab. Agar. sennæ. Repetenda erunt propotismata ex melle ros. simpl. syr. de pomis, de fumaria oxymeli. Quibus per hebdomadem perhaustis properandum ad pharmacum concinnatum ex pulpa cassiæ, & conf. Hamech, & scriptulo vno, sp. hieræ. His corpore ritè piato ad alliotica gradus erit faciendus, sed in primis aqua salsa Cenetensis ad tergendum, & roborandum ventriculum erit propinãda, subinde D. Chynæ ritè paratę, &c. Ad iecoris verò incendium Maio mense serum. Antiquorum more erit propinandum cum emuls. sem. melonum incocto prius fumariæ pugillo.

Curatio per Chirurgiã.

Per Pharmaciam.

Pro Aurifice torminibus singulis diebus post digestionem correpto.

CONSILIVM SECVNDVM.

CIrca Epigastrii regionem quotidie ab assumpto alimento elapsis septem horis egregius hic Vir dolores interdum etiam intolerabiles persẽtiscit, quocirca hisce partibus, caussam aliquam morbificam occurrere necessũ est, quæ dolorem excitet. Cum autem affectus genuina curatio à caussæ remotione pendeat, singulas caussas rimari par est, vt his ad vnguem inuentis perfecta methodus institui possit, qua facilè summoueantur. Tria verò sunt nobis spectanda, nempè affectus species, eiusdem caussa, & pars affecta. Affectus dolor est, molestia scil. quæ inter sentiendum percipitur ex ijs, quæ continuum soluunt, aut repentè, & confertim temp. afficiunt, symptoma in actione deprauata tactoriæ facultatis. Quod spectat ad patientem particulam, non equidem dubito intestina, præcipuè cholon huic dolori subiecta statuere, siquidem dolor, non nisi elapso in intestina chylo inualescit, qui patientem vehementer excruciat, quare pancreas, mesenterium, iecur, lienem tali cruciatu affligi, nefas est putare, cum acuto sensu minimè prędita sint: Neque mirandum, si præcipuè cholon dixerim affici, nam hoc intestinum tenuia amplectitur intestina, & per imam ventriculi partem reptat in dextrum latus, vbi maximè dolor percipitur. Ventriculum verò non laborare, doloris situs abundè demonstrat. Quòd si ingesto cibo dolor mitescit, illud sanè contingit reuocato ad pensum calore, qui in congesta excrementa priùs agens in flatus soluebat, à quibus distenta intestina dolitabant, accedat bilem ingestione cibi emolliri. Vtrum verò caussa doloris in intestinis localem habeat generationem, an potiùs quotidie flatis horis ad intestina accedat, non est adeò peruium decernere. Interpolis tamen cruciatus iste liquidò arguere videtur, omnifariam caussam in laborante particula minimè stabulari, nam si ita sit, cur dolor continenter non affligit? Caussa naturalis, ni prępediatur, agit iuxta suæ naturæ cõditionem otiari nescia; quare si dolorifica, & noxia caussa præsto sit semper, non potest, quin & dolor adsit. Sed quum non adsit, certò asseuerandum aliunde huc ad dolorem committendum confluere. Sed vndenam? A capite fortassis, quia rheumaticum. Equidem non ausim inficiari è cerebro pituitosum excrementum in stomachum decumbere, à quo chylosis labefactatur, sed audenter asseuero, illud idem ad periodum certam redeuntis doloris authorem non esse, nam si singuli humores suã habent idiotropiam, & pituita noctu commouetur, fluitatque, cur nocturno potiùs, quam diurno tempore dolores non recrudescunt, exacerbãturque? Atqui dolor ille perfecta iam concoctione, & instante digestione, diadosique efferatur interdiu.

Subiectum.

Caussa doloris.

Porrò à iocinore, aut liene alicuius recrementi metastasis fieri potest, quæ statis interuallis affligat. Vtique non licet renuere, sed cùm lien, tùm iecur sua excrementa continenter ad intestina ablegat, & sanè hepar felleum excrementum per meatum cholidocum ad intestina demittit ad aluum proritandam, alioquin reside fœces diutissimè in intestinis restitarent. Splen quoque succum melancholicum ad os ventriculi amandat, ut sua aciditate famem excitet naturalem, ad fundum verò, vt cogat calorem ad chylosim perficiundã. Quare cum vsus gratia, & naturæ ordine hæc excrementa huc ablegentur, non possumus caussam neque in iecur, neque in lienem reiicere.

Generatio.

Reliquum est igitur, vt caussam vniuersam in ventriculum deriuemus, qui suo supersedens officio tùm ob errores externos, prauam scil. victus rationem, tùm ob frigidam humidamque intemp. quam satis, superque testantur tarda coctio, & pituitatis prouentus, quibus accedit dolor à digestione, & distensio à flatibus, quæ veluti tecmiria frigidi, humidique ventriculi censuit Auic. plurimas parit cruditates, quæ subinde in intestina illapsæ, atque ab imbecilli calore agitatæ vertuntur

inflatus

Quot Medico curanti considerãda.

Forma, seu definitio.

in flatus peruicaciores, qui inteſtina diſtendentes, dolores pariunt ingentes, hocque quotidie accidit, quia quotidie cruditates cumulantur, & amãdantur in ſentinam, vbi in cholo ob infarctus coaceruantur. Quamobrẽ cum res ſic ſe habeat, prout mea fert opinio, eò allaborandum eſt, vt dolor anodynis mulceatur, flatus diſcutiantur, pituita euacuetur, &c. quæ ſubſunt in meſenterio obſtructiones, expediantur, ventriculi tonus calfacientibus, & ſiccantibus erigatur, vt muneri ſuo deinceps non deſit. His indicationibus reſpondere admodum difficile eſt, quia magna eſt ventriculi diſcraſia, & fouetur à perenni rheumate à capite, cui conſulendum quoque roborantibus.

Methodus.

Longo tamen remediorum vſu, & congrua ſeruata victus, vitæque ratione, ſine qua factum erit nihil ſpero futurum, vt dolores euaneſcant. Interim ſciendum nihil peræquè noſtram naturam laceſsere, atque dolor; hinc Hippoc. nil æquè, inquit noſtrum corpus infirmum reddit, atque dolor, quem Galenus ſæuum vocat ſymptoma. Et Auic. duo, inquit, ſunt ex maximè proſternentibus naturam fœtor, & dolor. Propterea & Seneca ait, omnibus pares eſſe poſſumus, dolori non poſſumus. Ad hæc ſi huiuſmodi dolores à flatu diutius perſeuerent in hydropem ſiccum ſolent deſinere. Ventriculus autem imbecillis ab Auic. autor perhibetur omnium malorum, quæ corpori contingunt, quare diligenti ſtudio incumbẽdum, cum maximè dolor non ſit ſublimis, ſed occupet inteſtina.

Prognoſticum.

Age igitur præſidiorum materias percurramus.

Inter Chirurgica probantur hyrudines hæmorrhoidibus admotæ, iecur enim retorridum nonnihil ventriculo officit, dum pinguedines, & humiditates circumſitas populatur, quibus calor ineſt. Cucurbita cum multa flamma vmbilico admota incantamenti inſtar dolorem à flatu diſcutere conſueuit. Cauteria cùm in femore, tùm in brachio inuſta ad deriuandos ichores conferent. Stillicidium, ſi cætera non profuerint, non erit omittendum.

Curatio per Chirurgiam.

Inter pharmaceutica probantur leuiſſima euacuantia mel roſ. ſoluens manna, ſpecies hieræ, quæque ex Aloe conſiunt compoſita pharmaca. Medicina, inquit Hipp. purgat quidem, ſed inuenerat, quia deſtruit Mineras virtutum, ait Meſuæus. Scitè proin Auic. mandauit, ne debilis ventriculus cathartico grauiore magis atque magis de gradu deiiciatur: Expiata itaque eccoproticis prima regione ad aquæ Tettutianæ vſum erit properandum, ſic enim fiet, vt quiſquiliæ omnes, & retrimenta penitus exturbentur, & robur ſtomacho concilietur. Primi verò hauſtus cum iuſta mellis roſ. ſol. quantitate miſceri debent, nõ cum manna. Excremẽtis hac arte repurgatis, reliquum erit, vt alliotica vſurpentur ad tonum ventriculo reſtituendum. Probatur proin iuſculum veteris Galli, in quo ſemen carui, mentha, filicis maſculi radix ebullierit. Probatur item iuſculum columbinum, aut rhapontico, aut mentha, meliſſaque medicatum. Vinum abſynthites non erit omittendum. Quibus præſidiis ſi non concedat malum, pergendum erit ad Guaiacinam decoctionem adiecta Saſſafras modica portione, mirum enim in modum naturalem vim promouet. Sic enim unà eademque fidelia & præſenti affectui ibitur obuiam, & venereæ luis ſuſpicio diluetur. Interim anodyna non ſunt negligenda. Probatur maximè Serapium noſtrum, quod lib. de Incolumitate diù ſeruanda præſcripſimus, miram enim dolores ſopiendi, & flatus diſcutiendi vim poſſidet. Inter Topica nardinum oleum commendatur, tantopere Galeno vſurpatum, probatumq; facculi è molliſſimis plumis Cygni, aut Anſeris, fotus, litus, ſcuta, raſura dibaphi excipiuntur aromata, diſtenditur in ſcuti formam, vtrinque ſerico tegitur, interſuiturque, vt decet &c.

Per pharmaciam.

Serapium ex Archemide.

Topica.

Nouimus Mulierem Maumethanam, quę attrectato ventre, & nonnullis inſuſurratis ſeſquipedalibus verbis dolorem mulcebat illicò.

Pro Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo Senatore arenulis infeſtato.

CONSILIVM TERTIVM.

IN omni benè inſtituta conſultatione neceſſum eſt noſſe, quid illud ſit, de quo edisſeritur, conſultaturq; id quod teſte Platone definitione conſequi licet, proin cum de Prophilactice acturi ſimus, quæ ab arenulis, & calculo virum Illuſtriſſimum præcaueat, operæpretium erit, ſcire, quid arenulæ, quid calculus, & quo tandem modo generentur, quò tutus, & ſecuriore methodo præſidia inueniantur. Sunt igitur tùm arenulæ, tùm calculus corpus durum à calore ex craſſa, terreſtrique materia productum. Peræquè enim in nobis, inquit Ariſt. in Probl. arenulæ fiunt, ac in littore maris, nempè Solis caliditate ex limoſa, & fęculenta quadam materia. Et Hip. lib. de aere loc. & aq. non ſecus in nobis, inquit, fiunt calculi, atque in fornace lateres. Omnino cum arenulæ, tùm calculus opus ſunt præter naturam, non morbus in numero, vt plurimi ſunt arbitrati, non ſymptoma, ſed cauſſa morbifica toto genere præter naturam. Spagyrici putant fieri calculum ex tartarea quadam materia, quæ dum anguſta, & arida loca prætergreditur, qualia ſunt renes, & veſica, inhæreſcit, & coagulatur: Alij cauſſantur certam renum diarheſim. Matthiolus credidit fieri, cum terroſa materia lapideſcenti ſucco iugatur, & permiſcetur, vt in generatione tophorum uſu uenit. Ego non diſcedam à vulgari, atque adeò ueterum, nempè Hipp. & Gal. ſenten tia, fieri arenulas à calore renum ex craſſa quadam materia concurrentibus uaſorum laxitate, renum expultricis imbecillitate, anguſtia, ariditate. Proximum eſt, ut videamus, an calor renum, & hepatis ſit naturalis, an aſcititius, præterea an ualde, an moderatè excedat, dein an craſſa, & pituitoſa illa materies à capite, an potiùs à ſtomacho decidatur, & deriuetur in renes (ſunt enim duo pituitæ fontes) & ſi à ſtomacho an per imbecillitatem, an potiùs per externum errorem. Equidem eius ſum ſententiæ calorem eſſe naturalem, & à principijs generationis inſitum, factum autem eſſe in præſen-

Principium rectè conſulendi.

Quid arenulæ. Quid calculus.

Spagyricorum opinio de calculi generatione. Fernelius. Matthiol. Auct. opin.

Qualis calor.

Pituita vnde.

præsentiarum ac iusculum propter siccitatem, quam succedente tempore nanciscitur, & laborare mediocri excessu, alioquin macie corpus conficeretur, & incommoda, quæ essent Hipp. succrescerent. Quod spectat ad materiam cum nulla signa se prodant affecti cap. cum nulla adsit rheumatica affectio, eximo caput ab hac suspicione, & totam culpam in ventriculum reijcio, sed dum indicia infirmi ventriculi quæro, non inuenio. Celsus enim ait. Infirmum autem ventriculum indicant, nausea, nolentium vomitio, macies, faciei pallor, præcordiorum dolor, in ieiunio cap. dolor, quæ in quo non sunt is firmi, & robusti stomachi est. Cũ ergo Illustriss. Vir nihil taliũ patiatur est credibile, excrementorum prouentum fieri per errorem externum, nempè per errata, quæ in victu, & vitæ genere committuntur: Huc potissimùm facit nimia iecoris caliditas, quæ ventriculi tonum eneruat, & tractione chyli perfectam elaborationem anteuertit, & anticipat, quare crassa, & cruda illa materia dum extenuatur, & in flatus vertitur, dolorem extendendo procreat, dum crassior moratur in renibus diuturna caloris actione vertitur in arenulas. Quare eò allaborandum est, ut externi errores penitus circumcidantur, cruditates, & recrementa vacuentur, arenulæ exturbentur foras, calor renum, & iecoris remittatur.

Methodus.

Difficile hoc est opus, nam calor viscerum naturalis est, & ætas procliuior ad generationem calculi, spero tamen fore, vt præcaueatur, dummodo diligens vitæ studium ineatur, & licet Hippocr. scripserit vitia renum, & vesicæ difficulter curari, addidit tamen in valde senibus, quibus escetæ manent in corpore vires. hic verò ætas floret. Præterea tametsi scripsit, quibus in vrina arenosa subsident, ijs in vesica calculus inest, non est tamen vsquequaque verum, imò scripsit Auic. ijs lapillum non concrescere, qui luculenter arenulas excludunt. Quæri solet, an affectus sit hæreditarius, putauit Auic. negarunt alij, quod viderint multos calculosos, quorum parentes non laborarunt, & plurimos immunes, quorum parentes lythiasi affecti fuere. Bona igitur spe concepta ad præsidia conferamus pedem.

Prognosticum.

Sect. vj. Aph. vj. Aph. xiij. sect. Aph. lxxix.

Lib. 2. cap. de lap. Ren. & vesicæ.

Inter Chærurgica probatur venæ-sectio hepaticæ ad plethoram deplendam, & totum refrigerandum, probantur hæmorrhoides apertæ. Nam inquit Hippocr. melancholijs, & renum passionibus plurimùm prodesse. Probatur cauterium in dextro femore secundùm domesticam partem inustum, nec minus balneum tepentis aquæ.

Curatio per Chærurgiam.

Inter pharmaceutica laudo mel ros. sol. cum manna dissoluta in iusculo pulli, vel bolos ex el. lenit. & cremore tartari, aut ex cassia cum sp. hieræ picræ crasso modo contusæ. Pro purgante pharmaco probatur infusio Rhab. expressa cum melle ros. soluente. Non erit prætermittenda aq. Tettutiana pro ventriculi robore, & pro extirpando phlegmate è ventriculo, & intestinis, quod est familiare.

Per Pharmacam.

Inter alliotica præparantia humores probantur syr. de pomis cum iulapio acetoso dissoluto in iure pulli. Inter alliotica, quæ renes, & iecur respiciant, laudatur serum caprillum depuratum cum bolo terebinthinæ phisticæ, primis diebus, postremis cum saccharo rosato. Interim non sunt omittenda iuscula D. cicoreæ, vt iecur malè temperatum remittatur. Ad cautellam probatur mihi vsus infusionis ligni nephritici, qua dilui poterit vinum. Probatur ol. cotoneorum Mercati semel, atque iterum in anno vnà cum saccharo ad ℥. 1. ß. epotum, probatur saccharum ros. aut cum puluere mespillorum, aut cum puluere Hyperici, quibus superbibitur aqua virgæ aureæ. Quibus nil proficientibus non erit omittendus vsus aquarum thermalium, nempè Lucensium, aut Porrectanarum. Non est negligendum Matthioli consilium, qui mandat, ut semel, atque iterum cassiæ atramentum ad ʒ. ij. singulis hebdomadis paulò ante cœnam deuoretur, sic enim fore arbitratur, ut certa cautione ægri à lythiaseos discrimine vindicentur.

Adcautelam.

Ad cautionem Amatus præscribit vsum frequentem Auellanarum, Græci cõmendant Auem Troglodytem, item motacillam, &c. Augenius lib. xij. Epist. 2. describit syrupum, quo sexcentos à lapide Renum molestatos vendicauit, præbet (habita priùs totius prouidẽtia) uncias tres cum unc. sex D. rad. eryngij, fol. erisimi, stellariæ factæ in duplici vase ex aq. stillatitia graminis per dies xv. v. h. ante prandium.

Cent. vij. Cur. lxxviij.

Pro Viro Illustrissimo Hernia catarrho, & sterilitate laborante.

CONSILIVM QVARTVM.

Historia.

TRia sunt, quæ Illustriss. D. exercent, & mirum in modum afficiunt, tumor in inguine, quem Bubonocelen Græci vocant, molestus catarrhus, ab utero matris contractus, & sterilitas, cuius abolendæ studio potissimùm hic labor suscipitur, est enim generatio omnium naturæ operũ naturalissimũ opus. Vt igitur ex arte inueniãtur præsidia, quæ hisce malis profligandis sint æqualia, necessum est, ut naturale Domini temperamentum prænoscamus, rectum enim est iudex sui, & obliqui, hinc dicebat Gal. Temperamẽti cognitio curationem indicat, & alibi scitè scripsit, nos non posse medicatorias indicationes inuenire sine temperamenti cognitione. Age ergo principum partium naturam rimemur, hinc subinde totius corporis temperamentum se se proferet, & eluescet. Caput quidem calidum, & prehumidum esse conijcimus, quia tale se se exhibet tangentibus, quia quæ circa caput sunt rubicunda, & tandem planum capillitium præpollere madorem significat, & excrementorum prouentus.

1. de comp. med. S. L. Temperies.

Cor item calidissimum adest, quod ex hethicis colligitur indicijs, & physicis etiam. Ex hethicis, nempè iracundia, animi magnitudine ad actiones promptitudine: Ex physicis pulsus vehementia, ac magnitudine, ex pectoris latitudine, quod est hirsutum. Nec minùs hepar calidum, & humidum est, hoc verò sit argumento, quod summa subest sanguinis uberras, uenæ extumescunt, & latæ sunt, flori-

floridus adest, & eusarcos corporis habitus. Hinc dicebat Hipp. Qui puri sanguinis non inexpertes sunt, hi vsquequaque rident, & aspectu, & corpore floridi, necnon perspicui coloris existūt. Ventriculus frigidiusculus ex ructibus, & tardachyli confectione deprehenditur. Testes denique calidos, & humidos esse credibile est, quia multa gignitur virosi excrementi vbertas, quia sine detrimento, imò alacriter, & promptè semper exercetur venus, præpollere tamen humiditatem significat fœtifici lentoris tenuitas. Hinc conficitur, vniuersum D. temperamentum, quod principum partium naturam sequitur, calidum esse, & humidum.

L. de struct. Hom.

Proximum iam est, vt res præter naturam percurramus. Bubonocele, quæ morbus est in situ, est enim ilei intestini prolapsus in inguina, sensim, & sensim se in conspectum dedidit, nulla vehemente causa præcurrente, neque in hunc diem incremētum cepit, quare credibile est, ex relaxato potiùs peritonæo, quàm rupto prolapsum esse intestinum. Relaxatur autem à nimio madore. Hinc hæ ducuntur indicationes. Reponēdum intestinum, repositum subligaculo continendum, superuacua humiditas absumenda, quod fieri posse confido.

Quid Bubonocele sit.

Indicationes.

Catarrhus (symptoma ad ametriam in excreto pertinens) nil est aliud, quàm crassum excrementum ab alteratrice cerebri facultate intercepta productum, & in partes inferas caducum. Bifariam verò læditur, & intercipitur actio facultatis coctricis, aut per errorem externum, aut ex morbo aliquo. Hic actio læditur ex morbo, & per errorem externum, ex morbo quidem, quia adest cap. humida intemp., quæ caloris energiam obtundit, vnde calor commissum alimentum conficere nequit, hinc excrementorum prouentus succrescit: Errorem externum voco anathymiasim, & plurimam vaporum sobolem ex officinis coctionis ad cap. sublatam. Accedat etiam, quòd caput calidum plus attrahat, quàm sit conficiendo. Non est igitur mirum, si vigente austrina cōstitutione morbosus ille apparatus promouetur, catarrhi inualescunt, tusses, & anhelationes cientur. Excrementum porrò illud multifariam solet esse noxiū, nempè substantia, copia, qualitate motu. Non adest vitium substantiæ, quia nec putridum, nec aliqua venerea infectione temeratum est, nam & si semel gonorrhœa laborauit, ita tamen conualuit, vt nullum postea indicium se se protulerit, quo latens labes indicari potuerit. Neque insigni aliqua qualitate peccat, siquidem nec salsedine fauces corradit, nec acore perstringit, nec acrimonia vellicat: Copia, & motu vitiosum esse videtur, quoniam aliquando adeò confertim, & affatim in asperam arteriam, & bronchia deerrat, vt suffocationem minetur. Indicationes summuntur à forma, & subiecto, subiectum cerebrum est humidius, quare assiccandum erit, ventriculus calfaciendus, & siccandus, iecur attemperandum, pulmones roborandi. Forma est excrementum, quod vt copia peccat est minuendum eradicandum, vt prauo motu reuellendum, deriuandum, intercipiendum. His indicationibus & si non omnino satisfieri potest propter naturalem diathesim perennis excrementi procreatricem, spero tamen futurum, vt sublata humoris vbertate minorem molestiam sit illaturus.

Catarrhus forma.

Causæ.

Indicationes.

Prognosis.

Supereſt ſterilitas, cuius causa suscipitur curatio, quæ facultatis genitiuæ abolita actio est ob impedimenta. Hæc actio fit maris, & fœminæ cōgressu, quare vtriusque habenda est ratio. Verumtamen quia Illustrissima Vxor videtur optimè se habere ad prolem suscipiendam, quum nec nimis crasso, nec nimis strigoso habitu sit prædita, quum vndequaque se proferant indicia perfectæ sanitatis, coniugem missam faciemus, & ad virum mentis aciem dirigemus.

Quid sterilitas.

Vxoris tamē fęcūditas interim explorari ea ratione poterit, quæ ab Hipp. præscribitur, thymiasi nimirum, siue suffitu subter indito, aut in sinum pudoris immisso allio, aut netopo vng. quod cōmendat Hipp. in lib. de morb. mul. Ex parte viri desiderantur quatuor, vt generatio opus admirabile fiat, salacitas quippe, siue libido, seminis vbertas, mutonis valida, non fugax erectio, & denique fœcunditas. Priora non deficiunt virum, postremum deesse videtur. Sed vt hoc amplius constet, repetendum in semine duo esse spectanda, molem scil. siue corporaturā, & genitiuum spiritum, qui ex vnione omnium spirituum coalescit, hinc valetudinarij, & quibus aliqua princeps particula laborat, steriles esse consueuerūt, quia spiritus desidarantur, qui fœcunda reddunt semina: Hinc dicebat Aristot. Seminibus aliquid inesse proportione respondens elemento stellarū, quod fœcunda reddit semina, & hac de causa prolificum semen à solo mare proficisci scripsit, quia hoc spiritibus magis est plenum. Hinc Hipp. steriles vocauit 5. Aphor. quibus extra feruntur spiritus, vt defectu spirituum semen ad os uteri transmitti non possit, spiritus enim sunt, qui impetum faciunt. Quæ causa igitur erit sterilitatis spirituumne defectus, an seminalis copulentiæ praua conditio? Equidem culpam reijcio in semen dilutissimum, cuius liquiditatis causa est cum testium, tùm corporis superuacua humiditas, nec minùs obesse potest cap. infirmitas, qua causa Scytæ effuso affatim sanguine ponè aures infœcundi reddebantur, si credimus Hipp. Hac accedit & alia causa nempè otium, & luxus, quibus diffluebant, hinc fluida coacernatur humiditas, quæ impedit, ne semen fœcundum gignatur, quibus propterea Senex labores, & dietas præscripsit. Arist. pingues steriles vocat, quia materia seminis in pinguedinem abit, accedit præ pinguedine uasa reddi angustiora. Scio plurima alia esse, in quæ causa reijci possit, vt puta seminum proportio, vnde Lucretius

Quæ ratione experiri oporteat vxoris fœcunditatem.

Quæ deficiāt ex parte viri.

In semine duo spectātur.

Quidnam sit causa reddens semina fœcunda, & quæ genitiua. c. 3.

Aph. lxiij

Lib. de aere, locis, & aquis.

Lib. de gen. anim.

Vsque adeò id magni refert, vt semina possint
Seminibus commisceri generaliter apta,
Crassaque conuenient liquidis, et liquida crassis.

Scio, inquam, sed non est, cur singula censeam. Quid igitur opus est facto? Imminuenda molestotius corporis, superuacua humiditas absorbenda, testes, & generationis instrumenta roboranda. Hoc opus & si difficile sit, non est tamen adynaton, cum non sit abbreuiata manus

Methodus.

Domini,

Prognosis. Curatio per Chirurgiam.

Domini, quare ad præsidia pergendum.

Probatur venæ-sectio brachij dextri (vna enim eademque fidelia multos parietes dealbare curabimus) ad imminuendam sanguinis vbertatem, probatur cauterium ad deriuandum excrementum. Probatur stillicidium roborando stomacho accommodatum, nec minùs sacculi pleni sale, & milio ad siccandum cap. Bubonocele erit aptandum subligaculum, & emplastrum de pelle arietina.

Per Pharmaciam.

Aluus lenienda erit melle ros. sol. & manna. Parandi humores syr. de betonica, melle ros. & pauco acetoso. Purgandi Rheo, & Agar. infusis in aq. betonicæ, & endiuiæ. Repetenda Serapia eadem addito syr. de hyssopo. Repetatur idē pharmacum additis & diaphœnici ʒ. iij. His peractis probantur mihi aquæ thermales, in primis Tettutianæ ad expiādam primam regionem, post quas properandō ad D. Chynæ addito ligni sancti modico. Sumpta D. Chynæ videndum, an vsui futuræ sint aq. B. V. ad hepatis, ac renum retundendam caliditatem, mihi quidem ea ratione probantur, quia valde siccant, & roborant.

Cætera, quæ proprietate valent ad inducēdam fœcunditatem, & ab Auctoribus passim præscribuntur uolens, libensque mitto. Diæta verò erit compar &c.

Quædam, quæ conceptionem facilitant, nō sunt omittenda. Primò concubitus, seu potiùs coitus sit rarus, *Namq; voluptates commendat rarior usus.* Præterquam quod os vteri frequentiore coitu fit collosum, retinendoque semini ineptum, quod modico interuallo fœcundum esse nequit, mutua sit seminis eiaculatio, & eodem tempore, ideò Magister Amoris.

uidius.

Odi concubitus, qui non vtrinque resoluunt.

Si tardiùs fœmina emittat, mammarum, & pudendorum attrectatione inuitetur, & subinde cōgressus fiat. A quo fœmina resupina maneat benè tecta adductis cruribus, vt docet Petrus Apponensis in Problematis, & si potest, altum ineat soporem, & inter extrahendum arietem prudenter se gerat vir, inquit, & cautè. Paulus Ægineta mandat, vt congressus fiat à tergo, quia seminis eiaculatio rectiùs in vterum emittitur. Mulieris pudendum illinatur nardino, in quo priùs tria grana zibetti, aut ambræ fuerint dissoluta; hæc enim venerem delectabiliorem reddunt. Facilitare creduntur conceptionem à proprietate, quæ sequuntur. gr. testium Verris siccatorum, rasuræ eboris, sem. seseleos, coaguli leporini ana ʒ. 5. omnia in puluerem redigantur, & vnà cum pauca ambra ex iure pulli alterato saluia summātur. Albertus Magnus proponit renes, & vterū leporis, & cuniculi, qui sunt fœcundissimi, vnumquodque verò entium suam, inquit, communicat naturam ei, cui consociatur.

Amatus Lusitanus proponit Aloes vsum singulis hebdomadis, & arcanum esse deierat nullo pretio detegendum.

Pro Expatrida Veneto tenesmo, & stercoraria mictione laborante.

CONSILIVM QVINTVM.

Quis Medicus melior.

SCitè admodum, si quid aliud prodidit Galen. Medicum illum longè cæteris antecellere, qui prudentia præstat, etenim in praxi plura symptomata passim emergunt, quæ si apud Authores quæras, non inuenies adamussim exarata. Quòd si fortè inuenies, eadem protinus præscripta adhibere non decet, & vno, eodemque calapodio, vt paręmia fertur, omnes calceare, vno collyrio omnibus mederi. Nàm quemadmodum lex non est Polycleti immutabilis regula, sed Lesbia norma, quam Magistratus æquitas pro factorum, personarum, temporumq; circumstantijs non abrogat, sed immutat præmium, quod virtuti, pœnā quam illa vitio decernit, augens, vel minuens, ita Medicus prudens præcepta medendi pro circumstantijs ætatis, sexus, temperamenti, regionis, consuetudinis, vitium, morbi, symptomatis, limitare, & definire debet. Id quod præcipuè nobis erit obseruandum, qui insolens quoddam, & inauditum symptoma curaturi sumus, hoc autem est stercoraria mictio cum hypogastrij dolore, & tenesmo. Quorum symptomatum ratio, nempè mictionis, & tenesmi ad amerriam in excreto pertinet, dolor verò corruptam actionem sensus tactionis sequitur. Et vt rem ipsam comminus aggrediar, tenesmus frequens est, & inanis desidendi cupiditas ob irritamentum, quo sphinctir musculus lacessitur, irritatur autem à re quapiam molesta, nempè acri, salsoque excremento à sanie, aut vlceris præsentia. Hìc à sanie, & ulcere incessitur, & stimulatur. Adesse vlcus plurima indicant, sed hoc ab excreta sanie potissimùm arguitur. Vlcus hoc rectum intestinū obsidet, quod colligitur à sede doloris, vbi enim dolor, ibi morbus; primam verò traxit originem à pituitosi excrementi adhæsu, quod succedente tempore putruit, salsedinem, & acrimoniam comparauit, hinc cœpit intestinum erodere, eiusque soluere continuitatem, cumque vlceris incrementum nulla inhibuerint ex arte adhibita præsidia, factum est hinc, vt in dies augmenta capessiens ad vesicā peruaserit, eamque præforauerit, propterea stercus, (quod honos sit auribus) è recto intestino per vlcus commune tanquam per tubum in vesicā trajicit, vbi moram aliquam trahens, multos tādem excitat flatus, quibus distenta vesica identidem dolitat. Proximum modò est, vt hæc symptomata in suas causas relata summoueantur artificiosa, priùs instituta methodo. Quare id agendum, vt corpus ab excrementis omnino immune reddatur, ne ad affectam particulam confluant, tùm vlcus primò detergeatur, pars amissa sarcoticis reparetur, tandemque epuloticis solidetur.

Definitio.

Cauſſæ.

Indicationes.

Difficillimum opus hoc est, imò adynaton. Siquidem morbus, nempè vlcus, propria essentia ita magnus est, vt tolli nequeat; Accedit lęsæ particulæ, nempè vesicæ præstantia, quæ exanguis est, atque adeò irreparabilis. Ad

Prognostium.

hæc vlceris sanatio est exsiccatio, partes autem laborantes cum sint veluti totius corporis sentina, & perpetuò pravis madeāt recrementis laboriosius redditur sanationis opus. Skenchius non absimilis symptomatis mentionem fecit, & prodigiosam appellat historiam. Nos cum Cenetæ medicinam Apolline dextro ageremus, villicum curauimus stercora per hypogastrium emittentē, & bellē reualuit. Quare cum monstra aliquando eueniant, non est, cur auxiliares munus Domino denegemus. Age igitur ad præsidia properemus. Olim ab Apella Medico curatus plurima hausit hypagoga, & cathartica, quare non alia fortè opus erit euacuatione, quàm leuissima (neque enim in gracilento corpore, & inedijs exinanito multa excrementorum moles subesse potest) Alnus igitur subducenda erit soluente Rhodomelle, & syr. ros. recentissimo æqua mole commixtis, aut cassiæ Ægyptiacæ atramento ammixtis fœniculi contusi seminibus, & tartarei cremoris drachma, subinde propinanda erunt apozemata, quæ tergendi facultate sint prædita, qualia sunt iusculæ, quibus incocta sint intyba, agrimonia, adianthon, rad. pentaphylli, dulcorari poterunt iulapij ros. sextante. Sanguinis missionem volens mitto, cauterium in dextro brachio inurendum erit, & supernæ frictiones ante pastus adhibendæ, vt aliquam moliamur antispasim. Pro vlceris inueterati detersione plurima succurrunt, vt puta hydromel, decoctio agrimonij, sol, olinæ, caprifolij, tanaceti, absynthij, hordei, serum caprillum, oliuarum muria, sed meo quidem iudicio nil erit præstantius thermalibus aquis, utpote Thertutiana, aut Cenetensi, quæ quia salsiusculæ existit loco Salsæ nomen indidit, huiusce aquæ vires, si forent singulis exploratæ, ad hanc turmatim confugerent ægri, ceu ad sacram Ancoram, multis enim parasangis antecellit cæteras. Sed ad rem. Detersō vlcere in anum ea auxilia intrudi poterunt, quæ ab Auic. dicuntur collyria ex vng. de Cerussa, diapompholige, & similibus conflata. Ad hunc vsum faciunt suffitus ex thure, myrrha, aloe, styrace, sandaraca Arabum, & Libanotide. Quod si nihilominus serpat vlcus, colubenda, arcendaque vlterior erosio iniecto D. in quo Ægyptiacū vnguentum sit solutum, aut Musæ, aut Polyidæ trochisci, communito prius ventriculo, & frigida ore detenta. Interim parandū erit decoctū, quod sit instar vulnerariæ potionis ex parata Chynæ radice, & pauco hordeo expulli iusculo. Quod si hisce remedijs nihil proficiatur, quam mox ad tepidum asellæ lac erit confugiendum metu tabis, quod erit instar omnium, & iure ab Antiquis commendatur, nam quā serositate affluit, terlori vi pollet, præterea substantiali humiditate corpus reparat. Præmittendum autem erit contecti saccharo marathri nonnihil, ne in ventriculo lac coacescat, imò vt quam mox in venas deferatur ad analepsim. Victus interim frugalior instituatur, is tamen, vt æquè viribus, & morbo studeat, & paucis scateat excrementis. Obijt tabidus.

Curatio per Pharmaciam.

Pro quodam Canonico verendum ganglio implicitum habente.

CONSILIVM SEXTVM.

AGrediamur iam Homericum moly, cuius quidem nigra radix est, sed flos lacteus exit, colem audio, siue Reuerendissimi Viri verendum, quod nouo quodam, & insolenti morbi genere, laceffitur, id, dum viget, flacceſcit, dum flaccet, vigeſcit. Quid hoc est rei? Si Lampsacenorū scelere se se D. obstrinxisset, non esset mirum, si iratus Priapus hanc calamitatem immisisset, & de mentula sibi tantùm licuisset. Sed quando nihil tale subest, mirum, atque iterum mirum. Sed mittamus ludicra, & rem serio tractemus. Viro, dum surrigitur muto, recuruatur, vt rectā procedere non possit, & caput tollere. Quæsita est causſa, & nulla inuenta est alia, præter tuberculum, quod ad latera vrethræ excurrenti ad balanum ligamentoso, & spongioso corpori inhæresçit, hoc à veteribus appellatur ganglion, quod nerui concretionem vocat Paulus Ægineta, ab Aetio nerui nodosa coactio nuncupatur, ab Auic. glandula, quamquam reclamat Coliæus. Quidquid sit committitur affectus iste affluxa, aut paulatim congesta materia. Facilè persuadeor, vt credam ex affluxu factum, quandoquidem cum sua Laide bonus D. sæpiusculè solitus est, quare factum est, vt ex frequentiore concubitu, & subagitatione plus materiæ attractum sit, quàm conficiendo esset particula, hinc reses concreuit in tumorem. Materia eadem est, quæ neruos alit, nempè crassa, & lenta pituita. Morbus ergo est in aucta magnitudine, & hinc hæ ducuntur indicationes, vt nimirum euacuanda sit materia pituitosa, emollienda, attenuanda, & digerenda habita totius prouidentia. Solutu facilis videtur affectio, nō est tamen negligenda, nam præter quàm quod virum coitus impotentem reddit, afficitur summæ dignitatis particula, in qua aliquid diuinitatis contineri, credidit antiquitas, propterea Ægyptij, & Romani Priapū coluere. Quin Deus primam benedictionem huic particulæ direxit testimonio Theodoreti insignis Theologi. Videns Deus, inquit, cuncta, quæ fecerat, valde bona, primo parenti sociā, adiutricemque fœminam creauit, quorum copulæ benedixit his verbis. Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quæ oratio ad pudendum pertinet, inquit, referente Riol. Accedat inter penem, & cerebrum magnam intercedere consensionem, quod multis exemplis probauit Alex. Petronius. Hinc aries grandiusculus cerebrū durum, & solidum arguit asinino simile, quod genus animalis magno mutone instructum est.

Historia.

Definitio.

Causæ.

Indicationes.

Prognosis.

Curatio perficitur ea methodo, quæ præscribitur à Fallopio cap. de ganglio. Præmittenda, scil. generalis purgatio per venam sectam, & pharmacum, tum topica adhibenda, nempè malactica primùm, tum digerentia, interim manibus tractandus, & atterendus tumor, vt materia dissipetur.

Curatio per Chirurgi.

Leniens probatur ex cassia, & sp. hieræ, sanguinis

Per pharmaciam. nis missio conferet ex vena basylica dextri brachij ad tollendam hepatis caliditatem, & copiam minuendam, nam & si sanguinis missio nihil confert ad affectus curationem, conducet tamen vt causa sine qua tutò curatio iniri non potest. Frustra ex pede præscribitur, neque enim copia sanguinis infra renes subsistit, nec affectio opus habet refrigeratione, cum tolli debeat calfacientibus. Purgatio post sumpta Serapia, quæ tùm bilem, tũ pituitã detrahat, erit necessaria, maximè ex Agarico, & Rhabarbaro, Decoctio Chynæ non est necessaria, si tantillum mali respiciamus, vsui magis erit falsa, si tanti pœnitendum. Inter malactica præstat, inquit Aetius, ammoniacum ad ignem digitis remollitum, si malit pinguedinem, eligat gallinaceam, aut thymallinam. Per interualla digitis atterat tumorem, quem dum satis emolliuerit, oblinat viperino oleo, aut tegat ceroneo, aut oxicroceo, aut cerato sacro. Quidam præscribunt plumbeam laminam, quam admouent particulæ, & arctè vinciunt.

Pro Excellentissimo Senatore vrinæ stillicidio laborante ad Patauinos Doctores.

CONSILIVM SEPTIMVM.

Historia. AB hinc septennium amplissimus Senator... statis temporum interuallis substillo laborare cœpit, quod non creperam latentis lapilli suspicionem iniecerat medentibus. Ab excretis tãdem sumpto argumento, conclusum fuit, malum hoc senibus alioquin familiare vel Hipp. teste, à pituitaris excremento, quod stomachus imbecillior in dies aggerat, salsedinis participe proficisci: Quoties enim D. hac ægritudine tentatur, magna phlegmatis copia vnà cum vrina emeitur, qua subsistente affectio de medio tollitur ilicet. Vt igitur per intestinorum anfractus deuolutum dysenteriam, ita in vesicam delatum adhæsu stranguriam parit statis temporibus inuadentem, quo tempore per intestina quoque mucosa quædam humiditas elabitur magna flatuum copia erumpente non sine hæmorrhoidum ægrimonia. Si quid igitur accommodatissimum ad prophylaxim norunt Viri præclarissimi (norunt autem sexcenta) enixè rogamus, vt nobis commune faciant soterion ad præstantissimi Senatoris sanitatem tuendam, siue eccoproticon, quod excrementa ad intestina deuoluat, siue allioticum meditamini, quod ventriculi tonum erigat (domesticum tamen auxilium volumus, & sine custodia vsurpandum) in primis viuendi normam optamus, sine qua factum erit nihil. Valete Viri preclarissimi Patauini Lycei ornamenta.

Pro Sacerdote substillo, febre putrida, arthritide, nephritideque, & cruentosa laborante missione.

CONSILIVM OCTAVVM.

ADmodum Reu. Sacrificulus temperamento calido, humidoque præditus, ætate sexagenarius, pingui, carnosoque habitu, compotationibus assuetus, & articularibus doloribus obnoxius, abhinc decem dies Venetias defertur febre, & vrinæ difficultate, nephriticisque doloribus laborans. Vrinæ paucæ, & stillatim reddebantur, non sine dolore, crassiusculæ, præcesserat magna tentigo. Quare cum vrinas inspexissem conieci tùm stranguriam, tùm etiam nephriticos dolores ex salsa pituita pendere, proin quàm mox bolos ex cassiæ atramento deuorandos propinaui, qui cum nihil promouerent, iniectus fuit clyster, qui egregiam præstitit operam, nec minùs circa renum regionem præscripti fuerunt litus ex ol. amygd. dulc. & quarta parte ol. scorpionum. Hoc interim spatio præscribuntur clysmi ad dolores mulcendos ex ol. amygd. dulc. & viol. Hæc dum ritè peraguntur, natura spontaneas euacuationes molitur, quo tempore & hæmorrhoides aperiuntur: Hæ magnam præstant operam euacuationes, vt propterea nihil nobis supersit agendum. Sed ecce inter egerendi, emingendique conatus sanguis cum vrina affatim erumpit, nos ex arenulæ crassioris asperitate venulam in renibus ruptam coniecimus ex eo, quòd sanguis admodũ vrinæ commixtus reddebatur. Proin ad prauum sanguinis motum compescendum ex saluatella mitti iussimus sanguinem, interim apozemata propinantur ex portulaca, sebesten, maluis, & liquiritia conflata, quæ plurimùm profuerunt.

Historia.

His præsidiis dolor renum mulcetur, vrinæ stillicidium auffertur, sed è renibus ad spinam translata materia architagram commisit, solet enim esse frequens hæc metastasis, ex nephritide arthritis. Hoc symptoma nouos, & quidem graues excitat dolores, & D. ferè immobilem reddit. Hi supersunt igitur curandi affectus, nempè feb. & arthritis. Quod spectat ad feb. quamquam solet esse diaria feb. consequens articulares dolores, hæc profectò est putris, & quidem duplex tertiana cõtinua, & spuria, quod ex essentialiter inhærentibus, & necessariò consequentibus facilè conficerem, sed non est, cur longum faciam.

Ex nephritide Arthritis.

Feb. quæn.

Arthritis nempè gonagra, & architagra nihil est aliud, quàm tristis sensus partium neruosarum ex solutione vnitatis dependens, & à ligamentorum compressione profectus. Comprimunt verò, & soluunt continuum ligamenta, quòd aliena materia sint imbuta, hocque vel per congestionem, vel per affluxum, non per congestionem, nam hoc malum repentè D. inuasit, ergo per fluxionẽ, in qua quatuor spectari solent, nempè terminus à quo, ad quem, spatium, & mobile. Terminus à quo proximus, mea quidem sententia sunt renes, terminus à quo remotior, si credimus Fernelio, est caput, & quidem secundùm externas partes.

Quid Arthritis.

Cauſſæ.

In omni fluxione 4. spectanda sunt.

Nos verò credimus esse & cap. & ventriculum, & iecur etiam, terminus ad quem est genu, & spina, spatium sunt venæ, & inanes meatus, mobile quoad speciem non est sanguineum, non melancholicum, non biliosum, sed pituitosum, non syncerum, sed mixtum cum portione bilis, & seri, quæ sunt vehicula. Vitiũ consistit in copia, qualitate, motu, & quiete. Eò igitur allaborandum, vt feb. quâ intemp. calida frigidis summoueatur, quâ pẽdet à materia putri, & putrescente, putridum rescindatur, putrescens prohibeatur, ne putrescat, prohibet autem concoctio, hæc enim facit cessare putredinem. Coctionem promouent, quæ humores æquant, & calorem attemperant, est enim coctio passiuarum, h. e. sicci, & humidi perfectio h. e. terminatio à calore proprio, & naturali h. e. symmetro. Quod spectat ad arthritidem scopi dirigendi sunt ad dolorem ad materiam, & ad partem affectam: Dolor mulceri debet anodynis, materia minui, parari, & reuelli, pars corroborari. Quod spectat ad præsidia chirurgica, non alia opus esse sanguinis euacuatione videtur, tùm quòd aliàs profusè facta est, tùm quòd hæc ab Auic. damnetur, & si alij commendent, solet enim fluxiones mirum in modum excitare. Cauteria probantur & coxis, & brachijs insita ad prophilaxin, non propono phænigmos ne gemmentur dolores, litus infra censebuntur. Quoad materias pharmaceuticas, hæ diriguntur & ad parandos, & ad euacuandos humores, & ad dolorem, & ad partem. Quod spectat ad euacuantia probatur mel. ros. sol. cum manna ex D. cord. cũ ʒ. ij. myrol. citrinarum. Ad parandos humores probatur mel ros. simpl. cum syr. de betonica. Repeti poterit idem pharmacum, aut si feb. euanescat, pil. arthriticæ, aut de hermodactylis substitui poterunt. Post euacuationem terebinthina commendatur vnâ cum puluere iuæ, & troch. viperinis. Si mala his non concedant D. Chynæ cum modico lentisco vsui erit. Inter corroborantia Trallianus commendat diacoralliũ, nos vti poterimus conf. betonicæ cum puluere ossium humanorum, &c. Exteriùs conferent ol. ex semine ebuli, fotus ex ebulis, fl. cassiæ. Sal prunellæ, pinguedo ciconiæ, arteriæ, ol. è vitellis oporum, &c.

Methodus.

Curatio per Chirurgiam.

Per Pharmacum.

Pro Illustrissimo Viro gonyalgia, & tibiæ cruciatu laborante.

CONSILIVM NONVM.

SCripsit Plato, hominem antiquitùs creatum fuisse androginum, antica parte virum postica fœminam, qui subinde dissectus, & in duas partes diuisus naturale vnionis desiderium mordicùs seruauit, quod sanè verissimum esse videtur, & huiusce rei exemplum nobis exhibet Illustriss. Vir, qui cum pulcherrima sua Laide cõiunctus, postea diuulsus, iterum congressu viriì tentauit, sed infelici admodum successu, nam Aristophanis glycipicron omnino expertus est, qui quidem post amatorios complexus, & soauia cepit torqueri gonorrhœa molestissima, pudendi carie, quæ balani partem sustulit, denique gemma, seu gummate sternum occupante, quare cum sic malè afficeretur, rurique degeret, vt immanem belluam, pestem declinaret, de Venetias remeando consilium cepit, vt se à tantis vindicaret molestijs, quocirca accersito Medico, & morbi enarrata historia, purgationis discrimen iniuit, & iam leuari se persentiscebat, & ni è viuis sublatus Medicus virum supplantasset, & deseruisset, proculdubio ad optatam peruenisset sanitatem, quare cũ ad reliquam curationem deessent & Medici, & remedia, & symptomata vtcunque euanuissent, reliquam curationem prosequi neglexit sperans fore, vt viuendi legibus, & iugi exercitio, quod reliquum esset, dissiparet. Sed spe sua frustratus fuit, siquidẽ cũ morbi radix adhuc virescet, fructus proferre, qui luẽ testarentur, nõ desitit, quocirca sæpè doloribus afficiebatur, præsertim genu dextri, quò factum est, vt & medicata vina hiberit, & ol. ex ligno guaiacino genu illeuerit. Cum verò cætera symptomata disparuerint, vnus supereſt genu dolor, qui Virum ambulandi impotentem aliquando reddit, qui dolor gonagra appellari potest, quemadmodum dolor tibiæ supra talum octauum musculum exercens dici potest quadantenus podagra, quum & pes afficiatur. Quare de hoc symptomate potissimùm nobis erit edisserendum; interim perscrutari erit operæpretium, quænam particula primò afficiatur, quæ sit causa doloris, quæ species. Illud igitur pro confesso ponendum, vbi dolor est, ibi adesse morbum, ibidem causſam morbificam, quare cum Vir Illustrissimus dolorem in genu persentiscat, ibi adesse morbum necesse est, sed quia nullus eminet tumor, nec leuiter attactum dolitat, sed tantùm vbi impendiò premitur, & vrgetur, aliquam intus particulam læsam esse necessum est; Hæc particula qualis qualis tandem sit, acuto sensu prædita est, quare aut membrana, aut neruus erit, adeò vt dolor iste nil sit aliud, quàm molestia, quam inter ambulandum percipit genu ab obiecto quopiam improportionato, hoc autem est pituitosum, & melancholicum excrementum, quod in articulo interceptum membranas extendit, vnde soluitur continuum, & dolor excitatur. Esse autem pituitosũ & melancholicum humorem, testatur temporis diuturnitas, nam dicebat Hip. antiquos dolores esse frigidos. Excrementum autem hoc aut congestum fuit, aut aliunde transmissum, non fuit congestum, dolor enim ex tempore virum aggressus est, quare reliquum est, vt transmissum fuerit à ventriculo, & capite potissimùm, quod est pituitæ feracissimum, vnde sæpè etiam catarrhi exoriuntur, & tusses. Hoc excrementum porrò bifariam spectari potest, vt agit, & vt lædit, vt agit quadam specie præfinitum esse oportet, vt lædit oportet esse præter naturam, diximus esse pituitosum, & melancholicum, quia huiusmodi recrementa redundant, & spõte ad articulos confluũt, peccat autem substantia quâ gallica lue infectum est, peccat copia, quâ multum, peccat qualitate, quia frigidum, & crassum est, peccat motu, quia fertur ad loca inconuenientia, peccat quiete, quia manet inter articulos. Dolor verò, qui tibiam excru-

Historia.

Definitio.

Causſæ.

excruciat prouenit à melancholico excremento inter ossa, & periostium cõtento, vnde noctu iuxta propriam idiotropiam commouetur, & quia minùs diffiatur, & quia minùs distrahitur vis sentiens, potissimùm exacerbatur.

Methodus. Indicationes sumuntur à forma, à subiecto, & ab efficiente. Forma quærit anodyna, subiectum appropriata roborantia, efficiens vt est toto genere præter naturam extirpari vult, sed priùs pones primas, & secundas qualitates adæquari postulat, sed scopum consequi non poterimus, ni nouus materierum affluxus inhibeatur, hic autem inhiberi non poterit, ni totum exhauriatur corpus euacuando humores pituitosos, melancholicos, & biliosos etiam, qui sunt tanquam vehiculũ reliquis crassioribus ad motum ineptis. Nec euacuasse profuerit, ni nouus excrementorum prouentus inhibeatur, inhibebitur autem corrigendo vitia cap. & ventriculi, à quibus veluti scaturiginibus huiusmodi emanat prouentus. Quare necessum erit hepatis caliditatem infringere, stomachũ calfacere, cap. exsiccare, & prauam diathesim à lue gallica introductam euellere. Spero futurum, vt omnia symptomata tolli possint, & viscerum discrasiæ ad mediocritatem redigi, cum remediis etiam leuioribus concedat dolor, nec diu inueteratit. Age igitur ad præsidiorum materias pergamus. Lenienda aluus eccoprotico, sanguis mittẽdus è basylica dextra. Parandi humores melle ros. simpl. oxymeli, & syr. de pomis simpl. Parati humores foras exigendi pharmaco. Tum repetenda Serapia valentiora, & corpus repurgandum pill. cochiis præp. cum hell. aggregatiuis, & de hermodactylis. Subinde properandum ad epithymi D. Mesuæi, quo terque quaterque exhausto pergendum ad D. Guaiacinam ritè paratam, & perseuerandum ad triginta dies, inque æstuario sudandum. Ex vicibus cienda erit aluus D. sennæ & syr. de polyp. comp. His si dolor non concedat, genu fouendum malacticis, & digerentibus, tum roborandum ol. Lentiscino, aut salito, vng. Mercuriale solet prodesse huiusmodi doloribus, aut certè emplastrum ab Fracastorio præscriptum cap. de curatione Venereæ luis, &c.

Prognosticum.

Curatio.

Pro Petro Borthoia Accedicola legum Doctore pedis dextri tumore ex parentum vitio laborante.

CONSILIVM DECIMVM.

Ratio morborum hæreditanorum.

Hæreditariorum morborum caussam reddere, vt opinor, nesciret Philosophus ille, qui Aristot. initijs fretus, semen viri solam efficiendi vim tribuere, ac mulieris sanguinẽ, ceu lac coagulum, cogere, compingereque assueueraret, sola enim inter caussas materia capax est repugnantię, cui vtinam Deus perfectionis potiùs, vt putauit Scaliger, quàm mutationis appetitum indidisset, hinc fortè melioris, & diuturnioris vitæ repetenda foret ratio. At quoniam meliorum opinione semen à toto deciduum materiam quoque in fœtus formationem confert, à qua spermaticæ partes suam ducũt originem, his similitudinis parentum quidam insculpitur character, & imprimitur, cuius caussa, vt bonorum, puta solidæ valetudinis, ita malorum fiunt hæredes Liberi, quæ sanè quia a principijs radicalibus proficiscuntur, non nisi dissoluta corporis harmonia, cum semel emersere, amoliri, arcereve possumus. Cæterùm peculiaria bona, quæ ex vtero nobiscum in lucem tulimus, libenter agnoscimus, mala verò indignè ferimus, quorum alia, quòd penitus consistunt, omnia artis remedia refellunt, alia, quæ ob subiecti imbecillitatem iam iam emersura imminent, remedijs quodammodo concedere videntur, cum illud sũmouetur, quod ad affectus procreationem desideratur. Tales sunt morbi partium materiati, qui potiùs ob particulæ infirmitatem, quàm agentis energiam, & efficacitatem pullulant. Quare si superuacua recrementa congruijs remedijs foras exigantur, si frugalis instituatur vita, non dubito, quin penitus delitescere possint affectus, alioquin ob congenitam imbecillitatem quam mox emersuri, vt nos quoque belle docet Gal. comm. xxiiij. & xxv. sect. v. Aphor.

In his angustiis versatur Petrus Bortoia Vtriusque I.D. & spectatæ bonitatis iuuenis, nam ob cõtractã ab vtero imbecillitatem vesperi post deambulationẽ pes extumescit, extuberatq; (parentes enim simili affectione laborarant propterea pedicones dicti.) Quamobrẽ veritus, ne tumor ambulandi peruertat vsum, omni cura sibi cupit consultum, cuius votis satisfaciens ipse curationis hinc initia duxi, recognita hepatis calida intemp. & ventriculi frigidiuscula, vnde tumori materia suppeditatur, est enim œdematodes. Totius corporis sentina exhaurienda melle ros. sol. & manna, subinde sanguis mittendus ad copiam, & calidam qualitatem remittendam. Tùm apozemata instituenda, quæ bilem, & pituitam respiciant (bilis enim ceu ochema quoddam est phlegmatis.) Postremò secunda corporis regio repurgãda Rheo, & Agarico, & melle ros. sol. Purgato corpore cauterium brachio erit inurendum, vt humor, qui est catarrhopos, fiat anarrhopos. Femori inussisset Rhasius, qui iubet in parte fluxione tentata perpetuò excitari, sed hoc consilium inueterato malo conuenit ad interceptionem, cautèrium ergo aperiatur, vt ichoroſi humoris generatio perennis habeat remedium continenter euacuans. Porrò sumptis, & admotis prospiciendum visceribus, id quod consequi licebit vsu pontici absynthij, & cichorio condito. Stomachus præterea stillicidio erit supponendus ex ol. & vino aromatibus incoctis confecto. Ad quæ accedere debet congrua viuendi norma. Interim gestet femineruralia ex canina pelle parata. Quòd si his non concedat affectio, pergendum erit ad Rad. Chynæ, atque Rhapontici D. ritè paratam, neque Thermalis aqua Cenetensis erit negligenda, mirificè enim sumpta stomacho conducit, tùm pedi admota robur indet mirificè.

Methodus.

Curatio.

CON-

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS QVINTA.

Pro admodum R. Canonico Rubini, dolore Renum, humeri ſtupore, ventriculi imbecillitate, hypochondriaca affectione cum hæmorrhoidum ſuppreſſione laborante.

CONSILIVM PRIMVM.

ABundè, puto, Viri præclariſſimi intellexiſtis, quanta paſſus ſit, & quàm diris ſymptomatis vexatus fuerit egregius Vir Canonicus, reliquum eſt igitur (quando de præteritis non eſt conſilium) vt ad cenſum, & ad penſum reuocentur affectus, quibus in præſentiarum Dominus percellitur, afflictaturque, vt ijs in proprias cauſſas, & in apertum redactis curatio ex arte ſequatur. Videtur autem D. pluribus implicari malis, nempè grauante, tenſiuoque circa renum regionem dextram dolore, hypochondriaca affectione, torpore inij, ceruicis, & humeri, ventriculi imbecillitate, quibus comes it hæmorrhoidum ſuppreſſio. Lumborum dolor, qui triſtis ſenſus eſt à ſolutione continui, ſymptoma quippe in actione deprauata tactoriæ facultatis, noctu potiſſimùm, & vigente frigida, humidaque tempeſtate ingraueſcit, leuaturque interdum per pandiculationes, & validas agitationes. Torpor, qui ſymptoma eſt in actione minuta motoriæ facultatis ex decubitu tenuis pituitæ proficiſcitur, quę vbi ad renes præceps illapſa eſt, dolores vſque adeò ingeminat, vt D. motus impotentem reddat, vt nec ſe flectere, nec loco mouere potis ſit. Hypochondriacam affectionem teſtantur hypochondrij tenſio, dolor, rugitus, ſeu borborygmi, melancholicam dico affectionem non melancholiam, quia D. abſurda non imaginatur, vt ſolent melancholici, quare referri potiùs debet ad ſymptoma in qualitate mutata, & ad actionem tactoriæ facultatis deprauatam. Ventriculi imbecillitas dignoſcitur ex tarda coctione & pituitę prouentu. Vniuerſi hi affectus à cauſſa cõplexa, vt dicunt Philoſophi fieri, & foueri videntur, nempè à pituitoſa, & melancholica cacochymia non ſine flatuum copia. Melancholicum recrementum cumulatur tùm per vberem generationem à calidiore hepate, tùm maximè per ſynathriſmum ſuppreſſis hæmorrhoidibus. Hoc igitur dum in hypochondrijs ſtabulatur, & æſtuat hypochondriacam parit affectionem (eſt enim vis melancholiæ varia, & inæqualis) dum infarctu venas circa lumbos diſtendit, dolorem quendam tenſiuum excitat. Pituitoſa verò cacochymia prouenit tum ex ſtomachi imbecillitate, (eſt enim frigidiuſculus, & humidiuſculus, atque adeò ferax pituitatis), quæ præcordiorum obſtructiones parit non leues, hinc viſcera nõ difflata magis exardeſcunt; tùm ex cerebro admodum imbecilli ob humidam intemperiem, quæ caloris energiam obtundens id agit, vt plurimùm crudæ pituitæ redundet, quæ expultricis robore in inion, ceruicem, & dextrum humerum decumbens torporem inducit frigore, infarctuque. Dum verò ad lumbos præceps ruit, dolores ingeminat. Hoſce verò dolores magna ex parte ex flatuum copia augeri, vel ex eo coniicere eſt, quòd improuiſa quadam reciprocatione inuadant, quòd hucque, illucque vagentur, quòd per pandiculationes, & compreſſiones euaneſcant interdum. Vtrum verò dolor ille, quem circa renum regionem continenter percipit, craſſioris cuiuſdam arenulæ in renibus latitantis ſoboles ſit, nec ne, quæritur non abs re, cum D. aliàs lythiaſi laborarit, & lapillos, arenulaſque plurimas non ſine cruciatu excreuerit. Equidem in renibus quippiam ſtabile, & noxium ſubeſſe ſuſpicor, quod grauantem illum dolorem perpetuò exſuſcitat, neque abſonum crediderim, ſi dixerimus ſubeſſe arenulas, nam & ſi dolor his non ſtipatur ſymptomatis, quæ cenſet Hippoc. 6. Epid. nihil refert, nam illa duntaxat emergunt, vbi lapillus è renum corpore deciduus in vretherum anguſtias incidit, qui acuto ſenſu præditi ſunt.

Hiſtoria.

Ratio ſymptom.

Cauſſæ.

Quid ergo opus eſt facto? Eò allaborandum, vt vtriuſque cacochymiæ moles exhauriatur, flatus diſcutiantur, obſtructiones, infarctuſque expediantur incidentibus, attennantibus, detergentibus, dolor, anodynis mulceatur, ventriculus calfacientibus, & ſiccantibus roboretur, cerebrum ſiccetur, iecur, & renes refrigerentur.

Methodus.

Hiſce malis non eſt tam facile ire obuiam, tùm quia inueterarunt, & contrarias efficiunt indicationes, quæ impediunt, ne medicina fiat per exceſſus, vt docet Ariſt. in Probl. tùm quòd vitia renum, & veſicæ in ſenibus difficulter ſanantur, teſte Hipp. Accedit atra-bilis, quæ morbos reddit admodum contumaces. Quoniam tamen aliàs ex præſidijs magnum comparauit emolumentũ, age ad præſidiorum materias gradum faciamus.

Prognoſticum.

Quod ſpectat ad Chirurgiam probatur venæſectio dextræ baſylicæ, quæ plethoram depleat, & viſcera æſtuantia temperet, nec minùs hæmorrhoides quàm mox recludendæ ſunt, miram enim (ſi credimus Hipp.) operam præſtare ſolent affectis renibus, non auſim in ſexagenario largiorem ſanguinis miſſionem facere, ne vires iacturam faciant, & frigidorum recrementorum prouentus magis, magiſque ſuccreſcat, & quamquam in nephriticis Hippoc. iubet ſecari venam poplitis, hîc tamen ſatis ſit aperuiſſe hæmorrhoides. Cauteria, quę in ſiniſtro brachio gerit, ſeruari debent, quòd ſi alterum dextro femori inuratur ad deriuationem erit proficuum. Stillicidia, ſi reliqua non profuerint, erunt vſui ventriculo, & capiti, huic quidem ex aqua Laſtrenſi, illi ex aq. D. Petri.

Curatio per Chirurgiam.

Inter Pharmaceutica, & quidem lenientia probatur primo loco mel roſ. ſol. vnà cum ſyr. de polyp. & el. lenit. ex D. cardiaca dilutum, ſi malit bolos, caſſia cum el. leniente, & ſp. hieræ conferet. Ad parandos humores probantur apozemata ex lupulis, borragine, betonica, & intybi genere quopiam

Per Pharmaciam.

quopiam dulcorari poterunt iulapio acetoso, syr. de pomis, & melle ros. simpl. Post syrupos imminuenda cacochymiæ moles Rhabarbaro, & Agarico infusis in aq. fœniculi, & borraginis, quibus manna, & mel ros. sol. pari modo adiicienda sunt. Hac purgatione rite peracta validioribus propotismatis parandi humores, proin probantur syr. de betonica comp. de pomis comp. oxymel comp. qui dilui poterunt iusculis, in quibus incocta sint intybi genera melissa, buglossum, fumaria, thymus, betonica, agrimonia, scolopendrium, rad. fœniculi, masculi filicis. Hisce per hebdomadam ad vsquem exhaustis pergendum erit ad catapotia ex massa pill. cochiarum præp. cum helleb. aggregat. Nitri Alex. quibus deuoratis post duorium superbibendum erit serum depuratum tepens, ne viscera per pharmacum exasperentur: Hoc pacto expiata cacochymiæ mole ad roborantia pergendum erit, ne affectus deinceps succrescant, proin ad robur stomachi probatur aq. Tettutiana quatuor vicibus summo mane deuorata cum melle ros. sol. aut sp. eleoscoph. Tum ad ventriculi cap. & totius corporis absumendam superuacuam humiditatem probatur D. Chynæ vnà cum portione Rhapontici, aut ligni Indici. Æstuante cœlo iecoris, & renum refrigerationi studendum erit, proin seri vsus veterum more exhibitus prodesse poterit, si primis duobus, aut tribus diebus cum manna propinetur, subinde cum bolo terebinthinæ philticæ, huc faciunt & thermales aquæ, vtpote Lucenses, & B.V. quamquam sunt, qui in hipochondriacis affectibus eas respuant. Concinnandum interim electarium, quod roborandis renibus conferat. Tale autem erit, si confletur ex conseruis betonicæ, capill. ven. Althææ pari modo permixtis adiectoque puluere renum suillorum, & modaciſſima theriace. Hoc verò Autumno concinnandum erit vinum medicatum betonica, quæ peræquè confert renibus, atque capiti, & ligno Indo. His addi compar vitæ ratio debet, quæ viribus, & morbo peræquè studeat. Hæcque sunt, quæ mihi ex re nobiliſſimi patientis fore sum arbitratus, &c.

Pro Vestali Virgine hydrope implicita.

CONSILIVM SECVNDVM.

VIs animæ ratiocinatrix in humano corpore munus exercet intelligendi, sentiendi, vegetãdique, hoc vno tamen discrimine, quòd quẽadmodum volendi, intelligendique functionem citra organi vsum exercet, sic citra machinamenta neque sentire, neque vegetare valet. Communia verò animæ instrumenta sunt spiritus, temperies, calor, cui inter cætera primæ deferuntur, quẽ propterea Hippoc. lib. de carnibus tantopere extollit. Et videtur, inquit, sanè id, quod calidum vocamus, immortale esse, intelligere, & audire, & videre, & scire omnia, quod quidem interprete Victorio Angelutio, idem est, ac si dicat, per calorem species perennari, atque vniuersas naturæ functiones per calorem exerceri. Hic tamen calor certis limitibus cõtineri debet, vt sit proprius naturæ, quos vltra, citra, nequit consistere rectum proportio verò deest defectu, aut excessu, & quẽadmodum excessu augetur prouentus calidorum humorum, ita defectu frigida recrementa succrescunt, quæ cum referant naturam sui parentis, semper vires conduplicant parentibus præsentia, vnde malum redit in orbem. Hoc est cernere in R. Monialì, quæ postquam nephriticos passa est dolores, & post plurima sumpta ea de causa præsidia attemperantia exacta æstate, & Autumno præterito, & post liberaliorem aquæ hausium, vsque adeò hepatis calorem infregit, atque ventriculi, vt multa recrementorum frigidorum soboles succreuerit, maximè melancholicorum, quæ putrefacta feb. quarto quoque die respondentem peperere. Hoc tempore R. Monialis querebatur de quodam interno frigore, à quo premi viscere videbantur. Quare cum hypochondria tandem attrectassem totam infimi ventris regionem tumidam inueni, & admodum renitentem, ut de maiori auxilio consilium capere oportuerit. Tumor ventris morbus est in aucta magnitudine, soboles flatuosi spiritus copiosi, quare tumor ille dici potest tympanites. Affectus ille, si credimus Gal. 5. de loc. aff. c. 6. pendet ceu ex continente causa ex vitiata hæmatosi. Vitiatur autẽ defectu caloris, deficit autem aut dissipatus, aut suffocatus, aut à contrario extinctus, hic tùm dissipatione, tùm suffocatione deficit, atque etiam imminutus aquarum vsu. Vnà cum flatu credibile est, adesse etiamnum serum excrementum, vnde mixtam affectionem adesse suspicor. Hoc vel ex eò arguitur, quod humor melancholicus primus parens, & origo malorum socia hæc habet excrecrementa, flatus, & serum; hinc Hippocr. lienem aquę fontem vocauit, & melancholicos pneumaticos. Quæ cum ita se habeant, quid opus est facto? Tumor nullam vtilem indicationem porrigit, flatus discuti vult, serum educi foras, obstructiones expediri volunt, humor melancholicus parari, & purgari debet, hepar roborandum habita feb. ratione. His scopis difficile, ne dicam impossibile est respondere, affectus enim magnus est vehementia essentiæ dignitatis, & cum inueterarit, habitum contraxit, vnde difficilè summoueri potest. Hinc Hipp. 6. Epid. affectus renum non vidi sanatos supra 50. annum. Attamẽ quia hepar nondum summam labem contraxisse videtur, age ad præsidia pergamus. Hic nulla sanguinis indicatio mittendi adest, cum nulla suppressa sit consueta sanguinis euacuatio, & præsente hydrope nefas est sanguinem mittere, ni solemnis aliqua euacuatio sit cohibita. Miraculo prodesse consueuit cucurbitula cum multa flamma admota ventri.

Tympanites cum Ascite.

Methodus.

Prognosis.

Inter pharmaca probatur mel ros. sol. cum manna dissoluta ex iure cum sem. citri alterato. Syrupi probantur sine diluto ex cort. citri, de pomis oxymellis, post syr. usurpationem iterum corpus repurgandum cum melle ros. sol. manna, ea & modica conf. Hamech, quæ & serositates, & melancholiam peræquè repurgat. Post purgationem corporis adhiberi poterunt litus ex ol. Anethino, chamæmellino, laurino, rutaceo, nardino, admo-

Curatio per Pharmaca.

admoneri item emplastra de baccis lauri, clysteres injici poterunt carminatiui acuti cum el. de baccis lauri. Assumptæ proderunt rotulæ Arom. ros. Sed super omnia probatur Iuniperi spiritus, &c. Clyster ex vrina impubis pueri Valleriolæ imprimis commendatur. Admoneas morbum esse longum, & rebellem.

Pro quodam Sacrificulo lienoso.

EGregiè mihi feciſſe videtur Gal. dum lienem Fisco comparauit, nam quemadmodum aucto Fisco priuatæ diminuuntur opes, sic aucto liene totius corporis flos defloreſcit, & moles flacceſcit, quæ quidem symptomata in noſtro ægrotante palam videntur, & quoniam accidentia magnam partem conferunt ad dignoſcendam rei ſubſtantiam, cum maxima lienoſorum ſigna in noſtro Flamine eluceſcant, libenter cum Hippoc. Lienoſum nuncuparem. Malum hoc mea quidem ſententia ab obſtructionibus originem traxit, quæ iecur obſident, quod cum congrua ventilatione prohibitum fuerit, valde incanduit æſtu, & vtriuſque bilis prouentum peperit, maximè verò atræ, quæ quidem à ſplene attracta, ſed minimè confecta non modò obſtructiones peperit, ſed etiam tumorem, vnde vehementer pars aucta eſt. Hinc factum eſt, vt lien per morbum hunc organicum præpeditus, interceptuſq; reliquam ſanguinis ſęcem, non attraxerit, hinc ſanguinis maſſa temerata perfectæ analepſi inepta reddita eſt, ſiquidem dulcibus nutrimur, calidis, humidiſque, vt Gal. & Ariſt. teſtantur, quare cum melancholici excrementi commercio ſanguis frigidior, ſicciorque euaſerit, & acidior, qui ſapor Hippoc. teſte admodũ infenſus eſt naturæ, quid mirum, ſi corpus macreſcat, & defloreſcat tanta tamque prava dominante cacochymia? Quid igitur opus erit facto? Neceſſum eſt hepatis, & lienis infarctus expedire, attenuantibus, & incidentibus, iecur refrigerare, vt ſanguinem pariat dulciorem, lienis tumorem emollire, attenuare, & reſoluere, & denique roborare habita priùs totius prouidentia per euacuantia. Hi ſcopi vt curanti Medico neceſſarij exiſtunt, ſic difficilè aſſequi poſſumus, quando mala inueterarunt iam, & habitum contraxerunt, & humor melancholicus ob ſubſtantiæ modum difficulter euincitur, longo tamen, & diligenti præſidiorum vſu ſpero mala vniuerſa euaneſcere poſſe. Quare quod ſpectat ad præſidia, probatur vtriuſque baſylicæ ſectio, item hæmorrhoides apertæ, & cauteria in ambabus coxis inuſta.

Collatio lienis cum Fisco.

Generatio.

Methodus.

Prognosis.

Curatio per Chirurgiam.

Quod ſpectat ad pharmaciam, probatur caſſia cum el. leniente. Pro parante ſyrupo probantur mel roſ. ſimpl. oxymel, & ſyr. de pomis, dilui poterunt D. lupulorum cuſcutæ, borraginis, agrimoniæ, capill. Ven. ſem. citrij. His per hebdomadem vſurpatis purgatio ritè ſequetur. Probatur infuſio Rhei, & Sennæ vnà cum melle roſ. ſol. & diacatholico electario.

Per Pharmaciam.

Apozemata poſt primam expiationem validiora erunt vſui, proin probantur ſyr. de pomis comp. byzantinus cum aceto, dilui poterũt cum iure, in quo fumaria, ceterach, borrago, bugloſſa, lupuli, cort. rad. capparum thamariſci incocti fuerint. Tum repurgandum corpus conf. Hamech, & ſyr. de epithymo. Non erit his quieſcendum, cum magna ſit cacochymiæ moles, ſed ad alia pergendum, nempè ad apozemata concinnata ex ſyr. compoſitis de Cicorea Nicoli, de fumaria comp. de epithymo, de polyp. quæ ſanè alternis ſaltem diebus deuorari debent diluta decoctione cardiaca facta cum fol. Sennæ orientalis. His ritè peractis, ſi qui ſupereſſe videbuntur infarctus, tolli, eximique poterunt longo præpar. chalybis vſu. Hoc tempore topica quoque adhiberi poterunt primò mollientia, tùm digerentia, & roborantia: Ammoniacum tùm ſumptum, tùm admotum magnopere commendatur, item ſuffitus ex acerrimo aceto poſt malactica ſupra molarem lapidem candentem, aut ſupra pyritem effuſo, &c. Chalybs autem præberi debet ex præſcripto Gregorij Horſtij, aut certè in liquorem conuerſus Florentijs deferri.

Pro quodam Mercatore torminibus affecto.

CONSILIVM TERTIVM.

COnqueritur Vir iſte egregius de dolore, à quo quotidie poſt digeſtionem circa epigaſtrii regionem inceſſitur, infeſtaturque, quare neceſſe eſt, hiſce partibus morboſam aliquam cauſsã occurrere, cuius ratione indoleſcũt, & quoniã methodica curatio pendet ex cauſſarum omnium remotione, quæ ad affectum generandum conueniunt, in primis affectus naturam aperiam, ſubinde cauſſas rimabor, ea methodo, quam diuiſiuam appellãt, quam Plato donum Deorum uocat vnà cum Promethei lucidiſſimo igne in terras demiſſum. Poſtremò ad curationem me conferam.

Hiſtoria.

Dolor igitur nihil eſt aliud, quã ſenſus rei contrariæ, vt ait Auic. ſeu moleſtia, quã particula inter ſentiendum percipit, aut ex repentina, validaque intemperie, aut ex continui ſolutione, quandoquidem partis integritas, & perfectio non in ſola partium temperie, & organicarum laudabili ſtructura, ſed etiam in vtrarũque optima vnitate. Sed huc facere non poſſunt repentinæ, validæque intemperaturæ, tùm quia cauſſæ nullæ concurrunt, tùm quòd pars nec calore æſtuat, nec frigore perſtringitur, quare reliquum eſt, vt dolor ab obiecto continuum ſoluẽte proficiſcatur, quatuor verò vnitatem ſoluere conſueuerunt, nimirum inciſio, fractura, corroſio, atque extenſio, ita docente Gal. lib. Artis paruæ. Non eſt inciſio, neque fractura, ſupereſt ergo, vt ſit vel corroſio, vel extenſio. Non equidem credo, eroſionem eſſe, quoniam notæ acrioris excrementi palam iam emicuiſſent, & iam vlcus factum fuiſſet tanto ſuccedente tempore, & dyſenterica diſpoſitio iam negotium faceſſeret, quare proximum eſt, vt ſit extenſio, quam aut minera, aut flatus peperere, non

Forma.

Quatuor ſpecies ſolutæ vnitatis.

Cauſſæ.

non mineta, quoniam repentè inuadit, atque recedit dolor, id quod non accidit si crassior, & corporatior causa interueniat, quare necessum est adesse flatus, vnde dolores isti per interualla recrudescunt, flatus verò isti possunt esse soboles aut alimentalis, aut excrementitiæ materiæ, equidem arbitror suscitari ex cruditatibus ventriculi, quas calor imbecillior ingenerat, argumento verò est dolor ab ingesto cibo ingrauescēs, hoc etiā Auic. auctoritate sancitur dicentis stomachum frigidum, humidumque colligi ex dolore succedente comestioni, & ex flatibus. Non ausim tamen inficiatum ire, quin & melancholica, & pituitosa excrementa subsint, quæ dum à calore subiguntur, in flatus conuertuntur. Quare cum vniuersa hæc symptomata ex imperfecta coctione proficiscantur, necessum est, malè stomachum affici, seu per errorem externum, siue per impotentiam, malamq; temperiem, quorum ratione concoctio intercipitur, equidem arbitror stomachū frigida, humidaque laborare intemperie, cuius causa cruditates fiunt, & flatus, à quibus distenta intestina dolirant subinde. Quare vt res omnis ad vmbilicum adducatur, dicendum, dolorem ex copia flatuum proficisci, qui intestinorum continuum soluunt, quique ex imperfecta chylosi enascuntur, frigidisque, humidisque recrementis propter caloris inopiam, & stomachi frigidam, humidamque intemp. Quare hæ insurgunt indicationes mulcendi scilicet doloris, discutiendi flatus, excrementa purgandi, ventriculique coctionem perficiendi, calfaciendo, roborandoq; eundem, & natiuum calorem augendo. Hoc etsi laboriosum, consequi tamen licebit, non est tamen malum negligendum, cum scribat Auic. vniuersas calamitates, quæ corpori accidunt, ex malè habito stomacho proficisci, &c.

Indicationes.

Pro Vestali Virgine doloribus, & febre infestata.

CONSILIVM QVARTVM.

DVo potissimùm Vestalem Virginem infestāt affectus, alter vniuersalis est, & totum afficit corpus, alter peculiarem particulam lacessit. Vniuersalis feb. est, quæ nihil est aliud, quam caloris hyperbole, per quam naturæ munera perturbantur, siue calida cordis, & totius corporis intemperies partim facta, partim quæ fit, vt docet Gal. cum à putredine pendeat, quæ est proxima putridarum febrium causa, putredo autem cum ad aliud dicatur, hic refertur ad bilem, & pituitam, quæ simul mixtæ putrescunt. Quare si oculos dirigamus ad febr. factam, frige oportet facere, si ad eam, quæ fit, vlterior generatio inhibenda, inhibebitur compressa putredine, putredo conteretur apparente coctione, siquidem docente Galeno coctio est, quæ facit cessare putredinem, quare coctio erit promouenda, coctionem verò duo promouent, ea scilicet, quæ commune naturæ instrumentum nempè calorem suæ harmoniæ, & pristino tenori restituunt, nempè temperantia excessum (est enim calor veluti

Affectus genera.

Scopo.

paterfamilias, qui mente constans optimè gerit omnia, at alienatus vniuersam œconomiam subuertit), & ea, quæ obiectum nempè putrescentem humorem adæquant, & disponunt. Hic igitur bilis, & pituita ad mediocritatem redigendæ sunt per temperata si primas, & secundas qualitates respiciamus, si copiam, imminuendæ per pharmacum lenieus ammixto in modica quantitate purgatorio. Hæc verò cum hactenus perbellè absoluta fuerint, non est, quod actum agam. Reliquus affectus particularis ad hypogastrium spectat, qui nil est aliud, quàm acerbissimus dolor, cui par esse non potest Virgo, quique totum inferiorem ventrem, ventriculumque potissimùm in consensum trahit, non sine nausea, & difficili quadam respiratione, & cap. grauitate. Dolor est sensus rei cōtrariæ, & contristantis ab obiecto improportionato ad potentiam factus: obiectum hocce aut est quippiam, quod similarem particulam repentè, & affatim afficit, aut certè coniunctas particulas diuellit, & abiungit. Hic dolor ab vtraque causa proficiscitur, siquidem dolor iste hystericæ passionis soboles est, & à flatu venefico, & frigidissimo prouenit, qui ab vtero sublatus partes, tùm diuellit, tùm afficit maligna qualitate. Hoc ita esse multa demonstrant, nam dolor repentè ingruit, & plurimæ simul particulæ afficiuntur, nam stomachus, diaphragma, caputque compatiuntur, hinc nausea, anhelatio, cap. dolor grauis, hoc verò non fieret, ni pars laborans communicaret cum singulis, cum his autem omnibus per venas, per arterias, per neruos commercium vtero intercedit, proin tua mala singulis per hæc media facilè communicat. Non adesse nephriticam dispositionem vrinæ ritè abeuntes monstrant, renularum absentia, stupor cruris non perceptus, & reliqua, quæ huiusmodi dolorem stipare videntur, non præsentia. Multò minùs coli dolor est, quom aluus sit soluta, nec fixus sit dolor, sed oberrans, & palans, & latis horis inuadat; quare credendum ex vtero flatum suscitari, qui diuersas partes impetens eas diuellat, & dolorem pariat. Flatus autem tolluntur ex suppressis mensibus. Eò igitur allaborandum, vt dolor omni anodynorum genere sedetur, flatus discutiantur, minera extirpetur, vterus roboretur, reuocentur purgamenta.

Dolor.

Methodus.

Non erit facilè propositis scopis respondere, siquidem symptomatum magnitudo arguit morbi magnitudinem, multam materiam, magnum recessum, quare necessarius erit longus remediorum vsus, quæ vterum ad pristinum tenorem redigant.

Remedia suppeditat Chirurgia, Pharmacia, Diæta. A Chirurgia nulla remedia deinceps sumēda præter cucurbitas vtrasque, frictiones vincula, semicupia, clysteria, cum sanguis fuerit semel, atque iterum profusus. Adhibendæ igitur cucurbitulæ cum multa flamma, miraculo enim solent dolorem à flatu discutere. Semicupium ex calasticis, & resoluentibus adhibendum, vincula pedibus adijcienda, & frictiones supernè deorsum frequèns vsurpandæ. Clysmorum vsus sit frequētissimus, qui attingunt affectam particulam, &

Curatio per Chirurgiam.

explicata caliditate prosunt, concinnari debent ex vterinis odoris. Vmbilico admouendum zibetum, superponendum empl. de Galbano, naribus fœtida admouenda, ruta manibus confricata, castoreum aceto dissolutum: os è corde Cerui commendatur à Galeno, quidam dant cum sol. lauri, & myrrha.

Per Pharmaciam.

Pro Muliere hysterici passionibus, & stranguriis opportuna.

CONSILIVM QVINTVM.

Quid passio Hysterica.

HOnesta Mulier duobus præcipuè symptomatis implicari, exercerique videtur, nempè hysterica passione, & stranguria illa symptoma est ad qualitatem mutatam attinens, est enim vteri, atque totius corporis perfrigeratio à frigido veneno profecta propter obstructionem vasorum ad vterum pertinentium, iure enim carpitur Altimarus à Capiuacceo, qui huiusmodi affectum frigidam intemp. à venenata qualitate prognatam definit, fieri enim non potest, ait Capiuacceus ex Gal. cap. 7. lib. 3. de loc. aff. vt quod citò fit, & deficit ex intemperie proueniat. Porrò vt coniuncta caussa symptomatis est vapida quædam, & virosa qualitas ex materia vteri vasa offarciente sublata ad stomachum, ad diaphragma, ad reliquas particulas, vnde pro diuersitate partium, varia emergunt symptomata, ita obstructio soboles esse solet, aut suppressorum mensium, vnde fit palyndrome, aut polluti seminis, si credimus Hippoc. atque Auic. (quamquam Neoterici prauorum recrementorum colluuiem adijciunt, quæ pernicioſam vim ex loci conditione indipiscuntur, alioquin quomodo Aniculæ hoc dæmone vexarentur?) Propterea senex ipse duo præclara auxilia hisce malis opposuit lib. de Virg. Morbis nempè Virum non eneruem, & venæ sectionem ex malleolis.

Causse.

Stranguria.

Alius affectus, scil. vitiosa illa emictio cum ardore, & dolore symptoma est in exeunte mutato, quod sanè pendet à vitiata retentrice vitiatur autem ab actione deprauata excretoriæ facultatis vesicæ; malo enim hunc affectum reijcere in stranguriam, quàm in dysuriam, in qua debito quidem tempore redditur, sed difficulter, & appressa interdum ad pubem manu, stranguria verò perinde fit, inquit Hollerius aduersùs Fuchsium, atque dysenteria, confertim ad vesicam irruente acri humore, vnde identidem irritatur ad excretionem, quæ sine dolore non succedit. Hic soboles esse potest, (si modò lychiaseos signa desiderentur) salsæ cuiusdam pituitæ, quæ in stomacho frigidiusculo gignitur, & à iecoris caliditate prærepta, & excocta salsedinem comparauit, hæc in vesicam procumbens, & deuoluta id agit, vt vesica breuibus interuallis cogatur paucam reddere non sine dolore vrinam.

Curatio per Chirurgiam.

Aduersùs hæc mala multa, & accommodata præsidia parantur, quibus ego libens adscribo. Probatur igitur Phlebotomia (si longè absit menstrua periodus) ex basylica dextra ad comparandam hepati multo æstu torrido crasim. Probantur cauteria dextro femori secundùm domesticam partem inusta, item semicupium ex vterinis constatum, si vsus exegerit. Inter pharmaca lenientia probatur in primis cassiæ atramentum cum manna, & sp. hieræ picræ crasso modo contusis. Vel mel ros. sol. vnà cum manna &c.

Inter alliotica, quæ humorea parant, Rhodomel simplex, & syr. de borag. satis erunt. Acetata omittantur propter vterum, Acetum enim hysteralgos dicitur Hipp. Prima propotismata dirigãtur ad paranda excrementa primæ regionis. Inter cathartica maximè probatur Agatici, & Rhabarb. infusio. Hoc tamen animaduertendum, ne stranguria admodum infestet, nam per pharmaca validiuscula solet exasperari affectio notante Amato. Expiato semel corpore noua protherapia erit instituenda, quæ & vterum, & vtero vicinas partes respiciat.

Parata excrementa foras exigenda validiore pharmaco, quòd superuacua recrementa longiùs distant, probatur mihi cum Galeno 9. καθαρτικῶν pulus hieræ diacolocynthidos cum cassiæ fistularis atramento, aut certè catapotia de hiera, de Agarico, fœtida, quibus apozema deuoratis superbibendum refrigerans. Expurgato ritè corpore, vsus aq. Thetturianæ non erit omittendus ad robur stomacho conciliandum. æstuante cœlo serum caprillum Antiquorum more propinatũ vsui erit, & si vitia vesicæ fatigent præmitti poterit bolus ex terebinthina philtica ex aq. ros. lota. Vt verò infrequentiùs infestent symptomata ab vtero, sequi Matthioli consilium operæpretium est, mandat ille, vt singulis hebdomadis vinum D. bryoniæ annum integrum ebibatur. Interim theriaces vsus vnà cum Castoreo non intermittatur, opportunè tamen adhibenda. Sexcenta alia mitto, quæ ab Auctoribus passim exponuntur, sat sit apud Virum sapientem digitum ad fontem intendisse &c.

Pro Heroina albo vteri fluore implicita.

CONSILIVM SEXTVM.

SCitè Hipp. (si quid aliud) vniuersos morbos, qui fœmellis accidunt ab vtero proficiscì prodidit, id quod præclarè demonstrat nobilissima hæc mulier, quæ abhinc duos annos post abortum incidit in album fluorem, quem malim vterinum, quàm muliebrem appellare, nullæ enim malæ corporis habitudinis, nullæ malè affecti stomachi, aut cap. notæ præcurrunt, quibus colligatur muliebre profluuium, esse autem vterinum hac consequimur coniectura, quod abortus maximè vteri infirmitate emindicat, & auget, auget quidem per sanguinis effusionem, & laborem; indicat, quòd sui muneris impotens fuerit, quare constitutum sit esse vterinum fluorem. Cæterùm cũ hic ad ametriam in excreto pertineat, excrementum potest esse multiplex, ichoroides, aut humorosum, aut seminale, non est ichorosum, quia consistentiam habet, nec seminale, quia sine pruritu & titillatione elabitur, & corpus ab exhausto non tabescit, & cessant alba purgamenta appel-

Affectus.

Signa.

appellentibus rubris, quod vsu non venit gonorrhœa laborantibus, erit ergo humorosum, & sanè pituitosum, vt omnia compendio cõficiam, quod autopsia colligitur: Cum autem omnis excretorum immoderatio sequatur actionem aliquam læsam, nõ est dubium vteri retentricem affectam esse ab expultrice irritata ab excremento pituitoso copia, & qualitate noxio, quod à vitiata alteratrice vteri producitur, vitiatur autem à frigida, humidaque intemp. hinc prouentus phlegmatici excrementi, quod ideo affatim affluit, quia perennem habet generationem. Quibus sic constitutis proximum est, vt medendi methodus instituatur per indicationes vtiles, quæ à producẽte, & ab excremento ducuntur. Vteri igitur frigida, humidaque intemperie, calidis, & siccis est summouenda, tonus hystericis seruandus, excrementum pituitosum minuendum, eradicaudumque est, vt qualitate frigida, humidaque vitiosum est corrigi debet calidis, siccantibusque, denique vt motu delinquit, reuellentia, & deriuantia strigentia postulat. Quibus indicationibus vix satisfieri potest, cum subsit vehementia essentiæ per temporis diuturnitatem valde confirmata, attamen quia honesta fœmina pollicetur se opportuna facturam, & Medici præceptis obtemperaturam, vigente ætate, in qua omnia sunt venusta, inquit Hipp. non desperamus, quin aliquid vtilitatis assequi liceat instituta cõgrua viuendi norma, & opportunè adhibitis remedijs, quæ ex chirurgico fonte pauca desumuntur præter frictiones, & cauteria, quæ inusta velim dextro femori ad deriuationem excrementi, quod in vtero localem habet generationem, neque enim sanguinem mittere fas est, cum nullo modo sit inutilis, mandat autem Galenus, vt sanguis hauriatur, vbi inutilis est, inutilis verò est, inquit, aut quom propriam qualitatem ad vnguem non seruat, vt corpus congruè alere nequeat, aut cum multitudine vsque adeò crenit, vt vel venas, & arterias distendat &c. vt periculum sit rupturæ. Hìc igitur cum nihil talium subsit, frustra sanguis mitteretur.

Medendi Methodus.

Prognosis.

Curatio per Chirurgiam.

Quod spectat ad pharmaciam, cum curatio Vxori Boeti adhibita sit veluti idea, ad quam medentis consilium dirigi debet, ne latum vnguem ab ea methodo recedendum puto. Quare præmisso eccoprotico ex melle ros. fol. & manna propinanda erunt apozemata præparantia, qualia sunt mel colatum, oxymel (& si enim acetum hysteralgos ab Hipp. dicitur, mixtum tamen Rhodomelli non officit teste Amato Lusitano) diluta D. betonicæ, melissæ, matricariæ, arthemisiæ. Quibus per hebdomadam perhaustis exhibẽdum phlegmagogum, quale est Agaricus trochiscatus cum mell. ros. fol. & manna. Et quia magna subest excrementi copia, repetendi sunt syrupi de hyssopo, de calamintha, de betonica cum modico scyllino oxymelle, dilui poterunt similium D. subinde offerenda sunt catapotia ex massa pill. polychrestarum, & cocchiarum, & mastichinarũ. Post quæ propinanda sunt diuretica, quæ vim habeant deriuandi, proin probatur apozema ab Amato amatum, & summè commendatum, quo plures fœminas se sanasse deierat. Sic autẽ habet Cent. 6. cur. xxxx. ℞. capill. Ven. hyssopi, menthæ, melissæ ana p. j. asari p. 5. rad. petroselini ℥. 5. sem. anys. ʒ. 1. in ℔. ij. aq. f. D. ad tertias, coletur, colatura seruetur in vsus, cuius ℥. v. exhiberi possunt summo mane vnà cũ oxymelite, & melle ros. simpl. A diureticis ad hydrotica pergendum, qualia forent lignum guaiacinum, lentiscus, Rhapontieum, quo tempore faciendæ erunt frictiones tũ leues, tùm asperiusculæ supernis partibus, nec minùs vtile erit modicum theriaces, aut Mithridatij cum conf. melissæ, betonicæ, & nuce myristica, & olibano exhibere, cum se lecto commendat, ad vteri proprietatem seruandam, & robur augendum, quo tempore probantur suffitus ex bistorta, gallia, & alypta moscata, & garyophillis crasso modo contusis. Huc facit & arcanum Amati ex albumnibus ouorum cum aq. rosacea deuoratis per xv. aut xx. dies cum tantillo mastichini pulueris. Externa erunt cerataria, qualia ex ladano, & aromaticis additis adstringentibus, & cera confici solent. Quod si hisce auxilijs malum non concedat thermales aquas adeat, vtpote Cenetenses, si præsto sint, solent enim penè sacros promere effectus, &c.

Per Pharmaciam.

Pro Heroide ad Hysfericam passionem.

CONSILIVM SEPTIMVM.

Illustrissima Domina hystericis passionibus obnoxia est, hæ verò morbum sacrum, atronitum, & spasmodes motiunculas referunt, quæ quidem si credimus Hipp. & ex polluti seminis pleonexia, & ex menstrui sanguinis synathrismo proficiscuntur, propterea duo etiam remediorum genera oposuit Hipp. Virum scil. & sanguinis missionem ex malleolis, nos aliam causam adijcimus, nempè corruptorum humorum colluuiem. Propterea curatio instituì debet præsidijs ex causarum cognita natura desumptis.

Historia.

Causæ.

Remedia.

Remedia chirurgica, quę hîc conueniunt, sunt iterata sanguinis missio ex altero crure ad minuendam sanguinis vbertatem, cauterium cruri inurendum ad deriuandam materiam, quæ localem habet generationem in vtero, semicupium ex maluis, & cæteris hystericis herbis concinnatum ad vteri tonum, & ad perspiratum adiuuandum, & ad diaphoresim conferet.

Ex Pharmacia alliotica, & euacuantia hauriũtur præsidia: Inter euacuantia probantur, quæ educunt bilem, & pituitam, proin laudandi boli ex cass. & sp. hieræ pictæ concinnati unà cũ modicissimo Agarico, præmisso propotismate, quod utrumque paret humorem, repetenda erit purgatio, ex pill. de hiera cum Agar. & fœtidis, deuoratis pillulis propinandum erit iusculum refrigerans, ne impendio sanguis incalescat. Repurgato corpore properandum ad aliquod auxilium, quod tum superuacuas uteri humiditates assiccet, tùm eundem corroboret, præterea cap. etiam respiciat, quod morboso quodam apparatu propter nimiam humiditatem laborat, & affectibus opportunum est. Tale autem erit rad. Chynæ in

bracteolas incisa & decocta in aqua una cum uterinis radicibus, & cephalicis. Vsurpandum verò tale auxilium saltem ad xxx. dies, vt morbi resistẽtia peruinci possit. Interim theriace cum pauco castoreo non erit omittenda, mirum enim in modum confirmat facultates aduersùs quoduis noxium. Andreas Matthiolus commendat vinum medicatum bryonia per annum singulis hebdomadis epotum; commendat item radicem hypoglossi. Nos experimento probauimus nihil esse præsentius puluere, quem præscribit Erotis, constat autem ex osse de corde Cerui, fol. lauri, & myrrha. Præscribenda massa pill. ex assa fœtida, castoreo, galbano, quotidie deuoranda pillula. Augenius habet pro secreto. ℞. moschi opt. ℈. v. cinnamomi, garyophill. nucis mosch. ana ℈. j. vino odoro dissoluta propinentur.

Pro Muliere Belga vlcere matricis, lue Gallica, feb. putrida, & hectica, & doloribus secundùm totum corpus laborante.

CONSILIVM OCTAVVM.

EXcrementorum prouentus necessariò succrescit, nullum enim alimentum tam simile est, quin aliquid habeat dissimile, excrementum autẽ semper naturę bellum indicit, nisi foras stato tempore, naturæ legibus, & per loca conuenientia ablegetur, maximè si redundarit, redundat autẽ duplici de caussa, aut propter prauam viuendi normam, aut certè ob malam viscerum diathesim, hìc vtraque de caussa excrementa affluere suspicor, vnde morborum seminaria euaserunt. Adest siquidem ventriculi frig. intemp. crudorum recrementorum ferax, adest etiã externus error, externum errorem voco quãcunque caussam morbificam extra partis constitutionem existentem, proin error externus in hoc casu est lues Gallica, quæ iuxta Capiuaccei mentem est excrementum protinus humano generi aduersum multigena pollens homines offendere labe, cuius ab humana trahitur substantia origo, siue mauis cum Ferdinando Epiphanio. Prana est diathesis à putri, lento, & viscido vapore malignæ, venenatæque qualitatis particip e, qui se congressus tempore in vterum primùm, mox in iecur insinuauit, ibique regiam suam fixit, qui quatenus putris, vaporisq; naturam retinens non potest, quin calidam intẽperiẽ hepati impresserit, cuius caussa, vtriusque bilis prouentus succrescit. Scitum tamen est, hanc benedictam mercem analogiam habere ad crassũ phlegma, vt testatur Fracastorius. Hinc factum est, vt omnigena recrementorum copia succreuerit, quæ ad vterum præceps deuoluta muliebre profluuium commiserat, quod cum intempestiuè fuerit suppressum, recrementa isthæc intus coercita alieno calore corrupta putruerunt, & feb. primò commiserunt mea quidem sententia putrem, quam subinde hectica excepit. Quæ verò excrementa ad musculosum genus, quæque ad periostia delata sunt, hæc tùm lassitudinem, tùm dolorem peperere. Vlcus porrò ab externa caussa originem duxit, nempè ex pessulo ex calce confecto, quod perennis excrementorum fluxus hactenus fouit. Eò igitur allaborandum, vt recrementa foras ablegentur, vt ventriculus calfiat, iecur refrigeretur, feb. frigida, humidaque indicat, est enim calida, siccaq; passio. Dolores mulcendi, vlcus mundificantia, detergentia, sarcotica, epulotica postulat. Lues proprium alexipharmacum requirit. Methodus.

Hisce indicationibus difficile est respondere, imò impossibile, adest enim summa essentiæ vehementia, & etiam dignitatis adest vehementia, cum exiguo uirium robore, & mala habitum contraxisse uidentur. Sed cum naufragium faciẽti, si nõ manus, saltem tabula sit porrigenda, & melius sit anceps, quàm nullum remedium, age quid experiri oporteat, in medium feramus. Probantur igitur hæmorrhoidibus admotæ hyrudines, quæ tres, aut quatuor unciolas sanguinis detrahant, nec dehortantur uires tam modicam euacuationem, sic enim & Hipp. & Celsus in simili casu se gesserunt. Probantur mediocres frictiones, & litus ex ol. amygd. dulcium. Probantur pharmaca lenientia ex caffia, & manna, & crem. tartari. Syrupi de lupulis, de borragine, de uiolis cum pauco iulapio acetoso probantur. Non erit inconueniens Agaricus infulus. Repurgato corpore experiri aliquod generosum præsidium oportet. Tale est. Rad. Chynæ in iure pulli, & testudinis infusa, aut certè in lacte Asellæ, & quotidie deuorata, &c. si modò lac non acescat, quo casu puluis Chynæ inspergendus. Prognosis. Curatio per Chirurgiam. Per pharmacum.

Pro Iuuene scabioso.

CONSILIVM NONVM.

CLarissimus Iuuenis biliosa tẽperie, & gracilẽto habitu præditus, compotationibusque meracioris uini deditus ab hinc annũ unam cœpit scabendi desiderio tẽtari, & pustulosis rumoribus, & minutulis affici, atque etiã epinyctidibus molestari, maximè præterita hyeme, aduersus quos affectus molitus est quædam remedia, quæ profuerunt, ueruntamen cum mali radicem non attigissent, factum est hinc, ut deintegro pullularint, & uberiore etiam segete: Horum igitur affectuũ pertæsus absolutissimam curationem requirit, cui nos morem gerere par est. Affectus igitur curandus scabies est, tumor scil. cutis rubicundus (sic enim eam definit Celsus lib. 5. cap. 38.) ex qua pustulæ exoriuntur, modò humidiores, modò siccio res, modò latæ, modò prominulæ, modò mites, modò agriæ. Hìc humida subest scabies, prominula, peruginosa, non agria, sed mitis, nullaque luis suspicione fœda. Quælibet scabiei species à sanguine corrupto prouenit, inquit Auic. corrumpitur autem trifariam, aut per extranei admissuram, coitumque, aut per temperiei excessum, aut certè per eiusdem degenerationem in alterutram bilem. Hìc temp. excessum subesse credibile est, præcesserunt enim quæ iecur, atque adeò sanguinem urere potuerunt, quocirca magnum utriusque bilis prouentum factum esse suspicari licet. Hippocr. scripsit, lepram, psoram, & scabiem, omnes esse soboles atræ bilis. In lib. de morbis Historia. Quid scabies. Caussæ.

Quid lues Gallica.

Ratio symptom.

morbis dixit prouenire ex salsa pituita, hic utrunque subesse iudico, nam pustulæ albicant cũ quodam virore. Cæterum cum vtrunque excrementum difficile moueatur, necessum est vt vehiculo indigeat, hoc autem est fereum, & ichorosum recrementum, quod reliquos superuacuos humores defert ad cutem, commune totius corporis emissarium partim transmissos, partim etiam attractos ob intempestiua exercitia.

Methodus. Eò igitur collineare necesse est, vt pustulæ siccantibus, & tergentibus summoueantur, vt recrementa, & superuacui humores euacuentur, & penitus eradicentur, & ne in posterum regenerentur, curemus temperando refrigerantibus hepatis calorem, & externos errores circuncidendo.

Prognosis. Quod sanè opus perfici poterit, sed succedente tempore, & diligenti curatione.

Curatio per Chirurgiã. Quod spectat igitur ad sanguinis missionem probatur phlebotomia ex dextra basylica ad ℥.x. cucurbitulę admoueri poterunt in curationis calce, non propono hyrudines hæmorrhoidibus admouendas, quia non est assuetus, docet autẽ Galen. earum non esse faciendam consuetudinem, nisi magnum aliquod bonum speretur. Balneum aq. dulcis erit vtile, litus ex sulphuratis in fine proderunt.

Per Pharmaciam. Inter pharmaca probatur primo loco cass. cũ el. lenit. Tum apozemata erunt propinanda ex intybi omni genere, & lupulis, & borragine ammixtis, sem. citri ratione ventriculi. Ad imminuendam cacochymiam de secunda corporis regione probatur Rhei dilutum vnà cum syrup. ros. sol. & modica conf. Hamech. Repetenda apozemata ex lupulis cuscuta, intybis fl. genistæ, borrag. fumariæ, tùm gradus faciendus ad D. epithymi Mesuæ, quæ tribus saltem vicibus repeti debet ad detrahendam cacochymiæ molem, quæ tertiam corporis regionem obsidet. Hoc pacto repurgato corpore, supererit viscera ad meliorem crasim redigere, id quod consequi licebit conf. rosarum ammixtis troch. viperinis superbibendo seri depuratissimi, in quo fumaria ebullierit ℔.j. His addi debet optima viuendi norma, quæ refrigeret, & humectet iecur, & bonum succum gignat. Ad illitum verò. ℞. axungiæ suillæ lotæ ex succo limonum ℥. ij. sulphuris viui acerrimo aceto extincti ʒ. iij. salis torrefacti, & succo fumariæ excepti ʒ.j.ß. m. f. linimentum. Huc facit & illud Amati, quod incantamenti instar est, & concinnatur ex rad. enulæ contusa vnà cum axungia suilla, aut vng. rosaceo. ℞. vnguenti rosacei ℥.iij. sulphuris viui ℥. ii. salis modicũ, misce f. linimentum, quod pauco styrace liquido possit etiam aromatizari.

Per diætam.

Pro Viro studiosissimo Accidicola atra-bile correpto.

CONSILIVM DECIMVM.

VTinam (Vir præstantissime) illud in te reijci posset, quod olim Hipp. Abderitis obiecit, errorem scilicet tenebras offundere, aut potiùs veriùs germanæ beneuolentiæ signum esse, quòd etiam ad suspicionem turbaris. Laborat egregius Vir frater tuus, laborat (proh dolor) atra bile vexatus, quæ mira parit symptomata timoris, mœroris; pleniſsima, (scitum enim est illud Hip. Timor, atque tristitia, si longo tempore detinentes sine causa manifesta perseuerent, ex eo atrabilis significatur) & faxit Deus, ne in maniacũ furorem desciscat, facilis enim est metastasis teste Auic. ni obuiam eatur. Vtrum verò primaria melancholia detineatur, an potiùs per consensum nondum planè constat. Esto, vt flatuosæ, siue hypochondriacæ melancholiæ indicia desiderentur; Esto, vt toto corpore melancholicus sanguis redundet, (iure enim Hipp. atque Arist. in sanguine prudentiam reponere videntur) venæ turgescant, corpus densa pilorum segete horrescat, gracilescat, atque adeò per cõsensum à toto corpore cerebrum patiatur. Perennis tamen phantasiæ error cogit fateri, & cerebrum eadem labe teneri, in quo sanguis aduritur, & in atram faecem sit bilem, quæ animam, vt Hipp. more loquar, h.e. temperamentum inoccupans melancholica parit symptomata, tùm quòd spiritibus, cerebroque splendorem adimit (est enim natura diaphanes) tùm quòd species, & cõiuncta permutat, & temperamentum subuertit. Quid plura? Atra-bilis, inquit Arist. in Probl. cum sedi mentis appropinquat, morbos insaniæ parit. Siue igitur affectus iste, sic tristis actio phantasiæ, vt arbitratur Arenterius, siue animi angor vna in cogitatione defixus, atque cohærens citra feb. atque furorem à phantasmate melancholico prouenies, vt existimauit Aretheus, siue deprauata imaginatio ob tenebrosum phantasma, à quo timor, mœrorque incutitur, vt fieri consueuit ab ignotis; nihil refert, siquidem constat, hoc tenebrosum phantasma sobolem esse melancholici fumi, qui de atrabile deraditur tùm in toto, tùm in cap. stabulante: Hæc autem originem traxit & ab externis erroribus, curisque mordacibus, maximè verò à iecinore summo æstu retorrido, quod vtriusque bilis ferax est. Quare eò allaborandum est, ut atrum recrementum foras exturbetur, emolliri interim debet frigidiusculis, & impendiò humectis & ne prauorum retrimentorum seges deinceps succrescat circuncisis vniuersis affectibus, & externis erroribus, hepar refrigerando incumbendum, idẽ capiti, quod per vigilias, & curas incaluit fortasse impensiùs, præstandum auxilium, cauendum tamen, ne quid nimis, nam principibus particulis frigida cautè adhiberi debent, inquit Auic. quia vt prosunt ramis .i. excessibus, ita officiunt radici, h. e. calido innato. Accidentia, si quæ sunt, corrigi debent.

Species melancholiæ decernitur.

Ratio symptom.

Forma.

Causſa.

Methodus.

Tempus, quo atra bilis potissimùm commouetur est Autumnus, ætas verò ab annis xxv. usque ad xlv. ut docet Hipp. lib. de nat. hum. hæc ætas, inquit, præ omnibus aliis maximè ab atrabile infestatur, & Autumni tempus omnium anni temporum ad eamdem aptissimum est. Hinc 3. Aph. Autumno, inquit; Quartanæ feb. erraticæ, lienes, furores, & atræ-biles, & morbi comitiales excitantur. Sed & Vere idem morbi emergunt, siquidem sanguis tunc æstuat, & cietur, in

Prognosis.

quo

quo poteſtate reliqui humores continentur. Quare non eſt mirum, ſi ætati, & anni tempori affectio congruens ſuborta eſt, in quam hæreditaria quadam diſpoſitione erat prochuis egregius Vir, & quemadmodum hinc minor cauſſæ vis arguitur, ita uictum iri affectum, ſi ritè tractetur. Morbi ab atra-bile ſolent eſſe ob ſubſtantiæ modum contumaciores, & cum hactenus ſuborta dyſenteriæ ſpecie, quam commendat in ſimili affectu Hipp. melius habuerit ægrotus, non eſt, quod animum deſpondeamus, futurum quippe, vt in integrum reſtituatur, longo tamen, iugique remediorum vſu id acciſurum, contendo.

Sect. vij. Aph. v.

Curatio per Chirurgiam.

Quod igitur ſpectat ad ſanguinis miſſionem, probatur vtique phlebotomia, ſed Arabum more repetita. Quare tundi primùm poterit baſylica dextra, tum ſiniſtra, demum ad hæmorrhoides pergendum, quantum enim conferant inſanientibus Hipp. edicto conſtat. Quantum agendum, ab actione indicantis petatur. Huc faciunt cauteria: Quare cum vnum in brachio geſtet, retinendum, & alterum dextro femori inurẽdum, humor enim terreſtris melius per inferiora excluditur, inquit Hippoc. Clyſteres erunt ſummo vſui, ſi credimus Aetio, frequẽs adhibiti: Nec minùs vincula infernis partibus iniecta profuerint, quorum ſolo vſu multos vidimus reſtitutos decũbente ad cura atra-bile. Hinc Hipp. lib. de iudicat. Quicunque inſaniunt, ſua ſponte liberati à morbis, his inſaniam ſoluit dolor ad pedes progreſſus. Idem varices etiam bonum eſſe dixit, in cruribus erumpentes, ob metaſtaſim ſcilicet, eòdem ſpectant balnea, perfuſiones cap. epithemata, fotus, quos Hipp. ante elleboriſmum commendat.

Sect. iij. Aph. ix.

Lib. 1. de Diæta.

per Pharmacium.

Quod attinet ad Pharmaciam; Probatur caſſiæ atramentum modò electario lenienti, modò catholico coniugatum, & hæc pharmaca identidem exhiberi debẽt, nam morbi longi, quatenus ab atra-bile proficiſcuntur, blandè tractari volunt, inquit Plato, non irritari grauioribus. Huc faciũt & paſſulæ præpar. quas Capiuacceus præſcribit cap. de hypochondriaca melancholia. Quòd ſi recentiſs. ſyr. roſaceus præſto ſit, vnà cum el. lenient. propinatus ex ſero caprillo optimè depurato conducet.

Inter præparantia in primis probantur ſyr. de pomis, de violis, de ſucco borraginis, de lupulis, iuſculis incoqui poterunt intyba, lupuli, borrago, glycirrhyza, luculenter enim humectare oportet, ſi addatur nonnihil corticum citri, appoſitè ad rem fiet, odor enim eſt animæ cibus, inquit Ariſtot. animus autem hic maximè deficit, proin refici debet odoris.

Poſt præparantia ritè veniunt purgantia, quare ſi diluto Rheubarbaro ex ſero caprillo addas recentiſſimi ſyr. viol. ſol. aut roſacei trientem, & ſemunciam el. len. pharmacum conflabitur vtiliſſimum, detracta enim bilis mole, quæ eſt, vt ait Democritus apud Hipp. malus corporis inquilinus, inſania miteſcet.

Succedente tempore priores ſyrupi intendi, acuique poterunt acceſſu compoſitorum, ſed infra minimam doſim, vt afficiãt, ſatis ſit apud eruditiſsimum Virum digitum ad fontem intendiſſe.

Poſt alternas, reciprocaſque vices ſyr. & lenientium pharmacorum pergendum erit ad elleborũ (neque .n. fas eſt, illũ à carceribus adhibere metu conuulſionum) ſed malim extractum, quàm infuſionem, quæ hoc habet commune, vt citò præterlabendo tenue duntaxat detrahat, relicto craſſiore. Quare ſi vnus, aut alter ſcriptulus extracti ellebori nigri caſſiæ atramento concorporetur, pharmacũ numeris omnibus abſolutum cõcinnabitur. Scitum eſt, quàm familiariter hoc vteretur Hipp. Quòd ſi ne his quidẽ præſidijs ex arte vſurpatis malũ concedat, (quod Deus auertat) tunc ſanè, quia melius eſt non viuere, quàm ſine ratione viuere, ad Antimonium præparatum confugerem. Non eſt, cur miraculorum myriades enarrem, cum extent. Ritè purgato corpore, æger ad balnea trahendus, & ſerum caprillum depuratiſſimum propinandum haud Neotericorum, ſed veterum more, nempè ad heminas quatuor vnà cum emulſione ſem. melonum &c. Hoc interim ſpatio cardiaca, & lætificantia ne omittantur, ſcitum enim illud Auic. maximam conſenſionem intercedere inter cor, & cerebrum, vt vno affecto, & alterum in ruinæ conſortium trahatur. Accedat, huic humori neſcio quid cacoethes ineſſe, vt teſtatur Fernelius, & Simon Petreius, & Iacotius, quare ſi ſaccharo violaceo, & borraginato adiicias nonnihil Alkermes & ſp. lætificantium Gal. ex arte concinnabitur electarium.

Lætificantia.

Quod ſpectat ad diætam, victus humectans commendatur, cætera temperatus, euchymus, eupeptus, repetitus potiùs, quàm ſemel confertim ingeſtus, ſic enim fiet, vt ſpiritus iugi humectatione refectus, refotuſque vigeſcat. Vino vtatur dilutiſſimo, ſi modò uti licet, &c.

Per diætam

Quies motui præpolleat.

Somnus ſit prolixior, arte comparetur, ſi deficiat, ſcitum enim eſt per Ariſt. inter dormiendum excalfactis pedibus caput refrigerari, quod eſt optandum, quin etiam ſanguis teſte Hipp. per ſomnum refrigeratur.

Aluus ſit cita, &c.

Præ cæteris familiaribus vtatur, qui languentem ad iocunda cogant, ad ludos, ad ſpectacula, ad uenationes, ad aucupia, & ſimilia.

Affectus uerò cane peius, & angue declinentur. Illud frequẽs ob oculos ponatur Epitzeti *Suſtine & Abſtine*. Si cælum non conferat, mutetur, nam ſolum uertere in longis morbis, confert, inquit Hippoc.

Noſque hæc hactenus raptim, & pernici admodum calamo exarauimus, ut uiro doctiſſimo, & nobis ſumma neceſſitudine coniuncto morem geramus, faxit autem Deus, ut quemadmodum nos omnia ex uoto & Tibi, & Viro ægrotanti optamus, ita accidant.

Vale.

CON-

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS SEXTA.

Pro Illustrissimo Senatore flatulenta Melancholia detento, cum siti, vigiliis, & lassitudine.

CONSILIVM PRIMVM.

Historia. ILlustrissimus Vir cum diu substillo,& podagricis doloribus laceſſitus laboraſſet in præſentiarum mortis timore, non ſine moleſta ſiti laſſitudine, & vigiliis laceſſitur. Quare cũ timor, vel Galeno teſte, ſit tecmirion melancholici affectus, facilè ad credendum inducimur præſtantiſſimum Senatorem in eam morbi ſpeciem incidiſſe, quem hypochondriacum affectum appellant: qui hypochondriacam paſſionem dicũt, incendium quoddam præcordiorum innuunt ab ardore cordis, iecoriſq; procedens ab obſtructionibus auctum, & cum inæquali materia coniugatum, nempè frigida, cruda, & pituitoſa,& calida, peruſta, omnino atra-bile, quam & ſero, & flatibus ſtipari, nemo eſt qui neſciat. Vtque pituita à ſtomachi imbecillitate proficiſcitur, ita atra-bilis ab intemperie viſcerum, & meſeraicarum calida prouenit. Hinc dum flatus in muſculoſum genus effunduntur, laſſitudo quædam percipitur inſolens eneruato partium robore, dum caput impetunt, cerebro, & ſpiritibus claritatem adimunt mœrorem metumque incutiunt, dum epigaſtrij partes diſtendunt, dolores cient, murmura, rugitus, ructuſque excitant in varias partes impulſi. Porrò vt ſitis ardorem, & ſiccitatem partium ſequitur, ita vigiliæ benignæ anathymiaſeos defectum excipiunt, pro qua calidi, exuſtique halitus caput petunt,& calfaciunt, & ad ſenſoria ſpiritus dilatantur; ergo cũ ea ſit ſymptomatum ratio, via patet ad præſidia, quorum materias abundè Viri doctiſſimi ſunt proſecuti, quare non eſt, quòd logomachia aures veſtras obtundam.

Ratio ſymptom.

Pro Virgine Hyſtericis paſſionibus obnoxia.

CONSILIVM SECVNDVM.

Cauſſæ ſymptomatum. SYmptomata, quæ nimium frequenter nobiliſſimam Virginem laceſſunt, à flatuoſo ſpiritu malignitatis non experte proficiſcuntur, qui ab vtero ſublatus varia ciet ſymptomata pro partiũ, quæ impetuntur, varietate, potiſſimum verò ſtomachus laborat, cui propterea in primis conſulendum. Inter præſidia, quæ hiſce affectibus paſſim præſcribuntur tùm ad cautelam, tùm ad curationem, præcipua quædam excerpam, quæ longo vſu probaui.

Præſidia ad cautelam. Conferent igitur duo cauteria femoribus inuſta, item frequens pedum lotio ex aqua D. ſerpilli, foliorum lauri, maluarũ, matricariæ, &c. Singulis hebdomadis clyſter immiſſus proderit, qualis inferiùs præſcribetur.

Intermedijs diebus modò accommodatum ad rem puluerem ex iure, aut ex oui vitello, aut certè tabellam aſſumat. Brumali tempore vtatur theriaca veteri vnà cum Caſtoreo. Super vmbilicum apponat Zibettum cotone excepto, ſuperinducto Galbaneo emplaſtro.

Hypogloſſi puluis ex vino drachmæ pondere deuoratus ſummè confert, ſicuti vinum D. bryoniæ ſemel ſingulis ſeptimanis per annum epotum, ſi credimus Matth. ab hoc affectu vindicat. Accedenti verò paroxyſmo hæc auxilia parentur. Cucurbitæ cum multa flamma admoueantur coxis, & ad latera vmbilici. Acrior clyſter injiciatur, litus naribus, atque vmbilico adhibeantur, quales adſcribentur, item phtarmica confereot. Quædam præterea adſcribentur ſemina, pulueres, radices, tabellæ, quæ validiſſimè flatus diſcutiunt. Interim corpus pharmaco à quiſquilijs repurgãdum, animuſque ſi non in apathia, ſaltem in metriopathia continendus. Alimenta flatulenta, dyſpeptaque mittantur. Conferet matutinum exercitium ſomnus noctu prolixior, aluus lubrica, vinum mediocre parca manu epotum, quod vetat Auic. Remedia ad cautelam,

Remedia tempore accessionis vsurpanda.

Clyſter ſingulis hebdomadis adhibendus. ℞. fol. matricariæ, Mercurialis, maioranæ an. p. 1. ſem. anyſorum ʒ. ij. bulliant in ſufficienti quantitate iuſculi. In colata D. diſſolue ol. de ſpica, aut nardini ℥.j. Tripheræ magnæ, aut hieræ picræ ʒ.ſ. trochiſcorum de gallia, aut alypta moſchata ʒ. i. m. f. clyſmus. Boli hyemali tempore adhibendi ℞. Theriacę veteris ʒ. j. Caſtorei ℈.j.ſem. agni caſti ℈. ſ. m. cum oxymelle ſcyllino f. b. Puluis ex oui vitello deuorandus hemiſcripturi pondo. ℞. Diapipereon, Diacalaminthes ana ʒ. i.

Tabellę ad flatus diſſipandos. ℞. Tabell. Diagalangæ, Imperialium ana ʒ.ij.

Præſidia aduersùs acceſſionem. Linimentum vmbilicale. ℞. trochiſcorum Alhandal ℈. j. pulu. ſabinæ ℈. ſ. fellis taurini q. ſ. ad linimentum. Tabellæ. ℞. oſsis de corde C. pulu. fol. lauri ana ʒ. j. myrrhæ ℈.j. ſacchari diſſ. in aq. Arthemiſiæ q. ſ. ad Tabellas. ℞. ſem. Lybiſtici ℈. j. ſemina hæc manduntur, tùm ex aqua Arthemiſiæ deuorantur. ℞. catulorum nucis iuglandis ℈.ij. ol. ſuccini guttas ij. dantur ex aq. citraginis. ℞. aſſæ fœtidæ ℈. j. Caſtorei ℈. ſ. m. cum oxymelle, & f. pill. tres inſtante paroxyſmo deuorandæ. ℞. Galbani, ſagapeni, Caſtorei ana ℈. j. aceti ſcyllini ʒ. j. ad formandũ linimentum naribus adhibendum. ℞. helleb. nigri pulu. ℈. j. Caſtorei ℈. ſ. m. pro ſternutatorio. ℞. rad. peucedani, ore contineatur.

Pro Reuerendo Monacho lignipede Religione ſpectatiſſimo ad pigram aluum.

CONSILIVM TERTIVM.

QVoniam excrementorum prouentus neceſſariò ſuccreſcit, quæ vel Ariſt. teſte contrariorum inſtar ſunt, atque adeò naturæ perpetuò bellum indicunt, prouida natura peculiaria

liaria destinauit conceptacula, proprioſque canales, per quos ſuis defuncta vſibus foras amandantur, ne diutius intus detẽta morborum ſeminaria euadant. Quare haud miramur, ſi inofficioſa aluus tibi tanta faceſſit negotia, qui ſcimus cũ Hippocrate, ventris torporem omnium confuſionem eſſe, proin idem affirmauit neminem acuta ægritudine correptum iri, cui cita ſit aluus. Hinc ſalubriùs degere, qui humidas, quàm qui ſiccas aluos habet ſcitè ſanciunt. Vt igitur mala, quæ in præſentiarum laceſſunt, nempè cap. grauitas, vertigo, oris amaritudo, cibi tùm ingratitudo, tùm faſtidium, auertantur, age pauncula in mediũ feramus, quibus emollitur, officioſaque redditur aluus. Sed illud in primis præfari oportet, vt ex arte procedat oratio, triplici de cauſſa aluum ſtringi, nempè obtuſiore inteſtinorum ſenſu, vt in paralyſi, apoplexia, & veterno vſu venit, ſtimuli penuria, vt in aurigine, quando bilis ob infarctum meatus, & ſemitæ aditu ad inteſtina prohibetur, denique adſtrictione, aut obſtructione. Inteſtina coarctãtur meſenterii, aut hepatis comprimente tumore, obſtruuntur concreto calculo, craſſa, lentaq; pituita, & induratis fæcibus, durantur autem potiſſimùm humoris abſentia: Abeſt verò vel priuatione potus, vel aridioris alimenti conditione, vel quia aliò conuertitur, vel quia abſumitur. Aliò conuertitur in plurimo ſudoris, aut vrinæ profluuio. Hinc Hipp. mictio noctu plurima facta paruam ſignificat deiectionem. Abſumitur mora, viſcerum ardore, inteſtinorum calore, & ſiccitate, hinc aluo pigri ab Hippoc. thermochyli dicuntur. Cæterùm vt hæc cauſſa mali frequentior interuenit, ita huic præcipuè ſubſidia deſtinantur.

Cauſſæ ſtrictionis alui.

Remedia.

Probantur igitur iuſcula decoctionis lactucæ, althææ, prunorum ſaccharo dulcorata. Probatur aqua caſſiæ ante paſtũ hauſta. Paratur ex vncijs 2 caſſiæ, & lib. duabus ptiſanæ vaporario uitreo mandatis in M. B. Probantur item prima menſa deuorata butyrum recentiſſimum, caſeus nouiſſimus, oleum dulce corcyræum large ferculis affuſum, malua, eiuſque cauliculi elixati, & aſparagorum more conditi, panis αὐτοσιτος, qui furfuribus non ſecretis conſtat, iura cicerum, betulæ, braſſicæ leuiter decoctæ, cucurbitæ, ceraſa dulcia, ficus recentes, lactuca cum paſſulis cocta, ficus paſſæ, vel pruna decocta ex vino dulci, vel extracto roſarum pallidarum infuſa: ouorum recentium vitellos commendat Manardus cum plurimo ſaccharo, aut tantillo tartari. Quibus ſi non concedat aluus, clyſteris ſentiat vſum, inquit Actuarius, quem tametſi medicamen nobile vocat Auic. quibuſdam tamen cane peius, & angue refugitur, quibus cum Oribaſio à cœna lotam aloen præſcribimus, aut meram, aut cum Ficino maſtiche myrobalano, & roſa ſtipatam, qui ad ſeruandam diu in ſano corpore mentem ſanam mirabile eſſe medicamentum conceptis verbis teſtatur. Cautè tamen vti debent gracilenti, calido, ſiccoque temperamento præditi, æſtuante cœlo. Piſcium omnium, præſertim mœnæ, & gobij iura ab Vliſſe Aldrouando commendatur. Sunt, quibus egregiè conferunt conſeruæ flor. ceraſorum, aut perſicorum. Sunt, quibus vomitio proficiat. Non eſt negligendi Celſi conſilium, qui mandat, vt, qui ſtrictam aluum habet, liberaliore alimonia, potu cibis permixto, & validiore exercitio vtatur. Validiora formidamus pharmaca, qui ſcimus cum Hippocrate quidem purgare, ſed ſenium inducere, quòd deſtruat mineras virtutum, vt ait Meſues. Hinc Hipp. ait: Qui ſalubritatem corporis habẽt difficulter ferunt medicationes, quoniam inquit Fernelius, quum non ſubſit, quod trahant, corpus colliquant; ſcitè proin monuit Celſus, ne præſidia aduerſæ valetudinis in ſecunda conſumentur. Sed ne parergon opus ſuperet. Hactenus.

Pro Viro Melancholico.

CONSILIVM QVARTVM.

PErilluſtr. atque Excellentiſs. Vir eo affectu laborat, qui à parte affecta denominationem ſuſcipit, nempè hypochondriaca melancholia, cuius præter iugem triſtitiem animi deſperationem, quæ animum continenter percellit, ſigna ſunt ventris rugitus, dolores, inflationes, acidi ructus apepſiæ, ſtricta aluus, ſummum varia infimi ventris tædia, quæ non modo corpus, verùm multò magis animum exercent, & miris modis exagitant.

Signa atræ bilis.

Malum hoc ab animi pathematis primam originem traxiſſe videtur, quæ exigilem, reddidere virum, vnde caput incaluit, atque impendiò inaruit, vt ſubinde affectio in orbem laboranti redierit. Quare veriſſimum illud eſt philoſophicum proloquium. *Omnes paſſiones appetitus ſenſitiui efficiunt in corpore tranſmutationem.* Huc ſpectant & externi errores circa venerea, & victus genera commiſſi, qui ventriculum de tenore ſuo deiecerunt, vnde cruditates ſubortæ ſunt, quæ prorſus confici, & in ſecunda coctione, nempè hæmatoſi, rependi non potuere, quo factum eſt, vt plurimæ oppreſſiones, & infarctus tùm in meſenterio, tùm in hepate pullularint, à quibus ex euentu auctus eſt viſcerum calor, & thermaſia, propter quam ſubinde multus vtriuſque bilis prouentus ſuccreſcit, maximè atræ bilis, quæ in præcordijs ceu repagulis collecta varia parit ſymptomata, modò frigus, modò calorem teſtantia, varia enim eſt, vt ait Ariſt. melancholia, & inæqualis, modò enim caleſcit, modò refrigeratur, & proinde diuerſimodè mores condit, vt non inſcitè ab eòdem vino comparetur.

Cauſſæ.

Sect. xxx. Probl. 1.

Dum igitur è præcordijs peſſimus hic humor halitus ſpecie caput petit ordines ſpirituum perturbat, & ſplendorem adimit, tenebroſum phantaſma ingenerat, non mirum ſi falſis idolis mens percellatur, cum imaginoſa uis peruerſa obijciat, & præſentet. Accedat in corde uitalem ſpiritum generari impurum, craſſioremq; ex præuſto ſanguine, quo fit, vt & animalis craſſeſcat, & de temperie cadat. Hinc quoque tota ſanguinis maſſa acidi humoris coitu contaminatur. & nutriendo corpori ineptior redditur, hinc macies, & totius corporis ſtrigoſitas, eſt enim propria conditione melancholicus humor, vt ait Hippoc. exſiccatorius, cum uerò uniuerſa corporis œconomia

Ratio ſymptom.

mia sit perturbata, nō est mirum, si nihil arrideat, si nihil congruat. Eò igitur allaborandum est, vt ventriculi deiectus tenor erigatur calfacientibus, & siccantibus, iecur, & cor refrigerare, & humectare necessum est, interim cruditates, & bilis vtriusque moles imminuendæ pharmacis, obstructiones expediendæ, caput, quod per vigilias incaluit, & inaruit ad crasim deducere oportet. Methodus.

Prognosis. Hisce indicationibus etsi non est vsque adeò peruium satisfacere tùm ob humoris contumaciam, & substantiæ modum, tùm ob antipraxiā, & contrarias indicationes speramus tamen fore, vt optata mentis, & corporis sanitas, in qua teste Venusino consistit humana fælicitas, quàm primum integritati suæ restituatur, cum non minimū emolumētum ad hanc vsque diem susceperit, &c.

Curatio per Chirurgiam. Quod igitur spectat ad præsidia, eaque chirurgica laudantur hyrudines venis sedalibus admotæ, neque enim tutum est, teste Capiuaccio, superiores venas tundere, ne sabutra in maiores venas trahatur, & malum conduplicetur. Hoc præsidium debet esse frequens, nec minus clysmi ex Aetio sunt vsui. Balneum aquæ tepentis æstuante cœlo maximè conducet. Cauterium item femori dextro inustum summo erit vsui, huc faciunt & leues fricus ex oleo amygdalino.

Per Pharmaciam. Quod spectat ad Φαρμακειαν laudatur primo loco eccoproticum, siue leniens pharmacum, puta cassiæ fistularis atramentum cum elect. lenitiue. Subinde parandi humores syr. de pomis, de violis, de succo borraginis, diluendus iusculo D. liquiritiæ, borrag. cicerbitæ, sem. citri, ratione ventriculi, tùm gradus faciendus ad iulebum de manna cum Rhabarbaro. Hinc transeundum ad validiora propotismata, quæ admittant modicum oxymelitis syr. de pomis, de succo fumariæ, de cort. citri, diluantur iusculo D. agrimonij odorati, melissæ lupulorum, scolopendriæ, adianthi vtriusque rad. capp. asparagorum. His per septimanam perhauftis gradus faciendus erit ad pulpam cassiæ cum extracto ellebori nigri, quod semel, atque iterum deuorari debet, hoc peracto ad D. epithymi Mesue transigendum. Repurgato corpore ad comparandum ventriculo Robur non improbatur vsus aq. Thettutianæ, subinde pergēdum ad vsum seri depurati, quod sumptum velim antiquorum more ad heminas quatuor, primis tribus diebus poterit reddi deiectoriū addita manna, postremùm adijcienda sunt diuretica, puta syr. de hybisco, emuls. sem. melonum, ut deuoluatur per vrinæ meatus. Hoc interim spatio non sunt omittenda lætificantia vtpote conf. viol. borrag. cum conf. hyacinthina, Alkermes, aut sp. lætificantibus Galeni.

Pro Excellentissimo Senatore suffusione laborante Zacharia Sagredo.

CONSILIVM QVINTVM.

QVando ad alicuius muneris integritatem, & perfectionem multa conueniunt, non adeò planè colligi potest, quænam sit læsæ actionis scaturigo, nisi ad censum diuisiua methodo singula reuocentur, quæ ad organi complementum concurrunt, cuius ratione labefactata facultas, alioquin inuiolabilis, afficitur. Actio videndi proximè ad oculum pertinet, qui humoribus, tunicis, neruis, figura, situ, lumine insito constat, concurrentibus etiam plurimis, lucidisque spiritibus vnà cum facultate, quæ partes tanta inter se proportione, & harmonia conueniunt, vt si minimū mutentur, mirificè actio lædatur.

Diuisiua Methodus. In Senatore igitur amplissimo vtique visio labefactari potest ob intemperatum cerebrum, à quo nec sufficienter, nec decenter spiritus generantur, potest item in culpa esse tunicarum densitas, & corrugatio, item humorum tùm propriorum, tùm alienorum concretio. Huc facit & praua oculorum figura, maximè verò pupillæ dilatatio, quam Græci mydriasim appellant, hinc fit, vt spiritus foras erumpentes dissipentur, nec recta in acutum conum ad visibile obiectum contendāt; potest etiam nerui optici aliquanta obstructio eòdem spectare. Mihi sanè videtur imperfectionem ipsi oculo imputari posse, in quo quædam pupillæ perturbatio, dilatatioque obseruatur, & quemadmodum facilè inducor, vt credam eam ex crasso quodam, terrestrique, & melancholico vapore proficisci, qui in dies densescere, & corporatior fieri potest, ita hæc immodicæ humiditatis remollientis soboles est. Vitium hoc cernendi à spirituum conditione influentium incrementa capessit, tùm quia pauciores, tùm quia crassiores, & obtenebratiores ob melancholicos halitus sursum respirantes è ventre inferiori, vbi atrabilis inæstuat, propterea inter videndum nonnulla obseruatur vicissitudo pro absentia, aut præsentia causarum. Determinatio.

Minera. Duæ igitur erunt morbi mineræ, melancholicum scilicet excrementum, & pituitosa superfluitas, hæc à capite ducit originem cum sit pituitatis metropolis, quò multi externi errores spectāt, qui capiti bellum indixerunt, & debilitarunt, illud in calidiore hepate generatur, quò spectant animi pathemata, maximè tristitia, quæ mirandum in modum melancholiam inauget, quæ vt sapore acida est, ita naturæ admodum noxia, quæ ut dulcibus constat, ita nutritur, fouetur, quare formalem antipathiam obtinet aduersus vitales spiritus, præterea semper fumidis halitibus scatet, qui mille modis naturæ actiones interpellant, propterea scripsit Auic. quartana laborantes imbecillitate visus affici. Eò igitur collineandum erit, vt superuacua excrementa foras exturbentur, & ne deinceps generentur, studeamus, partium vitia summouendo, iecur nimirum refrigerando caput exsiccando, & oculos roborando, ne facilè suscipiant, interim discutiendi vapores, spiritusque analepticis multiplicandi. Hæc prouincia, tametsi difficilis est, non tamen impossibilis, quare ad præsidia gradus fieri debet. Quod spectat ad Chirurgiam, non est omnino vana vulgi opinio, phlebotomia scilicet visionem imminui, quod & Auic. asseruit cap. de suffusione; ea tamē euacuatio, quæ fit per hæmorrhoidas, si moderatè succedat utilissima euadet vtpote, quæ fæcosū sanguinem educit, & melancholicum, & interim Methodus

Curatio per Chirurgiam.

uiscera refrigescent. Huc spectant aurium perforationes, in quas radiculæ Thimelææ intrudi possunt. Setaceum, & cauteria prudenter inusta seruari debent. Frequens balneum pedibus adhibitum proderit, item fricatus, & vincula cruribus iniecta, mitto sœnigmos ponè aures affigendos.

Inter præsidia pharmaceutica quædam præcipua censeri possunt, quæ prærogatiua quadam pollent, vtpote semæ, & hellebori extractum, quæ per interualla adhiberi debent, post debitam præparationem. Per pharmacum. Multorum historia constat, plurimos hellebori vsu conualuisse. Inter alliotica probantur iuscula D. borraginis, fumariæ, melissæ, betonicæ, cicerbitæ dulcorata syr. de pomis, & violaceo, & de cort. citri ad recreandos spiritus. Post vniuersalia præsidia ritè veniunt subalterna, proin laudantur masticatoria concinnata ex puluere piperis, staphisagriæ, sœniculi, sileris montani vnà cum cera, & mastiche Chya. Huc facit & gargarismus ex aceto scyllitico. Errhina, & pharmica non conueniunt. Ante topicorum vsũ probatur Chynæ optimæ Decoctio, quæ citra caliditatem superuacuas humiditates afficcet, proin concinnari poterit ex iure pulli, in quo borrago, & fumaria ebullierit, hæc saltem quadraginta dies hauriri debet, vnàque diæta acribus seruanda sine carnibus, & vino, interim biscocto pane vtendum ammixtis sœniculi seminibus, turture, perdice, attagena, auiculis, non item colũbis, qui si credimus Arist. oculis officiunt. Si vinũ sit admittẽdũ, sit album & dilutum. Hydropotæ, inquit Aristot. acutiùs vident. Hoc tempore opportunus erit vsus alicuius conseruæ cephalicæ, quæ caput citra caliditatem afficcet, proin probantur conseruæ borraginis, betonicæ, euphragiæ, rosarum additis puluerib. troch. viperinorum, & sp. lætificantis Gal. vnà cum syr. de pomis in electarium concinnatæ: Huc faciunt mirobalani Kebulæ conditæ semunciæ pondo quotidie mane deuoratæ.

Illud non est omittendum, vt vires vniuersæ aliquo antidoto roborentur, quale est theriaca vnà cum conf. borraginis, aut violarũ hyeme præsertim mane vsurpata semidrachmæ pondere. Hanc senibus commendauit Gal. lib. 5. de sanitate tuẽda. Per diætam. Probatur ea victus ratio, quæ sit frugalis & tali puluere condita. ℞. pulu. euphragiæ ℥. ij. sileris montani ℥. j. cinnamomi ℥. ß. macis ʒ. ij. subtiliter puluerizentur; cum decupla salis portione commiscentur, & hoc puluere esculenta condiũtur. Ab Arnoldo commendatur Vinum euphragiatum, quod ita confit, inquit, Euphragiæ vinum ad oculos fit ponendo herbam in musto, donec fiat vinum, cuius vsu oculi senum reiuuenescunt, & auffert impedimentum eorum, & defectum uisus in quocunque cuiusuis ætatis homine, præsertim, ubi pinguedo, & pituita redundant. Et est, qui permansit per longum tempus nil uidens, & infra annum eius vsu restitutus est ad uisum, ipsa enim herba calida est, & sicca, & habet hoc à proprietate, quòd quando puluis eius comeditur cũ ouorum uitellis, idem mirificè præstat, vel quando puluis idem recipitur in uino: & supersunt testes fide digni, qui fecerunt in seipsis & qui non poterant legere sine ocularijs, & legerunt postmodum absque ipsis etiam litteras subtiliores. Et usus uini euphragiati non habet par in proficiendo uisui: si autem uinum esset nimis forte temperetur cum aq. sœniculi, & si opus est addatur saccharum necessarium. Inter topica præsidia duo mihi maximè probantur, quorum alterum æstate, alterum hyeme usurpandum erit. Quod hyeme adhibendum est, sic conflatur.

℞. Vini albi austeri, olygophori ℔. j. sœniculi uirentis p. j. Xylobalsami ʒ. ij. pompholigos ℥. ß. bulliant unica ebullitione, subinde crassiore panno colentur, & liquor seruetur in usus uase uitreo optimè obturato, quo frigido potiùs, quã calente utendum mane.

At æstate tale concinnatur. ℞. rosarum p. iij. fœniculi, ruthæ ana p. j. minutim singula incidantur, triduo simul macerentur, tùm uaporario mandata per B. M. in aquam uertantur, ponendo in rostro alembici pugillum herbarum incisarum. Ea interim uictus, uitæque ratio seruari debet, ut potiùs obscuro, quàm lucidiore loco maneatur. Vitandi sunt, Sol, fumus, ignis, nebulæ, uentus, frugalitas semper utilis est, maximè ueſperi. Prodest usus caryophyllorum, & asparagorum, betonicæ, cerebri perdiculæ, raporum præsertim foliorum. Prodest sæpè mandere euphragiam, aut sumantur sem. sœniculi, aceto macerentur, siccentur, subinde addatur tantundem cinnamomi, & dimidium saccharì, & confletur puluis, qui sæpè usurpetur; noxia sunt oculis mustum, uinum turbidum, dulce, crassum, legumina, brassica, admodum salita, raphanus, allium, porrum, cæpæ, agrimonia, & similia, uniuersi pisces maximè maiusculi, lens, lactuca, ficus, petroselinum, anethum, inducendæ cæcitatis uim habere mulos pisces scripsit Auic. Acetum noxium est, & quidquid dispeptum, & praui chymi est, aut flatulentum. Somnus sit mediocris, pomeridianus declinetur. Exercitium matutinum probatur. Aluus officiosa seruetur. A pastu non exerceat oculos legendo, sed illos ad uiride, aut cæruleos colores cõuertat, aut triangulari chrystallo eosdem recreet admoto.

Nihil peræquè officere potest, ac cura, & tristis sollicitudo, proin sustinere, & abstinere oportet, ut mandat Epitzetus. Cogitet, quòd diuina prouidentia hoc ordine usa est apud amicos suos, ut eos exercere priùs per tribulationes uoluerit, quã ad commoda, & delitias eosdẽ traduceret. Sic propemodum Iobo accidit, ubi conduplicare diuitias uoluit; sic Iosepho, ubi super fratres eum efferre uoluit; sic Tobiæ, dum ditare, & uisionem cumulare decreuit, & quamquã post triennum uisionem reparauit instruente Angelo, & ex tempore, hoc tamẽ non sine naturalibus medijs effectum est, quæ fuerunt callyonimi piscis fella illita oculis; mãdat Deus siquidem, ut naturalia media adhibeantur, in quibus suam promit efficaciam, & aliquando etiam supra naturæ uires.

In symbolo Socratis duo præcepta traduntur, ut scilicet immodestus risus, & mœstitia euitentur. Superfluus risus, inquit Arist. in lib. de Regim. Principum, tollit reuerentiam, & inducit senectutem, cuius rei rationem affert Plato, quòd magna

mutatio

mutatio cordis risum excipiat. Tristitia verò à Chrysippo dicitur λυπη, quòd totum hominem soluat, quare necessum est pathemata missa facere, quia inquit Albertus Magnus, passio disponit cor, spiritusque ad eandem passionem, vnde tristitia tristitiam, & timor timorem ingenerat. Longum feci plurima remedia in medium afferens, nō quod nescierim excellentissimum Senatorem, abundare, & iam plurimis etiam vsum, sed vt mea erga Virum obseruantia, & studium potissimùm extet, quem Deus pro Patriæ decore, & beneficio diutissimè seruet.

Pro egregio, & spectatæ Virtutis Medico Antonio Blanco, Discipulo studiosissimo, feb. duplici tertiana maligna implicito.

CONSILIVM SEXTVM.

ADolescens xxij. annū agēs post valida exercitia, & incongruam viuendi normam, quæ generandæ bili faciunt, in feb. incidit, eamq; duplicem tertianam, quam triduo neglectui habuit, sèq; sanorū ferè more gessit, pisces, & quidquid in manus venisset, ingerens, neque Libero parcens, hinc magna febris incrementa capessens admonuit tādem, vt se morigerum præbeat, & vim præsidiorum experiatur. Assumpsit cassiæ atramentum in bolos coactum, quod cum reiecisset, atque adeò parum promouisset, postridie haustus decernitur, qui sanè plurimum torridæ bilis eduxit. Sub finem quartę diei sanguis mittitur ad vncias nouem per cucurbitulas infernis partibus admotas, (neque enim parentes admittere voluerunt phlebotomum) sanguis fuit biliosissimus. Morbus quotidie ingraescit, sitis, vigiliæque, & lūborum dolor mirabiliter infestant. Quinta die omnia grauiora, pulsus frequentiores paratithmi, & sine ataxia emicant. Præscribuntur cardiaca, nouæ cucurbitulæ admouentur. Sexta ingrauescunt symptomata. Aluus soluitur clysmis. Septima ecthimata rubentia toto corpore erumpunt. Promouetur excretio aq. hordei exhibita cum gurtis aliquot spiritus vitrioli, & Scorzoneræ extracto. Crudeliter sæuiunt symptometa. Admouentur phœnigmi metu delirij; Postridie hyrudines hæmorrhoidibus admouentur. Morbus nihil concedit. Nona die pessimè habet, vigiliis hypnoticis consulitur, multa cardiaca præscribuntur. Nihil proficiunt. Decima die decernitur nouum pharmacum noctu subaccessionis finem deuorandum. Superueniunt molestissimæ, & inopinatæ motiones conuulsiuæ, quæ penè ægrotum exanimarunt, hinc parentes accersito funereo Sacerdote iusserunt, eum muniori supremæ Vnctionis Sacramento. Lethale hoc symptoma omnium animos perculit certè, vt prorsus spem omnem salutis abiecerint, cum tamen vitale robur adhuc constaret, de pharmaco propinando consilium cepi, vt materia quodammodo turgens educeretur foras. Patiens renuit. Tandem Sacerdotis imperio præsentis, qui ex spiratum expectabat, deuorauit sex syr. ros. sol. vncias, quæ parum promouerunt. Magnum nihilominus beneficium sequitur, quare nouum pharmacum postridie decernitur, plurimùm eduxit, æger leuatur, paroxysmus die xj. leuior apparet. Postridie leui madore corpus perfunditur, exhibetur lapis bezoar ad ℈. xij. cum aq. bordeacea D. scordij cum quadrante aq. Scorzoneræ. Res ægri quotidie, & continenter in melius tendunt, vires reparantur. Postridie clysmis sollicitatur aluus, cornu Ceruinum cum hydroticis propinatur. Vrinarum profluuiū sequitur, quod diureticis promouetur. Curationi vltimam manum imposuit infusio rhacomatis cū mellis ros. sol. quadrante, & electarij lenitiui semuncia. Nunc pancraticè habet in magnum Medicum euasurus ob vim prudentiæ, qua præcellit.

Ad Excellentissimum Senatorem iter per mare aſſurum.

CONSILIVM SEPTIMVM.

ANtequam Vir Illustrissimus Nauem ingrediatur per aliquot dieculas frugaliter viuat acidis vtendo, vt iusculis omphacio conditis, quę stomachum confirment. Vomitio primis diebus excitata non debet prorsus cohiberi, ne intus coercita recrementa maiora accersant mala, imò permitti, vt totum corpus inaniatur, eoque magis, quòd Plinius asserat, plurimos hoc pacto longis, morosisque morbis defunctos. A vomitu os colluendum oxycrato, fronsque oblinenda linteo posca imbuto, ne vaporum impulsu cerebrum lędatur. Ad cordis verò robur conciliandum vtatur tabellis ex sp. Diahyacint. cum sacch. in aq. ros. sol. confectis. Quod si frequentes vomendi conatus ventriculo dolorem conciliarint, mulcēdus panno vino tepente imbuto, & admoto, seu nardino, aut chamomællino oleo. Quod si vomitio nimis molesta sequatur, coercenda erit acidorum, & acerborum vsurpatione, puta aurantiorum, limonum, amarenarum condit. capp. cotoneorum. Auic. commendauit semen apij, & absynthij comam. Timor quoque, & maris fœtor negotium facessunt, proin locus medius, & tranquillior nauis quærendus, & suaue quippiam semper subolfaciendum. Nocturnum declinet cœlū, & quia non licet exercitio vti, frequens caput pectat, &c.

Quòd si ob quietem, & maris siccitatem venter sistatur, sollicitet aluum vsu aloes paulò ante cœnam deuoratæ ad scriptulum vnum cum cass. didrachmo. Si mare tempestatibus agatur, parcè cibis vtendum, si malacia subsit, uberiùs agēdum. Interim alimenta euchyma, & eupepta commendamus. Quid plura? Mensura omnium optima, ut est Pythagoricum illud.

Pro Illustrissima fœmina sexagenaria torminibus molestata.

CONSILIVM OCTAVVM.

ILlustrissima Mulier ab hinc tres menses graues circa imum uentrem dolores percipere cępit, quorum abigendorum studio uaria adhibuit re-

media, uerùm nequicquam, tandem cum ueluti murmurantis aquæ strepitum in ventre persentisceret, dum lecto reuolueretur, & latentis serositatis plurimæ coniiceret prouentum, maturo cõsilio Diacydoniten hyalapa medicatam semel deuorauit, quæ plurimùm sereæ, & ichorosæ materiæ detraxit sine labore: Cæterùm turbata pharmaco aluus non destitit quotidie denceps semel atque iterum liquida malè olentia, variaque deijcere, hinc sitis humoris defectu aucta est, & vigiliæ conduplicatæ, vnde nouæ cruditates exortæ, quæ in præcordijs stabulantes, vt obstructiones peperere, ita calorem quendam ascitum induxerunt tùm in iecur, tùm in sanguinem, vnde etiam totum minima de caussa incalescit, vt nihil sit propiùs, quàm febricula. Hæc mala comitantur, perpetua tristitia, & timor mortis, quare omnium desperatione interdum capitur, & fletibus ora rigat. Vt verò curatio recta methodo institui possit, affectus in proprias caussas referri debent.

Scire igitur licet vniuersos affectus ex viscerum naturalium antipraxia prouenire, siquidẽ vẽtriculus multarũ cruditatum parens est, quas iecur attrahit, & præ crassitie sibi vias obstruunt, hinc sanguis, & iecur inæstuant, & atræ bilis prouentus succrescit, quæ circum præcordia coercita inferuescit, & plurimos de se flatus excitat, qui viscera, circumpositasque particulas distendentes dolorem ingeminant; Dum verò sanguis assatur plurimum serei recrementi sufficitur, quod vnà cum flatu coercitum murmur, rugitusque, & idatismum, vt cum Cælio loquar, efficit. Cæterùm dolores, qui imum ventrem occupant, fixiq; sunt, & vsque in lumbos pertingunt, aliunde proficiscuntur, nempè ex vtero, qui plurima humiditate madens proprium alimentum non conficit, sed coinquinat, hinc flatus, qui vterum distendentes solutionem vnitatis pariunt, atque adeò dolores excitant, qui permanent, quoniam flatibus non ita comparatus est exitus. Quoniam verò Domina mœret, & formidat præter rationem, necessum est adesse melancholicum pathos, ex consensu hypochondriorum, cum adsint vniuersæ notæ, quas refert Auic. ex Diocle. Quid igitur opus est facto? Eò allaborandum est, vt recrementa pituitosa melancholica, & serea foras exigantur, flatus discutiantur, obstructiones adimantur, dolor mulceatur, frustra autem id tentabimus, ni caussæ generantes remoueantur, quare ventriculum calfacere oportet, præterea subsstantificè humectare (ex nimio .n. Venereorũ vsu tonum amisit) iecur refrigerare, vterum denique calfacere, & assiccare. Hisce indicationibus vix satisfieri potest, siquidem adest magna essentiæ vehementia, & affectus veluti habitum contraxere præ uetustate, adhæc contrariæ indicationes subsunt, nam vt iecur refrigerantia, ita ventriculus, & vterus calfacientia postulant, quare cum medicina, vt docet Arist. fiat per excessus, aut vicissim adhibẽda sunt contraria, aut certè temperata, quæ non nisi succedente tempore proficere possunt. Veruntamen quia Illustrissima mulier præsidijs maximè fidit, confidentia verò plurimi æstimatur, age ad præsidiorum materias gradum faciamus.

Circa chirurgica, ut in præsentiarum supersedendum esse à sanguinis missione putamus ob diarrhæam, ita aluo firmata operæpretium esse putamus hæmorrhoidas hyrudinibus referare, quò sęcosus sanguis educatur, & uiscera aliquo euentationis beneficio afficiãtur. Huc spectãt cucurbitulæ cũ magna flamma admotæ, quæ præsenti auxilio esse solẽt in doloribus à flatu, nec minùs cauterium dextro femori inurendum erit, & imus uenter stillicidio ex ol. digerentibus calfacientibusque erit supponendus. Clysteres ex digerentibus, & emollientibus concinnati conferent. Huc faciunt litus, & cerataria admouenda stomacho.

Quod spectat ad pharmaciam hîc nulla aphæretica conueniunt, cum aluus sit plus solito cita, quod si consistat, blandiora quæpiam non sunt ableganda ut passulæ præpatatæ more Capiuacceo cap. de melancholia hypochondriaca, ualentiora non placent.

Quod verò attinẽt ad alliotica probatur mihi iusculum syluestris palumbi incocto sassafras modicissimo, mentha, & rad. liquiritiæ, & borragine, uim enim miram possidet sassafras uiscera naturalia in integrum redigendi, probatur item D. Rhapontici; interim boli concinnari poterunt ex ueteri theriaca, & consbugloss æ, & per intervalla exhiberi, mirandum enim in modũ theriaca uires nostras reparat, & lætitiam inducit. Confieri etiam morselli poterunt ex pulpa pect. perdiculæ, & contusis pistacijs additis puluiscu lis xyloaloes, cinnamomi, caryophillorum, & calami aromatici, & rub. coralliorum. Hæcque quo ad pharmaceutica. Diæta debet esse compar, ut scilicet minimè excrementa pariat, sed plurimùm nutriat etiam modicissima &c.

Pro Vestali Virgine sexagenaria nephriticis doloribus, hysstericisque passionibus ideutidem vexata.

CONSILIVM NONVM.

SCitè, si quid aliud, Venusinus Vates cecinit, humanam scil. fœlicitatem in eo potissimùm consistere, ut sit mens sana in corpore sano, nã ut ait Hip. corpus diuitiæ, cæteraque nulli sunt usui sine sanitate, omnino,

Non est viuere, sed valere vita.

Potest igitur meritò cum Antiquis admodum R. hæc Monialis proclamare, ò sanitas tu maximum hominibus bonum, utpote ualde experitũ, & probatum, iuxta illud uulgare proloquium. Habitus ex priuatione cognoscitur.

Haud nouisse licet pacem, ni bella probaris.
Ni priùs ægrescas, vilet Hygea tibi.

Ab hinc octo mensibus Virgo hæc reciproca quadam affectuum uicissitudine torquetur, vt nullis ferè interuallis quiescere, aut recreari ualeat. Primùm enim cruenta mictione laborauit, quam diutissimè tulit sine ullis artis præsidijs, tandem adiuta auxilijs reualuit, subinde noua in fauces fluxione tentatur, ut suffocationis discrimine periclitaretur, pharmacis è periculo eximitur. Paulò post, nephriticis cruciatibus exercetur, multaq;

experitur

experitur auxilia tùm admota, tùm assumpta, quę tandem profuere, vbi hisce defuncta malis est Virgo, hysterici s paulò post incessitur passionibus, quæ sanè miserrimè eam torserunt, & penè exanimarunt, noua præsidia adhibẽtur, disparẽt symptomata, subinde nephritici dolores emergunt, & sic vicissim modò nephriticis, modò hysterici s percellitur insultibus, vt se mori m lit patiens, quàm tantis exerceri symptomatis, quæ speciem referunt apoplexiæ, & aphoniæ, & conuulsionũ, proin mandat Hipp. lib. de Virginum morbis, vt quisquis Virg. morbos tractare vult in primis norit, quid sit attonitus morbus, quid timor, quid morbus sacer, quòd artificis solius sit internosse similium differentias, & differentium similitudines.

Vniuersa hæc mala ab vna scaturigine proficisci videntur, nempè à ventriculo languidiore, qui ob frigidam, humidamque intemp. suo supersedet officio, plurimusque pituitatis, & cruditatum succrescit prouentus, qui cum in cæteris coctionibus emendari non possit (scitum enim est vitium primæ coctionis à secunda non emendari, quod proloquium scitè interpretatur Valesius in controuersijs) fit vt plurimum excrementi vbique redundet, quod quidem hostis instar naturam continenter lacessit; sunt enim seminaria morborum. Quare cum circa venas mesentericas, circa hepatis caua primùm inhæresçant obstructiones pariunt, quibus hepatis calor augetur vicinarumque partium minimè difflatur, hinc humores coerciti aestuant, & in atram bilem mitiorem facessunt, hinc hypochondriaca quædam molestia inoritur, propter quam Virgo facilè tristatur, mœretque, & omnium desperatione capitur. Hinc recrementa penitus adacta per emulgentes in renes propelluntur, & incuneata excoquuntur, & aestuant in arenulas, quæ succedente tempore appellente eiusdem generis materia grandescunt, hinc irritata expultrix vrget, propellitque in vretheras noxium, quod cum ob angustiam facilè non permeet, dilaniat, dilaceratq; particulam, hinc cruciatus nephritici non sine nausea, & vomitu, ob consensum, quem neruus sextæ coniugationis omnibus naturalibus uisceribus communis impartitur, & ob peritoneum. Hæc eadem recrementa in vterum dilapsa obstructiones infarctorias pariunt, quas sanguis melancholicus conduplicat, nã cum lien ob infarctus perfectè limum non attrahat, multũ in tota massa relinquitur, à quo mala ingeminantur. Hinc halitus in præcordia, & cor & cap. respirantes millecient symptomata terroris, & tremoris plenissima. Vrinæ verò crudiores apparent, tùm ob infarctus, tùm ob cruditates, & imperfectas coctiones. Auget vniuersa hæc mala perennis destillatio, quã cap. humidius parit, & sanguis vitiosus, vitiosus autem est ob ventriculi imbecillitatẽ, quare malũ ei redit in orbem, quom destillatio in ventriculum præceps ruit, vnde iterum uaporis specie in caput extollitur. Quare eò allaborandum, vt recrementorum genera foras ablegentur, infarctus aperiantur, discrasiæ de medio tollantur cõtrarijs, proin ventriculo consulendum calfacientibus, & siccantibus, capiti siccantibus, renibus calidioribus refrigerantium vsu, vterus roborantia postulat. Iecori non destinantur refrigerantia, cum ex euentu duntaxat incaluerit, ob infarctus videlicet ipsos.

Hisce scopis respõdere difficillimum est, quòd mala habitum contraxerint, quòd adsint contrariæ indicationes, quòd calor naturalis per ætatem deficiat. Status tamen quidam medius sperari potest, in quo nec moriuntur, nec reualescunt ægri.

Circa præsidia chirurgica probantur hæmorrhoides apertæ ad viscerum æstuantium transpiratum, & quia adest feb. probatur stillicidium, probantur duo cauteria femoribus inusta. Fotus hypochondrijs admoueri poterunt, promouent enim coctiones, vel teste Galeno.

Circa pharmaceutica probatur syr. laxatiuus de manna primo loco, subinde præparantia sint mel rosaceum simplex, & oxymeli cum modico syr. de pomis, primis diebus dari poterunt siue diluto, aut certè cum solo cremore, sem. citri.

Post apozemata probantur pill. ex hiera simpl. cum modico hyalappæ propter superuacuas serositates, quæ superfluunt. Ab hoc pharmaco noua apozemata erunt præscribenda, quæ aperiẽdi validiore vi polleant, proin probantur syr. de duabus rad. byzantinus cum melle ros. simpl. dilui poterunt iusculo D. agrimoniæ, fumariæ, com. absynthij, camæmelli, sem. citri. His per septimanam perhaustis properandum ad dilutum Rhab. & Agar. ex aq. fœniculi, cui adijciendum nonnihil diaphœnici, & mellis ros. sol. Hoc peracto properandum ad syr. de cichoria Nicol. cum Rhab. aut certè concinnandus syrupus more Ferneliano, qui constet polypodio, epithymo, sennæ, Rhab. adiectis agrimonia, cuscuta, fumaria, apio, petroselino, fęniculo, arthemisia, camepithide, ceterac, capparum, & thamar. rad. cortice. Post properãdum ad iusculum turriculæ palumbis D. menthæ sassafras, & borraginis ratione melancholiæ. Hoc tempore porrigendus bolus ex ammoniaco vnà cum pulu. rad. asari, sp. diarrhodõ, sale absynthiano, & arthemisiano. Nec minùs conferet D. absynthij pontici, & Rhapontici, &c.

Pro quodam Fabro varijs symptomatis affecto.

CONSILIVM DECIMVM.

EXactis diebus Amicus enixè rogauit, vt ad Prædia nostra Cadubrena coturnicum gratia, quarum maxima copia est, contenderemus, cui ego more, & amore ductus non potui, quin obtemperarem. Iuimus ergo, vbi insuetus coturnicum vsus peræquè mihi alium citauit, ac Boetis, & Thessalis, quia puto elleboro vescuntur. Arcadum tunc mihi venit in mentem, qui ineunte Vere bubulis purgantur carnibus, quòd boues medicatis herbis nutriantur, à quarum longo vsu temperamentum permutatur, & substantiæ modus: Hanc coniecturam gallinæ auxerunt, quę pastillis ex viperina carne, & farina confectis nutritæ

natiuam

natiuam exuunt, induuntque viperinam temperiem, quibus tanto cum emolumento leprosi, & elephantici vtuntur. Desinat igitur posthac Fernelius inficiari, natiuum temperamentum permutari posse, qui enim bouum carnes vim purgandi conquisissent, ni illarum temperies permutata fuisset? Natura, inquit, fixa, & mutari nescia, & quouis habitu adepto permanentior. Ita sit sanè. Nam lapis centies millies sursum proiectus nunquam assuescet ascendere, quia grauis natura est. Dicam tamen naturæ nomine veteres solam materiam designasse materiales autem qualitates mutari non posse, atqui temperamentum qualitas est formalis, proin ægrè quidem, sed arte, consuetudine, mutata vitæ ratione aliquando tamen permutari posse. Arbor de Perside in Ægyptum translata venenatam qualitatem salutari permutauit. Sed ne parergon opus ipsum superet ab amœnis illis Viretis, in quibus animus liquescit, veniamus ad rem.

Faber quidam indigena gracilis satis, & strigosus, pallido faciei colore, subrubentibus genis conqueritur de crebra alui deiectione, liquente, fœtida, cui floridus sanguis interdum commiscetur sine torminibus, aliquando syncerior deijcitur, se perpetuo desidendi desiderio teneri, cum nihil interim præter paucum mucum deponat, ventriculum veluti sibi compingi, & compungi, simulq; totum epigastrium, sinistrum hypochondrion sibi ex interuallis intumescere, & summis cruciatibus corripi, vt se deficere sentiat, mane os siti maxima, & oze exerceri, quæ assumpto cibo delitescunt, famescere, & esse multum, sed sine vitium incremento, cæteris tamen symptomatibus molestiorem esse liquentem illam excretionem, quam si velit comprimere, quam mox excreto semine (mirum) inuitus polluitur. Multiplex hîc affectionum genus; Anetria in excreto sanguine, semine. excremento; Dolor epigastrij, & sinistri hypochondrij, sitis, oris graueolentia. Quæ symptomata in suas causas ita retexere oportet. Diuturni, & contumacis fluoris quinque causas agnouit Hippocrates, malam diathesin, propter quam vt perennis sit excrementitij humoris generatio, ita indesinens fluor; insignem obstructionem, impedita enim anadosi chyli, aut cuiusuis alterius alimentarij humoris, in aluum refluat, necesse est; phlegmonen, propter quam tenesmus, vlcus, vnde vera dysenteria, & syntexim. Equidem posteriores tres causas rescindo, & subtraho, nulla enim phlegmones, aut vlceris, nulla colliquationis indicia subsunt. Supersunt mala viscerum constitutio, & obstructio, quæ ambæ videntur mihi huc facere, & conuenire. Ventriculum malè se habere indicant sitis, oze, & molestia, hic enim quia malè coquit, sibi, & cæteris excremẽta exaggerat, quæ per motam labem cõtrahunt, & perniciem, hinc sitis excalfacto stomacho, quæ ingesto cibo emollitur correcto, & refrigerato per alimenti benignitatem ore ventriculi, quin praua recrementa obrunntur, & proin os etiam suauiùs olet. Dolor incessit agitatis recrementis per ieiunium, hinc sublati flatus continuum soluunt, præsertim circa sinistrum hypochondrium, vbi dolor sæuiùs vrget, qui sanè in cerebrum sublati spiritus animales aggrauant. Porrò venulas iecoris obstructas arguunt faciei pallor, sensus ponderis, spirandi difficultas ab exercitio, & deniq; liquida excretio, refluit enim chyli portio ad intestina, vbi cum cæteris excrementis commixta foras tandem amandatur. Sanguinẽ verò ab hepate emanare arbitror, signũ .n. obstructi iecoris esse vult Gordonius, si certis vicibus sanguis per intestina excernatur, quia fortassis gibbæ etiam partis venulæ non omnino liberæ sunt ab infarctu, quo fit vt sanguis remeet ad intestina ob impeditam anadosin. Tenesmum verò fieri adhæsu viscidæ, & salsæ cuiusdam pituitæ in recto intestino quis dubitet? quomodo verò fiat, vt retentis liquidis alui excrementis fœtificus lentor nolenti effluat, non satis compertum habeo, ni fortè incalescant parastatæ, & uasa spermatica, atque adeò semen turgescat, & exitum quærat, aut potiùs propter humoris uiciniã retentrix seminis vis exsoluatur, quomodo fit in utraque gonorthæa. Cur non proficiat corpus in promptu causa est. Fames autem urget ob acidi humoris præsentiam, ex quo fit oris corrugatio, & expressio accedat alimenti penuria.

Indicationes hauriuntur ab obiecto, & à subiecto, quare ut superuacua penitus amandanda, & infarctus expediendi, ita uiscera pristino tenori restituenda, id quod fieri posse confido, sed procedente tempore, alioquin periculum est, ne incidat in cachexiam, cuius præbẽt indicium crura tumẽtia. Melle igitur ros. sol. & manna cum D. cardiaca cum ʒ.ij. myrobalanorum citrearum aluus soluenda, tum serapia ex syr. de cort. citri, de pomis, & oxymeli concinnanda diluta cremore sem. citri. Ab his pergendum ad rad. Rachomatis infusam. Iteratò eadem serapia usurpanda diluta D. radicum diureticarum, quo tempore tabella ex troch. de eupatorio porrigenda. Tum nouũ pharmacum propinandum, Rheum scil. in bolos coactum cum santalis citrinis. Hoc peracto ad aq. Tettutianam pergendum: ter cum melle ros. sol. perhaustam; à qua Decoctio menthæ ex iure columbi turrialis instituenda, interim quotidie crudum Rhabarbarum cum pallulis deuorandum, nec mirari licet, si aphæretica præscripserim, dum aluus nimis quàm soluta est, siquidem talis excretio pendet ex copia, & mala excrementorum qualitate, quo quotidie cumulentur ex praua diatheſi, & obſtructionibus. Conualuit, & iam pancraticè habet, Rheum enim educendo bilem, ut iecur præ obſtructionibus calfactum temperabat, ita præſens ventriculum pituitatis excremento deiectum erigebat calfaciendo.

CON-

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS SEPTIMA.

Pro Illustrissima Femina, cui pinguior aqualiculus, anhelandi difficultate, hypochondriaca melancholia, & articulari dolore infestata.

CONSILIVM PRIMVM.

Historia.

RES sunt affectus, quibus Illustrissima Mulier incessitur, laboriosa quippe spirandi difficultas, melancholicum pathos, cuius causa aliquando omnium desperatione capta animũ sibi despõdet, & arthritici cruciatus. Qui sanè affectus ad actionem læsam attinent, tactoriam, vitalem, & imaginariam. Horum malorum duæ statui possunt scaturigines, quarum altera caput est, vnde pituitatis excrementum in articulos deriuatur, quod cum vnitatem dissoluat, partium neruosarum per compressionem ligamentorum, quæ alieno humore turgescunt, fit hinc dolor, molestusq; sensus, qui naturam lacessit, hæc verò totius satagẽs ad afflictam particulam ex more sanguinem, qui cæteris præsentior extat, amandat, & quia cæco ordine procedit, vt ait Hipp. auxilij copia interdum inflammationes excitat, & dolores conduplicat. Alia verò scaturigo est epigastrij tota regio, in qua summa recrementorum moles pituitosorum, melancholicorum, serosorum stabulatur, quæ vnà cum pingui aqualiculo diaphragma lenis respirationis instrumentum comprimit, hinc inter ambulãdũ maior spirãdi difficultas percipitur, aucto vsu, & propter meteorismũ, vnde augetur diaphragmatis cõpressio. Ab hoc fonte pẽdet & melancholica dispositio, cũ iuxta propriã idiotropiam humor melancholicus commouetur, & de se plurimos flatulentos spiritus efflat, qui sursum respirantes cerebrum mentis sedem impetũt, spiritus animales obtenebrant, cerebro, quod instar Agathæ splendens esse oportet, splendorem adimunt, omnino tenebrosum phantasma ingenerant, vnde animus percellitur, & panicis timoribus exterretur. Hinc Hipp. lib. de Virg. morb. *Præ caliginositate timent.* Hæc verò excremẽta cumulata fuere tùm per externos errores, tùm ob alteratricis impotentiam capitis, ventriculi, & hepatis, illorum quidem ob frigidam, humidamque intemperiem, huius verò ob immodicum calorem, quem obstructiones, infarctusq; veteres pepererunt, vnde atra-bilis originem trahit, dum sangnis aduritur. Eò igitur allaborandum est, vt vniuersi humores superuacui pellãtur foras pharmaco, viscera temperentur, ne deinceps excrementorum copia succrescat, circumcisis vniuersis externis erroribus. Hoc opus admodum difficile euadet, ne dicam adynaton, quòd contrariæ subsint indicationes, quòd discrasiæ habitum contraxerint, ne tamen mala maiorem Dominæ perniciem accersant, manum admoliri necesse est, vt saltem symptomata leniamus.

Sensus.

Oportet.

Ratio symptom.

Inter Chirurgica probantur hyrudines uenis ani admotæ, cauteria admoueri nequeunt, quod crura, & femora œdematoditi tumore tollantur. Præsidia per Chirurgiã.

Inter pharmaca probatur mel ros. sol. vnà cum manna diss. ex iure, in quo melissa, passulæ, & semicitri ebullierint. Tũ parandi humores iusculo D. Intybi, borraginis, betonicæ: post septimanam deuorandum pharmacum, quod humores auertat ab articulis, tale erit electũ. caryocostinum, aut hermodactylatæ puluis, aut Mechioacan ex iusculo, aut certè pill. aggregat. & de nitro Alexan. cum ℈. j. hyalappæ orientalis; scire tamen decet, arthriticos dolores (quod ab Auic. etiam animaduertitur) exasperari solere, dum pharmaco exagitantur humores, vt hoc præfato te te á calumnia subtrahas. Quamquam Fernelius illud contingere obseruauit, vbi infirmiore phatmaco vtimur, quod mouet quidem, at non educit, non item, vbi validiore cathartico. Per Pharmaciam.

Pro Nobili Viro gallicano dolore lacessito.

CONSILIVM SECVNDVM.

EXtat vulgare apud Medicos proloquium, quòd vbi principium alicuius functionis læsum est, quidquid ab eo dependet, in ruinæ consortium pertrahitur particepsque fit eiusdem passionis, quare cum Illustrissimus Vir iecur gerat non leui labe temeratum, quod est hæmatoseos initium, atque adeò nutritionis, temeratum inquam ob pessimam, & deleteriam qualitatem ab infecta muliere tempore congressus introductam sub specie vaporis putridi, viscidi, & tenacis, non est mirum si tota corporis œconomia peruersa est, & nutritio vniuersi corporis deprauata, namque cum membris vitiosum, gallicaque labe inquinatum alimentum offeratur, necessum est, vt nutricatu fraudentur, atque plurima recrementi moles succrescat, maximè phlegmatis, cum lues hæc analogiam habeat, vt ait Fracastorius, ad crassum phlegma. Hinc fit, vt excretrix vis excrementi copia, & qualitate irritata ad debiliores particulas ea propellat, maximè ad genua, & tibias, quò etiam natura nempè pondere suo ferũtur, quæ paulatim collecta vt solidescant in trophos, & gummata, ita dolores excitant immanes circa perihostia, præsertim noctu, tùm quod eo tempore pituita cursum suum conficiat, & resolutio minor fiat, tùm quòd sensus nullis obiectis sensibilibus distractus dolori magis vacat. Ratio symptom.

Porrò catarrhus quoque originem ducit ab impuro sanguine, & ab humida cerebri intemp. hinc pituitatis excrementum suscipit incrementum, quod in subditas partes deciduum destillationem parit, quæ pro partium diuersitate diuersas etiam ægritudines excitat. Vnà cum excremẽto pituitoso subsunt etiam ichores, & serositates plurimæ, quas sudor vberior arguit, subest & atra-bilis, quam vapor veneficus, & putris sanguinem adurendo peperit, hæc verò ad cutem ablegata

gata ichorum vehiculo pustulas, & cæteras cutaneas fœditates inuehit.

Methodus. Hæc verò cũ ita se se habeant, ea erit instituenda methodus, vt mala iecoris dispositio per alexipharmacum auferatur, quæ non est simplex intemp. sed maligna, pendetque ab agente à tota substantia; At verò quoniam non licet antipharmaca vsurpare ante totius expiationé (scitè enim Fern. ait, non in docendo, sed in vtendo eorum artem requiro) moles exhauriendæ pharmacis, quo peracto ad discrasias tollendas gradus erit faciendus, & particulæ affectæ leuandæ.

Prognosis. Non erit adeò peruium hisce indicationibus obuiam ire, longo tamen præsidiorum vsu, &, vt ait Celsus, præsidij contumacia, optata sanitas affulgebit.

Curatio per Chirurgiam. Inter Chirurgica præsidia sanguinis missio (si spectes necessitatem) nulli vsui videtur, quod præteritis diebus per hæmorrhoidas plurimus sanguis effusus sit, & adhuc manet. Veruntamen si è saluatella mittatur, non erit abs re, siquidem & emanantem sine modo per venas sedis sistet, & reliquam curationem tutiorem reddet.

per Pharmaciam. Inter pharmaceutica probantur boli ex cassia, manna, & el. lenitiuo constati; Ad parandos humores laudantur syr. de betonica, de pomis, mel ros. cum modico oxymeli, dilui poterunt iusculo D. cicorij, lupulorum, borrag. agrimoniæ, ceterach, betonicæ. Exacta septimana properandum ad secundum pharmacũ, quod concinnari poterit ex infusione Agarici, Rheub. adiecto mellis ros. sol. quartariò, & catholici duabus sextulis. Repetenda erunt propotismata addita fumaria, & rad. apij, & fœniculi. Tùm properandum ad D. epithymi, quod alternis diebus saltem per quatuor, aut quinque vices propinari debet. Hoc pacto repurgato corpore pergendum ad aliquod generosum præsidium, quod morborum reliquias stirpitus eximat. Hîc in mentem venit D. ligni Guaiaci, & salsæ, sed cum aliàs toties hoc præsidium frustra sit expertus non improbatur hydrargirosis, hæc vbi dolores infestant, vbi gummata extant, vbi pituitæ prouentus subest, solet esse præsenti auxilio, siue hæc excretio fiat exstimulata excretrice, siue quia hydrargiron vim habeat alexipharmacam. Interim post hydrargirosim non omittendum esse ligni D. asseuerò, quòd lignum sit verum alexipharmacum, vt aliàs probauimus, vt verò partes inferiores, quæ sunt exangues, & magis laborant, beneficio afficiantur, laudantur vasa lenticulata aqua repente repleta plantis admouenda, &c.

Procedente tempore non erit theriacæ vsus vnà cum saccharo borraginato, aut rosaceo negligenda, vt viscera virtutesque naturales confirmentur, &c.

Ad Excellentissimum Medicum Bonaldum Virum integerrimum, & de Re medica optimè meritum.

Pro Viro Nobili Scipione Doleonio lienis tumore, pedum œdemate, febre lenta, orthopnœaque laborante.

CONSILIVM TERTIVM.

Historia. Affectus, queis Vir nobilissimus afflictatur nõ minùs cognitu, quàm curatu difficiles sunt, siquidem causarum magna obscuritas adest. Veruntamen quatuor videntur esse affectus, quibus percellitur. Nempè feb. lienis tumor, œdema pedum, & maxima respirandi difficultas, præsertim noctu, quæ ægrum cogit stare, aut sedere, & somnus interpellatur, hinc cruditates cumulantur, quæ symptomata maiorem in modum augens. Sed nihil æquè ægrum afficit, atque difficilis anhelitus, quare huius præcipua cura gerenda.

Quid difficultas anhelitus. Difficultas spirandi nil aliud est, quàm prauus pulmonum motus dependens ab angustia bronchiorum. Ad respirationem perficiundam tria membra concurrunt. Pulmo scil. thorax, & cor, cor quidem sub ratione causæ finalis, thorax vt efficiens præcipuum maximè diaphragmatis ratione, hinc scripsit Gal. x). Methodi. Perinde respirationem esse diaphragmatis propriam, atque obambulatio crurium, & visio oculorum, denique pulmones concurrunt, vt dilatantur, & comprimuntur, ut malè afficiuntur, quare rectè definitum fuit, esse quippe prauum pulmonum motum, qui sanè triplici de causa contingere consueuit, aut ob communis facultatis impotẽtiam, aut ob auctum refrigerationis vsum, vt accidit æstuante corde, aut ob morbosam dispositionem, quæ respirandi organa ineptà reddat suis functionibus. Non possumus asserere, illud ob communis facult. impotentiam accidere, neque omnino propter auctum vsum, quare superest, vt aliquod in organis subsit impedimentum. Nos generatim posuimus bronchiorum angustiam, per quam excludentes coalescentiam, subsidentiam, & constipationem intelligimus obstructionem, & compressionem. Quòd verò subsint obstructiones, excrementa foras per expectorationem, & anacatharsim educta satis arguunt, hæc verò sunt phlegmatica, & è cap. decidunt, decumbuntque intemperato maximè noctu, quoniã humor pituitosus ex Serapionis sententia noctu præcipuè commouetur. Hinc, cum affectus typicus sit, noctu potissimùm ingraueſcit, quia pituita tunc temporis præsertim cursitat, fluitatque & è cap. alueo in thoracis capacitatem decidit, quæ cum angustiam augeat, fit, vt difficultas quoque respirandi cumuletur. Huc facit & lienis tumor, per quem fit diaphragmatis compressio. Puto hanc compressionem augeri à flatuum copia, qui in hypochondrijs excitantur ex atræ-bilis præsentia, quæ partim per synathrismum, partim per genesim cumulatur, accedente maximè animi cura, hinc etiam plurimas serositates subesse conijcimus, quæ atram-bilem vsque comitantur, quas

Causæ.

Ratio symptom.

subinde

subinde somni tempore collectus intrò calor exagitat, & penetrare facit vsque ad molles arterias, vnde augetur cõpressio, quare scitè notauit Aetius serm. viij. cap. lxv. humorem serosum, vel pituitosum è toto corpore ad pectus cõfluere. Huc & iecoris infarctus spectant, à quibus diaphragma comprimitur. Vtrum verò in liene, aut alibi apostemata subsint, non possum satis argumẽtari. Illud certè scio non infrequenter huiuscemodi difficultates, ex internis abscessibus proficisci.

Conclusio. Hoc igitur sit sancitum, respirandi difficultatem esse orthopnœam, quæ ex plurium caussarum cõcursu prouenit, quæ non semper sunt præsentes, neque in effectum actu confluunt, hinc fit, vt interdiu æger læuiùs ferat, noctu grauiùs, quòd hoc tempore vniuersæ conspirant in languentis perniciem. Hæ verò caussæ sunt, materiæ catarrhalis decubitus, flatus, multa serositas, calor inter dormiendum perauctus in visceribus. Caussæ verò permanentes sunt lienis, iecorisque tumor, quæ per se paroxysmum sine aliarum caussarum concursu committere nequeunt. Quid igitur opus

Methodus. est facto? Necessum est superuacuas materias educere, quæ obstructiones pariunt, attenuare detergere, remollire lienis tumorem, flatusque discutere, catarrhum auertere, caussas submouendo, quæ sunt cap. humiditas, quam aeris inclemẽtia peperit, cui se nimis liberè exposuit, denique pulmones roborare apolectis. His indicationibus vix respondeti potest, quòd affectus habitum contraxerint, quòd oppositæ subsint indicationes, quòd magnus sit essentiæ, dignitatisq; vehemẽtia morbus, cui vires defectæ pares esse nequeunt.

Prognosis. Mortuus est ante quàm nostrum Consilium in manus peruenisset.

Pro puella quinquenni cuiusdam Aurificis filia apud ædem D. Pantaleonis, tabescente.

CONSILIVM QVARTVM.

MAlum, quo vexatur puella, singulorum oculis patet, cum sit totius corporis summa macies, & quædam atrophia, pendetque tùm ex summa sanguinis impuritate, tùm ex eius membri in calida, siccaque intemp. à quo cæteta nutricatu vim suscipiunt, iuxta illud Medicum axioma, actio aliqua toto corpore læsa eius principiũ læsũ arguit, hoc autẽ cor est, quòd nõ modò benigno caloris influxu in singulas partes eas fouet, & viuificat, sed perfectum etiam sanguinem impartitur. Hæ verò caussæ aliam longè superiorem agnoscunt, nempè serinam destillationem, quæ tũ cap. humidam discrasiam sequitur, tùm externos errores maximè, qui in victus genere committuntur. Hæc enim in venosum genus decidua totam sanguinis massam contaminauit, at verò quæ in pulmones præceps decubuit, computruit mora, & feb. excitauit, quæ vt primis diebus solùm putris erat, ita succedente tempore sociam sibi consciuit hecticam, quæ est calida, & sicca substantiæ cordis intemp. nec sanè mirum, nam Hipp. 6. epid. manifestò edixit, quascunque destillationes è capite, quæ raucos, & tussiculosos homines efficiũt, ni tẽpore conquieuerint, alteram facere rabis differentiam. Quæritur autem quæ nam feb. hecticæ species sit, & quamuis carnis moles mirandum in modum deficiat, vnde quis suspicari possit, adesse secundã speciem, quæ tabes dicitur, eatamẽ pulsus durities, ea tamen cutis asperitas, & contentio, ea oculorum cauitas non adest, quæ in secunda hac specie spectari solet, proin dixerim, puellam adhuc inter primam, & secundam speciem hærere, quam hecticæ conditionem Amatus ex Gal. notauit; Non erit igitur omnino conclamatum, & propterea manus admoliri licet.

Probantur igitur molles fricus, & mediocres illitus ex ol. amygd. dulcium cum succo acetosæ, epithemata ex aq. viol. nymphææ, ros. addito succo citri ℥. ij. croci, & caphuræ cum sp. diamarg. frigidi, cordi admouenda, probantur item fotus hypochondriorum, cum oppressiunculis scateãt; balneum autem, quod pararunt Viri Excellentissimi nõ probatur in hac ex egrotula, tũ quod vires fatiscant, & nimis dissipabili substantia constet, tùm quod balneum fluxiones, & destillationes excitet, vt monet Auic. Quare supersedendum, & capiti potiùs prospiciendum cerato, & cauterio, aut potiùs setaceo, quod à carceribus inuri debebat, ni mens aliena fuisset. Reliqua therapia analepticis perfici debet frugaliter, sed identidem exhibitis, quæ modica mole plurimùm nutriant.

Pro Muliere Gallica ophtalmia correpta.

CONSILIVM QVINTVM.

APficitur egregia Mulier ea inflammationis

Symptomatis ratio. specie, quam Græci ophtalmiam appellant, siquidem in adnata membrana subest tumor cum dolore, & rubore à morbosa materia dependens, quæ tùm vnitatem soluit, tum temperiem repentè submouet. Hæc materia in oculo per congestionem non est cumulata, sed per fluxionem, id quod repentina inuadendi ratio demonstrauit, quare necessum est, vt aliunde per aliquod spatium huc delata sit aut attracta, aut certè transmissa. Equidem arbitror tũ per attractionem (caput enim radijs solaribus exposuit, & vt capillos exsiccaret, diutissimè morata est) tùm per transmissionem à toto corpore, & præsertim ab hepate calidiore, & lue gallica infecto, vnde sanguis tenuissimus gignitur, qui sursum facillimè respirat. Spatium venæ sunt & arteriæ, per quas sanguis fluit. Porrò materia hæc secundùm speciem spectari debet, & secundùm speciei vitium. Secundùm speciem sanguis est, isque biliosus. Vitium esse potest, in substantia, copia, qualitate, motu. Hic sanguis secundùm omnes modos vitiosus est, secundùm substantiam quidem, quòd lue gallica sit infectus, quæ nil aliud est, quam virulentia, nempè excrementum toto genore præter naturã, quod multifariam per modum externi erroris (si credimus Capiuacceo) actiones lædere potest quodque in hepate sedem suam fixisse creditur, cũque putridum sit, illud impẽdiò æstuans, retorridumque fecit, putridum, inquam, quòd vim putrefaciendi habeat, & via putredinis ortum sit.

Quid lues gallica.

Insuper copia peccat, quòd plurima fit, & latè patens inflammatio, denique qualitate, & motu, quòd præcalidus, prætenuisque sit sanguis, & ad oculos confertim delatus. Quid igitur opus est facto? Necessum erit præsentem materiam euacuare per inaspectabilem euacuationem, eamque digerere, quæ autem fluit, fluxuraque est, deriuare, reuellereque, mulcere dolorem, sanguinem, iecurque temperare refrigerantibus, denique lues debellanda proprio Alexipharmaco.

Methodus.

Prognosis.

Non erit adeò peruium scopos indipisci, cũ vitium sit in sanguine bilioso, & lue infecto, atque adeò summæ energiæ, & peruicaciæ, & oculi sint ad patiendum aptissimi ob mollitiem. Cõgruo tamen præsidiorum vsu tandem optata ferre licebit.

Curatio per Chirurgiam.

Quod spectat ad Chirurgica probatur venę sectio, eaque repetita ex communi, tùm cephalica vena, hæmorrhoides consuetæ item recludendæ. Nec minus probantur hyrudines ponè aures admotæ, aut certè phenigmus eodem loco appositus ad auertẽdam fluxionem ab oculo, hinc enim intrò repunt quædam venulæ ad oculos, quæ apertæ solent esse summo vsui, vt nos docet Fernelius, qui hyrudines præponit setaceo. Huc faciunt frictiones supernè deorsum, & balnea tepentis aquæ plantis adhibita, &c. Post totius corporis purgationem, quæ frequens esse debet, nam

Per Pharmaciam.

lippientem alui profluuio corripi bonum, inquit Hippoc. subinde ad ligni sancti D. properandum, neque enim formidanda est cum Amato ligni caliditas, cum proprietate prosit.

Pro Viro quadragenario malo habitu detento.

CONSILIVM SEXTVM.

IVre scripsit Hippoc. difficilius esse cognoscere, quàm curare, nam quemadmodum naturæ res proprietatibus singulæ donantur, per quas facilè dignoscuntur, ita res præter naturam, cum ordine careant, atque adeò peculiaribus notis, non nisi per signorum syndromen percipiuntur. Hinc scripsit Gal. morbi cognitionem potissimùm coniecturalem reddere Medicinam, id quod commodũ nunc experiri contingit. Quare ante curationem stabilienda est morbi species, eiusque causa definienda, & quæ pars per se primò, quæ per consensum afficiatur.

Affectus idæa.

Quod spectat ad morbi idæam, equidem nil aliud esse malum, quo afficitur vir bonus, duco, quàm cachexiam, frigidam quippe humidamque totius intemp. cum materia congenere. Hæc ex

Causæ.

gemina ducit originem causa, nempè ex erroribus in vitæ genere, & ex mala viscerum diathesi, ex frigida scil. & humida stomachi intemp. qui ferax est pituitatis. Et quoniam vitium primæ coctionis secunda non emendat, vt est in ore Medicorum, hinc fit, vt in toto genere venoso hæc ipsa redundet, ab hac tumet lien infarctissimus, qui suo supersedens officio fæcem in massa reliquit, vnde totus sanguis inquinatus fuit, & perfectæ analepsi ineptus redditus. Quare si causas ex causis repetere licet, partes præcipuè, primòque læsæ sunt viscera, per consensum totum corpus. Causa verò immediata sunt recrementa pituitosa, & melancholica, quæ cum sanguinem vitiarint, id egerunt, vt malè nutritum corpus in cachexiam inciderit, siquidem apponitur alimentum, sed minùs agglutinatur, minimùmque assimilatur, hinc vitiosa nutritio fit, quæ est vacuati repletio ob alimenti conuersionem in nutriti naturam. Vtrum verò alia transnaturalis causa horum malorum interueniat, non contendo, qui scio cacodæmones infestissimos naturalibus caussis vti ad sua patranda facinora, vt docet Auic. cap. de Melancholia. Quidam ænobarbus humano capite quidem clitellatus, sed cætera Vulpis, vniuersos morbos ad dæmonas deriuat, Sacrificulosque, quibuscum pacto conuenit, adhibet, sicque per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, &c.

Causæ proximæ.

Pro Illustrissima Virgine sacra hysterícis affectibus obnoxia.

CONSILIVM SEPTIMVM.

AFfectus quibus Illustrissima Virgo percellitur, multi sunt, & multiformes, quandoquidem Domina stomachi anathropen patitur nauseam, anorexiam in ore percipit amarorem, in aure tinnitum, & visibilia omnia circumuolui videntur, quin caput maiusculum sibi esse, quàm reuera sit, & volitare sæpiusculè videtur, spirandi difficultatem patitur, cor sibi opprimi videtur, stomachus cardiogmo laborat, & angore quodam vniuersa viscera afficiuntur, toto corpore frigus percipit, præcipuè in inferioribus partibus, quæ veluti obstupescunt, propterea Virgo carnes stupeas habere se dicit, post frigus sequitur modicissimus calor, & mador quidam toto corpore manans. Pulsus semper rari sunt, & tardi. Hęc verò symptomata per interualla reuertuntur, cum sint typica, & reciproca, maximè vespere, & noctu, quo tempore tùm melancholia, tùm pituita commouentur. Non est cur singula in sua genera reducam apud viros sapientes, sed illud duntaxat attingam, læsas particulas quippe plures esse, vnde mala, quæ Dominam lacessunt, proficiscuntur. Namque vel tactu lienis, hepatis, & vteri infarctus, oppressioneque manifestiò percipiuntur, & ab his, tanquam ab Aquilone omne malum, sed vt hoc euidentiùs constet, longè repetam illud, vitium quippè primæ coctionis à secunda non rependi, hinc eruditates, quæ in ventriculo, & per errores externos, & per frigidam intẽp. colliguntur, delatæ ad iecur obstructiones contumaciores pepererunt, quibus iecur natura calidum ampliùs incanduit æstu, hinc vtriusque bilis prouentus, maximè nigræ, quæ à splene attracta quidem, sed minimè perfecta, aut absumpta nouos in liene ingenuit infarctus, per quos & lien suo ritè munere non fungitur, hinc maxima melancholiæ moles in tota sanguinis massa relinquitur, quæ sanguinem tum motui ineptum, tùm obstructionibus paratissimum effecit, hinc delatus ad vteri vasa ea obstruxit, vnde factum est, vt deinceps imminutè

Causæ.

Historia.

menses

menses abierint. Hinc factum est, vt ab hoc fonte omnia mala redundarint in vniuersum corpus, quis enim est, qui nesciat iuxta Hipp. doctrinam, menstruum sanguinem cohibitum propria conditione pernicialem ab vtero nouum malitię gradum indipisci, vnde sub vaporis specie diuersas impetens partes diuersos ciet affectus, scitum est illud Hipp. morborum vnum, & eundem esse modum, locum verò eum esse, qui differentiam pariat, quare caput inuadens delira, caron, & huiusmodi symptomata pro varia dispositione partis, dum verò spiritales partes aggreditur apnœa, angores, animi deliquia, & id genus alia inuehit, dum stomachum verò percellit, nauseam, vomitum, cardiogmon, excitat. Hinc Hipp. lib. de Virg. morbis sibi priùs edisserendum esse, ait, de epilepsia, de attonito morbo, de melancholia, cum vterina affectio speciem gerat, & similia inuehat symptomata. Neque mirum est, vteri affectus tam latè diffundi, cum per venas, arterias, & neruos principibus particulis, atque adeò toti consentiat. Hæc vniuersa mala à viscerum obstructionibus augentur, cum hinc non minimus fiat excrementorum prouentus maximè bilioſorum aucto iecoris incendio, quæ dum in ventriculum redundant vt ciborum appetitionem obliterant, ita amarore linguam inficiunt per communem tunicam, talis enim in ore sapor percipitur, qualis fuerit in ventriculo humor, cum igitur bilis fit amara, non est mirum, si ora amarescant. Vtrum verò subsit febris, necne equidem potiùs inficiari ausim, quàm affirmare, siquidem tardi, paruiq; semper emicuere pulsus, vt potiùs frigidam dispositionem testati sint. Quidquid sit tandem, medendi ratio postulat, vt excrementa ablegẽtur foras, obstructiones recludantur, iecur frigefiat, stomachus roboretur.

Lib de Flat.

Prognosis.

Hisce scopis nos respondere posse confidimus, Illustrissima Virgo hactinus nonnulla deuorauit pharmaca, & sibi maleoli venam tundi passa est, sed præsidia non satis fuerunt, quare probatur mihi noua sanguinis missio de saphena, nec minùs cauterium in crure dextero. Clysteres nunquam non sunt adhibendi, quemadmodum & fotus, & balnea inferiorum partium, quæ calastica sint, & emollientia.

Curatio per Chirurgiam.

Per Pharmaciam.

Inter pharmaceutica primo loco probatur cassia cum sp. hieræ picræ, subinde loco hieræ suffici poterit hellebori extractum, mirum enim in modum hisce affectibus opitulari solet. Expiato ritè corpore properandum ad iusculum turricolæ columbæ D. menthæ, liquiritiæ, filicis masculi, cort. rad. capp. thamaricis, cui prœmandere oportet bolum ex pul. rad. assari, salis arthimisię chymici concinnatum cum succo agrimoniæ densato. Dioscorides commendat vsum chalybis, qui cæteris non proficientibus vsurpari poterit ex Arte, &c.

Pro Senatore stranguria affecto.

CONSILIVM OCTAVVM.

SAtis, superque accepistis, Viri Excellentissimi, affectuum historiam, quibus Senator præstantissimus percellitur, quare frustra, non repetam eadem, ne inani verborum strepitu doctorum hominum aures obtundam. Illud certè non omittam, quod ad Domini temperamentum dignoscendum facit.

Illustrissimus, atque Excellentissimus Senator temperiem prœcalidam demonstrat per signa quidem physica, nempè corporis magnitudinem, floridum aspectum, habitum corporis eusarcum, per hetica, ingenij solertiam, celeres animi motus. Ventriculus nullam præsefert imbecillitatem, si Celso fidem habemus, multò minus, si Domino, qui nullis se affici molestijs secùdùm stomachum affirmat, hinc liberè viuit. Caput calidum sine excessu, pariterque siccum est, id quod ingenij vis arguit, & rheumaticæ dispositionis absentia. Cum hæc ita se habeant, nihilominus stranguria infestatur, non sine dolore, adeò vt frequentiùs matulam petere cogatur, & cum vrina arenulæ rubẽtes subsident. Tria igitur sunt nobis summopere perpẽdenda dolor, siue pruritus ille inter meiendum, substillum, siue meiendi crebritas, præterea rubræ arenulæ. Prior affectus nil aliud est, quam symptoma in actione deprauata sensus tactionis dependeus ab obiecto improportionato ad potẽtiam. Item vrinæ subsidium symptoma est ad ametriam in excreto pertinens, pendensque ab actione facultatis excretricis deprauatæ, quæ ad expellendam vrinam importunè mouetur. Arenulæ verò sunt opus præter naturam, quod non est morbus in numero, neque in mala compositione, sed est causa morbifica toto genere præter naturam producta à mala renum diathesi vnà cũ iecoris, & eorundem renum incendio ex crassa, viscidaque materie, quæ in renibus subsistit, quem admodum docet Hipp. qui in nobis perinde lapillos coalescere asseuerat, atque lateres in fornacibus. Quare ea nobis in præsentiarum incumbit cura, vt causas affectuum rimemur, &, quantum ipse assequi possum mente, ab vna scaturigine prouenire arbitror, nempè ab arenulis, quæ dum ad vesicam prouoluuntur eam lacessunt asperitate, atque conuellunt, hinc dolor, & meiendi vnà cupiditas exoritur. Neque calculum subesse puto, cum signa desiderentur, neque enim quoties meiendi, toties desidendi cupiditas incessit, neque dolorem in perinæo percipit, dum pede pulsat humum, neque aquæ visũtur vrinæ, aut muccagine refertissimę, vt ijs accidit, qui lythiasi laborant. Neque in renibus lapillos subesse suspicor, quoniam graui dolore circa lumbos non premitur, neque crura stupent, quæ sunt ex Hippoc. tecmiria lapilli in renibus latitantis, & licèt arenulæ videantur soboles lapilli, à quo abraduntur, possunt nihilominus citra calculi coalitum subsistere, vbi simulatque genitæ sunt, foras exturbantur, quod bonum est, si credimus Auic. quòd

Temperamentum.

Affectus.

Ratio symptom.

Causæ.

confestim expulsæ in lapillum non coalescant; præcedunt enim sæpe, non sequuntur arenulæ lapillum. Equidem plurimos noui, qui citra molestiam multos annos plurimum arenularum cum vrina expulerunt, & nulla interim lithyaseos molestia affecti sunt. Illud verò maximè perturbat, demortui scil. fratris exemplum, qui lapide miserimè laborauit, & tandem obijt; vnde certa quædam propensio, & dispositio colligitur naturalis, perquam facilè in eundem affectum incurrere poterit Dominus. Supereſt igitur, vt methodum inuestigemus, qua arenularum productio impediri possit. Arenulæ vt corpus quoddam toto genere præter naturam expelli, extirparique volùt, dein id agendum, ne deinceps regignãtur, id quod consequi licebit, si materia subtrahatur, nempè pituita, quæ in stomacho ob errores externos localem habet generationem, & si renum, & iecoris incendium remittatur, per quod resolutis tenuibus pituitæ particulis, quod reliquum est, solidescit in arenulas. Supereſt, vt videamus, nunquid propositis indicationibus satisfieri possit. Hipp. scripsit vitia renum, & vesicæ in valde senibus difficulter curari. Hoc tamen intelligi vult in valde senibus, quibus calor deest, hoc autem, quòd affectæ particulæ sint exangues, longèque distitæ à vijs, per quas remedia deferuntur. Spero tamen futurũ, vt ab hisce malis se se explicare possit Dominus non sine tamen accuratissima diligentia, & longo temporis tractu.

Methodus.

Prognosis.

Inter Chærurgica probatur venæ sectio ad iecur, reneſque refrigerandos, tùm cauterium in crure dextero.

Curatio per Chærurgiam.

Inter pharmaceutica probatur mel ros. sol. vnà cum el. lenitiue, cassia inter initia suspecta videtur. Inter præparantia probantur infusula D. Iupulorum, cicerbitæ sem. citri, quæ dulcorati poterunt iulapio viol. melle ros. simpl. & syr. de cort. citri pari modo commixtis.

Per pharmacia m.

Secundo loco probatur Rheub. infusio, & Agarici vnà cum melle ros. sol. Hoc pacto repurgato corpore proximum erit, vt ad præsidium aliquod confugiamus, quo viscera nempè iecur, & renes refrigerentur, roborenturque, tales autem erunt aquæ Lucenses ritè adhibitæ, ante quas aqua Tettutiana semel atque iterum vsurpari poterit ex arte, &c.

Pro eodem præclarissimo Senatore.

CONSILIVM NONVM.

Cur Medicinæ coniecturalis.

INter causas, quæ medicinam coniecturalem reddunt, affectus cognitio præcipua est, iunc scripsit Hippoc. difficilius esse cognoscere, quàm curare, cuius rei ea est ratio, quòd quemadmodũ res naturales, quarum est ordo, proprijs signis distinguuntur, ita res præter naturam carent, sed ex syndrome duntaxat conijciuntur, quæ cum aliquando non respondeat, fallaciorem cõiecturam reddit. Hoc cernere est apud Senatorem præstantissimum, qui licèt quibusdam teneatur indicijs, quæ latitantem in vesica lapillum significant, certiora tamen desiderari videntur, vnde medẽtium animi magna ambiguitate tenentur. Illud tamen fateri oportet, nos hactenus eam non adhibuisse acribiam, eamque accuratam distinctionem, quæ necessaria est, siquidem quædam signa aduentantem minantur lapillum, quædam iam genitum, & inchoatum demonstrant, quædam denique consumatum, & auctum lapidem arguunt, quare, cum nos peraucti, & grandioris lapidis signa non obseruauerimus, falsò inducimur ad credendum nullum subesse; Vt igitur exactè in affectus cognitionem peruenire valeamus, nunquid scil. subsit lithyasis, duorum instrumentorum vsum necessarium arbitror, quæ Mercurialis cõmemorat, quorum alterum syringa est, aliud autem digitus est, quorum vt illa minimè probatur, ita ille summopere arridet, cum enim vesica recto incumbat intestino, facilè Chærurgus digito in anum, siue in infernum guttur, vt ait Plautus, immisso explorare potest, nunquid aliquid durum, & lapideum subsit in vesica, quod tangenti digito renitatur, hinc tam magna inter vesicam, & intestinum cõsensio, propterea Brasauolus, & eo prior Rhasius scripsit illud esse vesicalis calculi pathognomonicum, si quoties meiendi, toties desidendi incessat cupido. Vbi ergo amplissimus Senator hac ratione certò dignouerit, quo affectu teneatur, certa quoque nobis medendi methodus monstrabitur, quæ consilia nostra dirigat, quod si lapidis suspicio præsentis tollatur, quòd summè expetimus, ea duntaxat nobis cura incumbet, vt D. præseruemus, & tueamur, ne incidat in affectum, id quod consequi fas erit summotis caussis, quæ ad affectum confluunt, cuius rei antea mentionem fecimus. Quòd si latentis lapilli signa subsint, non statim tamen ea veniunt vsurpanda præsidia, quæ Græcis dicuntur Lythontriptica, quoniam quædam occulta proprietate agunt, quædam manifesta, & inter hæc quædam sunt propria, quædam impropria, atque inter hæc adhuc tres reperiuntur differentiæ, siquidem quædam asperitate sua lapidis superficiem abradunt, quædam nondum exactè concretum valido calore dissoluunt, accedente partium tenuitate, & valida incidendi vi, quæ lapidi iam concreto sunt per quam noxiæ, tertia species fractum iam lapidem foras vnà cum lotio expellit, exturbatque, cuius farinæ sunt omnia diuretica. Sed propriè Lythontriptica tenuibus constant partibus ad penetrationem, humidis ad emolliendum, & calidis ad attenuandũ, & propterea maximè necessarius videtur delectus, ne magno calopodio paruum pedem calceemus, vt dicitur parœmia. Et licèt Lythontripticorum vsus à quibusdam improbetur, quòd renes effœminent, & noceant vesicæ, quinimò non desunt, qui arbitrentur, vanos omnino eorum conatus, qui eadem adhibent ad frangendos lapillos, quòd ea, quæ calore, & frigore concurrentibus concrescere vt lateres, nullo modo dissoluãtur, ita Arist. testatur in lib. 4. Meteororum. Hinc subijciunt, propterea Gal. tradentem lapidis curationem, dixisse necessariam esse transpositionem, aut certè, si perfecta sanitas desideretur, incidẽdam esse vesicam, & calculi subductionem, quasi verò nullũ nouerit remedium aliud præter incisionem. Sed quoniam

Quo instrumento vtẽdum sit ad dignotionẽ lapilli.

Lythontripticorum differentiæ.

Verum inanes sint Lythontripticorum vires.

non

non desunt remediorum myriades, quorum plurimi felicia tulerunt experimenta, age quædam celebratiora in medium feramus. Arist. interim respondetur, nos hîc non liquationem, aut dissolutionem per Lythontriptica quærere, sed in xysmata, & in arenulas comminutionem, nam & lateres franguntur in athomos, & minutula corpuscula. Galeno verò dicas, verum esse de veteri, solidoque lapillo.

℞. Asellorum præp. ℥.ij. Leporis præp. sanguin. hircini præp. spongiæ sylvestris. Rosæ ana ʒ.j. sem. violæ purp. sp. Lythontribi ana ʒ.ij.

Hisce pulueribus ritè paratis addenda erit conserua è capillis Veneris ad ℔. iiij. & cum syr. de succo lim. concinnandum erit electarium. Qui parentur Aselli, siue millepedes, consulendus est Augenius. Hircini sanguinis præparationem pete à Marcello empyrico lib. 2. epist. Medic. & ab Aetio lib. 2. cap. xij. Leporinæ pellis præparandę modum ab Alex. & à Matthiolo require. Qui verò Cynosbati spongia paretur, docet Dodonæus. Violæ purpureæ emulsio ex Aq. Veronicæ arcanum est Maximiliani Imperatoris.

dolcrianũ. ℞. Lapidis Iudaici, Lyncis spongiæ ana ʒ.j. Nucleorum mespil. ʒ. 5. Tragacanthæ, Gummi cerasorum, perficorum ana ℈. j. ß. terantur omnia ex arte, & vncia vna terebinthinæ excepta diuidantur in tres doses. Superbibitur iusculum è ciceribus rubris.

dolaneum. ℞. Ossium dactylorum cerasorum mespilorum ana ℈. ij. Lapidis Iudaici, Lap. spongiæ, Lap. in felle bouis reperti ana ℈. iiij. Cort. rad. Lauri, sem. Althęæ ana ʒ.ij. Cineris scorpionum ciendarũ ana ℈. iiij. fiat puluis, qui permisceri poterit conserue betonicæ, betonica enim tam benè facit rembus, quàm capiti, puluis sumitur cũ D. cicerum à ʒ. j. ad ʒ. ij. bolus deuoratur cum syr. adianthino ex cochleari.

Ioannes Argenterius præfert aquam Montis Catini omnibus auxilijs, cuius se feliciſſimum feciſſe periculum deierat. Mercato ad cautelam nil præstantius ol. Cydoniorum ad ʒ.j. ß. exhibito cum saccharo bis, terve in anno &c.

Ad dolores nephriticos ex arenulis commendat Gregorius Horstius Aquãuitæ iuniperinam.

Hippoc. lib. de natura mulieb. commendat semen herbæ æthiopicæ. Galen. 8. simpl. laudat Paliurum. Philagrius sanguinem hircinum. Scribonius millepedes. Aetius, Leporinam pellem. Auenzoar balsamum. Auic. elect. de cineribus.

Senatori post mortem dissecto, inuentus est lapis magnitudine nucis in vesica concretus, qui Augenij magno, & probato remedio nihil concessit.

Pro Virgine phthysica ex destillatione.

CONSILIVM DECIMVM.

QVamquam hactenus multa ex arte parata sunt ad ægritudinem arcendam, qua Illustrissima Vestalis Virgo afficitur, parum tamen promouimus, id quod ex eo contigisse putandum est, quòd morbosæ dispositiones habitum ferè contraxerint, nemini autem est incompertum, habitum difficilè submoueri. Quare remediorum iugi, pertinacique vsu edomanda morbi vis, & tota sympt. sylua sublucanda, quod est Celsi consilium in morbis longis. Quæritur verò nunquid Asellæ lac vsui esse possit, & sanè videtur, quod vel Gal. teste summè nutriat, & refrigeret, quæ duo valde sunt expetenda in præsenti. Sed dices, qui summè nutrire potest, quom sit præ cæteris lactibus serosissimum, scitum autem est ipsius Aristot. testimonio, aquea non nutrire, quod non crassescant.

Cur contumax ægritudo.

De Asinini lactis vtu sententia.

Cur dicatur multum nutrire.

Respondetur ea ratione, lac Asellæ summè nutrire, qua dilutissimum vinum dicitur refrigerare, celeritate nimirum refrigerationis, quòd modicum vini plurimum aquæ in penetralia quã mox conuehit, vnde partes luculenter refrigerantur, ita propemodum lac sumentibus vsu venit, nam cum sit admodum sereum, atque adeò meabile, citò penetrat, & in partis naturam facessit. Quare hoc nomine plurimum conferre posse videtur. Veruntamen cum Hipp. edicto vetitum sit lac dare cap. dolentibus, rheumaticis, hypochondria murmurantia habentibus, itemque biliosas deiectiones, præterea putrida feb. laborantibus; tutò huic Illustrissimæ Virgini lac destinari non potest, quom plurima eorum, quæ prædiximus, Virginem habeant. Quare parcere, temperareque satius est.

Ad hæc quæritur, num dulcis aquæ balneum conferre possit, hoc enim præter quàm quod refrigerat, & humectat, mitificè corporis habitum mollem, peruiumque reddit, & si credimus Celso, Galeno, & Auic. pinguefacit, maximè biliosa corpora. Sed & hoc noxium eò potissimum nomine euadere potest, quòd humores liquet, quod rheumaticas affectiones cieat. Quare cum maiora sint euentura mala bonis, supersedere operæpretium est. Quid igitur opus est facto? Illud Hippocr. in mentem reuocandum est. *Omnia secundũ rationem agẽti, & si non secundùm rationem eueniat, non esse transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.*

De dulcis aq. balneo sententia.

Hoc est igitur meum consilium, vt post hoc autumnale æquinoctium, maximè post pluuiarũ descensum repurgato leuiter corpore iteratò Chynæ D. repetat eodem modo paratam, quo exacto Vere vsurpauerat. Totos quadraginta dies, imò vsque ad Vergiliarum occasum hac decoctione utatur, hæc enim excrementitias humiditates assiccat, & interim substantificas, si credimus experientiæ inauget. Probantur in eosdem scopos boli ex terebinthina lota addito pulmonis vulpini puluere, probantur item guttulæ ueri balsami, aut spiritus terebinthinæ, aut chalcanti eo maximè tem-

mè tempore, quo expectoratum iuuare necesse est, & infarctus pulmonum expedire. Vesperi vsurpandum identidem hoc electarium.

℞. Conf. betonicæ, symphiti, absynthij pontici, sacchari ros. ana ℥. ij. pulu. olibani ʒ. iij. cum syr. de pomis, & s. elect. Hoc Autumno parari poterit vinum medicatum citragine, botryde, pulmonaria, quod sanè admodum conferre poterit, si singulis diebus prima mensa inter prandendum, & cœnandum hauriatur (neque enim hîc Obicij ficulneas rationes moramur, qui negat vinũ medicatum conferre posse, imò perperam vsurpari, ait: In victu medicamentum, bonum, inquit Hip.) His recta victus ratio adscribi debet, quæ perq̃ viribus consulat, neque morbum augeat, propterea alimenta polychima sunto, quæ minima ingesta plurimum educent, proin commendantur oua sorbilia, testes gallorum, gelatinæ, consumpta, instaurantia, hepata gallinarum. Inter bellaria conceduntur mar ci panes, phistici, aqua ros. loti, & saccharo respersi. Legaria, horarij fructus, & reliqua, quæ hortus affert, alimenta, tantillum ablegentur, donec pristinæ integritati restituatur. Probantur carnes pullorum nutritorum testudine, & tritico simul incocto. Tabida superueniente alui fluxu è viuis decessit.

Vinum Medicatum.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS OCTAVA.

Pro Muliere tabida, ex catarrho cum feb. putrida.

CONSILIVM PRIMVM.

Morbi Historia.

VEllem Reuerendissimo Viro me feliciore auspicio, & meliore sub Astro morigerum, & obsequiosum præbere, sed quæ præ oculis obuersatur morbi historia thanasima tota est, libitinamq; penitus redolet, quare vehementer dubito, ne misella vllam susc ipere valeat curationẽ fœmina, quandoquidem duarum febr. implexu eam laborare comperio, nempè putri, & hectica, & præterea iugi destillatione, quæ tussim excitat molestiorẽ, quam ego salsiusculam suspicor. Hi affectus præterito iam autumno pullularunt, quare chronici, & habituales appellari possunt. Patiens cum esset grauida, progrediente tempore tandem peperit filiolam, & à partu non modò sensit leuamen, sed potius priores affectus cumulati sunt ob papillarum inflammationem, quæ ad suppurationẽ peruenit remanentibus nihilominus primis passionibus, id quod maximam mihi injcit iuspicionem, futurum, vt mala sint incurabilia, quoniam id, per quod maximum sperabatur commodum, si affectus non auxit, certè nihilo magis redemit, partus, inquam, qui solet per purgamenta vniuersa mala subtrahere.

Affectuum ratio.

Sed vt rem Domino penitus exponam, vniuersa mala, quibus agra implicatur, ab illa ferina destillatione originem traxere, quæ in pulmones decumbens, ibique putrescens intemp. primò excitauit, & flaccidam reddidit substantiam tùm affectionem cordi communicauit, cuius substantia cum ad calidam, siccamque intemp. peruenerit, cum toto incommoda sua participauit corpore, hinc macies, & tabes totius corporis. Hæc eadem destillatio in venas peruadens putridam excitauit, dum eadem materia vnà cum bile computruit. Quid mirum igitur, si corpus hac pessima habitudine detentum suas ritè non obit functiones, si stomachus cruditates gignit, & tota naturalis œconomia subuersa est, vnde excrementorum prouentus augetur, quæ obstructiones circa præcordia pariunt. Quare si à catarrho tanquam ab Aquilone omne malum, necessum erat omnem tollendis rheumatibus operam nauare, eorum caussas remouendo, non neglectis tamen cæteris affectibus.

Methodus

Præsidia Chirurgica.

Inter præsidia Chirurgica (quamquam irrita omnia remedia fore suspicor ob morbi vim, qui iam apices attigisse videtur) probatur cauterium in brachio sinistro, item in ceruice setaceum. Super coronariam futuram admoueatur ceratum catarrhi suspensiuum, quale est illud Montagnanæ de corticibus castaneorum, aut myrrhatum Foresti, quod confieri solet ex myrrha, thure, myrtho, rosis, corallijs, iride, mastiche in puluerẽ redactis addito ladano, & cerę sufficienti quantitate. In hoc fonte continentur & litus, qui toti corpori adhiberi debent cum ol. amygd. fine igne expresso vnà cum succo oxalidis, adeò vt singulis olei vncijs addatur succi didrachmum.

Pharmaceutica.

Inter pharmaceutica probatur caffię Ægyptiacæ atramentum semel singulis hebdomadis deuoratum, quod si mallet potionem, libenter concederem ℥. v. syrup. viol. sol. cum mannæ pinguioris vnciola dissolutas in iusculo pulli D. sem. citri, & melissæ.

Ad allioſim verò probatur serum caprillum depuratum D. fol. sambuci, quod sanè præsidium plurimi facit Theodosius, & Epiphanius in huiusmodi affectionibus, quæ putrem cum hectica febrem implexam habent. Probantur item insculapullastræ iunioris D. maluæ, farfaræ, capill. Veneris recentiorum, & agrimoniæ virentis, & intybi. Interdum etiam ptisana dilutior cum emulsione sem. melonum vsui erit. Quod si horum præsidiorum vsu nihil proficiatur, libẽter ad Asininum lac facerem gradum (maximè si putris reliquerit) in quo Chynæ bracteolæ priùs maduerint, aut efferbuerint, seu puluisculus sit immixtus, vix enim moram lac patitur. Et quamuis in catarrhis lactis vsus suspectus esse videatur, in hoc tamen casu admodum prodesse potest, cum pluribus præsto sit indicationibus, quas ante oculos habere in primis oportet. Hoc interim spatio à cœna adhibeat tabellas diacodij, paulatim deglutiat. Ante matutinos syrupos deuoret morsulos cõfectos ex pulpa pect. gallinæ, sem. mel. amygd. dulc. cum modico cornu ceruino, & margaritarũ puluere saccharo aq. ros. diss. exceptis.

Victus formula.

Victus frugalis esse debet, ne virtus imbecilla succum-

succumbat, identidem tamen offerri debet, prout opportunitas tulerit, laudantur oua sorbilia, hordeata cum emulsione sem. melonum, collatitia, & similiter conceduntur prima mensa pepones, & anguriæ parcissima manu sumptæ, vt per seroſam humiditatem reliquum alimentum in penetralia conuehatur. Omittatur vinum, & acetum. Vsurpetur stillatitia aq. ex pullorum carnibus, aut iusculum D. oxalidis, aut trifolij acetosi. Hæc verò sunt, quę obiter in rem præsentem in mentem venerunt pro ægrotæ incolumitate, cui languorum omnium Medicus Deus pristinam sanitatem larga manu concedat, precamur enixè.

Pro vetula Nobili gibbera lenta feb. cum Rhenum dolore correpta.

CONSILIVM SECVNDVM.

Morbi Historia, & difficultates.

ANte tres hebdomadas, mēse Nouembri nobilis Anicula & feb. & rhenum dolore lacessiri cœpit sine vlla intermissione, quare ea nobis incumbit cura, vt inuestigemus nunquid febr. à rhenum affectu dependeat, necne, quòd si non pendet, quæ nam sint caussæ eam producentes, & tandiù fouentes, quem sperare possimus euētum, qua methodo vtendum sit ad feb. submouendam, præterea, vnde dolor rhenum excitetur diligenter scitari necessum est.

Resolutio 1. Quod ad primam difficultatem, planè, & constanter asseuero, hanc feb. nullatenus ab affectibus rhenum proficisci, verùm esse duplicem tertianam admodum notham, seu maius quotidianam ex putredine pituitosorum recrementorum circa stomachum, & præcordia stabulantium, namque si feb. hæc à renibus penderet, phlegmonem aliquam, aut vlcus præcessisse opus esset, & quemadmodum vlcus parit febriculam quandam vniformem, quæ cum hectica cognationem habet, vnde tabis rhenalis meminit Hipp. qua febre fortassis nuperrimè sublatus fuit Excell. Procurator non sine medentis præfatione, ita feb. ex rhenū inflammatione solet esse ardēs, & prauis symptomatis stipari, nempè rigore quodam inęquali, vrinæ ardore, aut etiam stranguria, vt ait Aetius. Sed hîc nihil talium obseruatur.

Resolutio 2. Quod ad secundam spectat difficultatem, Gal. docet, quatuor esse caussas longæ ægritudinis, nempè effœtas vires, materiei copiam, crassitiem, frigiditatem, immobilitatem, corporis dēsiorem habitum, & ambientis frigiditatem. Hinc rectè scriptum est ab Auic. ætate omnes morbos de medio tolli.

Resolutio 3. Huc omnes caussæ confluere videntur, siquidem ob ætatem virtus languet, subest excrementi crassioris, & frigidioris copia, quam & errores externi, & maximè intermissa vomitio, & ventriculi imbecillitas peperere, hyems riget, præterea, cum sit mulier habitum corporis densiorem possidet, vnde minimè extenuatur. Hinc rectè Hippocr. *In morbis nihil extenuari carpora, aut etiam plus quàm ratio postulat contabescere prauum, illud enim morbi longitudinem significat, hoc acutiem.* Quare supereſt vt morbus iste longus sit futurus.

Quod verò ad tertiam difficultatem, quorsum scil. euasurus sit morbus, dico æquum esse sperandi, atque dubitandi momentum, quòd Gal. scripserit hujuscemodi feb. periculo nō vacare, quòd Hipp. edicto monuerit senes iuuenibus minùs ægrotare, qui verò ijs contingunt morbi maxima ex parte comitari ad mortem, cuius hæc esse potest ratio, quòd concoctio cessare facit putredinem, vt ait Gal. & coctiones in senibus caloris defectu perperam fiunt, propterea alibi idem Hipp. scripsit, *grauedines, & raucedines in valde senibus coctionem non admittunt.*

In hac tamen rerum ambiguitate interponitur spes aliqua salutis, quòd vires constent, & benè se habeat ad oblata, vnde virtus naturalis adhuc pristini tenoris vim retinere videtur.

Quod verò ad medendi methodū, oportet, inquit Galen. in primis vnamquamque caussam rescindere, deinde ad eam, quæ facta est, discrasiam peruenire, cum in regimine curatiuo caussa primùm inuestigari debeat, qua inuenta cura est eius abscisio, quare vnoquoque materiæ vitio ad examen reuocato necessum erit singulis remedia opponere, copiam imminuendo, crassitiem extenuando, frigiditatem temperando, obstructiones detergentibus, & incidentibus recludendo, & interim viribus studere operæpretium erit, quarum est coquere, digerere, & superuacua expellere, hinc scitè admodum notauit Auic. *Quòd virtuti robur conciliare sit unum ex præstantioribus auxilijs, quæ conferri vnquam possint progrediente malo.*

Quæ caussæ efficiāt rhenum dolore.

Quòd verò ad dolorem rhenum attinet, scripsit Auic. dolere rhenes ex quatuor caussis, nempè ex apostemate, ex flatu, ex calculo, aut ex intemperie, quam ipse vocat imbecillitatem, siquidem omnis intemp. imbecillitatem parit. Dolor hic non est soboles apostematis, nam hoc parit feb. sine typosi, & sine ordine, non ex intemperie, quia non tam repentè erupisset. Quare supereſt à flatu, & calculo proficiscatur, id quod facilè conficiat poteſt, siquidem ægra mulier lythiasi opportuna est, & nephriticis doloribus ex arenulis, quibus explosis dolor omnis subsedit. Si negatio est caussa negationis affirmatio erunt caussa affirmationis, vt est philosophicum proloquium. Quare nō est dubium, quin dolor ex calculo proficiscatur. Calculus non est morbus in numero, sed caussa morbifica toto genere præter naturam, quæ transpositionem postulat, & fractionem.

Modus curandorum horum dolorum ab Hipp. 6. Epid. docetur, dum inquit, *Quiescere non iuuat, sed exerceri* (mediocriter, inquit Hollerius.) *Non repleri*: (repleto enim corpore cruditas ad dolēs locum confluit) *Iuuenes elleboro purgare*, nos non elleboro, sed leuioribus medicamentis, & clysteribus purgamus, *Poplitis venam secare*: Repleto corpore basylicam priùs secamus, ait Hollerius, vbi rhenum magna imbecillitas est, *Crientibus vrinam purgare*. Non perpetuò, sed iam benè purgato corpore, & ubi nulla phlegmones suspicio est. *Attenuare crassam, viscidam, & coactam materiam mollire*. Hoc est mollita, & laxa reddere corpora, per quæ calculus foras deducatur. Vtrum uerò hos scopos facilè consequi possimus, dico, labo-

Modus curandi rhenū dolores ex Hipp.

laboriosam esse prouinciam, nam cum hactenus calculus exire nequiuerit, arguit tùm viarum angustiam, tùm eiusdem molem, quare atteri priùs debet, &c. difficultatem auget excrementorũ confluxus in rhenes, vnde meatus offarciuntur. In hisce angustijs seb. potiùs incumbendum esse arbitror, quàm lapidi, quum dolorem molestum non exciter, febri inquam, cum hinc maius impendeat periculum, accedat sine feb. remotione tutò remedia calculi vsurpari non posse.

Præsidia. Inter præsidia euacuantia probantur enemata concinnata ex D. maluarum, parietariæ, mercurialis, betæ, sem. fœniculi, cui addi potest Benedictæ laxatiuæ nonnihil interdum, quæ quadam in hisce affectibus prærogatiua donatur; febri quoque hinc consuletur, quare vna, eademque fidelia duos parietes dealbabimus. Hinc benè scripsit Auic. cap. de generali curandarum feb. Methodo.

Et magis dilectum est mihi vti clysteribus, &c. Quare operæpretium esse arbitror pharmaca in præsenti omittere, donec coctiones elucescant, quæ fiunt quiete, vt docet Auic. cap. de cura Feb. Gener.

Inter alliotica probantur iuscula D. rad. aperientium. Terebinthina, quamuis ab Hollerio potiùs ad cautelam, quàm ad curationem commendetur, attamen mihi non improbatur, quia summa pollet aperiẽdi, & expediẽdi obstructiones vi.

Reliquam curationem in victus formula reponimus, &c. Hîc animaduertant studiosi, quàm perperam illi se gerant Medici, qui quotidie aliquid noui moliuntur, aut enim pharmacum propinãt, aut clysterem injciunt, aut cardiacos bolos, præscribunt, hi verò, vt ait Galenus, quoties ad ægros accedunt, toties peccant, quidam verò peccant per ignauiam, & illi tolerabiles sunt, quidam per malitiam tùm vt morbus protrahatur ex vi pharmacorum debilitata natura, tùm vt Seplasiarijs, quibuscum conueniunt, morem gerant, tùm vt Clinicis videantur diligentiores. Proh nefas. *Appellente Vere conualuit.*

Excellentissimis, atque Præclarissimis Medicinæ professoribus Ioanni Colle, & Ioanni Præuotio Ioannes Stephanus Cenetæ Archiater felicitatem.

Historia Febrium, quæ anno M. DC. XXIX. Cenetenses populariter infestabant.

CONSILIVM TERTIVM.

Historia. GRassantur apud nos feb. malignæ, & pestilentes, quæ homines primùm cunctanter adoriuntur, paulò post inualescentes summa incandescentia efferantur, & gliscunt, virusque, & latens cacoethes multiiuga sympt. frequentia proferunt, & produnt, quò fit, vt plurimi intereant. Sunt, quos blandus calor, parumque permutatus pulsus, lotiumque laudabile fallunt, & confi-

Ratio symptom. ciunt. Sunt, quos somnolentus torpor inoccupat, aut virium languore, aut vaporum copia ligato primo sensorio. Sunt, quos iectigatio, siue subsultus, conuallentesque motiunculæ impetito neruoso genere à maligna qualitate lacessunt. Ægri stare loco nesciunt præ interno incendio, & communicata musculis maligna qualitate. Plurimi peruigilio exercentur omnibus verò corpus exanthematis, & ecthymatis scatet, internum incendium inexplebilis sitis, & summa linguæ, & faucium ariditas excipiunt. Paraphrenitis vigente morbo fatigat, furitque. Quibusdam liquidis aluus fluit excrementis, qui facilè euadunt, si vires sustineantur. Diaphoreticus sudor emergens omnes funere mergit acerbo, & è medio tollit. Nos, qui Cenetensium, & Accolarum consulimus incolumitati anxij nil intentatum relinquimus, nihil non audemus, quod vsui esse arbitramur languentibus. Quid verò? Pharmaco exacerbatur morbus (respuente cane omnem pharmaciam.) Præsidia Vt sterquilinia, si commoueantur, peiùs olent, ita interna putredo medicamento percita plures effundit vapores, & graues halitus, quibus ictum cor premitur, & opprimitur. Humidis cucurbitulis, hyrudinibusque admotis vires lacessuntur, parumque proficiunt, quum imparia morbi magnitudini sint remedia. Phlebotomiam non præscribimus virium, quæ non constant, primò enim insultu lacessuntur, & calumniæ metu, apud eum vulgus ea inualuit opinio, ijs, quibus peticulis, rubentibusque maculis cutis fœdatur, non esse tundendam venam, sanguinemque mittendum, cui nos certè in præsentiarum libenter temperamus, & parcimus, quamquam non ita promiscuè assentimur. Reliquam curationem allioticis, & afficiẽtibus cùm aperta, tùm abdita facultate, quæ modò calore, modò frigore tanquam suæ proprietatis organo vtatur, pro humoris dominatu absoluimus. Vt plurimum acida vsurpamus, frequenter etiam hydrotica leuiora procedente morbo, vt naturæ conamen, & aggressus promoueamus. Nonnunquam etiam phœnigmos admouimus, vt ichores, & virosa sanies euocarentur, & euacuarentur ijs potissimùm, quibus impẽdet delirium, aut extremis particulis algentibus, viscera summo torrebantur æstu. Frictiones, siccas cucurbitulas, & Aetij Amideni illitũ non omisimus. Aliquibus scorpionum oleo emunctoria obleuimus, vt eò virus substantiæ familiaritate alliceretur. Haustum agonisticum, quem Arabs Archiater commendat, non concessimus, nec validiora cathartica (quod est Celsi consilium) inchoante morbo propinauimus, etsi quidam sequius sentiant, tum quod materia turgeat, tùm quòd venetica sit, omnes contraria experientia contendunt, nos ad vires, & rei eventum collimauimus. Visi sunt, qui nullo artis subsidio reualuerint etũpentibus magno impete peticulis, aut commota spõte aluo, victuq; pleniore recreatis viribus. Nos ædepol Auic. consilio freti victum ex media materia frequenter, & tenuiter, & medicatum concessimus, ne vires alimento defraudatæ labascerent, id quod etiam Cœli status (viget enim sydus triste caniculæ) & conditio reposcunt.

Lues hæc ad sanguinem, & tenues ichores analogiã habet, hinc summè alterascit, & putret sanguis, facessit tamen quam mox tenuis portio in Analogia bilẽ, vnde duplices tertianæ repullulant, & redeũt quotidie cum epistasia: Nos ita sentimus.

Hipp.

Hipp. duas morborum causſas agnoſcit, alimentum, & aerem. Nos ſanè morboſum apparatum, & cacochymiam ſubijci,& ſubſterni à praua victus ratione ſciſcimus (anteceſſit enim illa portentoſa annonæ penuria, quæ prauis alimẽtis plurimos vti coegit) excitari verò ab inſalubri aeris conſtitutione, quæ mitior ſit, quàm vt peſtem committere poſſit, neque enim putridus eſt aer, nec aliunde viroſa ſuſcepit ſeminaria, ſed euidentium duntaxat qualitatum exceſſu laborat, quare profunda, & ſordida putredo excitatur ijs modò, qui ſummo cacochymiæ vitio tenentur, quæ veneni vim gemina proprietate æmulatur, triſtantur enim conſeſtim præter modum ægrotantes, & vires affectis ſpiritibus, & calore labuntur.

In his calamitatibus Viri prudentiſſimi apud quos eſt rerum, & remediorum copia, precariam opem imploramus, & obſecramus, vt ſiquid habetis compertum, quod tam pernicioſo Caco eat obuiam, & petulantes inſultus obtundat, & cohibeat, nobis commune faciatis, beneficiũ enim non in me duntaxat collocabitis, ſed in totam Ciuitatem, quæ eo nomine vobis plurimum deuincietur. Valete Patauini Lycei ornamenta.

Cenetæ M. DC. XXIX. Pridie Kal. Iulias.

Pro Myſtagogo feb. malè morigerata, & cardialgia laborante.

CONSILIVM QVARTVM.

AD feb. putridas paratiſſima eſſe corpora calida, & humida ex Arabis Archiatri decreto ægrotantium corporum frequentia argumento eſt, quare non eſt mirum, ſi perquam Reuer. Paſqualinus Maſottus in fano D. Iuſtinæ dicato Protomyſtes Vir bonus, & mihi ſumma neceſſitudine coniunctus, euſarco habitu, & calido, humidoque temperamento præditus, cui in primis iecur magno æſtu retorridum ventriculus, vt fieri ſolet, frigidiuſculus erat, atque adeò imbecillis, poſt validam exercitationem (longè enim vna cũ cæteris ſacrificulis ex ordine binatim proceſſerat, vt ſcelerum veniam deprecaretur, & celerem in præſenti rerum humanarum calamitate imploraret opem) graui quadam, & inſolenti incanduit ira, à qua leui quodam tanquam prodromo præcurrente rigore in febr. incidit. Vrinæ erant tenues, & aqueæ, cap. dolor vrgebat, moleſta ſitis infeſtabat, pulſus erant celeres, calor acer circa thoracem, quare primo acceſſu feb. è genere putridarum eſſe, facilè erat colligere. Poſtridie de hypagogo propinando conſilium capitur, æger reſpuit cauſſam ſubijciens, quòd vigeret ſydus triſte caniculæ, *quæ febrem, & morbos miſeris mortalibus affert*, vt canit Homer. quo tempore difficiles ſunt purgationes. Admiſit tamen noſtro conſilio inductus, quo plurima biliioſa educta ſunt. Veſperi à cœna iterum incaluit nullo præcurrente rigore, ſtomachi dolore grauiter ſe affici ſenſit, ægerrimè totam noctem tranſegit, ſummo mane extremarum partium frigore laceſſitus nouos ſtomachi paſſus eſt cruciatus, moleſtè tulit, cui vt ſuppetiatũ iremus, clyſteré injici iuſſimus addita caſſia, ſubinde iulapium violaceum dilutum modica fl. chamæmelli aqua ad dolorem mulcẽdum obtulimus, quibus nihil conferẽtibus ſuccus dulcium amygd. exhibitus profuit, doloremque ſopiuit, interim aluus ſponte commota biliioſa, grauiter olentia vitellis ouorum ſimillima deiiciebat feb. perſeuerante, licèt inclinaret. Nocte ſubſequente vtcunque dormitauit, poſtridie febricitabat quidem, ſed nullis laceſſitus doloribus, ſibi ipſe videbatur valere. Ego tamen retorridæ bilis impetum reformidans præmiſſo enemate binos phœnigmos admoueri femoribus iubeo ad auertendum humorum impetũ. Veſperi à cœna duabus horis facta eſt feb. anadiploſis, in ſomnis totam noctem ægerrimè tranſegit, dolor crudeliùs inceſſebat, & laniabat ſtomachum, vnde miſer ſponte hydrelæum hauſit, pauca euomuit, ſed nihil remiſit dolor. Ad matutina crepuſcula noua non ſine epiſimaſia rediit acceſſio, dolor ingeminatus moleſtiùs affligebat, clyſteres præſcribuntur, roborantia admouentur ad ſiſtendum innati calidi effluuium, hordeacea polenta offertur cum mali punici ſucco, item panis offa auſtero vino intincta. Multa cardiaca ex præſcripto ordine adhibentur, ſed omnia incaſſum tentantur, malum enim perſiſtit. *Ac ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Hiſtoria Morbi.

Præſidia.

Plurimi adhibiti in conſilium Medici ſuper ſolutam aluum non dubitarunt præſcribere caſſiam cum thamorindorum pulpa, quæ ſanè nihilo profuit magis, anodyna ſtupefacientia, nempè recentem theriacen propoſuimus, quæ tanti à Galeno æſtimatur ad cardialgiam ſubmouendam, ſufficitur ſyr. de papauere. Humidas cucurbitulas infernis partibus admouendas inculco, cruribuſque admouenda duo alia veſicantia, pro quibus à ſenioribus præſcribuntur ſynapiſmi, & rubificantia. Serum caprillum depuratum propinatur, lapis bezoar cum aq. cardui adhibetur, aliaque cardiaca multa, cumque dolor, & morbus in dies inualeſceret, vireſque doloris acrimonia, & vigilijs fractæ labaſcerent, tandem ingruente octaua acceſſione eius feb. quæ cum epiſimaſia recurrebat, obdormiuit in Domino è viuis ſublatus. Peſſimæ ſunt febr. quæ diebus paribus inuadunt docente Hipp 1. Epid. exemplo Pithionis, Philiſci, &c.

Ratio ſymptom.

Proximum iam eſt, vt res præter naturam ſub examen inducantur, & primùm quænam fuerit feb. eſſentia, & exiſtentia, breuiter diſcutiamus.

Ad eſſentiam ſpectat ſpecies, & idæa, ad exiſtentiam magnitudo, motus, mores. Cæterũ prænoſce decet, duarum feb. implexum adfuiſſe, quę vt foco, locoque putredinis diſtinguebantur, ita cauſſis conueniebant. Ita eſſe, inuadendi modus arguit, quæ enim cum epiſimaſia, & extremorum refrigeratione inuadebat, ſignatum habebat putredinis locum, ad quem totius ſollicita natura tanquam opem allatura calorem, & ſpiritus reuocabat, hinc extrema algeſcebant, & ſanè locus is erat circa hepatis caua, vnde per diadochen ſubinde magna retorridæ bilis copia ad ſtomachũ eructabatur, quæ ſummos afferebat cruciatus. Quæ verò ſine epiſimaſia, & ſignificatione euidenti paroxyſmum committebat, materiam in

medijs venis cohibitam habebat, in medijs, inquã, venis, nam si in minimis feb. interpolem putrefacta peperisset, si in maximis ardentẽ, & continentem feb. sed nihil tale hîc aderat, status enim habebat periodos auctionis, & decrementi participes, calor exurens, & sitis incompescibilis duæ ardentis feb. tecmiria, desiderabantur, quare erat quidem feb. perennis, sed proportionata, nõ causus, nisi communiter.

Definat igitur deblaterare craſſioris Minervæ Homo Doleonus, qui aliter sentiebat, & submussabat. Quod igitur spectat ad speciem, febr. hæ erant bilioſæ, atque adeò tertianæ, id quod ab essentialiter inhærentibus, & necessariò consequentibus erat colligere: Ab illis quidem, quia calor acrior erat, & mordax. Ab istis, vtputa læsa actione vitali, quia pulsus erant celeres, frequentes. Naturali, quia sitis aderat, & deiecta cibi appetentia. Animali, quia pertinaces vigiliæ infestabant. Ab excreto, bilioſa nempè deiectione. Qualitate mutata, corporis colore in citrinũ mutato, oris amaritie. Accedunt præcedentia, nempè incongruum exercitium, ira feb. consanguinea, meracioris vini vsus, æstuosum anni tempus, iecoris impensa caliditas, quæ singula bilioſi excrementi prouentum parere potuerunt.

Ad existentiam pertinet magnitudo. Morbus hic triplici nomine magnus erat per se, malitia, causſæ, & symptomatum vehementia. Per se quidem, quia magnus erat recessus à statu naturali, quia principes particulæ laborabant, quia non aderat tolerantia. Malitia causſæ, siquidem bilis vitellina insigniter putruerat, validæque erat actionis, vehementia symptomatum, quia cardialgia vehementer infestabat, terrificum symptoma.

Quoad motum, feb. hæc celerẽ motum habebat, bilioſum enim generat acutum, inquit Hipp. atque adeò celerem morbum.

Si mores spectemus, suberat cacoethes, qbòd ex superuenientibus, quæ augescente feb. emersere, erat conijcere, nempè ex virium repentina iactura, ex pulsuum depressione, & frequentia citra paroxysmi suspicionem, ex linguæ ariditate, & nigritie, ex frigore extremorum, cum interim præcordia intus flagrantia torreantur, ex perpetua corporis iactatione, denique ex vigilijs, & rebellione, quando enim morbus nihil concedit præsidiis ritè adhibitis, vt vires etiam sine cauſa prosternantur, malignum aliquid subesse suspicandum est.

Superest, vt cardialgiæ rationem reddamus. Cardialgia vitium est, quam à parte affecta nomen, & appellationem sumit, antiqui enim Medici os supernum stomachi cor appellabant. Est porrò cardialgia sensio corrupta oris superni vẽtriculi pendens à solutione vnitatis cum qualitate dolorifica vehementer infensa. Forma est sensio corrupta, quod cognoscens Gal. 1. de sympt. cauſſis cap. 7. ait, cardialgiam esse sympt. è tactorio genere: subiectum est os ventriculi supernum: efficiens est solutio vnitatis cum qualitate dolorifica vehementer infesta, nam doloris cauſſa immediata est solutio vnitatis, quatenus est obiectũ tactus improportionatum, addidimus qualitatẽ dolorificam valde infestam, vt distinguatur cardialgia ab alijs doloribus, in quibus non viget hęc qualitas, vi cuius impendet lypothimia, & syncope, vnde cum dolore non annectitur angor, quem admodum in cardialgia, propterea Galenus cardialgiam symptoma satis infestum appellauit. Porrò vnitatem soluebat acerrimæ bilis appulsus ad os ventriculi, & venefica quædam qualitas, quę ex minera putredinis efferebatur.

Peruigilium verò proficiscebatur ex acri, & putri anathymiasi, quæ animales spiritus, & cerebrum calfaciebat, agitabatq; spiritus. Sitis cauſa erat immodicus calor, at siccitas uentriculi, lingua nigrescebat ob suliginum copiam, & uiscerũ ardorem. Iactatio fatigabat communicata musculis maligna qualitate, & quia uiscera intus æstu retorrida flagrabant. Diarthæa ex bilioſi humoris copia, & effusione ad intestina pendebat uitellina erat bilis non ex pituitæ commixtione, sed ex superassatione, vt voluit Galenus, & quoniam irritata facultate prodibat, symptoma erat, non crisis.

Illæ uerò nobis ob oculos uersabantur indicationes, ut febr. calorem refrigerantibus infringeremus, putridam materiam euacuaremus, putrescentem cohiberemus minuentibus, allioticis, alexipharmacis. Methodus.

Morbus hic erat lethalis ob insignem magnitudinem, & ob lethale symptoma, quod nullis concessit præsidijs, quamobrem quam mox Amicos prænonui de instante mortis periculo. Prognosis.

Curatio perficitur manuali operatione, pharmacis, & diæta. Ob cardialgiam præsentem omissa fuit phlebotomia, cucurbitulæ eius uicariæ à senioribus neglectæ, sola ueficantia, & synapismi adhibiti fuere, & clysteres. Curatio per Chirurgiam.

De pharmacia prompta sunt auxilia uacuantia, & alliotica inter euacuantia sola hypagoga admisimus, usus frequens clysmorum ad deriuandam ad intestina bilem, nec enim opus fuit multis, cum alius sponte satis esset cita, obtulimus tamen cassiam cum thamarindis, & cardiacis pulueribus. Hydrelæum semel, atque iterum propinauimus tum ad obtundendã bilis acritudinem, tùm ad uomitionem ciendam. Inter alliotica, quædam occulta, quædam aperta qualitate pollebant, quæ aperta qualitate prædita erant, dirigebantur ad extinguendam tum feb. tùm bilis nimiam caliditatem. Per pharmaciam.

Inter cætera apozemata serum caprillum depuratum cum syr. de succo limonũ exhibuimus, iusculo alterata oxalide, trifolio acetoso, prout usus exigebat modò cum iulapio acetoso, modò cum emulsione sem. melonum.

Ad dolorem mulcendum adhibita sũt præsidia interna, & externa. Interna fuerũt aq. chamæmelli (est enim mirabile anodynũ) cum iulapio uiolaceo, succus amygd. dulc. buccella panis uino intincta. Volebam offerre bolum theriacę recentis, sed huius uice syr. de papauere fuit substitutus.

Inter extetna primùm adhibita sunt ol. cydoniorum, malliches, subinde etiam fomenta præscripta sunt. Quibus nihil profectum est. Meditabar fotum ex maluis und cum butyro applaudens Mercato, qui tanti eum facit, sed non affulsit

oppor-

opportunitas. Inter alexipharmaca in usum uenit lapis bezoar, margaritæ, cornu cerui præp. lozengiæ etiamnum adhibitæ fuerunt, quæ conficiebantur ex pulpa pectoris gallinæ, sem. melonum, amygd. dulc. pulueribus smaragdi, margaritarũ contrayeruæ, quæ quidem omnia in pollinem redacta saccharo aq. ros. dissoluto excipiebantur, & cõcinnabantur lozengiæ. Quibus remedijs cum maior esset morbus, miserum ægrotantem è viuis sustulit non sine amicorum multis lachrymis, erat enim Sacerdos iste, si quis alius, vir iustus, pius, & timens Deum.

Pro Viro præclaro Taruisino maligna febre laborante.

CONSILIVM QVINTVM.

Morbi Historia.

NOster æger Vir bonus, ac prudẽs, ætate quinquagenarius, temperie biliosus, cum esset Taruisij cœpit febricitare, & iam agitur sextus dies. Causatur insolatum, valida exercitia, vini meracioris vsum, & horæos fructus. Hinc igitur morbosus apparatus, biliosa quippe cacochymia ex cœli statu, & dispositiuis causis etiam perducta computruit, & binas tertianas perennes cõmisit pravis stipatas symptomatis, nempè peruigilio, ardente siti, & vehementi calore. (Duas inquam, tertianas, non duplices, quia typosi, & accidentibus discrepant.) Cùm igitur Vir iste rerum suarum satagens Taruisij esset, & triduò eum febris summo æstu incessisset, noctu de reditu Venetias consilium cepit, lux instat, surgit cubitu, essedum ingreditur, & quindecim passuum millia confecit summo mane, tùm lembum ingreditur, & Venetias pergit. Dum vehitur cymba nouos persensit insultus non sine vomitu, & leui extremorum refrigeratione. Ex itinere vires ægri franguntur, morbus inualescit. Accersitus vesperi accessi, scisciatus sum ex more quid pateretur, à qua causa, quot intercurrissent dies, quo victu fuisset vsus, an venter secederet. Cumque ex antecedentibus, & coniunctis causis acri scil. calore, ex subsequentibus, nempè agrypnia, respiratione creberrima, pulsu celerrimo, siti vehementissima, vrinis croceis certò percepissem, feb. esse de genere cholericarum, & quidem acutarum ob motus celeritatem cum periculo coniunctam (quam mox enim periculum indicaui) statim ad bilis copiam minuẽdam hypagogrum, siue pharmacum subductiuum decerno noctu propinãdũ, syr. igitur Ros. laxatiuus ad ℥.vj. cum mannæ ℥.ij. ex aqua oxalidis propinatus fuit inclinante febre, ut duabus exactis horis superhauriat seri purissimi lib. geminas. Antequam verò serum superbiberet, pharmacum reiecit, hinc modica euacuatio successit, quæ tamen ęgrum leuauit, vt rectè subindè obdormiuerit. Mane vtcunque se habet, vt sibi præ reliquis diebus benè habere videretur æger. Summo mane nutritur futuræ accessionis metu ante aduentum meum (pridie enim circa xiij. horam diei inuaserat) Quare omni auxilio supersedemus, quietem imperamus (magna enim salutis spes affulgebat propter tam magnam febr. remissionem, & ob conciliatum somnum.) Eadem die xiix. circiter horam paroxysmus incompertus rediit lentè quidem inualescens, vt duntaxat noctu ægrotanti summum exhibuerit negotium somnum penitus adimens. Præscripta sunt apozemata refrigerantia, quæ feb. ardorem infringerent, aq. scil. endiuiæ cum syr. de succo limonum, inclinante accessione ex præscripto nutrimenta adhibentur.

Interrogandi modus ægros ex Hipp.

Febrium ratio colligitur.

Postridie nouæ accessionis metu diluculo sorbitiunculam deuorauit (respondebat enim paroxysmus tertiæ, qui decimatertia inuaserat, & ne eadem hora repeteret, aut etiam præoccuparet, valde suspicabamur, quod etiam erat impedimẽto, ne quippiam mane moliri possemus) meditabamur autem aliquam sanguinis missionem inclinante febre, quum nihil peræquè refrigeret teste Galeno, tametsi illud consilium temperatum oportebat tùm ob temporis æstum, tùm ob materiæ conditionem, sæpè enim experientia notauimus verissimum illud Auic. misso scil. sanguine bilem efferari, & amplius inferuescere. Accedit Hipp. consilium lib. de Hom. structura, vbi æstate purgationem potiùs, quàm sanguinis missionẽ suadet. *Æstate*, inquit, *aliquo ægrotante purgamina sunt adhibenda*. Sola enim purgatio cacochymiam tollit, præterea, vt testatur Gal. 4. de tuenda sanitate, phlebotomia vehementiùs vires perdit, dissipatque quàm purgatio, quas in primis custodire oportet, maximè æstate, quo tempore effœtę manent in corpore ob ambientis intemperiem. Temporis etiam processus negotium facessebat, nam venæ-sectio, dicebat Auic. est remediũ, quod adhiberi debet in principio, quod si posthabetur non est amplius opportunum. Hinc etiam nonnulli conuellunt Hipp. quòd Anaxioni pleuritico sanguinem miserit octaua die.

Æstuante cælo leue pharmacum præponitur phlebotom.

Dum his igitur premor angustijs Hippocratico consilio monitus seniores Medicos accersiri iubeo, vt res ægroti communi studio discutiantur: nouum decernitur pharmacum noctu inclinante feb. deuorandum. Plurimum ea nocte retorridæ bilis eductum fuit: Sanguinis verò missio in posterum diem differtur, ne nimiam virium iacturam faceret languens. Vt igitur morbo peræquè, & viribus consuleretur ex hæmorrhoidibus sanguinem prolicere ad febrem decretum fuit, hinc enim non modò melancholicus, sed biliosus etiã educitur, & propterea Hipp. scripsit hæmorrhoides superuenientes peripneumonicis, & pleuriticis conferre. Ea die nempè sexta accessio vehementiùs incessit. Frequentes infestant subsultus, (materiæ ad caput impetum facientis augurium). Quare duo phœnigmi postridie femoribus affiguntur ad reuellendam, quæ caput impetebat materiam, (frustra priùs admoti fuissent, cum nihil esset, quod indicaret reuellens, tunc enim auxilia sunt præstanda, quom præsens est indicans, & nihil interim prohibet). Simulatque igitur materia, motu peccare cœpit, nos iuimus obuiam hoc remedij genere, quod alioquin fuisset superuacuum. Ad hæc cum ex superuenientibus symptomatis morbi pernicies, & cacoethes in dies magis, ac magis se se proferret (quod potissimùm collegi-

Signa cacoches.

mus ex pulsuum frequentia, pervigilio, sibilo, & iectigatione illa molesta, atque ex eo potissimùm, quòd tor, tantaque ex arte præscripta præsidia nihil conferrent, & vires interim conuellerentur, Propterea dicebat Gal. feb. malignam esse eam, in qua omnibus ritè peractis, ægri nihilominus nihil iuuantur) non dilulimus cardiaca, sed penè ab ipsis morbi carceribus antipharmaca exhibuimus, quæ vitale robur firmarent aduersùs venefi-cam vim. Vigente septima accessione multum destillati seri obtulimus cum syr. de succo acido citri, & multum etiam sudoris prolectum fuit non sine euphoria. Octaua die tamen molestissima redijt accessio, quæ vigilatam reddidit noctẽ. Quare postridie inchoante noui paroxysmi inclinatione hydrotica obtulimus (non enim quolibet tempore exhiberi debent, vt temerè quidam efficiunt) nimirum aq. scorzoneræ cum lapidis bezoar ℈.xij. & quamuis eò natura propendere videretur, nihil tamen sudoris effusum est. Decima die aluus clysmo citatur, cucurbitulæ cùm siccæ, tùm humidæ inferuis partibus admouentur, interim viribus cibo, & cardiacis prospicitur. Vesperi nihilominus noua redijt accessio pessimis comitata symptomatis, summa iectigatione, mentis torpore, pulsuum summa frequẽtia, & paruitate, extremorum perfrigeratione. Procedente tempore symptomata inualescunt, epilepticæ conuulsiones, vt nihil fuerit propiùs, quàm asphixia.

Hac de causa duo alia vesicantia carpis applicantur, vt tùm cordi, tùm capiti de propinquo auxilium accedat retractis sonticis habitibus. Vires summo languore fatiscunt, & laborant, proin (cum sint tyrannæ indicationum omnium, vt ait Galen.) ad reparandas vires vinum modicellum, & olygophoron conceditur, quaternis quibusque horis aliquid euchymi, & eupepti ad sorbendum porrigitur. Aluus sollicitatur clysmis, neque enim admittunt vires imbecillimæ validiora præsidia. Atque nos ex communi consilio hæc hactenus. Superest modò, vt feb. essentiam, & naturam breuiter discutiamus.

Ab essentialiter inhærentibus, vt medico more loquar, & à necessariò consequentibus facilè erat colligere hasce feb. esse tertianas, atque adeò à bile proficisci. Putredo verò exardescebat non in minoribus venis, sed medijs, & maioribus iuxta præcordia, quare & si non sit propriè causus, & ardens feb. (hæc enim more synochi sine periodis ingrauescit) erat tamen febr. ardens communiter dicta.

Morbus erat magnus vehementia essentiæ, vehementia dignitatis, vehementia facultatis ob difficilem tolerantiam, quare facilis erat prognosis, futurum scil. vt æger moreretur. Id quod decima quarta die viribus penitus collapsis superueniente diaphoretico sudore contigit, &c.

Prognosta

∴

Pro Illustrissimo Episcopo quartana febre afflicto.

CONSILIVM SEXTVM.

QVemadmodũ sagax illa vetustas Acoro Cyrenaico litasse ad fugandas muscas, Herculi Canopio, ne pulices infestarent, Apollini Parnopæo, ne mures supellectilem arroderẽt. Romani, & Indiæ inquilini sacrificasse dicuntur cacodæmoni, ne noceret, ita non esset abs re Saturno supplicari, vt aliquod præstet auxilium ad debellendam quartanam, quam Octauus Medicus Saturni filiam nũcupat affectuum melancholicorum parentis. Quandoquidem præsidia, quę hominum hactenus diligens cura inuenit, quartana negligere, & aspernari videtur, cum minimũ aonua molestia corpus affligat, & maceret. Hinc Fernelius meritò quartanã inter venenatos morbos censuit. Cur enim huic feb. Theriace præscribitur, nisi vt profligetur maligna qualitas melancholici humoris comes?

At verò quoniam animum despondere, & hosti victoriam sine pugna relinquere minùs decet, conari oportet, & ingenij viribus lacessendus hostis est. Quare mentis acies in id potissimùm dirigenda, vt contemplantis Medicinæ innixi principijs videamus, nunquid ratio quæpiam sit, qua intercipi queat accessio, vt non redeat deintegro.

Sciendum igitur paroxysmum nil esse aliud, quàm nouam lacessitæ naturæ pugnam, & conflictationem cum morbifica causa. Hinc palàm fit, duo potissimùm cõuenire ad paroxysmum committendum, lacessitam scil. naturam, & irritantem materiam (mitto iam homonymas, & vniuersales causas, vt puta Solem, & Lunam) Quare si ratio vlla inuestigari possit, qua de medio tollatur irritamentum, voti compotes fieri poterimus paroxysmum intercipientes. Videtur autem bifariam præpediti posse cùm expulsoriæ facultatis, tùm aggregati, congestiq; recrementi causa. Facultatis quidem causa adhuc bipartitò, primò stuporé, & narcosim inducendo hypnoticis, siue somniferis soporem conciliando instante iam paroxysmo, qualia forent recens theriace, Philonium Romanum, Requies Nicolai, Pillulæ de cynoglossa. Propterea legere est, Hippoc. Quartana laborantibus exhibuisse Mandragoræ poma, sylpium, & hyosciami succum. Deinde distrahendo, occupandoq; vim ipsam sentientẽ vehementi aliquo gaudij, iræ, aut timoris pathemate, quandoquidem planum est, sensilia etiam si confertim agantẽ in sensorium, suique imprimant characterem, ni communis sensus concurrat, externorum quinque sensuum iudex, nullum affectionis iudicium fieri, vt ijs contingit, qui in alia intenti, quæ sub oculos feruntur, non vident. Propterea Hippocr. scripsit. Qui dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat. Hinc palam fit, cur Fabius Maximus die, & hora paroxysmi acriter cum Aruernis pugnans pro parta victoria quartanam perdidit. Huc fortasse spectauit sectissimus Democritus, quando mandauit

Quid par xysmus.

Hæc ratio solertissim de sumitur ex Erudo Lusitano, & ex Ludouico Mercato.

dauit, vt quartana affecti graui, flagitioſoque ſcelere ſe aliquo obſtringant, aut hominem cædentes, eiuſque tepẽtem cruorem ſorbentes, aut religione vetita alimenta adhibentes. Nam etſi temerarium hoc eſt conſilium, nihilo tamen ſeciùs, vbi homines graue aliquod flagitium commiſerunt, ſubinde in patratum ſcelus animum intendunt, & iugi perpenſione mentem occupant, quò fit, vt cætera nullam ferant moleſtiam, dolor enim grauior minorem offuſcat. Hinc & Auic. inſano amore implicitos iubet litibus, aut grauibus curis occupari, &c.

Denique melancholici excrementi ratione acceſſio intercipitur, vel ſi non generetur, aut genitum euacuetur. Duabus porrò de cauſſis contingit non procreari, aut concoctricis facultatis robore, aut aggregantis cauſſæ defectu; deficiunt aggregantes cauſſæ, ſi æger ea victus ratione regatur, ijs alimonijs aleſcat, quæ in atram bilem ſuopte ingenio conuerti non conſueuerunt, nempè cibis, & humidis, tenuiſque ſubſtantiæ, quæ gignendæ melancholiæ materiam non ſuppeditant. Hac lege ol. amyd. dulc. cum croco, & tantillo aceto mixtum ſanat quartana feb. laborantes, quemadmodum & lac, & vinum ſublimata, & epota. Porrò facultas bifariam roboratur, abſolutè, aut alicuius edulij cauſſa, ſiue potus valde expetiti: Hinc fit, vt quæ delectant, & placent, faciliùs coquantur, ab attractrice trahantur, & à retentrice retineantur, & vberiùs multò nutriant, atque adeò ſuperuacui multò minus redundet, quàm ab inſuaui alimento. Propterea Cous cibum deteriorem, ſed ſuauiorem meliori, ſed inſuauiori antetulit. Abſolutè verò virtuti robur conciliatur ratione cibi euchymi, & eupepti, quare vinum, quia abſolutè roborat naturales actiones præſertim verò odorum inducta temulentia nõnunquam quartanas diſterminauit, propterea & Ariſt. quartanis apponendum eſſe ignẽ prodidit, h. e. calfaciendum eſſe frigidum humorem, vt attenuatus inaniatur. Quò ſpectat fortaſſe illud arcanum, quod paſſim hodierna die inculcatur, exhibent puluiſculum cuiuſdem radiculæ inſipidæ cum vino Iberico, & hinc multi à quartana vindicantur.

P. Prob. 57.

Denique curatur quartana excrementi melancholici purgatione, id quod melanagoga ritè efficiunt, ſic vuæ, & ficus nocturno rore madentes aluum ſubducendo quartanas abegerunt. Amatus Luſitanus die, & hora paroxyſmi propinata roſ. aqua, ſe plurimos ſanaſſe deierat. Rondeletius inculcat, vſu vini albi, in quo ſalvia per noctem maduerit, ſolui quartanam, idque ad morbos omnes à melancholia magnum, & certum remedium eſſe. Valeſcus ſcribit, ſuccũ thapſi barbati vna hora ter datum ante acceſſionem ſoluere quartanam. Affirmat Trallianus, viuum ſcarabæum ſuluo linteolo appenſum collo certo experimento quartanam tollere. Quidam habent hoc pro magno ſecreto. Accipe cor leporis præp. vt ſolet pulmo vulpis, diuidatur in tres partes æquales, dentur ægro cum vino ante paroxyſmum, quarto paroxyſmo ſanabitur. Hoc leporinum arcanum ſe probaſſe profitetur Gregorius Horſtius, à quo ſe nunquam falſum eſſe deierat, ſed cor leporis præparatum in puluerem redigit, & exhibet edendum. Vtrum verò pharmaca purgantia fiat dãda paroxyſmi die, vt vult Amatus ex Hipp. viderint alij.

Pro Virgine Veſtali pleuritide correpta.

CONSILIVM SEPTIMVM.

Hiſtoria.

POſt grauem corporis laſſitudinem Virgo hæc nobiliſſima in feb. cum dolore lateris ad iugulum aſcendente incidit: Quo tempore, & clyſter, & phlebotomia præſcribuntur, noui rigores ſuperueniunt, & menſes etiam apparuere, hinc in opportunius tempus præſidia differuntur. Veſperi Feb. & dolor aſperãtur, mẽſes pro more abeunt, Virgo auxilia expoſcit, quæ ſaltem dolorem leniant. Quę expectorantur pauca ſunt, eaque rubore quodam tincta, difficultas ſpirandi maxima. In his anguſtijs poſiti, mandamus, vt infernis partibus cucurbitulæ affigantur, ſubinde interna dextri brachij tundatur, ſanguis mittatur ad vncias ſeptem (modicum enim præſcripſimus, ne qui naturę lege deorſum prouoluitur, cohibeatur) interim latus fũt ex oleo amygdalino, & liliaceo. Bechica offeruntur ad anacatharſim promouendam, nempè ſyr. de hybiſco cum iulapio acetoſo, nec enim veriti ſumus acetata adhibere, quæ vetat Nicolaus Maſſa. Poſt hæc obita præſidia, dolor mulcetur, febris lenitur, ſpirandi difficultas remittitur, vt non fuerit opus phlebotomum admouere venis malleoli, quod meditabamur ob metum, ne menſtruus ſanguis quadantenus imminutus fuiſſet ob inciſionem venarum ſuperiorum, id quod tamen non contigit, ſiquidem affluenter ſanguis emanauit, nullumque ſubſecutum eſt prauum ſymptoma. Diſcant igitur poſthac Neoterici, qui ſemper malleoli venas pertundi iubent, vbi aut cohibentur menſes, aut certè parcè abeunt, tametſi æger graui pleuritide, aut angina implicetur (quod & Auic. velle videtur,) quæ nullas ferunt moras, diſcant, inquam, noſtro periculo, nam ſi tunc temporis venæ ſuperiores aperiantur, vt nos fieri iuſſimus, nullum afferunt incommodum. Hinc Fernelius. Sæpè, inquit, profluentibus menſibus, atque etiam in puerperis, quæ ritè purgantur ob feb. ardorem ſanguis, (licèt parciùs) è cubito demendus. Sic etiam Amatus Luſitanus cap. vij. cent. ſecunda; Pleuriticæ, quam menſtrua defecerant, ſanguinem ex axillari detraxit. Scire tamen licet, quòd ſi imminuta fuiſſent menſtrua purgamenta ſanguinem rurſus trahere caſa vena ſaphæna neceſſum fuiſſet. Quòd ſi dolor hiſce auxilijs non conceſſiſſet, meditabamur oleum lini, aut amygd. dulcium expreſſi ſine igne exhibendum cum aq. hordeacea, ne inflammetur, præterea admouendam ſuillam ueſſicam è dimidio plenam D. maluarum, ſem. lini, fœnogræci, violarum, & ol. amygdal. dulcium.

Curatio per Chirurgiam.

Pro

Pro quodam Iurisperito Belinensi vlcere recrudescente infestato.

CONSILIVM OCTAVVM.

Affectus Causæ.

REcrudescens vlcus in talo, aut cacoethes arguit, aut rheumaticam affectionem, aut magnam intemp. aut certè substratum os esse vitiatum. Rheuma inde colligitur, quòd plurima sanie vlcus manet, id quod non apparet, cacoethes conijcitur ex humorum potissimùm malitia, & loci conditione, & quemadmodum Hipp. vulnera articulorum maligna vocat, ita fortasse, quæ circa articulos sunt vlcera, non sunt expertia prauitatis.

An os substratum sit vitiatum.

Proximum est, vt videamus, nunquid os subiectum sit vitiatum, (vlcera enim annua os, quod subest, corruptum arguunt (teste Hippoc.) & an subsit aliqua intemperies, cuius causa commissum alimentum corrumpatur, & nouum vlcus cõmittat. Adesse ossis vitium negatur, quòd nulla sit in vlcere cauitas, hoc sanè habere posset locum in cusarca particula, neutiquam in astragalo, vbi præter cutem minima carne teguntur ossa: Accedat testimonium Vallesij, non esse necessariam cauitatem, nisi post quàm os abscessit: Maiorem

Signa.

coniecturam accipies ex florida, & rubente carne, nam flaccet, hebetque caro vlceris, vbi subest ossis caries, & corruptela, quæ cũ non appareant, magna hinc carpitur coniectura integri ossis.

Conclusio.

Reliquum igitur est, vt vlcus sit intemperatũ, nempè præcalidum, quò fit, vt sanguis pro nutritione appellẽs vitietur, vitiatusque iterum cutem erodat, & vlcus refricet. Sensu calor immodicus percipitur circa particulam affectam, quare ita esse non est dubitandum. Vereor præterea, ne cacochymia scateat corpus, qua causa etiam vlcus fiat diſepulotum, hinc etiam hydropicorum vlcera insanabilia fiunt: Cacochymiam auxerũt praua viscerum dyscrasiæ, importunus, immodicusq; refrigerantium vsus, quæ ventriculi tonum deiecerunt, & naturalem iecoris calorem imminuerunt, neque refert iecur æstu retorridum esse, nã hoc ex euentu fit, nimirum propter infarctus cruditatum soboles, cruditates autem parit ventriculus deiectus. Hinc scitè Auic. scripsit, omnium morborum originem esse ventriculum imbecillũ. Scitum est illud; Vitium primæ coctionis secunda non emendari.

Præsidia.

Posthac igitur frigida omnia sunt ableganda, tantum abest, vt sit vsurpanda aq. B.V. aut serum caprillum. Quærunt gratiosi Medici, an peræquè refrigerandum sit in sene, atque in iuuene æquali morbo laborante. Auic. magis in sene refrigerandum, vtpote qui magis recedit à mediocritate: Galenus cum Hipp. negat, affertque illud Hippoc. Summa curationis ex ægri temperiei notitia pendet, friget, aretque senex, & non est promouendus eius excessus similium vsu, aut certè, si morbosa subest dispositio, parcè, cautèque hoc est efficiendum. Vale dicas igitur pharmacis, & vni Regiminis bonitati, vt Arabum phrasi vtar, incũbas, sola enim diuturnos morbos sanat: Medicina purgat quidem, sed inueterat, inquit Hippocr. quòd teste Mesue destruat mineras virtutum. Hinc idem Hippocr. in iure iurando scripsit, se in cutatione morborum diæta vsurum, quantum viribus assequi poterit. Eius ergo sum consilij, vt stomacho consulas roborantibus, nempè calfacientibus, h. e. vsu absynthij saccharo conditi, vt apio, & odoris herbis, quas hortus suppeditat, nempè fæniculo, asparago vrinas prolicias, vt ichores, & salsæ serositates in vesicam prouoluantur, præterea horror, vt parti admoueas puluisculum plumbi. Fit autem hoc pacto. Plumbi laminæ tenuissimæ quatriduũ macerantur in aceto acerrimo, subinde vruntur in olla noua vitreata. Puluis seruatur in vsus. Hic erit instar omnium unguentorum, super particulam apponantur plantaginis folia, præterea nihil. Interdum crus erit fouendum vino styptico D. malicorij, gallarum, cupressi, rosarum, myrtillorum, comarum absynthij, ænanthes, fl. chamæmelli, hæc autem adiiciuntur tùm ad diaphoresim, tũ ad innati calidi tutellam, & ut uis adstringentium intrò feratur.

Regimẽ in morbis longis præfertur pharmacis.

Topica.

Pro Fabro Labrario regio morbo laborante.

CONSILIVM NONVM.

VErissimum illud Philosophicum proloquiũ semper comperi, nempè quãlibet passionem appetitus sensitiui efficere in corpore transmutationem. hinc rectè Democritus dicebat, si corpori cum animo querimoniam agere liceret, multa affatura, quæ obijceret, cum præsertim omnes corporis affectus ab animo proficiscãtur, id quod pulchrè demonstrauit D. Thomas, dicens: Non ideò uindictam appetimus, quia sanguis circa cor inferuescat, sed magis è contrario, ideò circa cor sanguis ebullit, quia uindictam appetimus, quod est formale.

Historia.

Huius rei clarum argumentum nobis tradidit præsens ægrotus, qui iussa quadam indignatione correptus in hunc affectum incidit, quem Græci Icterum uocant, Latini modò regium morbum, modò arquatum, modò auriginem, affectus hic non modò cutem fædat, sed totam etiam corporis œconomiam subuertit, proin ægre ille sibi uires deficere persentiens medicas opes experiri uoluit, proin ego blandam primò purgationem præscripsi eó scil. collimans, tùm ut obstructiones tollerentur, tùm excrementum crassum educeretur, uerùm cum huiusmodi (ut par erat) parum proficerent ad rhabarbari usum cõfugimus, quod cum nihil promouisset, sed duntaxat corpus perturbasset biliosorum recrementorum prouentum auxit, siquidem medicamentum purgans, si suo fine frustretur, uertitur in humorem purgandum, ut ait Galenus, quin cum morbosum apparatum præcedentem concitasset, ut flerouilinia commota peius olent, febr. peperit uesperi non exiguam, quare & maiori industria opus fuit, & magis accisa uictus forma, quæ non exiguæ febri debetur, interim etiam refrigerantia apozemata adhibentur, prout necessitas exigebat. Horum præsidiorũ

An in sene magis, an iuuene eodem modo febricitantibus sit refrigerandũ.

usu

usu quatuor dierum spatio feb. extinguitur, cumque uir bonus à medicamentis animum prorsus abdicasset, nos penè uale dixeramus, ueruntamen cum multas post dies ad hominem diuertissemus, febricitantemque inuenissemus ob commissos errores ex animo hortati sumus, vt de integro artis præsidia experiri vellet, nam medijs vtentes opportunis Deus adiuuat, inquit Oseas. Præscripsimus igitur validiora propotismata, præterea bolum ex ʒ.ij. cassię cum scriptulo vno aloes, quo alternis diebus ad aluum ciendam vteretur. His præsidijs vrinæ aliquanto remissiores factæ sunt, sed feb. nihilomagis remisit, quare cœpi cogitare de aliqua sanguinis missione, quã priùs non exercueram Galeni. præcepto monitus dicentis, pernicioſum esse sanguinem mittere in aurigine. Attamen cum Paulus, & Aetius, & plurimi Neotericorum phlebotomum suadeant præsentibus scopis, non dubitauimus in hoc Sene præscribere hæmorrhoidũ reclusionem, quæ sanè adhibita multum contulit. Cum verò & aurigo & feb. adhuc perseuerent, quid opus sit facto, accuratè videndum. Cum verò curationes ex morborum idæis petantur, age quid sit icterus, & vnde originem traxerit in medium feramus. Icterus ergo est lutea cutis seditas ex bilis excrementitiæ in summa corporis effusione, symptoma in qualitate mutata, quod pendet ab excreto toto genere præter naturam ratione loci, & effunditur non attracta, sed expulsa ab expultrice irritata partium internarum, irritatur autem non à qualitate deleteria, cum nec virus ferarum, vtpote viperæ, nec aliud deleterium præcesserit, sed à copia: redundat autem felleum excrementum, tùm quia copiosum gignitur ab æstuante iecore, & ab sanguinis ebullitione præ iracundia, & animi ægrimonia, tũ maximè ob synathrismum, colligitur autem, quod distribui nequeat, nequit autem distribui ob viarum angustiam, non earum, quæ fel ipsum ad vesicam conducunt, non ob repletionem ipsius felleæ vesicę, aut ob infarctum à calculis (solent enim in vesica coalescere) non ob scyrrhosam dispositionem, quæ comprimit vasa, sed certè ob obstructionem meatus cholidoch. per quem fel deriuatur in ecphysin, siue intestinum ieiunum ad irritandam excretricem, vt fæces foras deturbentur, obstruitur autem meatus ab excremento pituitoso crassiori.

Quare eò allaborandum est, vt meatus aperiãtur incidentibus, detergentibus, attenuantibus, tùm excrementa foras pellantur. Hoc opus arduum est admodum, tùm quòd ictheritia hæc est symptomatica, non critica, tùm quod contumacissimæ sint obstructiones, vtpote quæ nullis hactenus concesserunt remedijs, tùm quod plurimũ sit bilis excrementum, quod tam facilè euinci non potest: Accedit febr. quæ malum reddit aleæ plenissimum. Hinc Hipp. Pr. Coacarum prænot. inquit, *Morbo regio admodum fædati moriuntur, si alba deiectio plurimum perseuerauerit*. Solet tandem morbus hic in hydropem desinere, &c. Feb. porrò ab eadem causa proficiscitur, nempè ex bile putrescente in præcordia vnà cum portione pituitæ, quæ in stomacho colligitur frigidiore; quare coquere oportet putrescentem materiam, putridam rescindere, febrilem thermasiam refrigere, &c. Senes (quod spectat ad prognosim) iuuenibus ægrotant minùs, qui verò ijs contingunt morbi, lõgi, & maxima ex parte comitantur ad mortem.

Quod spectat igitur ad Chirurgica præsidia è saluatella (quando è venis sedalibus missus sanguis, tam præsenti fuit auxilio) iterum mittendus sanguis ad vnciolas quatuor litus hypochondrijs inducendi ex succo cicoreæ, petroselini, & modico aceto cum ol. amygd. dulc. & amar. Curatio per Chirurgiam.

Quod attinet ad pharmaceutica iusculis alteratis agrimonia, cuscuta, rad. gram. pentaphilli icis, fumaria, vtẽdũ addendi succũ cicoreæ ad ʒ.j. & dulcorari poterunt omnia syrupi acetosi quadrante. His aliquando præmitti poterunt boli ex succo agrimonię, cicoreæ densato vnà cũ troch. de eupatorio, conferent, & troch. de Rhab. cypheos, dialacca, diacurcuma, puluer is cicadarũ vermiũ, &c. Hisce verò nihil conferentibus ad vsum chalibis præparati confugiendum erit, &c. *Mortuus est*. Per Pharmacium.

Pro quodam picatæ mercis Ministro tenesmo molestato.

CONSILIVM DECIMVM.

PRæclarè Hipp. scripsit, vniuersos morbos paulatim coaceruari, repentè autem erumpere, id quod palam est cernere in nostro ægrotante, qui vt æstus retunderet, & vinum egelidum in puteum immersum sæpè liberaliter ebibit, quod valde damnat Nonius, & gelida aqua frequens vsus est, quo factum est, vt tùm per errorem externum, tùm labefactata ventriculi concoctrice multus pituitatum prouentus succreuerit, quæ tandem putrescentes per moram salsedinem, acrimoniamque compararũt, hinc inferno gutturi, vt ait Plautus, siue recto intestino inhærescentes facultatem excretricem irritarunt ad creberrimam deiectionem, qua sanè deiectione præter paucum mucum modò cum sanguine, modò citra nihil egerebatur, etiamsi conatus plurimi interuenirent. Hac molestia ductus medicum consilium postulauit, cui ego purgationem suasi, ne malum in deterius labatur. Auspicium autem duximus ab eccoprotico, tum apozemata, quæ potissimùm phlegma respicerent, instituimus, sanguinem etiam è basylica misimus, (æstuat enim iecur, & aliquando multa fit sanguinis emanatio) denique Rhei-barbarici dilutum propinauimus vnà cum soluentis Rhodomellis quadrante. Hoc interim spatio multa etiam iecta sunt tergentia clysteria. Quibus præsidijs non parum profecit. Affectus profectò nil est aliud, quàm symptoma ad ametriam in excreto pertinens ob frustratam retentricem, frustratur autem ab irritata excretrice, irritatur autem non ob affectum aliquem partium uicinarum, puta ob vesicæ phlegmonen, aut calculosam affectionem, hinc enim solet rectum intestinum compati, neque ob externum frigus, siue quia super lapidem frigidum sederit, aut aquis innatarit algidioribus) neque ob durum stercus, neque Lib. 1. de Dieta. Lib. de re cibaria. Historia. Ratio symptom.

ob

ob inflatas, inflammataſve hæmorrhoidas, neque ob aſcarides vermiculos, neque ob ſaniem, neque ob antiquum vlcus, neque ob lapillos, ſunt enim qui viderunt lapidoſam diarrhæam, ſed certè ob vnum phlegma craſſum viſcidum, quod ſuccedente tempore putruit, & noxiam contraxit qualitatem, naturæ inimicam, vnde ad excretionem ſtimulatur, emanat verò ſanguis, quia aliquam morando efficit excoriationem. Hinc eæ ducuntur Methodus. indicationes, vt nimirum pituita detergatur, eluatur, euacuetur, inteſtinum roboretur, ventriculus labefactatus calfiat, & ſiccetur. Hiſce indicationibus nos ſatisfacere poſſe ſperamus, etſi non tam citò ob loci conditionem, & materiæ reſiſtentiã. Prognoſis. Non eſt tamen negligendus affectus, ſiquidem nouimus nos, qui per negligentiam in vlcus incurrerunt, quod ad veſicam penetrauit, vnde fęces per vrinam reddebantur.

Curatio per Chirurgiam. Quod igitur ſpectat ad manualem operationem nulli vſui poſthac phlebotomiam ducimus, quandoquidem ſemel ſatis ſuperque eductus fuit ſanguis ad antiſpaſim moliendam, inquit enim Auic. quòd phlebotomia naturam retinet, hoc eſt aluum cohibet, ſi parcè mittitur, alioquin ſi profusè, ſoluit, vt notauit Galeno. In hoc fonte maximo ſunt emolumento ænemata detergentia, quæ ſi concinnentur ex aq. Thettutiana, mirè prodeſſe poterunt addito melle, & rubro ſaccharo, immiſceri aliquando poterit lythargiri aurei nonnihil vnà cum oui vitello. Huc faciunt & collyria (ſic enim vocat Auic. quæ immittuntur in anum) ex ceruſſa, & thutia, & ſimilibus. Suffitus huc ſpectant. Matthiolus laudat ſuffitum ex thure, reſinaque colophonia; Saxonia ſuffitum ex aridis ouis ſquatinæ; hunc enim Veneti per experiẽtiam præſenti auxilio eſſe probarunt. Commendat item ſeſſionem ſuper tabulam nuceam præcalfactam, & obductam butyro, aut oleo hypericino; mihi probatur thimiama ex macris furfuribus, quo & perniones ſiccantur. Poterit etiam infernum guttur foueri ſpongia inebriata vino decoctionis gnaphalij, aut thapſi barbati, aut verbaſci.

Per Pharmaciam. Inter pharmaceutica quidam ablegant purgãtia, vt Amatus Luſitanus, mihi tamen probantur, ſed mitiora, vtpote mel roſ. ſp. hieræ elect. leniens, atramentum caſſiæ fiſtularis &c. In hoc cenſu eſt aqua thermalis Thettutiana, quæ vnà cum melle roſ. ſol. epota miros ſolet fructus parere, proin poſt leniens pharmacum ex el. leniente, & ſp. hieræ cõcinnatum poterimus ad aq. thermales gradum facere tùm injciendas, tùm ſummendas. Interim diæta acribus ſeruari debet, quæ extenuet, & afficeat. Proin aſſa elixis præferantur. Sint in vſu frequenti merulæ, perdices, iſpidæ, turtures, aſpergi poterunt, dum aſſantur, ſucco cotoneorũ, aut malorum punicorũ, aut infarciri baccis myrtillorum, & etiam ſtipites configi poterunt, &c. Iuſcula non denegantur, ſi ſint ex gallina incocta verbaſci radicula, &c.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS NONA.

Pro Illuſtriſſima Virgine inchoante dyſenteria cum feb. implicita.

CONSILIVM PRIMVM.

ILluſtriſſima Virgo diu, multùmque occulta incanduit ira, per quam bilis prouentus ſuccreuit, ſiquidem feruor ſanguinis circa cor ira eſt, cauſſæ verò ſunt ſibi inuicem cauſſæ, proin cum cholera iram gignat, viciſſim ira procreat bilem, præterea piſcibus toto Aduẽtus tempore vſa eſt, quo fit, vt etiam phlegmatis copia ſuccreuerit, quam etiam hyems conduplicauit, dicente Hipp. etiam in temperatiſſimis corporibus hyeme aggigni phlegma (quod fieri putauit Argẽterius, quòdsãguis in venis minimis recrudeſcat præ frigore, ſed fallitur, fallitq;) cum quælibet anni quadra congenerem ſuccum producat. Hęc excrementa diſpoſitiuæ etiamnũ cauſſæ inaugent, propterea ab hepate retorrido bilis fit prouentus, quemadmodũ pituitatis à ſtomacho frigidiore. Hæc excrementa ſimul iuncta in perniciem Illuſtriſs. Dom. conſpiraruntt, & quemadmodum bilis in propriam naturam, teſte Hipp. ſibi conſociatam pituitam commutat perinde, atque ignis cætera ſibi addita, ita phlegma bili corporaturam, & ſoliditatem communicat, quò fit, vt multò acrior, & ferocior bilis euadat, vt igitur hæc recrementa putruerunt circa præcordia, ita feb. gignere potuerunt interpolem, vt verò ad inteſtina deuoluuntur, & per anfractus, proceſſuſque tunicarum elabuntur erodendo dyſenteriam pariunt, quæ nil eſt aliud, quàm ſanguinolenta excretio ab eroſione cum torminibus, ſymptoma in exeunte mutato toto genere, præter naturam. Pars præcipuè affecta colon eſt, vt puto, hocque colligitur ab excretis, & à ſitu doloris. Dyſenteria verò eſt primi gradus, cum duntaxat pituita, qua inteſtina inueſtiuntur, foras exeat, non ramenta, non carunculæ. Proin eæ ducendæ ſunt indicationes, vt nimirum humor Methodus inhærens inteſtinis detergatur, abluaturque, vt temperetur, vt inteſtina confirmentur, roborenturque adſtringentibus, ſubinde vt humor aliò diuertatur, coquatur, & temperetur, poſtremò id agendum, ne deinceps regeneretur, id quod conſequi licet ſummotis intemperiebus, nempè frigerato hepate, & calfacto ſtomacho. Febris refrigerantia poſtulat. Sed una eademque fidelia duos parietes dealbabimus. Quod ſpectat ad prognoſim, dyſenteria morbus eſt difficilis, cum totum Prognoſis. corpus ſua recrementa deponat in inteſtina, tanquam in ſentinam, quò ſponte etiam feruntur pondere ſuo ducta. Attamen quoniam adhuc vires eundo malum non ſuſcepit, ſperamus futurum, vt breui affectus omnes diſpareant, cum

Hiſtoria. Lib. de Morbis. Ratio ſymptom. Quid dyſenteria. Methodus Prognoſis.

hacte-

hactenus conceſſiſſe nonnihil uiſi ſint.

Curatio per Chirurgiã. Quod ſpectat igitur ad chirurgica præſidia probatur venæ-ſectio tùm ad diuerſionem, tùm ad temperandum hepar, & ſanguinis feruorem, proin rectè conſulunt Authores, vt in dyſenteria ſanguis mittatur: ſanguinis miſſio, inquit Auic. retinet naturam; ſi parcè, & partitè mittatur, alioquin, teſte Galeno, ſoluit aluum: frictiones huc ſpectant, & clyſteres, qui primo debent abluere, & tẽperare, tùm oblinire, & mulcere dolorẽ. Proin probantur clyſteres ex hordei cremore confecti, qui Hipp. tantopere familiares erant, & Amatus Luſitanus eos frequens vſurpat. Si dolor vrgeat probatur & omentum Arietis dolenti particulæ impoſitum roſaceo madidũ. Cum verò hactenus duo clyſteres inrecti ſint primus deterſorius, alter anodynus ex lacte, præterea pharmacum hauſerit, quod ſuſque deque euacuauit, non eſt opus alia euacuatione, ſed clyſmis inſiſtendum eſt, quòd ſi vomitioni ſit opportuna, vomat: vomitus enim ſolutam aluum ſtringit, & ſtrictam ſoluit. Hinc Hipp. *Ab alui diuturno fluore habito, ſi vomitus ſponte ſuperueniat, bonum, inquit*. Procedente tempore, ſi malum ingraueſceret, probarẽtur aq. Thermales, vtpote B. V. atque, ipſius etiam Rhabarb. uſus. Interim apozemata probantur ex iuſculis alteratis oxalide plãtagine pẽtaphylo, quod à Dioſc. tantopere laudatur, in hoc iure diſſoluẽda eſt emulſio ſem. mel. facta ex aqua hordei, vt præter attemperationem etiam humores ad veſicam conuertat, mictio enim plurima facta paruã ſignificat dejectionem, teſte Hipp.

Cent. 1.

Curatio per Pharmaciam, Aquæ Interm.

Pro Gallo quadragenario feminiro melancholia flatulenta tentato.

CONSILIVM SECVNDVM.

QVamquam Aretæus epilepticos exãthropos appellauit, quaſi extra hominũ mores, hoc epithetũ conuenientius melancholicis tribui poſſe crediderim, ſiquidẽ melancholici affectus tanta eſt pernicies, tam magna tyrannis, vt hominem infra hominis ſpeciem dejiciat, & omnem vitæ iocunditatem adimat, proin ſcitè Petrus Apponus in Probl. ſcripſit, tria eſſe, à quibus humana natura potiſſimùm permutatur, nempè coitum, vinum, & melencholiam, cuius clarum argumẽtum præbet nobis, in præſentiarum noſter Patiens, qui ab hinc triennium vbi quibuſdam ſymptomatibus infeſtari ſimul triſtari, & timere cœpit, atque ſibi ipſi diſplicere, & rerum omnium deſperatione corripi.

Hiſtoria.

Symptomata verò, à quibus laceſſitur, ſunt frequentes, & acidi ructus, ptiſyſmus, faucium ſtrãgulatus, difficilis anhelitus, circa præcordia ingens incendium, epigaſtrij ab aſſumpto cibo inflatio, hypochondriorum tenſio, & dolor, ſenſus ſuffocationis, fames etiam canina, quibus comes it triſtitia, & metus, quæ cum ſint characteriſmus melancholiæ, tali affectu laborare Dom. neceſsũ eſt. Eſt verò melancholia ſecundum Aretæum animi angor vnà in cogitatione defixus, atque cohærens citra febrem, & furorem, à phantaſmate melancholico, ſiue corrupta imaginatio cum triſtitia, & metu ob tenebroſum phantaſma, tenebroſum verò redditur trifariam, vel quia in capite generetur ſpiritus animalis ſylueſtris, vel quia alũnde in caput efferatur vapor, qui ſpiritus claritatem adimat, ſpecies perturbet, & proin opinionum vanitatem inducat, in hoc noſtro Patiente, vtique vapor ex hypochondrijs effertur ad caput, effertur autem ex ſanguine melancholico, & ebulliente, inferueſcit autem obſtructionibus veluti repagulis coercitus, obſtructiones verò ſoboles ſunt cruditatum, quas imbecillus ſtomachus procreat, imbecillis verò ſtomachus eſt ob intemp. frigidã, & humidam, & ob iecoris incendium, incenditur autem iecur ob infarctus, qui perſpiratum prohibent. Ructus igitur accidunt ex copia flatuum, qui atram-bilem comitantur. Saliuatio pendet ex copia ſeroſitatum, & ex ſtomachi imbecillitate. Faucium ſtrangulatio ſequitur carotidum inflationem ex maligno vapore. Anhelitus difficultas excipit diaphragmatis compreſſionem ex flatu. Incendium pendet ex iecoris æſtu. Inflatur venter ab aſſumpto cibo ob dyſpepſiam, hypochondria tenduntur à flatu, ſenſus ſuffocationis ineſt ob vtilis qualitatis, nempè debitæ euentationis defectum; fames canina fatigat ob acidi humoris copiam, à quo os ventriculi exprimitur. Quare eò allaborandum eſt, vt hypochondriorum, & viſcerum infarctus tollantur aperientibus, materia euacuetur, incendium auferatur refrigerantibus, iecur temperetur; ventriculus calfiat. Hiſce indicationibus non eſt facile reſpondere, ſiquidem affectus habitum contraxit, habitus verò difficile ſummouetur, præterea humor melancholicus ob ſubſtantiæ modum neque naturæ, neque arti facilè concedit, imò renititur, accedat, ſubeſſe contrarias indicationes, quæ impediunt, ne medicina fiat per exceſſus, vt docet Ariſt. Quidquid tamen ſit, cum hactenus D. nullum generoſum præſidium expertus ſit, poſſumus polliceri ex vſu remediorum non mediocre leuamen.

Methodus.

Prognoſis.

Quod igitur ſpectat ad præſidia chirurgica hoc tempore rigido, laudo hyrudinum admotionem venis ſedalibus: proximo vere vtraque baſylica tundenda erit, & ſi ſanguis fuerit melancholicus, emittendus ad libram, alioquin ſupprimendus, ſi ſingulis menſibus ſibi recludendas curet hæmorrhoides Patiens, magnum percipiet leuamen. duo gerit cauteria alterum in crure dextro, quod ſernari debet, alterum in brachio ſiniſtro, quod poſſet transferri ad ſiniſtrum crus, quando ſuperiores partes primò non laborãr. Huc faciũt & clyſmi tantopere ab Aetio cõmendati, & fotus, quos frequẽs hypochondrijs admoueri iubet Hipp. & balneum dulcis, & tepentis aquæ.

Curatio per Chirurgiam.

Quod ſpectat ad pharmaciam in præſentia probatur mihi mel roſ. ſol. unà cum ſyr. de polypodio, & el. lenit. Aut certè triphera cum ſp. hieræ, quam tantopere laudat Auic. Poſt lenitam aluum probantur mihi alliotica nempè præparantia humores craſſos, vtpote mel. roſ. ſimplex cum ſyr. de pomis, & modiciſſimo oxymelle, dilui poterunt iuſculo D. borraginis, pentaphylli, cuſcutæ, agrimoniæ ſem. citri, poſt ſyrupos probatur mihi

Per Pharmaciam.

usus passul. præp. ex præscripto Hieronymi Capivaccei, cap. de Melanchol. Hippochondr. hæ enim facilè detrahunt, & pituitates, & atram etiã bilem citra vllam molestiam, his vti velim D. singulis hebdomadis semel, atque iterum, repurgato hac ratione corpore subinde transeundum erit ad iusculum absynthij Pontici, quòd tanto commendat opere Forestus, & Angelutius, qui omnes ex Aretæo, & Auic. hoc præsidium exscripserunt. Accedente Vere elaboratior purgatio incunda est. Quare repetenda lenientia, præparantia etiam validiora, & cathartica adhibenda vsque ad helleborum, quo identidem vti velim, dicebat enim Hipp. melancholicos ijs esse purgandos, quæ minima ingesta plurimum educant, non est autem adhibendus elleborus ante, quam hypochondria diligenter sint fota, vt docet Hipp.

Lib. 1. de Diæta.

Postquam diligenter purgatum fuerit corpus properandum ad aq. Thettutianam, quæ exhiberi poterit vnà cum melle ros. sol. quatuor saltem vicibus, post aq. Tettutianam ad expediendas obstructiones probatur mihi vsus chalybis exhibiti cum conf. borrag. & absynthij ratione stomachi, quo certè diu vti debet, sine quo nec obstructiones eximi posse spero. Hoc interim spatio æstate appellente iucundus erit vsus seri deputatissimi, qui saltem per mensem adhiberi debet vnà cum emulsione sem. melonum, & quatuor primis diebus dari poterit more Dioscoridis, nempè ad ℔. 3. cum tribus vncijs mannæ electissimæ. Hoc etiam tempore congruens erit balneum aq. dulcis. Hoc interim spatio non sunt omittenda lætificantia, quæ in omni melancholica affectione adhiberi debent, cum melancholia formalem antipathiam habeat aduersùs spiritus vitales. Hinc fit, vt Simon Petræus, Iacotius, Fernelius damnarint virulentiæ, proin probantur conseruæ bugloss æ, borraginis, vnà cum portione conf. Alkermes, aut sp. lætificantium: probantur item Theriaca, lapis bezoar, & confectio hyacinthina, quin etiam ipse margaritæ, quæ spiritus splendentes efficiunt, contrariorum enim contraria sunt consequentia, quod si spiritus obtenebrati mœstitiam, metumque patiũr, reliquum est, vt lucidi spiritus lætitiam, spemque inducant.

Pro Nobili quadam Iuuene iecoris insigni obstructione, lienis duritie non sine dolore, pedum tumore œdematoso cum vteri frigida, humidaq; intemp. laborante cum plurima seri copia.

CONSILIVM TERTIVM.

HVmani corporis œconomia regitur, dirigiturque ab anima quidem, sed caloris ministerio, (nulla siquidem naturæ actio sine debito calore ritè obitur) calor autem debet esse proprius, moderatusque, hanc mensuram, & mediocritatem indipiscitur euẽtationis beneficio, hinc scitè scripsit Dictator Vlios 6. Epidem. *Calidum moderato frigido nutriri*, quòd si ventilationis vsus aliquo pacto tollatur, calor aut multiplicatis gradibus intenditur, calidorumq; humorum prouentus succrescit, aut certè suffocatus marcescit, hinc frigida recrementa augescunt, atque adeò frigidæ ægritudines: Hoc ipsum cernere est in nobili languente nostra, quæ ex naturalium viscerum imbecillitate plurima excrementa congessit, à quibus iecoris, & lienis primùm infarctus exorti sunt, vnde subinde calor naturalis maiorem passus est iacturam, quæ in causa fuit, vt maior recrementorum maximè serosorum copia succreuerit, à quibus nõ modò infarctus, & oppressiones viscerum conduplicatæ fuerunt, sed etiam per decubitum pedes intumuere, & vterus in magnam molem succreuit, vt opinionem prægnationis excitauerit (similitudo enim causa est erroris) qui sanè vterus tandem non sine maximis doloribus, qui parturientium cruciatus æmulabãtur, detumuit magna seri copia erumpente, vnde opinio prægnationis conuersa est in suspicionem veri hydropis vteri. Hiſteria.

In præsentiarum verò adhuc pedes intumescũt hypochondria magna obstructionum sobole distenta manent, quinimo in sinistro hypochondrio adest maior duities, & dolor, vt non minimam incipientis scyrrhi suspicionem injiciat. Morbi igitur, quibus afficitur nobilis adolescens sunt in aucta magnitudine si spectes tumorem tùm pedum, tùm ventris, qui sanè originem trahant à morbis in via, nempè à contumacibus illis viscerum obstructionibus, obstruuntur autem viscera præsentia crassæ, viscidæque pituitæ, cuius ferax est ventriculus ob frigidam, humidamque intemperiem, nec minus iecur imbecille est ob frigidam intemperiem, cuius causa plurima serositas succreuit, quæ delata ad vterum, & retenta hydropem vteri peperit, detenta autem fuit, quòd in vtero similiter subsint oppilationes, quarum causa & menses imminutè abierunt per totum ferè annum. Non est tamen negandum in iecore vigere calorem quendam ascititium, merito cuius sãguis exuritur, & in melancholicam naturam facessit, à quo lien obstruitur, qui suo supersedens officio non modo est causa tumoris, sed etiam vt plurima copia melancholiæ in tota massa redundet. Quid igitur opus est facto? In primis recrementorum genus omne foras exigendum aphæreticis, obstructiones auferendæ aperientibus nempè, incidentibus, detergentibus, attenuãtibus, lienis tumor emolliri primum debet, tùm discuti, resoluique. Postremò intemperies, unde recrementa continenter succrescunt, tollendæ, proin uentriculus calfaciendus, & siccandus, iecur similiter calfaciendum, uterus item calfaciẽdus, & siccandus, lien similiter roborandus. Caput nullis symptomatis laborare deprehenditur, quod tamen humidius, & destillationum interdum author est. Causæ. Methodus.

Hisce scopis respondere non adeò peruiũ est, imò comprimis difficile, siquidem adest non minima essentiæ magnitudo, quam summus frigidorum excrementorum prouentus arguit, adest uehementia dignitatis, cum tot principes particulæ afficiantur, quin mala etiam per moram inualuere, & ferè habitum contraxere, scitum uerò est, uel Hipp. testimonio quàm difficile, uel minimæ affe- Prognosis.

affectiones tollantur, vbi diuturnitate temporis obfirmatæ sunt, & altas egere radices.

Attamen quoniam nondum mala summum attigere apicē, nec ægra vllas experta est artis opes, imò incongruam, & incommodam semper vitam degit, age ad præsidia gradum faciamus hac tamen præfatione habita, curationem in longū producendam, & summa arte dirigendam, ne malum vires capessens hydropem accersat, qui impendet.

Curatio per Chirurgiam.

Quod spectat ad Chirurgica præsidia videndū nunquid venæ-sectio conueniat, & sanè quemadmodum in ea hydropis specie, quæ suppressas hæmorrhoidas excipit, licet venam tūdere, ita in hac nostra Patiēte cū diutissimè suppressa fuerint, aut certè valde imminutè abierint menstrua purgamenta, non abhorream à modica sanguinis euacuatione, quæ naturam sui muneris memorem efficiat, & quæ plethoram à suppressione subortam leniter depleat, detrahatque, eòque magis, quòd calida præsidia sunt adhibenda, quæ sanguinem qualemcunque redundantem inflammare posset, tundi autem debent inferiores venæ. Huc spectāt cauteria, quæ inuri quidem debent infernis partibus nempè dextro femori, aut sinistro laborantis ratione lienis. Nec minus post vniuersam corporis expiationem congruentes erunt fotus, & litus hypochondriorum, qui tùm expediendis visceribus faciant, tùm calfaciendis, & roborandis, quò spectat & stillicidium ventriculo capiti, & vtero etiam adhibitum. Mitto reliqua Chirurgica præsidia, quæ si malum augmenta maiora capesseret, essent vsui, puta pyrotica, phænigmi, incisiones, &c.

Per Pharmaciam.

Quòd attinet ad pharmaciam in primis leniēdam esse aluum existimo melle ros. sol. manna addita succi ireos nostratis vnciola, quæ dilui debent iusculo D. sem. citri, & anysorum, & passularum, quòd si malet bolos, concinnari poterunt ex el. leniente, manna, & modico puluere mechoiacham, aut scriptulo vno hyalappæ orientalis addito. Subducta aluo apozemata instituī debent, tùm quæ aperiant, tùm quæ parent humores, probantur proin mel ros. simpl. oxymeli paucissimo cremore sem. citri diluta, aut certè sine diluto etiamnum deuorata. Quibus per quatuor aut quinque dies perhaustis quatuor ante prandium horis gradus faciendus erit ad aliud pharmacum, quod tùm sereum, tùm pituitosum rectementum foras exigat, talis erit Agaricus infusus in D. betonicæ addito mellis ros. sol. triente, & el. de dactyls didrachmo. Postridie noua Protherapia instituenda, quæ infarctus validiore modo expediat, probantur proin syr. de duabus rad. byzantini, syr. de cichorea comp. dilui poterunt iusculo D. rad. fæniculi asparagi, apij, brusci. Post syrupos nouo pharmaco opus erit, quod paratos humores detrahat, proin probatur infusio Rhei, & Agarici, quibus & mel ros. sol. & syr. de polypodio compositus, & diaphænicum maiori modo adijci poterunt. Hoc pharmaco deuorato noua propotismata erunt haurienda (neque enim tantùm aquarum, vt dicitur, vno hausto exhauriti potest) proin vsui erunt syr. de quinque rad. de betonica, de stœchade, de cychoria Nicolai. Hisce per hebdomadam exhaustis catapotia effingi possunt præbenda, quæ constent ex massa pill. de Rhab. Rhas. aggregat. cocchiaram nitri Alexandri, quibus deuoratis post quinque horas prandiū erit ineundum frugalius. His potiis sufficere Serapium Fernelij ita concinnatum, quod simul afficiat, & euacuet. Postridie quiescendum, subinde de maioribus remedijs cogitandum.

Mihi sanè ad ventriculi tonum erigendum probaretur aq. Tettutiana terque quaterq; deuorata vnà cum Rhodomelle sol. Subinde transeundū ad præsidium generosum, quod viscera naturalia, vterum, & caput moderatè calfaciat, & vehementer afficcet, tale erit D. Chynæ, sassafras cort. ligni Guaiaci, & Lentisci, quod sanè præsidium nulli erit vsui sine expresso sudore, qui exprimi commodè poterit in hypocausto. Hoc tempore præbere oportebit bolum ex cyprio terebintho, atque ammoniaco ammixtis trochiscis cypheos, aut viperinis. Hoc eodem tempore lieni, & hepati topica adhibenda erunt, lieni quidem ammoniacum dissolutum in acerrimo aceto addita bdellij portiuncula cum puluere asplenij, iecori verò vng. santalinum admouendum cum pulu. absynthij, chamædrios, & ligni aloes correctum. Nec minus vtilis erit conf. betonicæ, Roris-marini, & Theriaca cum Mithridatio veteri. Quibus auxilijs si non concedant viscerum infarctus, tùm chalybis usus maximè probandus. Non erit negligendus hoc interim spatio vterus, qui per suffitus Aromatum, & per metrenchiten erit calfaciēdus. Toto verò curationis tempore seruanda est diligens victus ratio, quæ afficcet, nec minus viribus, quàm morbo studeat.

De Thermalibus aquis nil habeo, quod dicam in præsentiarum, nam speramus domesticis hisce remedijs hoc malum profligatum iri, quod si non cōtingat, earum quoque fieri poterit periculum, neque enim abs re dicuntur sacræ Thermæ, quia nimirum sacros pariunt effectus; non tantùm autem extrinsecùs adhiberi debent, sed etiam intrinsecùs epotæ, vt moris est, sic enim viscerum ueteres discrasias eximunt, uterumque fœcunditati dispositum reddunt, ut scitè Sauonarola obseruauit.

Pro scorto vteri dolore, tumore, & feb. continua lacessito.

CONSILIVM QVARTVM.

Historia.

ABhinc binos menses mulier hæc cœpit vteri dolore non sine inflatione, & tumore affligi, nec multo post tempore feb. superuenit, eaque perennis, duplex scil. tertiana spuria. Caussabatur mulier externum frigus, & suppressa menstrua purgamenta, aut saltem valde imminuta. Nos itaque ex more, vt spiritualibus pharmacis animum pararet, hortati ex animo sumus, subinde manum operi admouiti sumus.

Præsidia.

Primò itaque pharmacum deorsum purgans dedimus ex el. lenit. & cass. concinnatum, tū sang. è malleolis mitti iussimus, subinde vtero fotus admouendos præscripsimus, quibus dolor lenitus

fuit, nec minus apozemata præscripsimus, quibus humores feb. committentes concoquerentur. A quibus nouum pharmacum propinauimus, & noua propotismata instituimus, cumq; noua mensium periodus accederet, menseseque inminutè admodum procederent, denuò sanguis missus fuit ex saphæna, postremò dilutum Rhab. cum myr. nigris propinauimus, quibus auxilijs melius habere visa est, remanente adhuc vteri duritie, tumore, & dolore, pro quibus debellandis iterum accersitus mali ideam rimari diligentiùs volui, cõperique non esse scyrrhum, siquidem adest dolor, non scyrrhosim, siquidẽ adest tumor, nõ schleroma, siquidem dolor pũctilis est, & interpolis, quare suspicor adesse cancrosum tumorem, quando Celsus docet internoscere hosce tumores, qui ait, comitari punctilibus doloribus, qui interdum disparent, subinde redeunt, & feb. aliquando accersunt. Et quoniam consilio Hipp. cancros occultos melius est non curare, curari enim citiùs interebũt. Præscripta victus forma mulieri vale diximus.

Pro Muliere quinquagenaria cruenta mictione laborante.

CONSILIVM QVINTVM.

EGregiè Hipp. scripsit in Aphor. Dolores, qui sunt in lateribus, atque pectoribus, an multũ differant, diligenter perdiscendum, vbi Philoteus animaduertit, Hipp. id sibi velle, vt vltimæ morborum differentiæ priùs internoscantur, quàm de remedio cogitemus, siquidem difficilius est dignoscere, quàm curare, vel teste Hipp. cui plenissimè adscripsit Gal. medicinam coniecturalem vocans tùm ob remedij quantitatem, tùm ob agendi opportunitatem, tùm maximè ob morbi dignotionem, quæ est omnium difficillima, quare in hac diri morbi historia mihi condonandum erit, si potiùs coniectando, quàm deliberando sententiam protulero.

Plurimæ sunt affectiones, quibus Domina percellitur, quædam enim antiquæ sunt, quædam recentes, inter veteres censentur vterinæ affectiones, quas libens cum Aetio definierim flatuosas perfrigerationes, symptoma quippe in qualitate mutata tangibili, non frigidam intemperiem, vt putauit Altimarus, præterea circa hypogastrium pondus quoddam, & dolor, tristis nimirum sensatio, sympt. tactoriæ facultatis deprauatæ à re grauante, & continuitatem soluente, & faxit Deus, ne subsit calculus; Cous enim, & Romanus Hipp. nullum signum lapidis euidentius habuit, quàm pondus circa pubem: lapillus autem non est morbus in numero, vt quidam existimarunt, sed causa morbosa toto genere præter naturam.

Cæterùm recentes affectus sunt cruenta mictio cum sedimento admodum fœtente, symptoma in exeunte mutato toto genere præter naturam. Hic duo potissimùm sunt quærenda, nimirum an sedimentum illud sit purulentum, an pituitosum, dein ex quo fonte sanguis emanet, & quomodo. Quod spectat ad primam difficultatem, vt ex arte, & non sine Hippocr. auctoritate respondeam, duos Aphor. præmittam, & in primis. *Quicunque sponte sanguinem mingũt, ijs in renibus venula rupta est.* Dein. *Quicunque sanguinem, aut pus emeiunt, ijs renes, aut vesica vlcere laborat.* Dico igitur, sedimentum illud esse purulentum, argumento est fœtor, qui in pituita etiam putri desideratur, hoc enim modo nos docet Hipp. internoscere sputum purulentum à pituitoso. Quod verò ad secundam difficultatem, dico, esse quidem argumenta, quæ suadeant in vessica vitium subesse, siquidem dolor adest, vbi autem dolor, ibi morbus, præterea hinc etiam arguitur, quòd sanguis exiguus est, quibus argumentis posset quis conijcere in vessica vitium contineri, sed reuera hoc falsum est, nã si ita esset, Domina perpetua laboraret stranguria, adhæc sanguis non esset adeò feroso excremẽto mixtus, quare credibile est, sanguinem hunc ex renibus emanare, non per diapedesim, non per anastomosim, sed per diæresim, quam lapilli asperitas primò commisit, subinde sanguis acrior auxit, acrior autem sanguis est ob iecur feruidius cũ propria ratione, tùm ob infarctus à materia crudiore, quam ventriculus parit. Eò igitur allaborandum, vt ventriculus calfiat, iecur temperetur, vlcus tergentia, siccantia, & consolidantia postulat, quibus indicationibus vix satisfieri potest: vlcus enim renum vix coalescit ob perennem vrinæ, & excrementum illapsum, propter continuum laborem. Inter Chirurgica præsidia laudatur venæ-sectio ex saluatella, cauterium in femore, balneum non probatur, quia promouet sanguinis effluuium ex Hipp. epithemata hepati, emplastra adstringentia renibus admota cõferent item clysteres refrigerantes.

Inter pharmaceutica cassia cum pulpa thamar. & Diasebesten commendatur, quæ frequèns adhiberi debet, vt excrementa ad intestina deriuentur. Inter alliotica aq. hordei cum saccharo rosato, serum depuratum, aq. Brandalenses, lac asellæ laudantur.

Pro Viro Nauta Gallo febre malè morigerata cum exanthematis correpto.

CONSILIVM SEXTVM.

VIr bonus triginta circiter annos natus, temperie calida præditus, cum diù, multùmque æstuante Cœlo in concinnanda Naui laborasset, & liberaliùs etiam vino indulsisset, cœpit de capitis dolore, & de summa corporis lassitudine conqueri, tandem noctu multum febricitauit, sitiuit, & insomnis noctem egit. Accersitus, quidnam pateretur, à qua causa, quandiu, quo victu vsus fuisset, & an venter secederet, accuratè ex more rogaui. Antequam verò manum pulsibus admoueam, acriter moneo, vt pietati vacet, se se Deo conciliet accersito piaculari Sacerdote, (præuideram enim non leue instare periculum.) Admota carpis manu pulsum mira quadam inæqualitate affectum inuenio, vrinæ, subrubræ, & turbidæ reddebantur, corpus iactatione indefinenti laborabat, sitis vrgebat. Simul atque hæc symptomata obseruaui præscripsi pharmacum, nempè Iulebũ

de

de manna more Horstiano concinnatum (siquidem in acutis passionibus monitore Hipp. tardare prauum) subinde seri depurati libram propinaui. Multa, & varia foras educuntur. Æger nihilo habet melius. Vesperi syrupus de succo acido citri cum aq. hordeaceæ libra exhibetur. Noctu pessimè habuit. Postridie ex dextri brachij basylica mittitur sanguis nigricans, paucæ commixtus serositati. Vesperi exanthemata erumpunt non sine leui delirio. Cucurbitulæ infernis partibus admouentur, nec minùs phœnigmi, quin capiti oxyrhodinum admouetur abraso capillitio, cardiaca præscribuntur. Noctu, vtcunque dormitauit; Postridie se leuatum sensit. Hîc non possum, quin excurram in reprehensionem illorum, qui arbitrantur in febr. peticularibus nunquam esse mittendum sanguinem, ne intrò retrahatur materiæ impetus; equidem si auctoritate contendere velim, non video quam in partem inclinem, siquidem Auic. cap. de cura quartanæ, atque etiam alibi manifestò fatetur phlebotomiam ad exteriora euocare; huc spectasse creditur, & Gal. 9. Methodi, vbi ait, *naturam per sanguinis missionem exoneratam validiùs insurgere in reliquam materiam.* Volunt enim isti Coryphæi, & meritò quidem, in febribus adesse pondus, nimirum humorum sarcinam, quæ per phlebotomum deponi debet, propterea Auic. generatim seb. Ephemerarum curationem præscribens mandat, vt victus extenuetur, nam per intemperiem vires deiectæ multum alimoniæ ferre nequeunt, hinc fit, vt sanguis antè morbi aduentum esset quidem viribus proportionatus, sed deiectis per morbi vim viribus, idem obiectum euadit impar, & incongruens, quare pondus leuare expedit, vt natura vires suas strenuè exerceat. Quòd si experimentis certandum sit, equidem deierare possum me semper obseruasse phlebotomiam sanguinem ad exteriora ciere, quò natura veluti ad commune emissarium onus deponere consueuit. Valeant ergo, qui tam sunt meticulosi, vt nunquam audeant sanguinem mittere, etiamsi res ægri in angusto sint, & morbi magnitudo requirat, nec vires refellant. Minùs sunt tamen illi tolerandi, qui quamcunque cutis efflorescentiam peticularum nomine dignantur, (Arabes vocant Asaf, & Alasaf) etiam si aut seb. intermittat, aut sit mitissima, quare statim confugiunt ad cucurbitulas, ad illitus Aetianos, ad phœnigmos, ad hyrotica, & nescio quæ præbia, quæ sanguinem accendunt, & febrem conduplicant. Peticulæ genuinæ symptomata sunt seb. pestilentis, inquit rectissimè Petrus Salius, Mercatus, & reliqui, quæ sordidam putredinem non extremètitij, sed alimentalis humoris sequitur, nec minùs incendium, & feruorem sanguinis; hæc verò duntaxat, dum critica sunt, promoueri debent sudorificis, non item vbi vi, & tyrannide symptomatis erūpūt, quod frequès accidit, tūc. n. potiùs sanguinis feruor infrænari debet acidis, & refrigerantibus, vt efficiunt scitissimè Arabes, quos sequuntur Mercatus, & Amatus Lusitanus non sine prospero euentu. Scio hanc excretionem fieri ad cutem totius commune emissarium, & proin à partibus nobilibus ad ignobiles, sed contendo intempestiuè currenti non esse addendum calcar, sed sinendum, interim acida vsurpanda, quæ putredinem comprimant, & æstum compescant. Discant igitur non semper verè exanthemata esse, quæ in cute efflorescunt, aut in seb. mitissima, aut intermittente, vt sæpè ego obseruaui, & præsertim nouissimè in quodā Monacho ex ciuitate Cydonię, cōtendebat quidam Medicus esse peticulas, etiam si vir ne febricitaret quidem, sed ad rem. Vbi ægrotus plura apozemata perhausit, atque etiam serum destillatum cum acredine citri mixta cum Ceruino cornu, tandem infusio Rhacomatis colophonem curationi imposuit, & nunc optimè valet.

Mercatus asserit, exanthemata esse pathognomonicum signum febr. pestilentis, affertq; Hipp. auctoritatem lib. 2. popul. par. 3. Fiebant autem in his seb. æstiuis circa septimam, octauam, & nonam diem aspritudines in cute miliaceæ culicum morsibus magnitudine similes non valde prurigino sæ, & 7. Pop. in Historia Fullonis. Fullo in syro phreniticus cum moueretur cruribus tremulis, corpus veluti à culicibus compunctum. Similiter ibidem Euphranoris filio pustulæ veluti à culicū morsu, & lib. 1. Pop. Papulæ cum sudore rubræ, rotundæ, paruæ veluti vari. In quibus locis ægri laborabant maligna, pestilentique seb.

Pro quodam Monacho Inquisitore pleuritide maligna laborante.

CONSILIVM SEPTIMVM.

HÆrericę prauitatis Inquisitor Vir quinquaginta quinque annos natus habitu graculento, temperieque melancholica præditus, cum nullos antea passus esset morbos, & multis afficeretur animi sollicitudinibus, tandem ineunte Vere incidit in pleuritidem dextri lateris, in qua multa quidem quotidie expectorabat, sed nigricantia, & non sine summa difficultate, insomnis totam agebat noctem, creberrimè residens, pulsus duriusculi, & mira ataxia affecti subsultabant, decubitus in neutrum latus ferri poterat, nam si in sinistrum, dolor ingeminabatur ob meteorismum, si in dextrum, molestia augebatur fusa latiùs materia ob compressionem, quare supinus ferè decūbebat, dolor ad iugulum ascēdebat, noctu vt plurimùm sæuiebat, hinc æger molestiam ferre non valens sæpè cubitu surgebat, & per cubiculum deambulabat, ita enim videbatur sibi leuiùs ferre. Accersitus quam mox morbi magnitudinem indicaui, esse quippè pleuræ membranæ costas succingentis magnam inflammationem à sanguine melancholico, quæ ita latè patebat, vt musculos comprehenderet, sanguis enim Vere quodammodo turget, cùm verò ab externa quadā causa, nempè indignatione, ebullitionem, & excitamentum suscepisset, natura eum tandem à maioribus ad minimas venas protrudebat, hæ verò pondere, & sarcina oppressæ onus in partis substantiā deponere conatæ sunt, vnde phlegmones primordia nata sunt, quæ subinde magna incrementa suscepit, prout dolor creuit, & pars imbecillior facta

facta est. Species, & vitium patescunt, proin per indicationes pedem ad curationem conferam. A morbi verò forma, à subiecto, & à causis petuntur. Morbi forma tristis sensus est pleuræ membranæ propter inflammationē, qui anodyna postulat, subiectum pleura, quæ apolecta indicat, efficiens pro vario vitio minuens reuellens, & alterans insinuat.

Hisce indicationibus satisfieri non poterat, siquidem pleuritis pendebat ex sanguine melancholico, qui pleuritidem perniciosissimam parit, teste Galeno lib. de constitutione artis Medicæ. Adhæc in morbis pulmonis, & pectoris crebrò residere velle prauissimum, inquit Hipp. arguit enim magnam vim inflammationis. Adhæc excreatio non fiebat sine dolore, & sputum erat nigrū, quod ex Hipp. & Galeno est lethale signum. Desiderat Hipp. sputum ex albo flaueſcens, citò facilèque eductum. Postremò aderant vigiliæ pertinacissimæ, quæ vires prosternebant, pulsus inordinati, & inæquales morbi vim, naturæque imbecillitatem succumbentis arguebant. Accedat magnam causſæ vim argui ex integra valetudine, qua semper fructus est. Quare luctus vbique pauor, & plurima mortis imago. Nos tamen, qui scimus in arte, quemadmodum & in natura, monstra aliquando contingere, manum curationi admoliti sumus non sine præfatione. In primis potio sol. ex manna sol. sennæ, & crem. tartari propinatur, qua multum educitur excrementorum. Quæ anacatharsim promoueant, statim præscribuntur, nimirum linctus ex syr. de hybisco de pomis, & Iulapio acetoso. Linimentum ex ol. amygdalino dulci cum quarta parte vng. Dialthææ. Serapia non omittuntur, nempè iuscula D. maluarum, adianthi, borraginis, dulcorata syrupo de pomis, & Iulapio acetoso, frustra enim contendit Nicolaus Massa, non esse vsurpandum syrup. acetosum in pleuritide. Postridie sanguis è directo læsi lateris mittitur ad vncias nouem, sanguis erat nigerrimus, plurima serositate scatens, & sine fibris; adeò vt in peluim iectus statim in xysmata abierit. Pharmacum phlebotomiæ præmittitur ob cruditates. Vigilijs consulitur pedum lotione, & emulsione sem. melonum, & amygdal. ex aqua violarum.

Sed vt morbus quotidie ingraueſcebat, ita vires naturæ imminuebantur. Tandem eò res peruenit, vt æger fortassis minùs mente constans dolorem negligeret, seque nulla molestia amplius affici dictitaret, solùm peruigilium sibi bellum indicere, quare cœpit cubitu surgere, & obambulare per atrium, se nullo amplius affectu vexatum asserens. Vt viro mos geratur præscribitur conserua papaueris Rheadis à cœna deuoranda, litus temporū ex ol. cucurbitæ, in quo duo grana opii, totidemque croci dissoluta erant; nam & si vetitum est in pleuritide vti hypnoticis, ne sputum retineatur, hæc tamen creditur proprietate quadam pollere. Sed cum vigiliæ perseuerarent, & morbus quotidie incrementa capesseret, vir insignis, & summæ doctrinæ Maresius accersitur, qui cum hominem moriturum inspexisset, eum funereo Sacerdoti commisit, & Vesperi ingruente septimo paroxysmo, vt prædixeram, vitam cum morte commutauit.

Non defuerunt tamen sycophantæ, qui iuxta Medicinæ Canones institutam curationem cauillari non dubitarunt, quasi verò hominum vita, vt ait Plutarchus, non sit Dei depositum, quod pro libera voluntate resumit. Hinc Plato 9. de legibus, scitè cauet, vt quiuis Medicus, si qui curatur, eo inuito moriatur, purus sit secundùm legem, cum mortalitatis euentus Medico non sit imputandus, modò morbum ritè dignorit, & recta præsidia adhibuerit, omnino tutò, citò, iocundè auxilia contulerit. Medici officium est appositè curare ad sanandum, propterea, inquit Arist. *Non ideò malus Medicus est existimandus, & si non semper sanarit, dummodo nihil reliquerit eorum, quæ ex arte sunt.* Quid quæris?

Non est in Medico semper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum. Ouidius.

Valeant ergo nebulones, & posthac, quæ norunt, rectè diuidcent, neque impudenter per cōpita conuitientur, neu incondita uerba pueriliter effutiant, meminerint homines esse omni flagitiorum genere obstrictos, proin mussitandum sibi, ne moueant Camarinam.

Pro Viro comitiali, sonticoque morbo obnoxio.

CONSILIVM OCTAVVM.

MAlum, quo egregius Vir per periodos incessitur, ex morboso quodam capitis apparatu, nec minùs ex phlegmatici melancholicique excrementi aggestione proficiscitur, quæ quidem excrementa in hypochondriis congesta, subinde agitata sub vaporis specie cerebro præsentantur, quod sanè vt facilè suscipit (cum calore, & humore excedat) sic ab insultu sonticorum vaporum impetitum, qui non modò mole inumbrant, infarciuntque, sed etiam venenata qualitate irritant, & extimulant, quam mox cùm ad sui tutelam, tùm ad noxium excutiendum, & propellendum insurgit suis, quatenus potest, viribus vsum, hinc cum spirituum influxus deficiat, sensus offuscantur, motusque partium, qui læsi principij conditionem, & agitationem sequitur, uehementer deprauatur. Pernicioſus quippe affectus hic est, maximè ijs, quibus magna incumbunt negotia, quique iter per montana, & salebrosa loca conficere sæpè coguntur.

Totius ergo cautionis ratio super hoc cardine vertitur, vt morbosus capitis apparatus de medio tollatur, & excrementa, quæ quotidianā cumulantur generatione expurgentur, penitusque extirpentur.

Quod ad morbosum apparatum, hic hercle in calida, humidaque cerebri intemperie consistit, quare compensari poterit, atque retundi iugi sacchari rosati vnā cum puluere sem. pœoniæ vsu, & ab hordei ingestione, nec minus ex conf. liliorum conuallium, borraginis rosarum ammixto cranij humani extracto, necnon rubris corallijs, & ebore puluerizatis.

Quod attinet ad excrementa, quemadmodum

pitui-

pituitosa, & cruda ex imbecilli stomacho proficiscuntur, nempè frigido, humidoque, ita melancholica ex impensè calido hepate, quod proin vtriusque bilis ferax est, quare æqualis insurgit necessitas tùm præsentia euacuandi recrementa, tùm inhibendi nouum prouentum, qui sanè inhibebitur potissimum ea victus formula, quæ paulò post præscribetur, & permutando eorum viscerum temperiem, quæ reliquis partibus alimentum cõficiunt, nempè calfaciendo stomachum, & iecur attemperando. Operæ igitur pretium erit bis singulis annis Vere, scilicet, & Autumno ineuntibus corpus à quisquilijs repurgare vsu pharmacorum, quæ mediocria sint, qualia forent species hierę picræ, mel rosaceum soluens, elect. leniens, syrupus de polypodio comp. denique Agaricus. Non erũt omittenda Serapia, quæ purgationi humores parent, siquidem cum quis corpora purgare voluerit, oportet fluida facere, proin vsui erunt oxymeli, syrup. de pomis, de borragine, de lupulis, diluantur iusculo Decoctionis betonicæ, rad. pœoniæ, thiliæ, borraginis, citraginis, queis guttas aliquot spiritus vitrioli adieceris. Post primũ pharmacum, binaque Serapia permittat, vt sibi hyrudines venis hæmorrhoidalibus admouecãtur, Vere quidem sanguinis vncias nouem effundendo, Autumno sufficiant septem. Hoc præsidium vt fœculento humori imminuendo inseruiet, qui in perniciem naturæ conspirauit, sic mirum in modum hepati refrigerando conducet, vnde melancholiæ prouentus inhibebitur, quæ cum sit grauis, & terrestrior semper deorsum propendet, proin & cauterium in femore dextro inustum summopere commendatur, vt excrementi generatio perennis habeat remedium continenter euacuans. Pro stomachi robore nihil æquè conferet, atque aqua Tettutiana, quæ Septembri mense hauriri poterit, aut cum melle ros. soluente, aut certè cum sp. Elioscoph.

Quod spectat ad viuendi normam, frugalitas nunquam non conferet, cibi euchymi, & eupepti eligantur, vinum sit olygophoron. Allium, cæpitium, apium, legumina, lactucæ, lactis genera, carnes bubulæ tùm recentes, tùm salitæ, suillæque damnantur. Exercitium matutinum in locis vmbrosis conferet, à prandio damnatur, similiter somnus. Studeat exonerandæ quotidie aluo, quæ si non respondeat, ne reformides aloes vsum. Errhinis leuioribus ad pensum nasum reuoces, aut succo rad. betulæ, aut turundis ex corticibus aurantiorum in nares intrusis. Interim curas mitte graues, & benè sperando animum leua.

Peculiaria, quę aduersùs sonticum hunc morbum obtinere credũtur pręcipuam antipathiam, aliàs prę scribentur, quibus si Deus affulserit, non dubito, quin profutura sint.

Pro Paulo Veneto in Nosocomio SS. Petri, & Pauli Priore Asthmate, & œdematode pedum tumore, queis superuenit, erysipelas putre, & feb. laborante.

CONSILIVM NONVM.

PAulus Venetus in Nosocomio SS. Petri, & Pauli Prior cum eusarco corpore, & florido aspectu esset, & optimam præseferret temperiem ineunte bruma ex catarrho cœpit spirandi difficultate laborare, quæ statis interuallis virum affligebat, potissimùm noctu, vt vigilatam ageret noctem. Mandamus, vt consueto victui aliquid detrahat, esculenta dyspepta, & cacochyma declinet, vinum dilutum frugaliter hauriat. Victu nihil proficitur. Experitur pharmaca, quibus nihil concedit malum, imò accessiones multò crebriùs, & sæuius incessunt, vt tota nocte insomnis stare cogatur. Pyrotica præscribuntur. Præstantissimi quique Medici adhibẽtur, quisque pro suo sensu remedia confert, sed nequicquam morbus enim perstat.

Ac si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Quidam caussabantur durum hepatis tumorem, vnde comprimeretur diaphragma, quidam phlegmonen subesse contendebant, quidam demum eò diligentiæ peruenerunt, vt non hydropem pulmonis, sed thoracis esse rato animo crediderint. Sed omnes tota via aberrarunt, siquidem malum à complexa proficiscebatur causa, siquidem in brõchijs aderant contumaciss. obstructiones, iecur idatidibus scatebat, futiri hydropis indicium, inter intestina, & peritonæum non minima suberat putris seri vbertas, cuius contactu omentum labem contraxerat.

Ventriculus summa imbecillitate laborabat iecur vt alieno, & ascititio calore æstuabat, vnde excrementa bilioſa prodibant, ita proprio, & naturali destituebatur, ex qua viscerum antipraxia varia, & multiformia excrementa nascebantur, præsertim serea, quæ vt noctu ad pulmones præcalfactos è toto confluebant, & oppressiones cõduplicabant, ita flatus in epigastrij regione stabulantes, & ab aucto inter dormiendum intus calore (dormientes enim, ait Hipp. intus calidi, foris frigidi) conciti & sublati diaphragma comprimentes paroxysmum noctu accersebant, quo tempore vniuersæ caussæ in ægri perniciem conspirabant, propterea interdiu melius habebat. Ex hac igitur mala viscerum constitutione concurrentibus vigilijs tanta cacochymiæ moles succreuit, vt pedes & crura œdemate laborare cœperint, cuius curandi gratia cum Chirurgus diligentior crura scalpello scarificasset, & vt cæsuræ hiantes consisterent, iussisset multis involucris crura tegi, quæ cum plus nimio incaluissent, bilioſi sanguinis multum attractum fuit, qui erysipelas phlegmosum commisit, quod cum putruerit, & suppurarit, febrem accersiuit, eamque in copore caussatio putrem.

In his angustijs positi nihil intentatum relinquimus,

quimus, sed cum remedia diligenti indagine comparata nihil proficerent, & non esset remedij locus, Fato concedere opus fuit.

Pro Patritio Veneto febricitante somnolento torpore, delirio, & memoriæ defectu correpto.

CONSILIVM DECIMVM.

QVæ denuò emergunt, nouo indigent auxilio, denuò autem emersere hæc symptomata, uempè somnolentus torpor, leue delitium, & memoriæ solęcysmus, dum enim alterum pro altero, inquit Aristot. memoria menti offert, solęcysmum quadantenus committere videtur. Hæc verò sympt. sunt animalis facultatis, quæ cum in cap. resideat, aut certè suas manifesto colat functiones, necessum est aliquod eidem cap. vitium accessisse, aliquam morbosam caussã occurrisse, cuius ratione, vt organa vitiantur, ita functiones læduntur, facultates enim per se sunt inuiolabiles, vtpote quæ sunt animæ aptitudines ad operandum: Hæc autem morbosa caussa nulla est alia, quàm pituita vehiculo bilis in cerebrũ sublata, quæ non tam organicas, quàm similares particulas afficit, dum enim poros cerebri infarcit, & refrigerat torporem memoriæ, & in somnũ delationem inuehit, dum eadem putredine, & bilis consortio cerebrum, & spiritus calfacit delirij genus quoddam parit. Cæterùm materiæ impetus ad caput potiùs per attractionem, quàm per transmissionem factus esse videtur, siquidem præcessere vigiliæ, quæ cap. calfaciunt, contrariorum enim contraria sunt consequentia, vt verò somnus refrigerat, ita vigiliæ calfaciunt, caput verò præcalidum aliunde attrahit; Accedat situs, & figura, quorum ratione scripsit Hipp. cap. aliunde attrahit. Quid igitur opus est facto? eò allaborandum est, vt materiæ impetus retrahatur, & etiam reprimatur, interim euacuando, nam si vberior caput materia petat, & figat radices, quis non videt certum impendere lethargum, aut quãpiam comatoden affectionem, quæ lethum adferat.

Quoad igitur ad Chærurgica præsidia, non improbantur hyrudines hæmorrhod. admotæ, nam etsi deorsum trahant, atque adeò possint refricare hæmorrhagiam, maius tamen impendet periculum ab impetu humorum in caput. Probantur & cucurbitulæ, sed tanquam subalternum præsidium, scapulis admotæ, itemq; phænigmi. Nullo modo omittendam esse purgationem arbitror, siquidem hęc materia instar est turgentis, dũ principem partem impetit, quare sennam exhiberem vnà cum Agarico, aut certè syr. ros. sol. dilutem D. cardiaca, in qua Agaricus, & sena bullierint.

Ad veteri pruritum ex Auicenna.

MIttendus sanguis ex vena nigra, quæ & matricalis appellatur, subinde iuxta peccantis humoris idæam purgandum corpus, postremò adhibenda topica, quæ & frigerent, & reprimant pruritum.

Inter localia censet portulacæ succum, Acaciã, vel hypocistida dissolutam ex ol. violaceo. Adhæc ℞. fol. menthæ, cort. granat. lentis decort. quantum vis coquantur in vino, & adhibeantur pro fotu. Siue ℞. Croci, Camphoræ ana ℈. ß. plumbi exusti ℈. j. baccarum lauri ʒ. ß. conterantur, traiectaque per cribrum cum oleo rosaceo, & ouorum albuminibus formentur in linimentum. Nec minus profuerit suffitus ex lycio, & medulla granorum citri *

Ex Manardo.

Vbi catholica præsidia anteuenerũt, balneum, siue semicupiũ confert. Concinnari potest ex rosis albis, & earum semine ex fl. vel summitatibus Rubi, ex fl. camæmeli Althęæ, Alceæ, Matricarię, Plantaginis.

Ex Foresto.

Præter generalia Lythargirum per diem naturalem in acerrimo Aceto immacerandum, & ex ol. violaceo dissoluendum, vt fiat linimentum. Huiusce linimenti se periculum fœliciter fecisse deierat. Antequam verò adhibeatur, locus ablui debet hac decoctione ℞. fol. Plantaginis, lapatij acuti cum radice ana m. ij. coquantur ex aqua plantag.

Quòd si adsit excoriatio, post exhibitum Ægyptiæ cassiæ atramentum vnà cum lactis sero, loca ablui debent D. salicis, maluæ, uiolarum, solani ex lacte facta, dein illinenda vng. ros. de cerussa, albo camphorato commixtis. Lycium cum lacte temperatum vsurpandum. Interim verò seri vsus non intermittendus.

Ex Alexandro Benedicto Veron.

Mittendus sanguis ex media, vel cephalica, vt Galenus docet, purgandum corpus, subinde sanguis ex talo quoque demendus. Si cum libidinis intemperantia fuerit, quæ libidinem compescere diximus, danda sunt, nam crocum, rutham, menthastrum, cyminum Gal. sententia genituram cõminuunt, prurigoque rosacea, ol. rosaceo, santalis, exiguo aceto addito sedatur, vel portulacæ succo per se mitigatur. At tentigo imposito è lini sem. mucore, emollitur, aut è sem. maluæ, vel fœnugræci. Ad pruriginem medicamen. ℞. Myrthi fol. mali punici germinis, lentis decort. q. uis, coquantur ex uino, expressusque succus adhibeatur. Aliud. ℞. Croci, Camphoræ ℈. j. plumbi usti ℈. ij. baccarum lauri ʒ. ß. trita cum albuminibus ouorum, & rosaceo, uinoque commixta imponantur: saluiæ ex uino D. per se iuuat: Sed nihil œsypo vtilius.

Ex Mercato.

Mittendus sanguis ex axillari, mox ad malleoli venas deueniendum, procedente tẽpore ex saluatella sanguis mittendus. Purgandũ corpus infus. Rhei-barb. & ros. & manna. Cassia identidem repetenda. Purgato corpore nil præsentius, aut præstantius dulcis, & tepentis aquæ balneo. Dorsum circa lumbos refrigerante ung. oblinendum. Clysmi refrigerantes iniiciendi per metrenchitem (si liceret) uterus abluendus D. fol. salicis lentium

sine

sine cortice cum troch. de camphora, ut collyrio albo Rhasij. Prodest etiam D. oliuæ, & rad. oxylapathi.

Ex Riolano.

Vng. quæ sedant pruriginem, sunt vng. album, de lythargiro, ceratum Galen. cum pauco opio. Quòd si his non concedat molestia abluantur loca oxycrato D. hyosciami temperato, vel papaueris, vel pars eodem oxycrato profumetur, projciatur super tegulam ardentem, vapor excipiatur parte pruriente: Hoc modo interficiuntur cirones, vt morpiones arg. viuo axungiæ permixto, &c.

Hæc pauca selegimus, quæ tibi mitteremus, vt topica selectiora, & probatiora reponas, aut asteriſco notes, nam indiscriminatim, & importunè non sunt adhibenda, ne veteri densitatem pariant, atque adeò menstrua purgamenta cohibeant, (si modò non sunt suppressa.)

Interim verò sanguinis missionem probamus ex vena media cubiti, atque etiam ex malleolis. Semicupium nullam apud me patitur difficultatem. Cauterium ad deriuandum acre, & putre serum non improbatur.

Cholagogis corpus sæpè repurgandum blādioribus. Cassiæ vsus haud negligendus. Serum diutissimè hauriendum, in quo fumaria, aut epithymus efferbuerit, dulcorari poterit syr. è succo acido citri, aut limonum, aut si mauis, expresso è tusis sem. melonum lacte. Victus refrigerandi, atque humectandi vi polleat, &c.

CONSILIORVM Medicorum.

DECAS DECIMA.

Ad eximium Medicum Ioannem Baptistam Rotam D. Cassiani.

Pro Illustrissimo Comite lue gallica infecto.

CONSILIVM PRIMVM.

Post Hipp. Lib. de vet. med.

NAturam quadam contrariorum vicissitudine lætari, & à Galeno, & ab Arist. olim proditum fuit, id quod exéplo demonstrauit Socrates, quum solutus vinculis sibi genu perfricuit, & inde cruor emanauit, nescio, inquit, quomodo se consequuntur voluptas, & dolor, quam calamitaté commodè inclytus hic vir, qui se nobis curandum exhibet, deflere, & deplorare potest, ipse enim pro suæ fortunæ conditione summis voluptatibus delibutus, & imbutus sibi necessariam multorum dolorum consecutionem intulit.

Sed quoniam tectum est iudex sui, & obliqui, res naturales nostri languentis præmittere iustum est, vt rerum præter naturam, quibus affligitur, idea, & magnitudo euidentiùs patescant.

Est igitur Illustrissimus vir quadragenarius, calida, siccaque temper. præditus, cui imprimis immodico viscera torrentur æstu, ventriculus, vt par est, imbecillior, cap. humore vtcunque diffluit: olim genio, abdominique suo deditus, & in veneris illecebras procliuior incauto vestigio miser in luem gallicam incidit, quam hactenus eluere non potuit; quamobrem cum diutissimè delitescendo altas in iecinore egerit radices, tandem non sine fœnore multiplici malorum fructuum genere stipata effloruit. Sunt autem eiusmodi; fœda, & pruriginosa scabies totũdo schemate toto corpore continenter emanans non sine ingẽti scalptum excipiente dolore: lassitudo: dolor medios occupans artus, quæ vniuersa deuexo sole incandescunt, & efferantur, vt nihil sit propius, quàm febricula, adeò vt totã ferè insomnis agat noctem. Huc accedit prægrandis lienis tumor, & salsiusculus catarrhus in fauces deciduus, quibus comes it Syphilis: Nunc ea nobis incumbit cura, vt singula in suas causas referamus, vt agendorum ratio euidentiùs constet.

Iecur itaque natura calidum accessu luis venereæ, quæ in vapido quodam, & summè putri excremento latitat, amplius incanduit æstu, hinc crassi, exusti, & mordacis sanguinis prouentus, qui ad superficiem vnà cum ichoribus protrusus pruritum primò, mox scabiem commisit, fœdam nempè cutis turpitudinem, (æquum enim est, vt sanguis toto corpore vitiatus arguat eius naturale principium læsum): portio verò humoris crassior ad musculos effusa lassitudinem, h. e. voluntarij motus imminutionem ingenuit, at quæ perioſtijs adhæsit, dolorem.

Quæ omnia vesperi inualescunt, quòd iuxta eius idiotropiam humor ater túc temporis commouetur, & æstuat, quare suscitatis calidis vaporibus ad cor, & caput elatis, & totum incalescit, & peruigilium committitur, auctus enim calor spiritus omnes susq; deq; agit, vt nequeat pauca anathymiasis collectis spiritibus primum uincire sensorium, fouentur tamen vigiliæ à perenni rerum agendarum cogitatione, hic enim uir domũ, vt aiunt, gerit. Lien altiorem agnoscit causam, abhinc enim septennium cum Medici refrigerando hepati studerent, incautè lieni labem mussarunt, quare solito imbecillior commissum alimentum conficere haud ualens multum congessit excrementi, unde intumuit; & hinc etiam augetur melanch. humoris prouentus, cũ lien suo supersedeat officio. Destillatio consequitur humidam cap. intemp. & uiscerum naturalium seruorem, rectè enim Auic. notauit, eos, quibus æstuat iecur, distillationibus opportunos esse. Salsedo fit ex adustis uaporibus tenui cap. pituita commistis. At lues ex fœdo concubitu contracta iam pridem fuit, quæ nihil est aliud, quàm præter naturam diathesis à uago, & etherogeneo uapore tota subst. in corpus humanũ agente, neque enim audiendi sunt posthac, qui luem morbum esse diffitentur, sed excrementum duntaxat esse uolunt per modũ externi erroris oblædens.

Hinc hæ ducuntur indicationes. Iecur refrigerandum, & humectandum, stomachus roborandus, caput perficcandum, uitiosi humores uacuãdi, scabies detergentia, & siccantia postulat, humores crassi, quibus intumuit lien, incidentia, Methodus.

attenuantia, mollientia, denique sensibiliter, & insensibiliter euacuantia, lues proprium desiderat alexipharmacum.

Prognosis. In quorum affectuum multiplicitate vix scio, quam feram sententiam, nam si lui, & vitiato hepati oculos adijciam, se mihi morbus offert multiplici nomine magnus, neque minorem præbet difficultatem lienis labes. Attamen quia ægrum, assidentes, & exteriora omnia nacti sumus, quæ se opportuna facientia præstabunt, hinc non minimam spem concipio futurum, vt affectuum maxima pars propulsetur, reliqua ita lenitū iri, vt nullum, aut minimum posthac facessant negotium.

Reliquum modò est, vt remediorum materias perstringam: Et quod spectat ad Chirurgiam expiata prima corporis regione mittendus sanguis ad vnc. x. & amplius: procedente curatione admouendæ humidæ cucurbitulæ, vt vitiosus sanguis, qui cuti subest, educatur, tādem cauterium sinistro brachio inurendum ratione cap. nec minus sinistro femori malè affecti lienis gratia. In calce vniuersæ curationis ad extergendas sordes commendatur balneum.

Quod ad Pharmaciam attinet, primùm cassia cum catholico offerenda ad sentinam exhauriendam, mox instituenda propotismata ex syr. de cychorio, borrag. end. diluta cum aq. hord. aut ambubeiæ, post quartum diem propinanda est infusio Rhei ex D. fl. & fr. card. & fol. sennæ. Postridie purgationis, tundenda vena basyl. dextri brachij, vt secunda corporis regio inaniatur, tum iteranda serapia è succo oxalidis, bugloſſi, fumariæ diluta ex D. agrimoniæ, fumariæ, cuscutæ, sonchi, sem. melonum. Post septem dies purgandum corpus ex conf. Hamech, & el. len. Post horum vsum, non erit omittenda D. epithymi ex more propinanda. Exhausta secunda regione affigendæ erunt cucurbitulę scapulis, humeris, ilibus, clunibus, femoribus, cauteria item poterunt inuri. Interea aliquantisper intermittēdus remediorum vsus, vt vires resumantur.

Refectis viribus properandum ad Guaiaci D. vt tertia corporis regio inaniatur, & luis venereæ seminaria radicitus, si fieri potest, euellantur, & conterantur. Neque enim pertimescenda est ligni caliditas, vt meticulosis Medicis contingit, inter quos recensere licet Amat. Lusitanum, qui C. p. grauiter debacchatur, & detestatur Medicos, qui naturis calidioribus Guaiacum offerunt; non est, inquam, pertimescenda, nam quæ proprietate iuuant teste Galeno lib. Simpl. omni tēpore, & omnibus temper. prosunt, & proficiunt; accedat experientia testis, quæ docet multos gracilentos, & ferè tabidos, vt ait Fern. vsu Guaiacinæ D. pingues, & obesulos euasisse.

Sed hoc me præ cæteris mouet, quòd Guaiacum verum & vnicum est luis Alexipharmacum, id quod hac consequor coniectura. Natura, quæ φιλανθρωπος perhibetur, vbi morbum, ibi & remedium posuit (nil enim patitur esse sine pari, vt ait Plinius) atqui lues, quemadmodum Guaiacum, est vernacula Indis, quare credibile est, lignum esse verum Alexipharmacum, quod tā lōgo vsu comprobatum est. Sed enim cum lues totius substantiæ proprietate agat in corpus humanum, reliquum est, vt & remedium tacito quodam, & arcano dissensu resistat, & opponatur, & quemadmodum vnica cuiusque est specifica forma, ita & proprietas, vnde ni velimus rerum naturas confundere, fatendum, vnius speciei esse verum luis alexipharmacum, ne nobis posthac obtrudant iuniores rad. Chynæ, salsæ parillæ, hydrargirosim, & suffitum ex cynnabari, quæ scimus maximam partem conferre ad curationem luis gallicæ, quatenus excrementa, vbi residere videtur lues, propulsant, quam sententiam mordicus tuetur Capiuacceus existimans, ideò tantùm morbi superari, quòd roborata excretrice excrementa propelluntur foras, quibuscum abit lues, quod etsi lubenter admitto, maius tamen aliquid desiderari contendo, ni velimus, medicamenta omnia, quæ cum partium tenuitate calida, siccaq: sunt, idem præstare posse beneficium, quod dictu nefas est.

Concluſum igitur sit Guaiacum esse verum luis alexipharmacum, cuius D. primis diebus dilutiorem propinari volo, vt natura paulatim assuescat, & in fine D. adijcienda erunt cychoracea, & rumicis quodlibet genus, & præterea cetrachum. Perseuerandum 40. dies, tanta enim est morbi actio, & singulis denis diebus aluus sollicitanda infusione sennæ propinata. interim cap. prospiciendum insperso pul. perficcante, lieni admoto vng. malactico, & digerente, quale fuerit illud, quod ab Amat. Cent. p. præscribitur. Iecinori consulendum cerato santalino, conf. ros. borrag. cych. pulu. triasant.

Postremùm ad cutis detersionem parandum est balneum, in quod ingredietur æger.

Et scabies spuma ex D. collecta oblinenda, ut fieri solet.

Conualuit; & iam pancraticè se habet.

Pro Comite febre continua, & molestissimo catarrho laborante
Ad insignes Medicos Hippolytum Pelliciam, & Io. Baptistam Rotam.

CONSILIVM SECVNDVM.

QVamquam olim ab Aristot. proditum est, artem non deliberare, hoc tamen perpetuum non esse, Ars Medica palam demonstrat, quæ inter stocasticas, nempè coniecturales à Platone, & à Galeno censetur; hinc ille Medicus peritior habetur, & ad ueritatem propiùs accedit, qui acutiùs nouit conijcere: Tunc uerò difficilior euadit coniectura, quum morbi speciem nulla produnt tecmiria signa, sed communia quædam duntaxat meticulosum animum feriunt; scitum enim est, ex sensibilibus intellectilia colligi, quum accidentia magnam partem conferant, si sint propria, ad cognoscendam rei naturam: propterea Gal. ex symptomatis, inquit, morbi species dignoscitur, ex eorundem magnitudine morbi magnitudo. 1. Phys. 3. Ca.

Quod si similitudo quædam animum ludat, solius est Artificis Apollinea arte informati similiū differentias, ut ait Hipp. & differentium similitudines internoscere. Non est igitur mirum, si hodierna

dierna die inter consultandum, deliberandumq; tot opinionum myriades emerserint, morbi enim causſa, species, & sedes affecta in penitissimis corporis partibus delitescunt, vt admodum artificiali coniectura sit opus. Constans tamen est, & in confesso, miserum ægrotantem rheumate, febricula, (quæ vespere incandescunt, & efferantur) molestissima tussi tentari, & affligi, macies ossa denudat, pallor ora decolorat.

Quid plura? *Luctus vbique timor, & plurima mortis imago.* Constant hæc sanè sed quæ sit morbi idea, eius continens causſa, & præcipua sedes affecta, nondum in vniuersum constat. Sed vt rem faciliùs conficiamus, ex Gal. præcepto millies inculcato res naturales egroti præmittamus, rectum enim est iudex sui, & obliqui; hinc exclamabat Gal. 9. meth. nos non posse medicatorias indicationes scire languentium temper. ignorato, & lib. 1. de comp. med. S. L. temperamenti cognitio, inquit curationem indicat, qui enim scias, quantus sit à naturali statu recessus, ni cum prænoris?

Lib. de ost. 3. meth.

Lib. de art. ad Glauc.

Cum itaque totius corporis temperamentum principum partium, potissimùm cordis, & iocinoris naturam sequatur, harum partium discenda temperies. Ex Heticis notis, audacia, animi ad actiones promptitudine, & alacritate, ira: Ex physicis, pulsus celeritate, magnitudine, pectoris latitudine, quod non est glabrum, sed hispidum, & hirsutum, colligimus calidissimum esse cor, & siccum. Hepar item calidum esse, ex eo facilè deprehenditur, quòd venæ sunt latæ, & corpus prius quàm morbis implicitum esset, erat cusarcum, & decoræ habitudinis, accedit & venerea lues, quæ intemperiem auxit, & prauam indidit diathesim. Hinc verò conficitur, totius temperamentum esse calidum, & siccum, quod fortassis ante vitæ victusque errores, & ægritudines erat humidum.

In continentia.

Ventriculum humidum & frigidum esse suspicor, & multæ feracem pituitæ, ita enim visu venire solet ijs, quibus iecur est retortidum, & nimia vtuntur venere. Mitto alia signa. Caput, si Hipp. & Gal. credimus calidum siccumque est, hoc autem caluitio detegitur, sensuum integritate, auget coniecturam periculum ex tabaco factum. Quæ cum, vt ego planè sentio, ita sint, proximum est, vt singulos affectus in suas causſas reducamus. Caput, quod calidum, siccumque fecimus, natura excrementis vacare deberet, tribus tamen de causſis scatet, tùm quia intemperatum est, (omnis enim intemperies deijcit actum propriè facultatis, vnde excrementa succrescere, est necessum), tùm quia plus attrahit, (quum sit calidum) quàm conficiendo sit, denique quia iecur æstuans multos tollit ad cerebrum vapores, vnde rectè notauit Auic. opportunos esse catharris, quibus iecur, atque adeò tota sanguinis massa torretur: Huc accedit ventriculus, qui & ipse caput sua imbecillitate damnis auget, vt iure scripserit Hipp. omnes morbos, qui capiti contingunt, ex ventriculo proficisci, ex imperfecta enim coctione plurima vaporum soboles ad cerebrum effertur, quæ sui parentis h. e. cruditatis naturam redolet. Cum itaque ita se res habeat, non est mirum si pituitosi, & bilioſi excrementi prouentus in cerebro congeritur (cerebrum enim pituitæ locus, & metropolis statuitur Hippocrati, & Galeno quantum vis per caliditatem aliquando excedat) quod expultricis, & naturæ impetus secutum in pectoris cauitatem decubuit, vbi spiritum intercipiés tussim excitauit, per moram verò putruit, (omne enim humidum loco calido concluſum, nisi diffletur putrescit) ex putredine congeneæ fuligines ad cor delatæ, calidum eius innatum auxerunt, & hinc feb. suborta est, quam ego duplicem tertianam spuriam statuo, eamque perennem, etsi mane mitescere, & delitescere videatur, vt enim ex vitidi ligno semper aliquid effumat, ita cruda pituita, cùm maximè haud procul à corde putrescit, putidos exhalat vsque vapores cordi noxios. Macies autem excipit cordis, atque adeò totius calidam, & siccam intemperiem, & luis uenereæ prauam diathesim. Hæc est morbi species in suas causſas redacta, neque viscerum, & præcordiorum obstructiones huc faciunt, ni velimus duarum febrium implexum instituere, quod binæ putredinis mineræ parere consueuerunt. Neque Phthyseos altera differentia est, cum perpetuò sequatur pulmonum vlcus, quod hectica febris excipit, neque Auic. aliter sensit, cum scripsit: *Hæc vlcera aut sunt in pectore, aut in velamine, aut sunt in pulmone, & ista diuisio vltima est phthysis, aut est in canna, &c.*

Lib. 3. F. 2. 11. 5. c. 18.

Neque quod reijcitur, & expectoratur est pus, sed aliquid pyoides, quod experientia patuit; pituita enim, vbi sensit putredinem, in eam euadit naturam, sanguis verò solus, & alumnus humor in pus facessit. Cæterùm adesse luem gallicam, minimè ambigo. Curandi ergo methodus ea erit, vt pituita in pulmone putrescens incidatur, attenuetur, detergatur, concoquatur, & denique extirpetur, ut prauo motu illabitur in pulmones, aliò auertatur, cerebri discrasia per contrarium tollatur, pulmones, ne tam facilè recipiant, roborentur proprietatem ipsam respicientibus, iecur refrigerantia postulat, ventriculus calfacientia, & siccantia, febris frigida, & humida, lues proprium alexipharmacum.

Methodus.

Quid verò statuas in hac multigena rerum difficultate? Morbus enim duplici nomine magnus est, siquidem grandis est recessus à naturali statu, & multa pituita redundat in bilioso corpore, & macies, & pallor ora decolorat, quæ antea in eusarco corpore florebant; adest vehementia dignitatis, siquidem laborant omnes principes particulæ, & quod deterius est contrarias præbent indicationes, ijs comes it scyphilis, seu gallica labes, quæ omnia contumaciora, & pernicioſiora reddit. Equidem vereor, ne tandem in hecticam desciscat febris, ni citò succurratur languenti, quæcunque enim destillationes (ut est medicum axioma) ni tempore conquieuerint, alteram faciunt tabis differentiam. At verò quoniam mala nondum malignitatis apicem attigere, age percurramus, obiterque perstringamus, quæ sunt usui futura.

Prognosis.

Ex chærurgico fonte sanguinis missio probatur per epicrasim, sed admotis hyrudinibus uenas ani aperiri uelim, melancholicus enim, & præustus

Lib. de stru. hom. in Art. uen.

Gal. cap. cal. siccum dicit vacare excrementis si intra latitudinem sanitatis contineatur.

Lib. de stru. Accedit obtecti scilicet lang. prava cond. quod ex flaueſcente sur. colligitur.

ſanguis in uiſceribus æſtuat, qui per inferiora cõmodiùs teſte Hipp. euacuatur, neque tanta ſit virium diſſipatio ſanguis enim peccat, vt fouens cauſa, & ſine qua tutò curatio inirijnõ poteſt. Cauterium dextro femori inuſtum maximo erit vſui. Succedente tempore, ſi feb. in aliam ſpeciem deficere videatur, non improbabitur balneum.

Ex Pharmacia non ſunt abdicanda euacuantia mitiora, mel roſ. ſol. vnà cum manna Calabrenſi, caſſia cum cremore tartari inter initia conueniunt. Si cum aceto mulſo ſyr. de farfara, aut adianthinus vnà cum ſyr. viol. propinetur, ritè parabitur materia tùm expectorationi, tùm purgationi. Agaricus vnà cum oxymelite ad purgandam pituitam erit congruus. Conferet & caſſia vnà cum Rheubarbaro, aut tantillo electario è dactylis. Radices enulæ, ireos, ari, dracunculi infuſæ, aut conditæ, & ex arte exhibitæ erunt vſui, conferentq; ad educendam è pulmonibus pituitatem. Myrrhidis decoctio à Dioſcoride commendatur. Sunt, qui tabaci D. efferant. Sulphuris flores citra periculum adhiberi non poſſunt: ſi nõ proſis, vide, ne noceas.

Repetantur blandæ purgationes, quæ materiæ portionem educant illibatis viribus. Solis bechicis euelli non poteſt morbi radix, uſurpari tamen debent. Mel Ibericum non præſtabit, quod contenditur, ni diluatur, quemadmodum diximus, nam angusta loca non permeat, vt notauit Gal. ſyr. de hyſſopo, de praſſio, de tuſſilagine sũmis pollẽt viribus, crocus adijci poſſet, cũ ſit pulmonum vita, ſed ob feb. & quia eſt carebaricos omittatur. Saccharum roſaceum eſt pernicioſum, & nulli vſui eſt, ſi pectus ſpectemus. Theriaca febrem ſheticam hecticam efficiet, propterea priùs quàm febris non deceſſit, tutò vſurpari non poteſt. Gargariſmi, & maſticatoria erunt noxia, maior enim pars prolectæ pituitæ in pulmones deerrabit. Cõueniunt errhina, ſed mitiora, quæ materiam non agitent, huiuſmodi erit aq. hordei, in qua diſſoluta ſit manna, aut ſyr. roſ. pall. comp. cum agarico.

Maxima curationis ſpes repoſita eſt in vſu D. Chynæ, quæ ita præſcribi debet, vt admittat farfaram, mentham, & cychorei genus aliquid, mentha, & cychorium ventriculum reſpicient, & iecur, farfara pulmoni proſpiciet. Malim fieri infuſionem in iuſculo pulli, quàm turricolæ palumbis. Si febris ſummota videatur pro viſco quercino ſufficiatur lignum Guaiacinum, hoc enim ſpecificum eſt luis Alexipharmacum. Roborabitur caput, ſi ſaccharum roſ. vnà cum conſerua fl. anthos quotidie deuotetur, pulmoni quoque conſules, ſi adijcias aliquid pulmonariæ, aut pulmonis Vulpini. Si ſupereſſe iecoris intemperies videatur, iuſculis multò cychorio temperatis afficiatur. Si ſtomachus ferat, hac æſtate hauriat ſerum. Stomachus, litu, fotu, ſtillicidio decenti, ſumptis tabellis, electarijs roboretur. Vinum penitus circumcidendum. Quibus ſi nil proficitur, conclamatum eſſe certò ſcimus, quod D. O. M. omen auertat.

Tabidus ob incongruam abſimilium medicamentorum vſurpationem diem obijt.

Pro formoſa Heroide hypochondriaca melancholia implicita.
Ad Hieronymum Corte Portus-Gruarij Medico-Phyſicum publico Honorario condecoratum.

CONSILIVM TERTIVM.

NOn eſt mirum, ſi Galenus Medicinam inter artes repoſuerit, quas Plato in Philebo γνωστικὰς appellat, quæ σοκασμῷ veritatem inquirunt, nulla enim ratione noſtris pateſcunt ſenſibus intimæ affectiones, quas Hipp. & cognitu, & curatu difficiles vocauit, quocirca artificioſa cõiectura multiplici ſignorum genere ſtipata (neque enim, vt in rebus naturæ, quarum eſt ordo, ex vno propriove ſigno, ſed ex ſyndrome, morbi ſpeciem colligere, phas eſt) internorum affectuum vſu des diaphoræ nobis innoteſcunt, hinc fit, vt qui meliùs conijcere nouit, perfectior iudicetur artifex, non enim tam difficile eſt curare, & accõmodatum morbo remedium inuenire, quàm partem affectam, morbi ſpeciem, cauſſam, & euentum dignoſcere; Medicina enim ad ſingulos morbos innumerabilia remedia proponit, quibus tamen prudenter vti non poſſis ignorato morbo, iuxta illud. *Non intellecti nulla eſt curatio morbi.*

Verumtamen cum exactam noctem inſomnis egiſſem, acriùſque in propoſitas affectiones mentis aciem defixiſſem, te in deprehendenda pathematum cauſſa, quæ clariſſimam Heroinam miserè exercent, minimè falſum eſſe, certa ſpe erectus ſum.

Enimuerò, ſi conſtet, cardiogmo, ventriculi inflatione, ructibus, uomitionibus, murmure, & borborigmis ſub hypochondrijs identidem formoſiſſimam, nobiliſſimamque Dominam corripi, quæ & bilioſa donata ſit natura ad atram vergente ob iecinoris calidam intemperiem, cuius cauſſa etiam toto gracileſcit corpore, quis ambigat, multiplicem hanc ſympt. varietatem referendam eſſe in hypochõdriacum affectum, quem alij flatuoſum, Arabes myrachialem melancholiam nuncupant, nam etſi inculpatè, integrèque obeãtur principes functiones (quod infrequens, & inſolens eſſe ſolet in melancholijs) nil tamen obſtat, quin ea morbi ſpecies emergat, quam ſignauimus, dummodò facilè obiraſcatur Domina, in mœrorem propendeat, diſpliceant ſales, & veneres, ſummùm varia animi motione alternatim afficiatur, quod & Amatus cent. 4. curat. liv. obſeruauit, & Marcellus Donatus lib. 2. de Adm. Hiſt. med. c. 2. quibus reclamat Epiphanius, ſed immeritò, vt notauimus alibi.

Affectu melancholico, non melancholia laborauit Domina, intereſt inter melancholiam & affectum melancholicũ, ſiquidem illa ſemper eſt delirio, hic nequaquam.

Hoc autem intelligi debet, dummodo abſint malè affecti ueteri indicia, ille enim interdum indignatus, & in congeſtos humores agens multam uaporum propaginem procreat, quibus ſimilia excitantur ſymptomata, quæ uomitu, aut ructu, aut uentris crepitu tolluntur.

Itaque cum huic generoſæ Dominæ iecur immodico ferueat æſtu, quod multis colligitur notis, reliquum eſt, vt frigore hebeſcat uentriculi

tonus

6. Epiſt.

tonus (absorpta enim ex parte per iecoris nimiã caliditatem eius innata humiditate calor euolauit, & euanuit) quam labem per vomitum excretæ pituitæ prouentus arguit: Quare cum nisi longo post tempore chilosis absolui non possit, iecur autem moræ impatiens, humectarique cupiens pernici attractione chyli elaborationem, & perfectionem anteuortat, & anticipet, fit, vt crudior chylus in exiles mesenterei venulas abreptus inhæresçat, præterlabiq; nescius oppilet, commeatumque reliquo præpediat succo, hinc ventilatione vetita calor præter naturam augetur, sanguis exuritur, flogosis suboritur, & genuina hypochõdriaca affectio ex melanch. humore; quo in feruore, & subagitatione multigeni efferuntur flatus ad stomachum, quorum copia, & extensione diuulsus identidem dolitat, donec euanescant; Nec est, quòd quispiam resistat obijciens, flatus gigni ex frig. materia ab imbecillo calore, hic autem vigeat calor; non est, inquam, nam cum medium deminiatur comparatione extremorum, h.e. Agentis ad patiens, tanta autem sit materiæ rebellio, & peruicacitas, ut agenti calori obnitens eius vim subterfugiat in flatus conuersa, quos dissoluere non possit ob crassitiem, fit, vt impotentis instar appareat ea in lucta: Accedat melancholiam propria conditione esse flatulentam, propterea Hip. melancholicos appellauit pneumaticos, qua ratione & Arist. existimauit, eosdem libidine turgere. Quæ cum ita sint, (vti esse putandum est) instat, vt incidentibus, & tergentibus obstructiones submoueantur, crassus, fœculentus, exustusque humor præparatus imminuatur primùm, tùm radicitus euellatur, iecinoris feruor temperetur, vẽtriculi deiectus tenor erigatur, dolor vrgens anodynum indicat. Quarum indicationum facilior est inuentio, quam absolutio, quis enim tutam, facilemque ausit polliceri curationem in hac affectuum varietate; In hac humorum contumacia (summæ enim est resistentiæ ob substantiæ modũ melancholicus humor); In hac viscerum (vtar Mercati vocabulo) contraoperantia; In hac malorum diuturnitate? Equidem animum despondeam, nisi in bonã erigat spem Dominæ obtemperantia, atque ætatis floridus annus. Anticipatæ igitur opinioni succurrendum auxilijs, à fonte Chirurgico ducto initio.

Methodus.

Prognosis.

Ergo ex dextri brachij basylica fundatur sanguis ad scibram, (nil enim æquè iecur refrigerat) (ni suppressi aliter suadeant Menses) tùm hæmorrhoidibus hirudines admoueantur, proliciaturq; sanguis ad vnc. v. absoluta purgatione non illaudabile videretur inustum dextro femori cauteriũ. Vrgente dolore cucurbitula cum multa flamma ventriculo affigatur, &c.

Hoc commendat Bened. Fauent. in cons. pro Ill. Card. ex Gal. 6. epid. cõ. Id quod reperit Fore libr. li. x. obser. xvij & xviij. quemadmodum, & balnium.

Quod spectat ad pharmaciam. Sentina eccoprotico exhauriatur in hunc modum ℞. syr. ros. sol. vnc. iv. el. len. drach. vj. seri capr. lib. semis. m. f. p. Tùm digerendi sunt hũmores syrup. de succo borrag. de pomis de scolopendrio cum D. sem. citri, fl. borrag. comarum lupulorum fol. sonchi, deinde euacuandi infusione sennæ orient. adiecto electario catholico (neque enim fortioribus hic opus est, tùm quia humor melanch. blandè tractari vult, tùm quòd minera haud procul abest: Hoc absoluto demtegro parandi, & adæquandi humores ad vlteriorem purgationem syr. de fumo terræ, Regis Sabor, de cychorio cum Rheo Nicol. dilutis cum D. betonicæ, fumariæ, fl. viol. buglossi, genistæ, sem. securidacæ, passul. Septies his exhaustis propotismatis, tota eradicanda moles infusione rhei cum agarici momento facta in Decoct. leui epithymi Cretensis passul. sem. citri ex sero caprillo. Senna, quam prius proposuimus, quia flatulenta est, si videtur, omittatur. Hinc ad generosiora remedia faciendus gradus, vt viscerũ eximatur discrasia, proin ad iecur refrigerandum essent, qui commendarent potum aq. thermalium, vtpote B. V. aut Lucensiũ, ante quarũ vsum præmitterent Thetutianas, vt viam sternant, & tergeant, & fortassis etiam in calce hauriendas propinarent, vt impressam ventriculo noxã adimant, ea tamen cautione, vt ea permisceantur, quæ huiusce modi aq. per intestina prouoluunt; At aq. Thermales prohibentur ab hypochondriaca melancholia & corporis macie: harum loco sufficiatur D. santali rubei, & melissæ, & althææ; Pro stomacho ius columbi domestici, in quo mentham, & borrag. incoxeris: Quin Balneum præmunito uentriculo, si per ambientis temperiem liceat, vsui maximopere futurum duxerim.

Litus etiam ex vng. santal. super hepatis regionẽ non erunt omittendi. His peractis prospiciendum stomacho sumptis, & admotis. Quare quotidie sumat tabellas ex arom. ros. saccharum absynthiacum, corticem citri conditum, nucem mosch. cond. & huiusmodi innumera, foris stomachi regio ol. è nuce moschata, è cinnamomo, è mentha oblinatur tantulo addito aromatico vino; Sed caue, ne dum uentriculo calfaciendo studes, iecur impendio torridum efficias: A prandio sumat puluerem aliquem stomachum firmantem, & fumos reprimentem, qualis foret ex corallo, c. c. præp. diamarg. coriandro præp. addito cinnamomo, aut sumpto diacydonite, aut saccharo rosato.

Atque nos hæc obiter.

Pro Monacho lignipede graui auditu, seu surdigine laborante.

CONSILIVM QVARTVM.

DVo sunt sensus potissimùm, qui non modò ad capessendas disciplinas cõducunt, verùm etiam ad benè, politèq; uiuendum maximè necessarij uidentur, quorum alter uisus, alter auditus est. Hinc Arist. dicebat, nos præ reliquis sensibus oculos diligere, quia plures rerum differentias nobis suppeditant, atque auditum idem ipse sensum disciplinæ nuncupauit, nec iniuria sanè, res enim, & animi conceptus per aures hausti magis animo insculpuntur, eumque magis feriunt.

In Procem. Metaph. Lib. de sens. & sens.

Quòd si auditus hebetndo sonorum differentias, uocum, sermonumq; discrimina præpediat, audienti incommoda, & permolesta euadit affectio, loquenti morosa, & abominabilis. Cæterùm cum P. T. hæc ipsa affectio diu negotium facessuerit, allaborandum omnino est, ut quàm fieri

poteſt maximè de medio tollatur, aut certè imminuatur.

At verò quoniam curationem aggredi non licet, prius quàm explorata fuerit cuiuſque natura (naturam voco temperiem cum Galeno), danda in primis opera, vt P. T. temperamentum in apertum ſe proferat, vt tũ ferendę prognoſi, tùm eliciendis indicationibus inſeruiat.

Quantum igitur aſſequi licet ex euſarco, & rubicundo corporis habitu, ex venarum magnitudine, ex florido aſpectu, corporis mollitie, morum ſuauitate, aſſerendum videtur P. T. ſanguinea donari temperie, h. e. calida, & humida, propterea dicebat Hipp. eos, qui puri ſanguinis non inexpertes ſunt, & aſpectu, & corpore floridos, & perſpicui coloris eſſe. Lils. de ſtru. hominũ. ad Perd.

Cum igitur tali temperie ſit prædita P. T. maximè per iecur retorridum, non eſt mirum ſi ebulliente ſanguine multa vaporum ſupellex tollatur ad præhumidum caput, vbi pituiteſcentes cerebrum, atque adeò ſenſuum organa ſimili qualitate afficiunt. Accedit importunum ſtudium à paſtu initum, per quod ab officinis coctionis auocatur calor ad caput, & multi vapores vnà efferuntur, qui parentis naturam redolent: Huc ſpectat & benedicta illa hydrargyrωſis ad interficiendos pediculos præſcripta, quæ cum neruoſum genus, præcipuè verò neruos ex quinto pari deductos, & organum auditus affecerit, hanc auditus hebetudinem cumulauit, quæ ſanè nihil eſt aliud, (ſi eſſentiam ſpectemus), quàm auditus imminutio propter frigidam, humidamque nerui auditorij intemperiem, & innatæ auræ craſſamentum, vnde non niſi ex magnis vocibus impellitur. Eſt ergo ſymptoma de genere animalium functionum minutarum pendens à frigida, & humida intemperie.

Cùm igitur hæc ſit ægritudinis natura, proximum eſt, vt videamus, quid per medentium auxilia aſſequi poſſimus. Profectò, vt nil eſt gloriosius, quàm futurum euentum præuidere, & prædicere, ita nil fallacius: Fallacia pendet partim ex Medici ignauia, partim ex materiæ conditione circumſtantijs temporis, loci, perſonæ delinitæ.

Si tamen in hac rerum ambiguitate proferre licet, quid ingenuè ſentiam, verendum, vt priſtino tenori reſtituatur auditio, altas enim per temporis diuturnitatem egit radices intemperies, quæ quotidie etiam fouetur tùm ab aſſiduis ſtudijs, tùm ab incongrua victus ratione; veſcitur enim P. T. legarijs, herbis, & cerealibus frugibus immaturis, imo laganis, & ſimilibus eſculentis, quæ tùm concoctu ſunt difficilia, tùm praui ſunt chymi. Verumtamen ne magis inualeſcat, ingraueſcatque affectio, & inſociabilem reddat P. T. manum medicam operi admouendam cenſeo. Curationem autem auſpicabimur à venæ-ſectione lenita prius aluo per Rhodomel ſoluens, & mannã, ſyriacumque rorem, vt hepatis, ſanguiniſque feruor caſtigetur, atque adeò vaporum copia ſubſideat. Tum ad parandos, æquandoſque humores gradum faciemus (neque enim capitis cutationem aggredi licet, prius quàm toti proſpectum fuerit teſte etiamnum Platone) Parabuntur autem ſyr. de betonica, de ſucco ſumariæ, & endiuiæ addito diluto ex endiuia, bugloſſo, betonica. Parati humores foras exigentur Agarico, & Rhabarbaro infuſis in aquis betonicæ, & endiuiæ, adiecta expreſſioni iuſta electarij de Dactylis portione, (diſtant enim longè à prima corporis regione educendi humores): Si hæc ſatis eſſe non videantur, repetantur eiuſdem generis validiora præſidia vt puta cocchia catapotia: Mox ad ſubalterna remedia faciendus gradus nimirum ad maſticatoria, & errhina, & ſternutatoria, quo tempore generoſum aliquod auxilium experiri fas eſt, nẽpè Decoctionem ex inciſa Chynæ radice, quo expreſſus ſudor per legitimum pharmaci vſum ſuperuacuas totius corporis præſertim capitis humiditates afficeet.

Poſtremùm topica vſurpari debent, quæ modicum calfaciant, & ſiccent præterea ſuperuacuam pituitatem educant, velut pennicillus è fibris elebori nigri intinctis melle, & in aures inductis, aut hapſus inebriatus ol. amygd. amar. in quo colocynthis, aut elleb. niger vnà cum ſucco alij, aut porri bullierit. In primis eligendus aer puriſſimus, & aridior, & communis Monachorum vita declinanda, vt ſummo, & vniuſmodi rerum non naturalium congreſſu malum recedat. Atque hæc ſunt, quæ feſtinanter exaraiimus, vti propenſi erga te animi mei extet mnemoſynon. Prognoſticon.

Pro Viro quinquagenario epileptico. Ad egregium Philoſophum, & Medicum ſotera Danielem Macarinum optimis moribus ornatum.

CONSILIVM QVINTVM.

TAnta eſt huius morbi vis, tanta pernicies, vt iure ſacer antiquitùs appellatus fuerit, ſiue enim morbi magnitudinem ſpectes, ſiue particulam affectam, ſiue malignitatem, vndique elucescunt notæ vehementiſſimi mali, vt propterea & ſonticus, & Herculeus dictus ſit, vt ſc. τὸ ἀνίσχαταμάχητον hoc eſt difficultas, & reſiſtentia morbi ſignificetur. Huius eſſentia poſita eſt in frequẽti totius corporis diſtẽtione cum principum munerum ceſſatione, & detentione ſe ſe neruorum principio ſuccutiente, vt expellat noxium.

Tam fœdi affectus cauſſam alij reijciunt in infarctum ventriculorum cerebri, potiſſimùm medij, & poſterioris, ſuamque Gal. auctoritate ſententiam confirmant aduersùs Anic. qui maluit anteriores cerebri ventriculos affici. Fernelius Quercetanus. Sennertus. Magirus.

Alij cauſſam regerunt in venenatam qualitatẽ, quam nonnulli vitriolatam, alij ſcheſim, & diatheſim epilepticam habentem nuncupant. Quidam cauſſantur largam ſpirituum effuſionem in neruoſum genus, unde cerebrum ſpirituum opulentia deſtitutum muneribus ſuis ritè præſto eſſe non poteſt. Atque alijs alia arriſit ratio. Mihi ſanè ſempet placuit ea opinio, quæ cauſſam tùm conuulſionum, tùm motuum ſpaſmodωn poſuit irritamentum partium fibroſarum expultricis, quæ animalem uim ſibi in eadem ſede coniugatam in

conſen-

consensum trahit. Necessum enim est, naturam in epileptico insultu non secus irritari, ac in sternutamento, quod propterea ab Auic. parua dicitur epilepsia, vnde inualuit ea consuetudo, vt sternutantibus benè precemur, ne incidant scilicet in epilepsiam, sternutamentum verò fit vapida quadam substantia membranas anterioris ventriculi vellicante, quæ subinde per nares protrusa strepitum edit. Dum igitur postremi cerebri ventriculi contrahuntur ad moliendam noxiæ materiæ propulsionem, stomachi fingultientis instar, spiritus perturbantur, & confunduntur intus clausi, & animales functiones delitescunt non aliter, atque in syncope collectis ad cor spiritibus, interim prauus motus non desinit mobilibus membris sequentibus suum principium, quod se se succutit ad discutiendum noxium.

Hoc irritamentum à vapore, aut à minera prouenit: Equidem in ea sum sententia, hanc veluti cæteras omnes epilepsias, sobolem esse vapidę cuiusdam substantiæ, quę ventriculorum cerebri parietibus inhærens vellicet, & proritet vehementer ad expellendum excretricem, cui subsidio it etiam animalis, & voluntarius motus. Hanc sententiam sequor eo ipso argumento ductus quo Aristot. & Auerr. Cardanus, Brassauolus, nempè à subita inuasione, & cita etiam resolutione citra vllum mali vestigium. Hoc argumentum vim apodixeos habere arbitratur Capiuacceus. In hanc sententiam declinare videtur quoque Auic. qui pituitã, & humorem melancholicum eatenus comitialis morbi causam statuit, quatenus ex his crassus vapor effertur, qui proximè epilepticos insultus cõmittit. Quin Hipp. ipse ait, comitialem morbum sic fieri. *Cum spiritus multus per corpus totum, & sanguinem currit, & miscetur, multifariam venæ sepiuntur, & obturantur, cumque spiritus multus, aerue crassus venas, ideſt, arterias multique sanguinis petiuit, illicque remansit sanguis prodire, & discurrere prohibetur, hac quidem permanat, hac verò languidè, & tardè prodit, hac celeriùs.* Eleganter Themistius, *puerilis*, ait, *ætas morbo comitiali opportuna est, est enim pestis ea similis somno, quòd & qui dormiunt, & ita corruunt cessante anima, & sensu arrepto visuntur. Hinc origo eius morbi per soporem fere accidit, & qui infesti eo sunt, in somno frequentiùs, quàm in vigilia collabuntur, propterea quòd cum effluentia illa, quæ in somno sursum effertur loci superioris vi conglacians ritu æstus reciprocat, subdeque alius spiritus continuo suffitu alimenti copias ministrantis attollitur, necesse est concursu hoc venas inflari, dein obrui, & obturari meatus, & semitas animæ. Hæc intercluſio, & instrangulatio officij spiritalis sonticus, & diuinus morbus est. Quom igitur in puero superiora oppleta cibis, seu spiritu ex cibis expresso, collectoque habeantur, temperandum ijs uino est, quia spirituosum impendio sit, præsertim atrum.* Hactenus Themistius.

Hoc igitur ita constituto, proximum est, vt videamus, nunquid vapor iste sonticus localem habeat in cap. generationem, vt essentialem, & primogeneam affectionem pariat, aut potius aliunde in caput attollatur. (mitto illorum opinionẽ, qui cordis passionem arbitrantur, quamquam & hoc olfeciſſe videtur Hipp. lib. de vict. ratione in acutis, vbi ait, si bilis atra in cor descendat syderationes, & comitiales fieri.) Equidem aliunde trãsmitti mihi persuadeo, nempè à vẽtriculo, & à tota epigastrij regione, in qua cùm pituitosum, tũ melancholicũ stabulatur recrementũ, quod sanè obstructionibus veluti repagulis coercitum inferuescit, & æstuat, hincque multa ad caput anathymiasis effertur. Adesse pituitosum excrementum ventriculi imbecillitas ex tarda concoctione palam arguit, tale enim recrementum valde est familiare ventriculo, ait Auic. Hinc meritò Hipp. etiam in libello ad Perdicam prodidit, uniuersos morbos, qui capiti contingunt, ex stomacho proficisci. Adesse verò obstructiunculas, & oppressiunculas ab humore melancholico, vel ex eo satis colligi potest, quòd subsit Hypochondr. renisus, quòd iecur nimio æstu retorridum vtriusque bilis prouentum afferat, quin mœror etiam, & præter causam timor hoc idem ostendere videntur.

Lib. 1. de somn. & vig. collect.

Lib. de Flat.

Lib. de somn. & vigil.

Lib. 1. c. de ventre imbecillitate.

Hinc rectè Hippoc. dicebat facilè fieri metastasim ab epileptico ad melancholicum morbum, viciſſimq; è malencholia in epilepsiam, prout humor is, aut animam, aut corpus inoccupauerit. Non est interim negandum in cap. subesse morbosissimum apparatũ, cuius causa suscipit promptissimè extrarias impressiones, ac etiam fit sui mali author, dum attrahit. Morbosus iste apparatus in eo potissimùm consistit, quòd cap. calore, & nimio madore diffluit, & Dominus idem cogitationibus, molestisque curis exercet, vnde sanguis exuritur, & in atram-bilem faceſſit, à qua malum suscipit incrementum. Hac de causa Cæsar Rom. Imperator, Hercules, & Petrarcha huiusmodi morbo opportuni fuere. Huc accedit sentiendi acrimonia, qua causa præclara ingenia sæpè corripiuntur. Statuendum itaque epilepsiam fieri quidem in capite per idiopatiam ob longam patiendi consuetudinem, excitamentum verò suscipere à præcordijs, vbi minera præcipuè subsidet.

Quare eò allaborandum, ut paroxysmus quàm citissimè tollatur, & ne amplius redeat, prohibeatur. Illud licebit assequi, si uincula artubus artissima iniiciantur, si clysmi, aut glandes actiores supponantur, si asperiores frictiones supernè deorsum adhibeantur, si occiput scalpatur digitis, si cadentis labia attingantur sanguine ex pollice pedis extracto, ex Hipp. lib. de vict. ratione, & Didimo, aut testudinis cruore nares illinantur, si in os instilletur nigrorum ceraſorum extractum, aut scyllinum acetum, in quo magnæ anthidoti dissolutæ sint, aut anacardinæ confectionis aliquid; si sternutamentum iniecto in nares puluere ex castoreo, elleboro, & pyrethro excitetur, si oleum balsaminum naribus olfaciendum subdatur, aut è lateribus, & id genus alia. Hoc autem assequi poterimus summotis uniuersis causis, quæ tũ excitant, tùm generant, & fouent morbum. Proin causſæ excitantes, quæ ab Auic. petantur, remouendæ, pituita, & melancholia foras pharmaco exigenda, flatus discutiendi, uentriculi tonus eri-

Methodus.

c. de epil.

erigendus calfacientibus, iecur attemperandum, expediendæ obstructiones', caput roborandum moderatè afficcantibus.

Prognosis.

Morbus iste verè magnus est propria essentia, partium dignitate, symptomatumque vehementia, si paroxysmum spectemus, si Hipp. edicto stãdum est, & quotidianæ experientiæ, verendum est maximè, ne nobilissimus Patiens explicari possit ab hoc malo, cum inueteratit, & iam intemperies, & mala diathesis habitum contraxerint. Credere tamen par est, auxiliorum vsu ita infirmati posse generãtes causas, vt non nisi longo interuallo parere possint accessionẽ. Accedat ipsius Hippocr. & Galen. authoritas dicentium, victuum, & consuetudinis, & locorum mutatione aliquando solui sonticum morbum. Syluius sanauit quadragenarium epilepticum. Age igitur ad præsidiorum materias pedem conferamus eius exemplo moniti, atque muniti.

In Aphor. de attenuante victu.

Chirurgica.

Inter Chirurgica præsidia probatur mihi veterum sententia, mittendum esse sanguinem è venis malleoli ad cautionem tanti mali, vt maior fiat reuulsio, nec minus probatur hæmorrhoidum reclusio admotis hyrudinibus, vt aterrimus sanguis circa præcordia æstuans foràs exigatur, & viscera alleuata differantur. Frontis venarum incisionem non laudarim, ne cap. magis, magisque infirmetur. Cauteria in dextro femore circa domesticam partem, & in sinistro brachio inusta valde probantur, quemadmodum quotidianæ frictiones. Plutimi commendant cauterium in inio, aut setaceum in cetuice, quo vel inueteratos epilepticos restitutos dicerant. Nõ erit omittendum emplastrum Cratonis, quod ita concinnatur. Recipe succini albi, Thuris, Mastiches ana drach. vnam, galbani, opopanacis ana scriptulum vnum, visci querni drach. duas, ambræ gryseæ grana vi. moschi gr. iij. sem. pæoniæ drach. semis, ladani ʒ.j.ß. olei nucis moschatæ modicum, rosati q. s. extendatur in chorio, aspergatur puluere cubebarum, & suturæ coronali imponatur.

Pharmaceutica.

Inter Pharmaceutica electarium leniens cum sp. hieræ, & modico cremore tartari probatur, aut certè mel rosaceum sol. cum elect. & manna dilutum decoctione polypodij, betonicæ, borrag. passul. propotismata sint syr. de pomis simpl. oxymeli, syr. de betonica, diluantur iusculo hyssopi, borrag. betonicæ, citraginis. Parati humores foras cathartico exigantur Agarico infuso in aqua betonicæ cum melle ros. sol. & elect. de Dactylis.

Repetenda protherapia, probantur syr. de pomis, de pœonia, de hyssopo, de polypodio diluti, decoctione saluiæ, thiliæ, pœoniæ, scolopendriæ, stœchados. Parati humores educẽdi pillulis cochiis, fœtidis, aggregatiuis, siue elleboro, aut certè hiera Pachij. Plinius plures se elleboro sanasse profitetur. Manardus hieras magnas cõmendat. Non erunt omittenda subalterna, masticatoria, & errhina mediocria.

Expiato ritè corpore roborantia caput erunt vsui. Probantur conseruæ anthos, rosarũ fl. pœoniæ cum sp. diamoschu dulcis. Siue ℞. C. cerui pr. script. unum, margaritarum præp. corall. rubrum præp. ana script. sem. sacchari in aqua lauendulæ soluti vnc. treis, ol. nucis muschatæ expressi scrip. sem. ol. de succino guttas iij. m. f. conf. ʃ.a. per orbiculos. Item ℞. conf. fl. pœoniæ ℥.ij. syr. de pœonia vnc. sem. spiritus vitrioli ʒ. sem. m. Huc spectat balsamum fœniculi, rotulæque ex spec. diamoschu dulcis cum ol. Nucistæ per expressionem sacchâro in aqua liliorum conuallium soluto confectæ. Valde mihi probantur ℥. iij. ambræ gryseæ quotidie cum ouo sorbili deuorata, aut certè conf. anysi cum ambra præp.

Periapta.

Sed iam ad periapta gradum faciamus, in quibus vnusquisque sibi placet. Hæc opiata Syluio erat instar omniũ, quam descripsit Antonius Valetius Hollerij scholiastes. ℞. conf. buglossæ, borrag. anthos ana ℥. j. sem. conf. Alkermes ʒ.ij. lætificantis Galen. de gemmis ana ʒ. sem. pulu. rad. pœoniæ, aristolochiæ ana scriptulum vnum, raturæ eboris, cornu cerui corall. ana script. ij. cum syr. de hyssopo fiat opiata. Item ad gestandum. ℞. rad. pœoniæ, visci querni, corall. rub. ana ʒ. ij. ſ. puluis nodulo inclusus collo gestandus.

Gattinaria ex Nicolao Florentino commendat hoc electarium, cuius nos ex voto fecimus periculum. ℞. herbæ paralyseos, pœoniæ, pyrethri, caryophyllorum ana partes æquales, fiat puluis subtilissimus, & cum melle cocto concinnetur electarium, sumitur nucis iuglandis magnitudine.

Hollerius commemorat plurima, quæ valent à proprietate, nempè scyllam, enulam campanam, syr. de pomis, pill. de euphorbio, pœon. rad. & sem. luna decrescente collectum, viscum quernũ, coagulum leporis, cinerem cuculi, cranium humanum, ossa humana nescientibus data, cornu Alces, aq. gallitrici, theriacalem, palmam Christi, vnguem, & auriculam asini, veficam apri, talum suillum, cor talpæ, fl. anagallidis purpureum, corallium rubrum, smaragdum, hyssopum, inquinationem oris ex ægri sanguine, equi splenem, cerebrum Cameli, & mustellæ, lapidem pulli hirundinum, balsamum, ol. de piperibus, de cucumere asinino naribus inditum.

Gordonius conficit Magisterium tantopere probatũ Valesco, Riolano, Epiphanio. ℞. styracis calaminthæ, ambræ gryseæ, sem. pœoniæ ana ʒ.j. (nonnulli ponunt ℥. j.) Ladani, mastiches, caryophyllorum, xyloaloes ana ʒ. iij. m. cũ aq. rosarũ & fiat masla, quæ diuidatur in tres partes, ex vna fiant lupinares pillulæ, quarum singulæ in ingressu lecti deuorentur, ex altera fiat pomum, quod frequenter subolfaciat, ex tertia fiant trochisci, qui in prunas proijciantur pro suffitu cuius halitum æger inspiret.

Syluius cõmendabat odorem ambræ gryseæ.

Riolano hoc elect. erat instar omnium ℞. conf. pœoniæ, anthos ana ℥.ij. Mithridatij veteris ʒ. iij. vngulæ Alces, cranii hum. præp. ana ʒ. ii. diambræ script. iv. m. cum syr. de hyssopo, & fiat electarium.

Quercetanus habet pro antepileptico spiritũ uitrioli, & eiusdem extractum.

Gregorius Horstius putat esse Vitriolum cum putri puerorum urina solutum, cuius magisteriũ legere est in epist. ad Guilielmum Fabritium, qui propo-

proponit pro genuino antepileptico aurum solutum cum Mercurio humano(est autem menstrualis, & purris ephebi vrina).

Langio commendatur aqua liliorum conuallium singulis hebdomadis cochlearis pondo deuorata.

Rondeletius extollit hyrundinum aquam.

Quidam Ranarum efferunt Hepata, alij oleum Heracleinum.

Plinius coruos duos mense Martio sublatos ex nido combustos, & in læuissimum pollinem redactos epilepticis propinabat semel, atque iterũ singulis diebus 3.j. pondere cum D. castorei.

Aretæus Cappadox exhibebat vulturis cerebrum, crudæ Fulicæ cor, & domesticos feles ad epilepsiam discutiendam.

Quidam credunt stercus Pauonum prodesse, eorum verò linguam miraculo præseruare, pariterque Bonosam comesam.

Coturnices ad cautionem valere affirmat Porta, cui assentitur Alex. Aldrouandus, eo argumẽto, quòd Hercules eo morbo sollicitatus semper coturnicibus vteretur ad cautelam scilicet.

Nec minus prodesse arbitrantur passeres, & hyrundines, si frequẽns ad mensam adhibeantur. Gal. vtitur hoc amuleto ad suscitandos epilepticos. ℞. Coturnicum cerebrum ex vng. myrteo tritum, stanneo vase reponito, & cum quempiam morbo comitiali prolapsum videris, eo faciem illinito, admiraberis enim huiusce naturalis auxilii efficaciam, nam statim ægrotus exurget. Mihi sint instar omnium.

Vnio & Hippomanes, corallia mixta resoluunt Herculeum morbum, si ritè, & tempore dentur.

His si viuendi ratio non accedat, luditur opera. Proin aer crassior, nebulosus, pluuius, venti, maximè Australes in primis declinandi, graues halitus, aut nimis affectati odores, quia ex Hippocr. capitis grauitatem efficiunt, demens strepitus officit.

Cibus simplex, tantopere Hipp. & Plinio commendatus ad tuendam sanitatem conuenit, isque mediocriter tenuis, & attenuans. Dyspepta, cacochyma, flatulenta, vt cæpe, allium, legaria, cuncta, Hœdi, apium sunt abroganda. Vino sit interdictum, maximè nigro. Concinnetur potio ex aqua decoctionis veri, & integri cinnamomi adiecto saccharo.

Somnus profundior, prolixiorque nocet. Pomeridianus vitari debet. Nunquam se lecto commendet, nisi transactis à cœna, quæ frugalior esse debet, duabus horis.

Mane depositis alui, & vesicæ excrementis se se strenuè exerceat: Duo sunt, ait Hipp. maximè salubria, uesci citra saturitatem, & impigrum esse ad laborem. A prandio ne cogitare quidem tutum est; Tranquillè agat. Musica non indelectetur, non vocali, sed fidium.

Nares quotidie emungat: singulis hebdomadis eccoproticum deuoret, vtpote pillulas mastichinas, quarum vsu, affirmat Mesuæus, ita roborari cerebrum, vt nullis percellatur affectibus.

Animi pathemata, iram, mœrorem, cachinnos quàm maximè declinet. Inter symbola Socratis hoc præcipuè præcipitur, vt effusum risum, & tristitiam caueamus. Risus nimius, ait Aristot. lib. de Regim. Princ. *Senectam inducit, & tollit reuerentiam*. Plato autem in Dial. de Repub. horum causam reddere videtur dicens. *Effusum risum vehemens sequitur mutatio*. Induere oportet Stoicos, & apathia frui, *nam consuetudo*, inquit Albertus Magnus, *sibi succedere facit similes passiones, ita ut tristitia tristitiam, timor timorem, vigor cordis audaciã*, & sic de alijs. Sed si non licet apathia frui, adhibeatur metriopathia, quæ carneo cordi est conuenientior.

His præceptis ritè adhibitis si affulserit Numẽ, quis dubiter, quin sint profutura? Affulgebit verò, inquit Gal. si tempestiuitatem obseruaueris.

Cæterùm si nouero consilium meum, aut profeciſſe, aut saltem tibi probatum fuisse, nihil erit dzinceps, quod me ab aliorum editione retrahat. Neque enim moror, quid quisque dicat.

Pro Sutore quodam lenta febre, necnon præcordiorum multigenis oppressionibus laborante cum multa flatuum copia, & anhelitus difficultate.

CONSILIVM SEXTVM.

VIr bonus annos triginta circiter natus, calidæ, humidæ temperiei, cum circa viuendi rationem errores commisisset, incidit misellus in multiformes ægritudines, conqueritur enim de præcordiorum tumore, & duritie, de spirandi difficultate ab assumpto maximè cibo, & de totius infimi ventris inflatione, quibus passionibus comes it febricula, quam minimè percipit æger. Quorum affectuum vt constet ratio, præmittendum, Sutorem hunc sedentariam vitam egisse, importunèque cibaria omnis generis ingessisse, & somno etiam parum indulsisse, vt consuendis amictibus lucelli studio vacaret. Quamobrem cum in ventriculo tùm ob externos errores, tùm ob frigidam, humidamque intemperiem phlegmaticorum excrementorum prouentus succreuisset, tandem in exiles viscerum venulas abrepta multigenos peperere infarctus, vnde prohibita ventilatione febris suborta est ex putrescentium humorum confusione. Quoniam verò viscera in tumorem sublata diaphragma lenis respirationis organum premunt, spirandi difficultas emergit, & multò magis ab assumpto alimento, quòd tunc ampliùs comprimantur præcordia, & flatus suscitentur ab imbecillo ventriculi calore in epulas agente, à quibus inferior venter vniuersus distenditur, vt nil sit propius, quàm tympanites. In eos igitur scopos mentis acies dirigenda, vt excremẽtorum moles, & farrago imminuatur, infarctus tollantur, habita feb. ratione.

Hisce endixibus quàm sit difficile respondere, arguit recessus à naturali statu, in iuuene enim calidæ complexionis maximè dissimiles sunt frigidi morbi, hinc Hippoc. in morbis minus periclitari eos, inquit, quorum naturæ, tempori, ætati, consuetudini magis congruit morbus, &c. Attamen,

Historia.

Ratio symptom.

Methodus.

Prognosis.

Lib. de facile parabilib.

Dietetica.

quia morbus iste maxima ex parte ab externis pendet erroribus, spero futurum, vt reualescat.

Cum hactenus tùm ob febrilem thermasiam, tùm ob iecoris infarctus missus fuerit sanguis, nõ alia opus est, euacuatione, quæ sanguinem imminuat. Superest vt recrementorum pondere natura oppressa sumptis, & iniectis, vt clysteribus, deoneretur. Laudatur proin mellis ros. sol. triens vnà cum pinguissimæ mannæ sextante ex D. sem. fæniculi, & melissæ. Ab hoc pharmaco properandũ ad serapia, nempè ad mel ipsum rosaceum colatum, ad oxymeli, ad syr. de pomis simpl. quæ sine diluto propinari debent per septimanam. Tùm iulebum de manna exhibere necessum est. A quo pergendum ad syr. de quinque radicibus vnà cum syr. de cort. citri, & oxymel comp. Dilui poterũt iusculo D. sem. citri, & rad. aperientium, addita agrimonia, cuscuta, cetrach, adiantho vtroque. Tùm repetendum postremum pharmacum acutum cum Agarici trochiscati ʒ. ij. Repurgato hac ratione corpore instituendus erit Ferneliano more syrupus, qui simul afficiat, & euacuet. Qualis erit ℞. rad. cychorij, petroselini, fœniculi, capparum, polypodij querni, sem. carthami ana ʒ. ß. hyssopi, prassii albi, agrimonii, ceterach, cassuthæ, adianthi nigri, ana m. j. sem. anysi, fœniculi, endiuiæ, melonũ ana ʒ. i. fiat decoctio ad vncias quindecim, in colatura infunde per noctem fol. sennæ mundatorum ʒ. iv. agarici albi ʒ. ij. epithymi ʒ. ß. rhabarbari, zinziberis ana ʒ. ij. bulliant parum mane, & f. expressio, in qua dissolue sacchari albi ℔. j. Paretur syrupus mediocriter coctus non clarificatus. Capiat quarto quoque die pro dosi ʒ. ii. cum pari portione cremoris sem. citri. Nec quisquam miretur, si tam frequènter corpus repurgauimus, nam, vt ait Amatus ex Gal. centuria prima, curatione xv. in scholio, vbi adsunt obstructiones, & humores in habitum corporis diffusi, iteratis euacuationibus opus est, &c. Hoc interim spatio vtatur tabellis, & trochiscis ad tollendos infarctus accommodatis, & ad tonum restituendum idoneis. Ventriculus foueatur hoc vng. ℞. ol. nucis myristicæ, menthæ, absynthij, amygd. amar. ana ʒ. ß. ceræ parum, fiat linimentum, vngatur mane, & ante cœnam, & superponatur scutum ex bombace. Hypochondriis induci poterit litus ex præscripto Gordonii efficacissimus. ℞. aquæ dulcis ℔. i. uini albi ʒ. iiii. aceti albi ʒ. ii. rad. apii ʒ. i. ol. de chamomilla ʒ. ii. bulliant simul, dein venter fricetur, & latera, & dorsum, quoniam est mirabile in deoppilando, & fiat frequènter, & multis vicibus, & sit semper calidum.

Curatio per Pharmaca.

Vng. ad oppilationẽ ex Amato ex Gordiano.

Aut si mauis ex Amato. ℞. succi apii, endiuiæ, menthæ, absynthii, petroselini vulgaris ana ʒ. iii. ol. absynthii, menthæ ana ℔. ß. ceræ citrinæ quantum sufficit, misce, fiat vnguentum ad ignem acapnum, cui aliquando licet addere pulueris calami aromatici, spicæ-nardi ana z. i. olei capparum tantillum.

Ex Heller.

Hollerius tanti facit ammoniacum, vt plurimos ad hydropem properantes hoc præsidio liberarit. ℞. ammoniaci ʒ. ii. coactum in bollos cum mulso rad. capparis, aut cum vino exhibetur.

Auicennas plurimi æstimat hoc electarium. ℞. passularum mundatarum ʒ. ii. calami-aromatici, bdellii ana ʒ. ii. casiæ lignæ, cinnamomi ana ʒ. i. myrrhæ ʒ. ß. terebinthinæ, ligni aloes ana ʒ. ii. excipiantur saccharo in uino albo cocto, fiat confectio, de qua sumat quotidie mane ʒ. ii. superbibat parum uini albi, si feb. absit, alioquin aquam cychorij.

Ex Auic.

Pro quodam Viro quartana laborante cum insigni lienis, & pedum tumore.

CONSILIVM SEPTIMVM.

EXcrementorum prouentus alimenti ratione, quod plures partes dissimiles continet, necessarius videtur, propterea natura philanthropos prouidenter quædam affabrefecit conceptacula, quibus exciperentur superuacua, ne sibi officerẽt, sed si excedant adeò, atque exorbitent, vt extra alueum euagentur, malorum seminaria euadunt. Exũdant autem, & exorbitant gemina de caussa, vel quia propriis conceptaculis non hospitantur, neque per proprios educuntur, exigunturve ductus, vel quia nimia vbertate cumulantur, hocque bipartitò, nempè aut per externos errores, aut certè per viscerum prauam diathesim. In nostro languente melancholicum recrementum vniuersis de caussis suscipit incrementum, hincque fit, vt tam rebellem generarit, & adhuc foueat quartanam, quæ primo notham, protractamque tertianam feb. subinde erraticam, ne dicam hæreticam, excepit, quam cum exacta hyeme tota negligenter tractarit omnis generis cibaria ingurgitando, sibi necessariam consecutionem ualde tumidi lienis intulit, vnde iecur quoque non minimam labem contraxit, vnde maximus serosorum, & pituitosorum humorum prouentus factus est, qui ad crura pondere suo delati, eadem in tumorem sustulerunt œdemata tæden.

Cur necessariò excrementa increscant.

Modus generationis in Patiente.

In præsentiarum ergo cum maius faceſſant negotium obstructiones, & lienis tumor, quàm quartana, illis potiùs incumbendum esse videtur, cum dicat Auic. simplicem, synceramque quartanam vacare periculo, non item si splenis tumor afficiat, hinc enim immedicabilis hydrops proficiſci consueuit tracto in sympathęam hepate, quod est lienis frater iuratus, hocque tantò magis tutò patrandum, quòd sine splenis curatione quartana de medio tolli nequeat. Quare cum ex atræ-bilis vbertate, & crassitie non modo splenis vasa infarctu laborent, verùm etiam factus sit in ipsissima lienis substantia tumor duriusculus, dolitansque, qui procedente tempore degenerare posset in scyrrhum, quique attrectantibus digitis renisu, & duritie respondet, hinc fit, vt per hosce organicos morbos lien impeditus succum melancholicũ minùs attrahat, attractumve conficiat, & proin in sanguinis massam affluenter redundat, & coinquinat, peruadensque iecoris meatus, eosdem copia, & crassitie obturat, quare cum ventilationis beneficio priuatus calor naturalis imminuatur, succrescatque ascititius, tota subuertitur œconomię ratio, & varia excrementa redundant, quæ aciditate infensa infestant, irritantque naturam.

Cui in primis incumbendum.

Ratio synprom.

Quid

Quid igitur facto opus est? Excrementorũ moles pharmaco imminuenda, infarctus expediendi, tumor molliendus, discutiendusque, viscera roboranda.

Prognosticum. Hoc opus etsi non adynaton, saltem perquam difficile, quod nonnisi longo tempore absolui poterit, si se opportuna facientem præstiterit vnà cum Medico laborans.

Curatio per Chirurgiam. Quod spectat ad Chirurgiam ratione potiùs obstructionum, quàm seb. emittendus sanguis est ex vtraque basylica, sed parca manu. Nec minùs recludendæ hæmorrhoides, vt fœcosus sanguis, qui deorsum sponte prouoluitur, foras exigatur. Huc spectant clysteres, litus, & fotus, quos adscribemus.

Per Pharmacum. Quod attinet ad pharmaciam hactenus multa deuorauit pharmaca, quæ excrementa foras eduxerunt, nunc iusculà D. cychorij, borraginis, lupulorum, agrimonij, cuscutæ, ceterach, sem. citri dulcorata iulapio acetato, & syr. de pomis simpl. haurit, horum vsus aliquandiu commendatur, & cõmittitur, vt crassus, & ater humor molceatur, tùm repetendum blandiusculum pharmacum, sicque per epicrasim procedendum ad imminuẽdam atræ bilis molem. Hinc gradus fiat ad aperientia apozemata, qualia confieri solent ex rad. graminis, petroselini vulgaris, asparagorum, capparum, & thamaricis, corticibus citri, & pomorum redolentium, asplenio, quibus adijci potest syr. de pomis, & byzantini sextans, ante haustum deuoret bolum ex succo borraginis densato additis troch. de cappar. & spec. diathod. Abb. Ab his pergendum ad ellebori nigri extractum vnà cum fistulari cassia, & sem. fœniculi exhibendum.

Intet topica præsidia laudantur litus ex ol. cyclaminis, capparum, amygdal. amar. succo absynthii, apii: similiter ammoniacum, & bdellium, remollita cum aceto scyllino in emplastri formam, quæ & ore deuorata magnopere conducunt. Huc facit & Amati Lusitani emplastrum præscriptum centuria prima curatione lxxxvi. ℞. ol. com. ℔. iii. medullæ crurum bouis ℔. i. butyri recentis ℔. ß. succi bryoniæ, cyclaminis ana ℔. i. bulliant lento igne vsque ad consumptionem succorum, colentur. Colaturę adde cerę citrinę vncias octo, pulueris asplenii .i. ceterach, corticum capparũ, thamaricis sem. agni casti ana ʒ. iii. m. fiat vnguẽtum.

Splenicorum ab Hollerio fusè trahitur materia. Vnum præterire nefas pinguedinem Struthio-camelli præstantissimum esse præsidium ad lienis tumorem molliendum, & discutiendum. Huc facit & suffitus: In aceto decoquuntur splenica, decoctio super pyritem, aut molarem lapidem iniicitur, thymiasis excipitur liene.

His præsidiis, si non concedat malum, non erit omittendus præp. chalybis vsus, nec theriaca vetus, quæ vires vniuersas formæ similitudine firmat, & humorem cacoethicum, vt vocat Fernelius, confi-

cit.

Pro Puero Ischiadico dolore laborante.

CONSILIVM OCTAVVM.

Historia. SCitè Hipp. scripsit: *Quibus caput humidius, & genitura humidior, ij minus integra sanitate fruuntur.* His enim senex innuit (testante Philotheo) catarrhis obnoxios minùs fœliciter viuere, id quod commodùm nostro laboranti puero accidit, cui cum caput humidius insit, destillationibus, fluxionibusque ferè semper laborat, quæ cum in procliuiorem, infirmioremque particulam decumbant. fit hinc, vt in ischiadicos cruciatus inciderit, qui noctu potissimùm negotium facessit, est enim fluxionis consuetudine ea pars imbecillior reddita. Est autem dolor coxarius symptoma in actione deprauata tactoriæ facultatis, sensus scilicet rei contrariæ ob solutionem vnitatis, soluitur autem vnitas partium ob ligamentorum compressionem, compressio autem ex eo contingit, quòd multum aqueæ pituitatis eòdem confluat. Quid Ischias. Symptomatis ratio.

Quatuor ergo præcipuè sunt spectanda, nempè origo fluxionis, terminus, medium, & mobile. Quod spectat ad originem pro confesso accipio, caput esse, sed nondum compertum est, vtrũ principium sit extra cranium, vt credidit Fernelius, an potiùs intra cranium, equidem ex vtraque parte emanare suspicor, tanta est catarrhi vis, & ferri partim per insensiles meatus, cum molestiam circa cutem etiam percipiat, partim per venas. Terminus constat, est enim Ischion ligamentum, quo femur coxẽdici alligatur per enarrea, in cum in illa compage colligatur humor. Mobile si secundùm speciem spectetur, est phlegmaticum, cui nonnihil serei excrementi commiscetur, vitium potissimũ spectatur in motu, & in qualitate. In fluxione quatuor spectanda. Indicationes sumuntur à forma, à subiecto, & ab efficiente. Forma indicat anodynorum genera, subiectum Arthritica, efficiens pro vario vitio modò minuens, modò reuellens, modò discutiẽs, & afficiens. Vitium est maximè detestabile, nam præterquamquod homines euigiles reddit, & querulos, claudicationis periculum minatur. Si coxariis diuturno dolore uexatis, inquit Hippoc. crus tandem extenuetur, nisi admotis cauteriis impedias, claudicabũt, ni mucus, quo articulus repletur, euacuetur. Non erit igitur negligendum. Methodus. Prognosis.

Inter Chirurgica præsidia probatur venæ-sectio ex poplite, quot quot enim tale præsidium experti sunt, tutò conualuere. Nec minus probatur cauterium in brachio sinistro ad deriuandam materiam. Quod si malum non concedat infra genu exteriore parte inuratur & alterum. Quæ verò topica adhibentur metasyncritica sunto. Galeno dropax commendatur. ℞. picis ʒ. i. ß. liquetur in quarta parte ol. chamomælini, addę sulphuris ʒ. i. m. f. emplastrum. Idem extollit ceratum de euphorbio. Curatio per Chirurgiam.

Aetius laudat cataplasma ex fimo caprillo cocto ex aceto, alii malunt in vino, adduntque sulphur, staphisagriam, aristolochiam, eidem scopo inseruit synapismus, & cucurbitulæ cum scarifi-

catu, singulis incisionibus admouendæ hyrudines.

Democrates apud Gal. commendat rad. Iberidis cum axungia primò remollitam, deinde cõtusam, & emplastri modò impositam.

Ægineta mandat, vt sinatur, donec cuticula nigrescat, tùm sit paratum balneum aquæ dulcis, in quod ingrediatur.

Fernelius hoc remedium tanti facit, vt miraculo iuuare affirmet, omnes ex Dioscoride hoc remedium exscripserunt, qui iubet cum axungia salsa teri, & per quatuor horas forma cataplasmatis coxæ applicari, dein balneum ingredi, subinde oleo oblinitri, & lanam superponi. Corpus interim repurgandum, proin primo loco præbere oportet mellis ros. sol. trientem cum mannæ sextante ex iusculo D. betonicæ. Tùm instituenda serapia, nempè syr. de betonica, mel rosaceum simplex, diluenda iusculo betonicæ, saluiæ, camædrios, melissæ. Ab his pergendum ad Agarici infusionem. Tùm repetenda apozemata, quæ fieri possunt ex syr. de stœchade, de quinque radicibus diluenda D. rad. diureticarum. Subinde purgandum corpus elect. caryocostino, quod mitiorem præbere solet opellam. Demum ad compositos syr. confugiendum, & ad pill. de nitro Alex. & arthriticas. Tot enim præsidijs opus est, quia materia longè distat, & nimis quàm copiosa est, quibus auxilijs si non concedat malum, confugiendum erit ad rad. Chynæ decoctionem vnà cum visco quercino, saltem per quadraginta dies, & hoc interim tempore quotidie deuorandi boli ex cyprio terebintho concinnati cum pulu. iuæ arthriticæ, & dianthos.

Per Pharmaciam.

Pro Puero biliosa diarrhœa correpto.

CONSILIVM NONVM.

Historia.

PVer hic decimumsecũdum circiter agens annum ex frequenti natatu incidit in molestam diarrhœam, quæ noctuque, diuque fatigat, & varia cibaria sine ordine ingessit, quæ stomachi confusionem peperere. Quare cum puer molestè ferat hanc euacuationem, age manum operi admoliamur. Scire autem decet, diarrhœam esse excrementitię materię per intestina euacuationem importunã, pro qua ex arte curanda necessũ est illud præfari, nempè nõ esse omnino criticam hanc euacuationẽ, nã crisis est euacuatio materiæ morbificę facta die critico ab expellẽte natura, præcedentibus signis concoctionis cum ægri euphoria, quæ hîc nulla subest, est enim signum apodicticum bonæ crisis bona conferentia. Quare statuendum est fieri potius tyrannide symptomatis, tametsi & ea educitur materia, quæ peccat, atque etiam per conuenientia loca exigitur. Symptoma hoc inexeunte mutato originem traxit à frequenti illo natatu, qui poros constringendo vt effluuium compescuit, ita humores intrò repulit ad intestina, quæ copia, & qualitate irritata noxium pepulere foras. Quæritur, num adstringentibus vtẽdum sit. Capiuacceus inficiatur, vnquam esse adhibenda adstringentia, etiam si fluor symptomaticus sit, sed transferendam esse materiam ad vrinæ meatus, aut ad cutem.

Quid Diarrhœa.

Quid Crisis.

An vtendum adstringentibus.

Distinguit Brudus Lusitanus: Euacuatio, inquit, aut fit retentrice effęta, aut irritata excretrice, si retentrice imbecilli, vtique vti licet apocrusticis, si irritata, nequaquam. Mesuæus prudentissimè, aut euacuatio est materiæ noxiæ, aut innoxiæ, si noxiæ sinatur, si innoxiæ, & minimè vitiosæ, supprimatur. Distinguit.

Hic profectò nefas est adstringentibus uti, sed interim adhibenda sunt areotica, quæ meatus corporis rarefaciunt, proin frictus quotidie adhibendi, litus ex ol. amygd. amararum, & aq. fl. camœmelli addito nitro modicissimo, siue mauis ex vino albo, & aqua pari modo commixtis. Huc faciunt & emulsiones sem. melonum ex iusculo D. pentaphylli, & rad. verbasci cum gutt. aliquot ol. calchanthini. Postremùm vtile erit saccharum ros. cum puluere Ceruini cornu, & boli Armeniæ.

Ad Perillustrem, & Excell. Cæsarem Brunellum Chyum
Pro Muliere abortiente.

CONSILIVM DECIMVM.

MVlier optimæ habitudinis annum 36. circiter agens proponitur, quæ cum alias conceperit, & opportuno tempore pepererit, tãdem acerbos partus, nempè tertio, & quarto mense edere cœpit, quo fit, vt parienti graue incommodum pariter, & optatæ proli succedat, quare opportuna præsidia requiruntur, quibus hisce malis obuiam eatur, quæ cum plures, diuersasque causas agnoscant, hinc fit, vt difficilior remedij inuentio euadat, cum maximè haud constent vniuersæ circunstantiæ, quæ in caussæ cognitionem nos manu ducant. Nam esto, vt hæc vteri vitiosa actio sit abortus, nondum tamen constat, an ex matris, an fętus, an potius vteri infirmitate prouenerit: Præterea certum non est, an quod editur sit embrio legitimè organizatus, an potiùs mola, rudis, indigestaque moles, quæ plantarum instar nutritur, & augescit, nec alium habet motum præter quàm naturalem, nimirum vt ad procliuiorem partem deuoluatur, prout fœta mulier mouetur. Postremò nec palam est, an, dum vtero gerit, lac habeat, an in hypogastrio pondus persentiat insolens. Historia.

Difficultatis ratio.

Quamobrem nobis non erit integrum tam perspicuè procedere, vt omnis de medio tollatur difficultas. Sed præsuppositis quibusdam rationabili coniectura ad cynosuram collineabimus, proximèque ad caussam accedemus, quam præcipuam arbitramur.

Quid Abortus.

Ediximus hanc vitiosam actionem vteri esse abortum, hoc est immaturum partum extra naturæ ordinem editam ab excretoria facultate vteri læsa. Hæc læsio ex proprijs matris uitijs aliquãdo proficiscitur, quæ utero communicantur, qualia sunt febres, spasmi, tenesmi, immodicæ hæmorrhagiæ, importuna exercitia, animi pathemata. Sed cum mulier sit laudabilis habitudinis, vt

Symptomatis ratio.

prædixi-

prædiximus, mulierem missam faciemus. Hæc læsio potest etiam ex parte fœtus pendere, dum ex vitioso semine conflatur, & prauo sanguine nutritur, quam imperfectionem non possumus rectè agnoscere, & in fœtum reijcere; cum Parentum naturæ nobis non sint compertissimæ, poterit tamen vtiliter ad pensum reuocari. Reliquũ igitur est vt imperfectio hæc sit vtero ipsi imputanda varijs, & largis sanguinis effusionibus debilitato (quemadmodum relatum fuit) quare frigidam, humidamq; intemperiem contraxit, vnde similia congregantur excrementa, quibus vterus mucore, & lubricitate afficitur. Hinc Hipp. ritè scripsit. Mulieres, quæ bona corporis habitudine constant, quæq; tertio, aut quarto mense abortiunt, his vteri acetabula plena mucore esse, quare præ pondere fœtum continere nequeunt, & abortiunt, hoc primis mensibus accidere consueuit ex hac caussa, nam succedente tempore præ calore humiditas illa absumitur, quare si vlteriore tempore abortus fiat necessum est, vt ab alia caussa dependeat, vtpote ab vteri angustia, quæ hic non habet locum, cum aliàs mulier fœtum continuerit vsque ad perfectionem.

Determinatio.

Methodus.

Remotione igitur aliarum caussarum hac vna sancita, hæ indicationes ex rei natura eliciuntur, vt excrementa vteri foras educantur, vterus calfiat, & siccetur, & roboretur appropriatis habita totius prouidentia, purgando tum biliosa, tum pituitosa recrementa, ne ad læsam particulam superuacua confluant.

Prognosis.

Hæc prouincia non erit adeò peruia, cum malum inueterarit, vnde longus remediorum vsus necessarius videtur.

Curatio per chirurgiã.

Quod igitur spectat ad Chirurgiam, laudatur sanguinis missio ex basylica dextra; quantitas præsenti Medico decernatur, hac tamen lege, vt si Vere incunda sit purgatio, liberaliùs, si Autumno parciùs mittatur. Laudatur item cauterium in sinistro brachio inter bicipitem & deltoida.

per præ ματικὸν.

Quoad Pharmaciam, ad leniendam aluum probatur mel Ros. sol. cum manna pinguiori, aut certe fl. cass. cum sp. hieræ-picræ. Ad parandos humores probantur iuscula D. Melissæ, borraginis, betonicæ cicoreę, & sem. citri dulcorata melle ros. simpl. Syr. de betonica, & paucissimo oxymelite. Parati humores foras exigantur cathartico, quale erit Agarici, & Rhacomatis infusio ex D. cord. cum myr. citrinis facta addẽdo quadrantem mellis ros. sol. & semunciam Thripheræ Persicæ. Expiata secunda corporis regione pergendum ad validiora serapia, quæ longiùs dissitos humores præparent. Laudantur proin iuscula D. Arthemisiæ matricariæ, nepethæ, serpilli, betonicæ, botridis, cardui-benedicti, rad. petroselini, apij, fœniculi, lauendulæ, ambubeiæ, dulcorari poterunt Syr. de betonica, adiantino, de hyssopo, de calamintha. Hæc appropriata serapia excrementa non conuehunt in vterum post corporis purgationem, id quod accideret, si à carceribus vsurparentur, vt inconsultissimi medici efficiunt, quos Saxonia acriter vellicat, sed dumtaxat vterum calfaciunt, & humores ibidem contentos parant. Ab vsu horum apozematum, adhibenda erunt catapotia ex massa pill. cochiarum, aggregat. & mastichinarum concinnata cum succo Artemisiæ.

Repurgato in hũc modum corpore vsus Aquarum thermalium vtilissimus erit. Interim proponitur Decoctio concinnata ex Rad. Chynæ, santalorum, lentisci, & sassaphras scobe. Hac Decoctione vtendum per 40. dies cui præmitti debet bolus ex Cyprio terebintho vnà cum sp. Galliæmoschatæ.

Antequam tamen ad D. deueniatur, necessum erit vterum abluere decoctione furfurum macrorum, tormentillæ, bistortæ, agrimoniæ, fol. oliuæ, artemisiæ dissoluendo ℥ iiij. mellis ros. sol. & ʒ ij. sp. hieræ. Quo tempore vtitur decocto. Suffitum adhibeat subter ex aromatibus, nempè, galliamoschata, garyophyllis, nuce myristica, cinnamomo, benzoino styrace. Postquam decoctionem absumpserit, ne abhorreat ab vsu præsidiorum, sed potius quotidie hauriat iusculum tormentillæ, nam hoc erga vterum habet analogiam, fœtumq; continet. Vtatur electario quopiam, vt conf. hyacinthina, diamarg. frigido vnà cum saccharo ros. aut sumat conf. ros. symphiti ℥ ij. pulu. tormentillæ ʒ ij. ossis de corde C. corall. rub. an. ϑ ij. m. cum myua Cydoniorum. Adhibeat vnà cum sorbili ouo manuschristi perlatas, aut pul. troch. Karabes, & Chyę mastiches. Adhibeat & quæ proprietate prosunt. Proin probatur puluis vteri leporini, eboris, xyloaloes cum ouo sorbili. Collo Vrsi vngulam appendat, lapidem lazuli, petram in vtero Cerui repertam, thymiamate subter vtatur ex pilis ceruæ, sinistro brachio Ætitem lapidem alliget, aut magnetis frustulam. Subligaculo vterum contineat.

AD ALPHOEVM DVRETVM Polyglossum, & Polyhistorem amicum maximè colendum.

Diluuntur quædam obiectiuncula.

NEllem te Iuuenem egregium cap. secundum de dignoscendis, curandisq; animi morbis accuratè perlegisse, vbi Gal. ait, peccare nos plurimùm, tametsi nos errare non putemus, duplicemq; caussam affert alteram ab Æsopo mutuò acceptam, alteram à Platone; ille enim duplicem manticam è collo suspensam nos gerere scriptum reliquit, vnam ante pectus alienorum peccatorum, alterã verò à tergo nostrũm; ex quo fit, vt aliena spectemus semper, propria verò nunquam intueri possimus: Quam quidem narrationem cum omnes probent vt veram, Plato etiam, cur id fiat, nobis exponit. Quidquid enim amat, inquit, cœcum est erga eam rem, quam amat; Itaque si nostrùm quis seipsum maximè omnium diligit, vnusquisque nostrùm ad se ipsum maximè cæcus sit, necesse est. Quomodo ergo propria mala inspiciet, aut quomodo se peccantem intelliget? &c.

Hæc

Hæc vt ad condonandam tibi philautiam pronum reddidere, ita ad rescribendum impulerunt, ne silentium meum tibi detrimento esset. Scias igitur, te

Dum passim sequeris corvos, testaq; lutoq;

in foueam incidisse, nempe dum quædam acutiore stylo, quæ in nostris medicis consilijs exaratimus, carpis: Quod vt euidentius constet, rem ipsam ob oculos ponam, quæ veritati respondet.

✻ Consilio primo admiratis, dictissime Alphæe, *quod delirium & vt caussam, & vt signum malum esse dixerim*, sed quam mox demirari desines, vbi noris, medicinam vel teste Hippocrate, tribus cõstare, medico, morbo, & ægroto, oportereque, vt Medico ægrotus se præbeat socium, vt ambo aduersus morbum strenuè pugnẽt, quocirca Hippoc. mandat, vt non solùm Medicus se præstet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora; at delirio correptus, foteria cuncta refellens propriæ saluti non cooperatur, quin refractarius præceptis Medicis resilit, quocirca malorũ suorum auctor videtur. Hinc fit, vt deliriũ malum dicatur, vt signũ quidem, quia obsessam morbo principem particulã, nempe cerebrum arguit, vt caussam, quòd ægros minus obedientes, & audientes præceptis efficiat. Hinc senex, insaniæ, inquit, vehementes lethales sunt. Rationem reddit Fontanus, quia magnam referunt cerebri affectionem, tũ quòd efficiant, vt ægri omnis generis præsidia respuant. Consule Fernelium, aut Hieronymum Fracastoriũ. Imò Philotheum super Aphorismos, qui hac dicendi forma sæpissimè vtitur.

Aph. 37. sec. 4. Frigidi sudores in acutis.

✻ *Porrò detestaris atramentum cossiæ, &c.* Mitor, atque iterum mitor, cur hæc teretismata has quisquilias prosequaris, cum Philosophum agas, & sanè mirificum, vix hæc sunt Pædagogo digna, sed quæ tibi stomachum mouent, Priscano maximè probantur, scribendi enim formulas, quas proscindis, mutuò accepimus ab elegantissimis Philosophiæ, & Medicinæ Auctoribus Hermolao-Barbaro, Fernelio, Riolano, Hollerio, Antonio Valetio, quibuscum errare malim, quam tecum benè sentire. Amatus Lusitanus Cassiæ atramentum pulpam illam nigram, qua ad aluum soluendum vtimur, sæpissimè, & eleganter appellat. Item Hieronymus Montuus cap. 5. de cur. feb. puttriũ genet. Sepe legeris Sepiam atramentũ effundere, vt se ab hostibus tueatur. Videris mihi ò bone pica laborare, vtpote qui hæc scitamenta, quæ melioribus probantur, respuis. Sed á nominibus ad rem pergamus, ne videamur similes Ixioni, aut Æsopico cani vmbram rei præferentes.

Idem lib. mortem áim mitiori morbi longitudinem significant.

Idem Aph. sect. v. A tabe habito alui profluuium superueniens malum.

✻ Consilio quarto arguis, quòd stomachi dolorificum affectum angorem appellarim, definierimque tactoriæ facultatis actionem prauã, quasi verò, ais, dolor per singulos sensus non vagetur, sed proprius sit tactus: Seuerè inquam arguis, sed non verè. Afferam Galeni sententiam cap. 6. lib. 1. de sympt. caussis. Ita enim ille. Delectatio autem, & dolor omnibus sensibus contingunt, non tamen pari euidentia, sed in visu minus, quàm in cæteris sensibus euidenter, in tactu autem, & gustu maximè luculenter, ab ijs deinceps in odoratu, & post hunc in auditu. Quænam igitur est tùm omnium communis, tùm cuiusque caussa propria? Sanè communis ea est, quam Plato in Timæo reddit sic scribens. Violenta passio, quæ præter naturam est, cum simul multa, & celeriter fit, dolorem affert, quod ad suam naturam vniuersim, & celeriter reddit, iocundum est. Quod autem sensim, & paulatim fit, sensum latet. Atque ita quidem Plato. Hipp. vero antiquior inquit, Quibus natura alteratur, & corrumpitur, dolores fiunt, &c. & sanè tactui accidunt magnæ mutationes naturæ. Proinnos angorem ad molestiam redegimus, hancque ad dolorem, qui percipitur ore stomachi, quare non exclusimus reliquos sensus á proprijs doloribus, qui scimus obiectum improportionatum sensus demoliri, vtpote demens strepitus aures obtundit, vt ijs contingit, qui eam Ægypti partem incolunt, qua Nilus se præcipitat, nimium solis lumen aciem perstringit &c. Quamquam scitum est, singulos sensus species sine materia suscipere, hæ verò nullam vim habent, præterquàm referendi illud, vnde deraduntur, organa verò afficiuntur á coniugatis qualitatibus, quæ speciebus inhærent, ceu ab immodico calore, qui impensò cohæret lumini. Duplex, inquit Gordonius, est dolor animalis, & materialis, ille in quolibet sensu esse potest, pendetque ab obiecto improportionato &c. de Dol. cap.

✻ Ad hæc, quòd in symptomatis consistam, minimè ad morbos pergam, sugillas: Ignosce suauissime, perinde in veritate caligas, atque ad Solẽ noctua. Singula enim reducuntur ad morbos suos, sed nos proximas primùm caussas rimamur, v. g. melancholiam morbum primò in tenebrosum phantasma reijcimus, hoc in atrum vaporem, hunc in atram bilem, hanc in hepatis calidam intemperiem, aut lienis obstructorios infarctus, vnde per synathrismum colligitur nigra bilis.

✻ Consultatione sexta in illud potissimùm inueheris, quòd dixerim, á morbi genere nullam duci vtilem indicationem. Si manu detinuisses, benioin tantus stupor te non corripuisset Lepidissimè Saperda (Quamquam Hofmannus tibi fauere videtur dente petens Capuaceum.) Agitur de Morosi, seu de stultitia, quam finiumus principum facultatum imminutam actionem ob frigidam, humidamque intemperiem cum materia pituitea. Morbi genus est imminuta actio (scis enim in definitione accidentium formam esse pro genere, subiectum, & efficiens pro differentia) Ab hac imminuta actione nulla petitur vtilis indicatio, siquidem ea est vtilis indicatio, quæ habet materiam præsidij sibi respondentem, nulla verò talis reperitur, quæ primò, & per se imminutam actionem redintegret: reliquum est igitur, vt indicationes sumantur á subiecto nempe cerebro, quod cephalica roborantia poscit, & ab efficiente, nempe ab intemperie, quæ contraria requirit. Scias porrò, morbi nomen latissimè patere, vt rem quamlibet præter naturam significet, qua ratione Galen. 2. Methodi Med. ait, morbus vocari potest actio læsa, & affectus, qui lædit actionem, & ex hoc nihil mutatur curatio. Prestiore significatu intemp. malam compositionem, & solutam vnitatem, quæ sunt formales caussæ morborum, nos latiore significatu sumpsimus, quo modo tùm caussam morbi-

bificam, tùm etiam symptomata comprehendit, hinc morbus sacer, regius, plethoricus, pituitosus, melancholicus, quin Rhasius dolorem cap. ægritudinem vocat catachristicòs, similiter Gordonius.

* Vapor porrò bipartitò sumitur, vel prout distinguitur ab exhalatione, vel prout dicit quemlibet halitum sursum respirantem, nos generatim vaporem accepimus, prout calidum, siccumq; halitum significat, quomodo dicitur à Platonico Poeta, *Volat vapor ater in auras*. Neque mireris, nã patrocinantem habemus Vallesium in Meteoris.

* Consultatione nona diximus, in paralysi tenuem pituitam in neruorum substantiam peruadere, eosque remollire, qua caussa conuulsio non cõmittitur, in hac enim crassior pituita meatus replet, quo fit, vt longitudo corripiatur, & fiat spasmus. Quòd si similiter generentur, quî paralysin à conuulsione distinguas? Consule Amatum Lusitanum cent. 2. curat. 7. itemque Valleriolam obseruat. 3. lib. primi, imò Galenum ipsum varijs in locis.

* Postremò, te non intelligere dicis, quomodo paralysis ab animalium spirituum defectu pẽdeat, cum sint tantopere necessarij ad vitæ munera. Scias paralysim nihil aliud esse, quàm motus priuationem voluntarij ob frustratam motricem facultatem, frustratur autem, quoniam musculo sua integritas deest, ad integritatem autem concurrunt fibræ, nerui, caro, spiritus animales è cerebro demandati, quare cum affirmatio sit caussa affirmationis, negatio erit caussa negationis, sed præsentibus spiritibus musculus agit, absentibus torpet, reliquum est igitur, vt in paralysi spiritus desiderentur, non influunt autem impediti ob angustiam quampiam, aut quia influentes à particula non excipiuntur ob aliquam intemp. maximè frigidam, & humidam. Eam definitionem attulit Sennertus. Diximus præterea, facultatem non influere, quoniam cùm hæc nil sit aliud, quàm animæ aptitudo ad agendum, quam de sinu suo promit, vt ait Themistius, anima autem vbiq; sit, fit hinc, vt potestates quoq; originaliter sint vbique, subiectiuè tamen illic tantùm sunt, vbi suppetunt organa ad operandum accommodata. Vale.

CÆNOLOGIA, SIVE DE VERTIGINE DIALOGVS.

Fidentius Gymnasiarcha. Philaretus Hypodidascalus. Adamus Auditor. Banopa Iatraliptes.

FIDENT. Meum ADAMVM præter morem huc cunctanter accedere prospicio. Quid hoc est? Aliquid sinistri suspicor. Non possum, quin appellem, vt appellat huc hilari animo, Heus bone ADAME. Quid tibi? Quàm citò propiùs accede, & cedo. Quî mihi hodie tanto hebes opere, qui palles? Rescire aueo, nec premere, sed promere decet mihi, qui à te sum, qui tuus mi A DAME. PHILAR. Quæso te, vt Puero ignoscas, si bardus est, & infans, si Pythagoræ agit discipulum. Ego eius vicem geram. Magnum infortunium D. Io. Profesto incurrimus, quod puerum non modò extermauit, sed pænè exanimauit. FIDENT. Me perditum, quid audio? Perge. PHILAR. Ante Cœnobitarum Crucigerorum fanum læta Pubes folle, vt fieri solet, tumultuosè ludebat, nos, qui tolutim animi gratia obambulabamus, ad clamorem, & stropum accessimus, spectare placitum ludentes. Assidemus, non minùs percussi, atque repercussi follis itum, reditumque quàm miram vincendi libidinem miramur. Ecce verò dũ misellus proximo Patrueli more, & amore ductus caput aperit, follis immorigero impetu in caput Pueri vrgetur. Insano perculsus ictu Puer cecidit attonitus (nos illum extinctum putabamus, ita illum defecerat spiritus) sodales accurrunt, molliter suffulciunt, subleuant, inclamant, agitant, dum exanimi animum reuocant. Ille veluti à sopore excitatus oculos quidem aperuit, sed nil fatus. Cymba in ædes conuehitur, Parentes infortunium deplorant, blandiuntur, vt bono sit animo, enixè hortantur. Clinica strophiolis oris madorem tergit, blandiloquentia dolorem mulcet. Vires interim quiete recreantur. Parcè cœnatus iuit cubitum, non sine stertore obdormiuit. Iam verò sibi benè constaret, ni omnia circumferri viderentur, ni caligo quædam oculos offuscaret, ni crura interdum sibi vacillarent, vt nihil sit propiùs, quàm caducitas. FIDENT. Miram, & miserandam narras historiam. O sonticum globum, ò vesanam curiositatem, quæ vos eò impulit, vbi post follem cœpit Puer *φανλίζειν*. Valeat impudens, & ventosa illa pila, & in ea mundi latera relegetur, quæ nebulæ, & malus Iuppiter vrget. At verò ò PHILARETE consultum oportet quàm ocyssimè huic Puero, ne quid deterius accidat. Inchoanti morbo facilè remedia parantur. Sed vide tibi Banopam iatronicen huc properantem, næ tabellas meditatur, nos autem contabimur.

Opportunè mediusfidius ades nobis ò Banopa scitissime. BAN. Gratulor opportunitatem, sed quæ insolens hæc expectatio. FIDENT. Compendio illi rem censè PHILARETE, vt præsto sit, remediis enim, non plurima verborum supellectile morbi curantur. PHILAR. Faciam quàm breuissimè. Puer hic Banopa suauissime obesulus, & formosulus quinta paulò minor trieteride, dum adstaret nudius tertius ventosa pila ludentibus, in Pueri caput ligneo, dentatoque brachiali trilix, globosaque pila inauspicatò impingitur, quo ictu cecidit exanimatus. Paulò post rediit sibi, & vires resumpsit quiete, & sanè prorsus sibi restitutus videretur, ni ambulanti interdum crura labascerent, & tenebris offunderentur oculi, & vniuersa circumferri viderentur. BAN. Malè ominosus, & maledictus globus. Poterat puerum hunc extinguere. Verũ qualis impulsor? PHILAR. Homo quidam ænobarbus, neruosus certè, & qui Aristarchum agit. BAN. Quantò fuit sinisterior,

tantò

tantò impudentiorem suspicor, quando tam perditè perdit. Omnino benè actum cum Puero, qui ab icto non fuit sublatus. Poterat in Apoplexiam incidere, à qua non reualesceret, sunt enim, qui colaphis cæsi hac de causa periere. FIDENT. Me miserum am? BAN. Imò memini, quosdam ex tonitru syderatos corruisse. FIDENT. Quàm nihil sumus, si strepitus rapiat. Verùm ni Banopa si quid visui esse arbitraris, in medium afferas, nam ægrum habebis paratum, siue ferrum, siue ignem meditaris. BAN. Bona fide Puer opus habet medela, sed mitiore, quom malum recens sit, & ab externa causa profectum, tametsi in præsentiarum ab excitis fouetur humoribus. Quod, vt amplius constet, differendum.

AFFECTVS, Qui malè habet Puerum, Vertigo dicitur, quam Græci scotomiam, & scotodynon appellant, quum oculi obtenebrantur, & matmarigæ videntur. Symptoma est potissimum ad principem sensum pertinēs, & ab vna pendet origine, ab agitato scilicet animali spiritu, qui in foriculis cerebri anticis inquietescere summa tranquillitate solet, ac Animæ intus sedenti, quæ ab externis sensibus hausit, visa referre. Hinc Hipp. syncerum aerem cerebro intelligentiæ, & prudentiæ internuncium appellauit, qui sciebat animalem spiritum inde magna ex parte conflari (quamquam inficiari videtur Aristotel.) Circumactus itaque spiritus iste obiecta omnia circulatim refert, quòd iuxta Philosophorum proloquium recepta capessentis naturam induant, quare nihil refert ad circumuolutionis sensum, aliquid foris, an spiritus agitetur intus. Parui interest, inquit Auicen. an id, quod cernimus, an id quo cernimus, nempe spiritus, in quo species locatur, circumuolutetur. Nihil interest visus, an id quod cernitur moueatur. Aristot. cap. 8. 2. de cœlo.

Nomen. Negat Dādinus l. 1. de animati corporis temperatione spiritus conflatis, aut reparari ex inspirato aere huiusq; opinionis authorē vocat Arist.

Quærit Aphrod. Cur nauigantibus terra, & res quæ immotæ quiescunt, moueri videntur? Respondet, quòd visionis sensorium mota naui necessum est moueri, quò fit, vt sensibilium similitudines cum motu recipiantur. Cæterùm spiritus ille pulsum ab ictu suscepit, qui perinde voluitur, atque Aqua lapidis iactu diuulsa, quæ plurimos gyros, & vortices absente etiamnū motore parit. FIDEN. Theophrastus lib. de Vertigine spiritum, & humorem capitis ouo comparat, quod cum fusum habeat humorem non continuum, dum crudum est, non voluitur, dum coctum vertitur, vnito iam, & continuo humore, & æqualiter fuso. BAN. Simile exemplum attulit Aristot. in Problem. vbi perperam Petrus Apponus Ilingon fingultū vertit, præclarè verò in suo Cosmitore Problema illud interpretatur Io. Colle. Verùm ad rem. Spiritus vt plurimum à tenui, calidoque vapore, per Arterias in cerebri ventriculos irrepente propellitur, at vapor ex humore quodam vitioso, qui ex circuitibus, & quoties euidentium vi causarum cietur, efflari cōsueuit. FIDENT. Ignosce Banopa, si futor, vt fertur, vltra crepidam, & remeligo tibi sum, & interpellator.

Ilingon. In Cosmitore.

Dum sacræ Apollinis Arti operam sedulò nauabam (si ritè recolo, quæ in compendium redegeram à Græcis, & Arabibus hausta) notasse mihi videor, vniuersam medentium scholam ad imaginōsam potestatem hoc symptoma referre. BAN. Reuera more tuo agis insolenter, vt mihi palpum obtrudas. Cogor erumpere. Quotquot eam iniuere sententiam, vt noctua ad solem, ita in veritate caligant. Quæris causam? Quia cuncti vertigine correpti norunt, se falsa visione circumueniri, neque agitari exteriora, sed spiritus, & humores introrsum cieri, quemadmodum etiam ij, quibus aures tinniunt, sciunt intus, non foris esse sonitum. Sanè plurima sunt, quæ oculorum aciem perstringunt, & sub aliena specie se nobis offerunt. Numisma enim sub aquis immersum maiusculum videtur, quā sit reuera. Rectus bacillus item, obliquus: Sol rubens, aut bipedalis apparet, cum tamen decolor, & multò tellure maior: Carbo candens videntium oculis se exhibet rutilum, cum nihilo sit minùs ater. *Apparent autem falsa*, Inquit Aristot. lib. 2. de Anima. *De quibus existimationem veram habet, quemadmodum quidem apparet Sol vnius pedis, persuasum autem est terra esse multò maiorem.* Text. 15.

Quæ tantæ falsitatis origo? Respondent quidam, quia fortassis alia est facultas, quæ iudicat, ab illa, per quam phantasmata fiunt. Zimar. in Problem.

Alij verò expressius hallucinationis notitiam infinuant ijs. Themistius lib. de somno & Vigilia.

Ad eam verò considerationem, quæ nobis initio instituta est, vnum subiungi oportet, quod patere potest ex ijs, quæ diximus, abeuntibus sensibilibus, non abire spectra, sed detineri, & seruari deposita. Item facilè decipi, & obnerare eorum sensus, qui affectu aliquo perturbati, obsessique sint, &c. Meticulosos metu, amantes in delicijs suis: Proin vtrique tenui similitudine earum rerum, quas ij formidant, illi depereunt, facilè lacessiuntur, &c. Quamobrem & febrientes mōstrosa quædam animalia in parietinis videntur cernere, quod quidem accidit ijs exigua similitudine, quam interpollationes quædam, & lineamenta in tectorijs referunt. Cæterùm hic error pro qualitate morbi maior, minorve. Sæpè enim leuius premuntur, quàm vt se de ijs, quæ videntur uidere, falsos haberi non agnoscāt. Interim usque adeò tentantur, accumbuntque morbo, vt uisis ducantur, & assensionem adhibeant: Causa verò, quamobrem hæc fiant, uidetur ea esse, quòd non una tantùm in nobis iudicandi uis est, sed geminæ. Est mens, quæ primatum obtinet, est sensus, unde ortum habet imaginatio. Huius rei signo est, quod quum sensu sol pedalis uideatur, corrigit aspectum ratio, quæ intus est, maiorem esse, quàm uideatur, dicitat. Quod si esset una potentia, quæ iudicaret de omnibus, non posset sol non tantus putari, quantus uidetur. Planè non inficior, quibusdam morbis effici, ut ratio quoque, atque mens errorem sensus sequatur, quod usu uenit in deliris, abalienationeq; animi, quo tempore, & lineamenta moueri, & animalia esse uidētur. Hactenus Themistius.

Cedo mi FIDENTI cur mens in decipulæ consortium aliquando trahitur, interdum visa explodit intaminata?

Cæterùm, vt hæc ampliùs constent, quædam altiùs repetere operæpretium est.

Habendum itaque eum esse nostræ cognitionis ordinem, cum cognoscentium virtutum nexum, vt præsentia obiecta sensibus primùm hauriantur, atque in cognoscentem transferantur, à principe

sensu,

sensu, mox ad phantasiam traducantur, ab hac demum menti sistantur, quæ dum hic hospes agit in corpore, nil nisi à phantasia subministratum comprehendit.

Atqui primi sensus hoc munus est, vt in anteriore cerebro pro tribunali residens externorum quinque sensuum opera percipiat, & dissimilium obiectorum discrimina internoscat, & dijudicet, ad hęc vt sensilia communia, quæ in sensus vnà cum proprijs commigrarunt, discernat, visus enim, (vt hoc obiter dicam) duntaxat colorum arbiter est. Imaginatio verò motus quidam est, quem sensus in actu positus creat: Eius proprium, & peculiare officium est, abiunctis iam, & absentibus sensilibus imagines depositas tueri, & agere: imaginatio enim non operatur cum suscipit formas à sensilibus, sed vbi cessarunt sensus. Hinc Themistius. Quoties sensus circa res subiectas actu versantur, imaginari non dicimus, sed quoties ab opera recesserunt. Nemo tam stupidus sit, qui de Socrate, quē comminus videat, cogitet, sed de eo, quem eminus prospectet obtutu dubio, caliganteque.

Alpinus b.1.c.vlt.q. tripat. Quocirca colligere licet, phantasiæ actionē circa ea dumtaxat versari, quę externi suppeditarunt sensus, (quamquam non desunt, qui probent imaginationem ab externis rebus cieri non moto sensu, exemplo eorum, qui per somnia ventura præsentiunt) integrum tamen illi est fingere

Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem.

Porrò imaginatio ea vera dicitur, quæ circa id vestigium operatur, quod à vera, & existente re, impressum est, falsa verò tunc habetur, cū à re existente non est, cuiusmodi illæ imaginationes sunt, quæ ludificantur in somnijs profectæ absentibus, remotisque sensilibus, perinde quasi coram adesse videantur, vt ait Alexander.

ib. quæst. latur. ib. 3. de ani ma c. 11. Ad hæc duplex afferenda imaginatio Arist. atq; adeò Peripateticorum omnium auctoritate sancita, deliberans altera, quam Philoponus consultatoriam nūcupat, & hominis propriam; altera sensui coordinata, quæ species sensibiles à sensu communi susceptat, hæc rarò fallitur, illa sæpe, dum effingit.

Quæ neque sunt vsquam, neq; possunt esse profectò.

Nec tamen duplicem facultatem statuo, sed geminum agendi modum, alterum præsenti, & initāte adhuc obiecto, quod per sensum moueat, (neq; enim vlla rerum similitudo ad phantasiam trancit, quin sensum permeet primarium, suamq; formam cognitam quasi imprimat) alterum eo abiuncto, sed sola agente phantasia.

Postremò alta mente tenendum, deceptionem fieri, vbi aliter, quàm reuera sint, res accipiuntur, haud de industria, verùm errore, cuius causa est potissima, apparens, fucataque species aliqua, qua res huiusmodi esse videntur, cuiusmodi non sunt reuera, atqui non quà res, vnde venit, sed quà modos, & coniuncta refert species fallaciæ causa est, neque n. sensus, aut vlla interior potentia à simplici, proprioq; decipitur obiecto, sed à modis, & à cōiugatis cū specie. Quod si cuipiam nō amuso secus videatur, quod auriginosi lutea cūcta vident. Respōsum oportet, illud speciei non esse imputādum, sed cognoscenti potestati, quæ qualitatem illam obiecto tribuit parieti. Accedat organum esse violatū.

Hæc verò tam multa præfari libuit, vt constet, rerū simulachra primùm communi sensui offerri (neque enim ijs assentiri par est, qui phantasiā eandem esse, qui communis sensus, credunt) hinc trajicere ad phātasiam cuius est singula discernere materiata: dein lędi haud posse affatim imaginationē, quin mens in societatem ruinę trahatur, quod mēs perpetuò per conuersionem ad visa intelligat, ex quibus sibi molitur vniuersale, quæ si obliqua sint, & erronea (componente, & assentiente phantasia) obliquam, oportet, producant intellectionem, etenim ab obiecto, & potentia, vt dicitur, paritur notitia. Quare fieri non potest, vt anima cum prauitate imaginationis, machinalis causę ratione benè intelligat. Præterea certò habendū in communibus sensilibus, quæ appensa, annexaque sunt proprijs, motu magnitudine, figura, numero sæpiusculè falli nos solere, quom de eo, quod ad plures sensus pertinet, vno sensu præcipites iudicium ferimus.

His præhabatis comminus congredi oportet, atque scitari, cur vertigine affecti visorum impostura agnoscunt, nō item atra-bile, mania, exitasi, aut phrenitide obsessi? Respondent, mentem contare corrupta imaginatione vertigine tentatis. Bona verba. Sed qui fit hoc? Scitum est, singularia à sensu, vniuersalia ab intellectu comprehendi. *Quidquid intellectus in se habet* (inquit Albertus) *est vniuersale, non enim est ad hic, nec ad nunc determinatum.* Sed circumuolutio est similitudo loci, & tēporis circūstātijs delinita. Memini ea potissimùm ratione Auicennę, interiorem sensum, nempè phantasiā cœlo ascisscentis argumentū, quòd singulæ vertigines nō à mente, sed à phantasia cognosci debeant, ab interpretibus Aristotelis refelli, quòd imaginosa vis in obiecti sensibilis præsentia haud dignoscit, sed in eius absentia propter motū ab exteriore sensu ibitum. Asserendum igitur, à phantasia subinde decipulam deprehendi, quæ circumlatas quidē species recipit à sensu primate; sed non assentitur, hinc fit, vt etiam plebecula falsitatem dignoscat. Quare, cū species illę in orbem relatæ, primò cōmunem sensum pulsent, illum per externum errorem decipi, & prauari credibile est, vbi verò eædem species ad phantasiam transuehuntur, impostura proditur, & corrigitur; nam cùm sit facultas specierum seruatrix, eędem verò aliàs immotæ apparuerint, sedula, iugiq; notione errorem rependit. Nec mirari Hercules subit, cùm phantasia hominibus multò præstantior insit, & in confinio rationis posita; hinc ab Aristotele rationalis dicitur, nonnunquam passiuus intellectus. Ea enim in rebus naturę est ordinis ratio, vt

Suprema inferni attingant infera suppremi.

Hāc ueritatem primus inter omnes Asclepiadas Gordonius scitissimus Philosophus calluit, dū Vertiginem sensus cōmunis esse passionem, conceptis uerbis protulit, cui prudenter Rudius mutuatitia rationum sepellectile inſtructus applausit, scribens imaginosam potestatē illæsam permanere, primarium autem sensum a circulario spiritū motu decipi. Cui nō est, cur ogganiat Epiphanius, siculneis fretus argumentis, quæ uererem sapiunt cantilenā. *Necessariò*, inquit, *phātasia prauatur, quia eius orga-*

num assicitur à vaporum appulsu. Ego verò facilè renitor, qui scio, sciscoque, imaginosæ facultatis organum non alienari, nam si vertigo ab intemperie, vt ait, ceu proxima, & continente causſa penderet, neque tam citò nasceretur, neque tam breui denasceretur. Dein non posset, quin vertigini obnoxius delirio laboraret, ita enim ijs vsu venire consueuit, qui ob affectum organum praua imaginatione tenentur, atqui nemo, si sapit, vertigine perculsum lymphatione exercitum dixerit.

Sennertus reijcitur. In primis apprehensionibus tã sensus quam intellectus, p se falsitas nõ reperitur, sed tantũ ex accidente.

Nec est, quòd Sennertus afferat, non quamlibet depraua tam phantasiæ functionem delirium appellari, sed eam porrò, quæ diuidendo, aut componendo, non quæ in simplici apprehensione pererrat. Ita sit sane. Atqui imaginatio actum suum ponit, diuidendo, aut coniugando locata, depositaque in spiritibus simulachra, absentibus sensibilibus. Non item primus sensus; Quare huic asciscendus, corroganduſque error omnis. Addit non minùs absurdũ fore, si occasionem ab oculis sumpserit vertigo, vt sensus communis, & phantasia peræquè lædantur, si verò ab interna tantùm causſa excitetur, oculique sint clausi, vt sola afficiatur imaginatio, quasi verò species illæ affecto priùs tactionis sensu sub extranij obiecti ratione communem sensum non feriant, quàm ad imaginum seruatricem vim non trajciant: sed mittamus Sennertum, qui dum plurima sectatur è veterum monumentis eruta, & in volumina congerit, interdum negligentiùs digerit.

Iulius verò Guastauinius lib. 2. loc. de Med. select. cap. 19. vbi vertiginis nomina abundè recensuit, eius affert definitionem; *Vertigo est depraua imaginatio, ex qua obiecta in gyrum moueri videntur, euenieus ob inæqualem, inordinatum, & circularem motum spiritus animalis in cerebro*. Hanc definitionem reciprocari posse cum demonstratione putat, quod immediatam contineat causſam. Cæterùm dum dubijs inuolutum genus studet eximere, eò aggerat ampliùs. Affert enim ex Gal. libro de Diff. symptom. cap. 1. depraua tam imaginationem paraphrosinen à Galeno appellari, quod si ita sit, vertigo erit delirium. Vt hunc exeat ictum, subdit, non omnem depraua tam imaginationem esse delirium, sed aliquã tantum; dupliciter enim, ait, imaginatio depraua tur, vel essentialiter per se eiusdem natura vitiata, ac facultate læsa, & mutato temperamento, vel ex accidenti ob causſam aliquam internam spiritum mouentem. Prior delirium est, & de ea verba Galeni; Posterior non est, inquit; In priori ægri assentiuntur ijs, quæ videre se putant tanquam veris, in posteriore non assentiuntur.

Iulius Guastauin. carpitur meritò.

Ita ratiocinatur Guastauinius, qui dum veterem tueri nititur opinionem, infensum se Aristot. ostentat: nam si tradita definitio conuerti potest cum demonstratione (sola enim terminorum positionem distinguitur) cur in definitionem æquiuocam genus assumit? Corrupta imaginatio potiore significatu delirium arguit, si præterea aliud sibi velit, vt ait, æquiuocum genus vsurpat, cum praua imaginatio sana, & insana dici possit. Atqui vetat Aristoteles, æquiuocum genus bonæ legibus definitionis includi, genus proprium, & genuinam differentiam exigit, & vult ad finitionem absolutam, quæ medium in demonstratione præcipuum existimatur. Perperam igitur assumitur corrupta imaginatio ad finiendam uertiginem, cùm delirij quandam inferat speciem perpetuò.

Sed cedo per sacras Musas. Quì praua tur imaginatio, dum circulario motu agitatas imagines suscipit, an potiùs cum imaginatur, & cogitat? Dum suscipit, ne dicas praua ri, quia à re existente premitur, & pulsatur. Multò minùs, dum cogitat, quia non assentitur, vt est in confesso, non assentitur autem, neque propendet, quia rectum de rebus fert iudicium, quòd norit externa constare, & si in orbem referantur per spiritum delatorem. Quare quocumque te vertas, vlcus est.

Ad hæc vehementer scire discupio, quì imaginatio essentialiter per se, eius natura, & facultate læsa deprauetur; nam cum facultatis Aristotelis opinione immediatum principium sit forma, hæc autem insecabilis, atque adeò incorruptibilis sit, non capio, quì facultas vitietur incontaminata forma (malo enim cum Aristotele, quàm cum Galeno sentire, quì facultatum essentiam in temperamento ponit, & accidentariam qualitatem essentiali præponit; frustra enim Hieronymus Montaltus Galenum tuendum accipit.) Non me præterit, subuerso, immutatoque temperamento, functionem lædi, at facultas, cùm sit inseparabilis animæ proprietas, non afficitur primò. Scitum est, si seni dederis oculum iuuenis, fore vt peræquè cernat, ac iuuenis. Quo argumento conficitur, vt facultas sit inuiolabilis. Quod si actiones deficiant, instrumenti vitio contingit, quòd multifariam laceſſitur, & de gradu deijcitur, quare vt communis animæ facultas nullo modo læditur, ita contracta, & definita ex organi proprietate ad certum opus interdum interpellatur duntaxat praua constitutionis partium causſa.

Vertiginis natura.

Hactenus igitur confectum, vt vertigo sit primi sensus deceptio ab orbico animalium spirituum, qui in anterioribus cerebri ventriculis spatiantur, agitatu. Forma vertiginis deceptio est, non depraua tio, error enim in recipiendo meliùs exprimitur deceptione, error in componendo meliùs exprimitur depraua tione. Atqui in orbem cieri solent maximè à vapida quadam substantia, aliundè in caput sublata, & à cranij densitate reflexa, quæ perinde vertiginem, ac ventus in angiportu turbinem procreat, & leuem parit obstructionem. Hinc fit, vt ad continendos spiritus retentrix vis impotens reddatur, & quidem labefactata, si inæqualis subsit intemperies, & impedita, si præsto sit morbus in meatu.

Auic. hallucinatio.

Auicen. Vertiginem fieri sine motore corporeo non dubitauit afferere. *Et quandoque fit vertigo*, inquit, *non propter motum vaporum in cerebro, sed propter malitiam complexionis diuersæ subitò, ex qua consequitur excitatio motus agitatiui in spiritu, non cum motore corporeo ex vapore, aut alio ei permixto, sicut accidit illud ex motu proueniente ex aqua, & igne, cum aggregantur. Et quandoque fit ex motore spiritus externo, sicut à percussione capitis, aut fractione cranij, &c.*

In

In quem locum offendens Parauinorum Apollo Capiuacceus ex more Arabis Archiatri mentem ita interpretatur.

Capiuaccei interpretatio solers.

Fit vertigo propter inæqualem intemperiem, ideſt, dum intemperies diuerſa eſt à naturali temperamento, cuius origo eſt à caliditate; ſiue hæc calfacientia, ſiue refrigerantia admoueantur, ſiue aſſumantur, vt repentè præter naturam cerebrum vel calfiat, vel refrigeretur, vt motus morbificus in ſpiritu excitetur citra motorem corporeum, cùm ſit intemperies contraria temperamento cerebri, & ſpirituum, fit agitatio in ſpiritu, quemadmodum cùm aqua admouetur igni.

Qua in re tametſi ingenioſa, & ſolers eſt Capiuaccei interpretatio, non poſſum tamen, quin ad eorum caſtra deficiam, qui inficiantur, neque enim repentè induci, aut abduci poteſt morboſa intemperies; nec aquæ, & ignis exemplum conficit, quod vult Auic. ſiquidem ideò commouetur aqua ſuppoſito igne, quia ſuſcitantur vapores, qui ſurſum affatim erumpentes latices motitant. Inæqualis igitur intemperies (ſi qua ſubeſt) halitibus intermedijs, & ſequeſtribus vertiginem ciere poteſt.

Manardus lib. 17. ep. 1. appoſitè.

Prudenter, ita viuam, & appoſitè in hanc ſententiam ſcripſit Io. Manardus. *Neque enim mihi neceſſarium videtur*, ait, *quemadmodum aliqui putant, vt in his affectibus* (verba facit de vertigine) *imaginatio lædatur, quandiù enim homo cognoſcit, non eſſe verum id, quod videtur, hoc eſt, nec caput, nec exteriora moueri, licèt ita appareant, tandiù imaginatiuæ operatio remanet incolumis. A morbo igitur in compoſitione cuncta hæc ſymptomata proſiſcuntur, & ſi enim quandoque ab inæquali intemperie prouenianr, continens tamen ſemper cauſſa eſt vaporoſa ſpiritus agitatio ab inæquali illa intemperie, aut alia de cauſſa facta.* Hactenus Manardus, cui Mercurialis, huic verò Sẽnertus planè adſcripſit. Hic enormis etiam Epiphanij detegitur error, qui ſymptoma hoc à morbo in numero conflati inconſultò prodidit; vapidam verò ſubſtantiam vocat motbum numeri. Cui maſtygem Argenterium placet obtrudere, ne quis oppendendi me ſtudio magis, quàm explanandæ veritatis amore, Epiphanio aduerſari in animum inducat.

Epiphanij error.

Eſt quidem vertigo (inquit Argent.) *ſymptoma, cum ſit actio, & motus deprauatus, non tamen naſcitur à morbo, vt omnes putant Neoterici, qui omnia ſymptomata à morbis prouenire credunt: Nam quod illi dicunt, morbum eſſe in numero, quod adſit ſpiritus quidam præter naturam, quem abeſſe poſtulat naturalis conſtitutio, negari poteſt: Nam actiones omnes poſtulant ſpiritum, ideſt calidum innatum inſuper; quod ſi id etiam concedamus, non propterea ex ſpiritus huius præſentia morbus fit in numero, nam morbi in numero pertinent ad organicas partes, quæ ex ſimilaribus, quibus excedentibus, aut deficientibus conſtituunt. Spirituum verò, aut humorum vitia non pertinent ad partem ſimilarem, nimirum cum nihil ſit in corpore ſimilaris pars, quod non viuat, naturalibusq; facultatibus non ſit præditum.*

Petrus Salius aduersùs Altimarũ putat eſſe morbum in ſitu cum ſpiritus non diſponantur in loco naturali, ſed euertantur, & cuagentur.

Iuſta me hercle eſt Argenterij animaduerſio in illos, qui à morbo dumtaxat ſymptomata decidi, arbitrantur, cum frequẽs etiam ab externo pendeant errore: Iuſtiſſima in Epiphanij ſupinã ignorationem, qui ex aliorum oculis feſtucas eruendi ſatagens, non videt trabis, quod à tergo eſt.

Vertigo meliorum ſententia ſymptoma eſt ſenſus principis, quod etiamnum ad videndi, ad mouendi facultatem pertinet, vbi caligant oculi, vbi vexati nutant, &, niſi innitantur, concidunt, ad prauam verò attinet actionem, quatenus quæ immota ſunt, circulario quodam agitatu excita videntur. Hic aliquem à tergo muſſitantem, & bombilo quodam ſuſurro obmurmurantem mihi audire videor, nõn poſſe primatem ſenſum quippiam niſi ab externis ſuggeſtum ſenſibus percipere, vertiginem verò etiamnum cœcis, aut elauſis oculis nonnumquam accidere (vertigmis enim ratio in eo cõſiſtit, vt viſa in orbem inducantur.) Cui obiectiunculæ per planum ſic itur obuiam. Quando laceſſitur vertigine cœcus, tunc intus primò tactionis ſenſus afficitur à motu tractabili qualitate prædito (alioquin non perciperetur commune ſenſile) quem ſubinde princeps diſcernit ſenſus, ſolus enim communia obiecta nouit. Hinc palam fit, quàm parum cordati ſunt viri, qui oculorum propriam affectionem vertiginem eſſe ſcriptis tradere non ſunt veriti. Verùm antequam vltra ſermonem producam, diluenda eſt quæſtiuncula illa, quam attigimus, cur ſcilicet atrabile, mania, phrenitide detenti errorem, & impoſturam non agnoſcunt, agnoſcunt verò ſcotomate vexati? Illud quidem accidit, quòd phantaſiæ organum afficitur, vnde poteſtas intercipitur, hoc verò quia vis imaginoſa non laceſſitur niſi ab animalibus ſpiritibus, qui delatorum, & internunciorum inſtar ſunt, atqui organum non deijcitur de ſtatu.

Coſtæus.

Placet adſcribere Duncani ſententiam, quę placitis arridet noſtris. *Eſt depraua*, inquit, *imaginatio cum læſione motus in incubo, eſt quoque, in vertigine, ſed in hac depraua eſt per ſe perceptio ſenſationum primarum, maximè ſpecierum viſibilium, ex accidenti depraua imaginatio, quatenus falſa motus ſpecies à ſenſibus offertur, nam in vertigine iudicium imaginationis non peruertitur, cum motum à quiete diſcernat, & motum illum falſum eſſe norit, cuius contrarium in deliris apparet, nam melancholici ſe falſa imaginari non putant. At vertiginoſi viſionem illam, in qua omnia circumaguntur, falſam eſſe non dubitant, nihilominus quia imaginatio cum falſa motus ſpecie ſenſationes apprehendit, depraua functio imaginationis quadantenus dici poteſt.* Hactenus ille, qui ſi prauam ſpecierum oblationem potiùs, quàm prauam imaginationẽ nuncupaſſet, appoſitè magis locutus eſſet, imaginatio enim in actione quadam conſiſtit. Ferri tamen poteſt, dum imaginatricis iudicium integrum profitetur. Sed quis obijciat afferens, tactum etiamnum in dolore deprauari, cum tamen id, quod eſt, percipiat, nempe noxium obiectum continuum ſcilicet, aut temperationem ſolueus. Capiuacceus cap. de dol. cap. dolor autẽ, ait, dicitur actio corrupta, nõ quatenus affectus dolorificus, ſeu improportionatus iudicatur, is n. rectè

iudicatur dolorificus, sed quatenus fit cum violentia, ita in cholera morbo ventriculi expulsio est deprauata, nã fit cum violentia. Cui respondum oportet, in dolore vim sentiendi non prauari, cum rectum ferat iudicium, nec dolorem esse tristem sensum, aut prauam actionem, vt vulgares arbitrãtur medici, qua de re vt constet amplius in mediũ feramus Ioannem Argenterium.

Mercurialis carpit Arg. cap. de Dolore cap. dicẽs. Dolor bifariã inspectatur & per alteratẽ causã, & pro corpore affecto: primo modo dolor actio, secundo modo passio, & hoc est, qđ fefellit Argẽt. qui Gal. vellicarit, qđ dolorem dixerit esse actionẽ prauam, nã voluit bonꝰ hic vir 4. symptomatũ genus, in quo dolor collocatur contra omnem rationem, & philoso, hã.

Si dolor, inquit, *est actio, edet vtiq; aliquod opus, vt concoctio aliquid concoquit, visio aliquid videt. Præterea si dolor est sensatio, haberet aliquod obiectum peculiare, esset q; alicuius sensus actio, at doloris nullum est obiectum, nec alicuius sensus est actio, vel passio, cum in omni sensu, & sensorio fiat. Ad hæc sentire est cognoscere, vt ait Arist. 2. Topicõn cap. 2. at dolere, nõ est cognoscere. Adde quod dolere est pati, quare dolor actio esse non potest, & multo minus deprauata, nam si percipitur id, quod obest, & quod dolorem facit, nullus error in actione committitur. Quod si aliquando Galen. negligentiùs de dolore agens dixit esse tristem sensationem, alibi tamen exactiùs agens dolorem ab actione, & sensatione distinguit, nam in arte medicinali vbi agit de signis corporum ægrotantium apertissimè distinguit signa sumpta ab actionibus læsis ab illis, quæ à dolore hauriuntur, id quod fecit etiam 12. Meth. sed præclarè in lib. de differ. symptomatum, vbi enumeratis sensuum symptomatis subdit dolorem, & voluptatem peculiaria quædam esse sensuum symptomata, eandem opinionem refellit Arist. 4. Ethic. vbi ait, absurdum esse arbitrari dolorem, & voluptatem sensationem esse, & actionem, eos autem ita credere, qui nesciunt separare actionẽ ab eo, quod in actione fit. Quare concinnãda doloris definitio ex Aristot. partim ex 6. Top. partim ex 10. Ethic. decerpta. Dolor est molestia quæ inter sentiendum percipitur ex ijs, quæ continuum soluunt, aut repentè temperationẽ mutant.*

Capiuacc. cap. de Dolore cap. sibi obijcit cap. 75. Aitis me dicæ, quod dolor omnino ab actione læsa differat. Respondet Gal. eo loco de actione tantũ propria loquitur, vbi verũ est, quod dolor nõ sit actio propria, sed communis tamẽ est, quod ibi nõ negatur. v. g. delirium est actio ꝓpria cap. dolor autẽ neutriquã. qđ ad alias partes quoq; spectat.

Eam igitur esse vertiginis naturam, quam finitione prodidimus, satius sit existimare, cuius plures extant differentiæ à forma, & efficiente petitæ, siquidem alios aliter afficit vertigo, & vapor variũ subit ortum, pro discrimine materiæ, vnde difflatur, cuius spectanda in primis species, deinde vitiũ in substantia, copia, qualitate, & motu. Postremùm acri ingenio perpendendum, per consensumne, an potiùs per idiopathiam vertigo, succrescat, & incessat. Qui dices cognoscam? ex symptomatis prius in vna quàm in alia parte emergentibus, & naturam lacessentibus, vtrobique enim laborat natura, vt docet Galenus.

Cæterùm, vt ad rem colligamus, quæ ἄπλοῦς, & altè repetiuimus, vertigo hæc à motore non intestino initia sumpsit quidem, nempè à sacra illa percussione, nunc tamen à crasso, & nebuloso vapore foueri videtur, qui dũ opticos obstruit neruos, oculorum aciem puero obtundit (perperam enim Cassiodorus oculorum humores conuerti arbitratur) dum verò posticos cerebri ventriculos opplet, impedimento est, ne ea spirituum copia, & vbertas, quæ satis sit ad motus integritatem, influat; accedit orbicularis spirituum agitatio, quæ id agit, ne rectà spiritus in organa commeent, quã vnicam causam Saxonia agnouit: Hinc genua labant,

Virg. *Et notæ minuuntur ei sub pondere vires.*

Neque enim illis hærendum deinceps, quirentur, ideò vertigine correptos ruere, quoniã ex confusione spirituum facultas motrix impeditur, quin in reliquum corpus distribui possit, etenim facultas non distribuitur, vtporè quæ cum anima toto oberrat corpore (est enim inseparabilis animæ proprietas, quã de sinu suo promit ad munerum functiones) sed spiritus animales ad complendam organi integritatem dispertiuntur.

In Probl. Hinc etiam Aphrodisæus, cur, qui se circumagunt, neque id agere consueuere, vt plurimum decidunt, inuestigans perperam respondit, quòd scilicet animalem spiritum, qui in cerebro, conturbari cogunt, cumq; humiditatibus vnà circumuolui, is dein, cum minùs idoneus fiat ad animalem vim susciendã, non finit in neruos, & musculos actionem permeare.

Lib. de Anim. motu. Omnium pessimè Mercurialis, & Sennertus censuere, ideò scilicet motum vertigine tentatis vitiari, quòd præcipuè imaginatio corrumpitur, à qua Animalium incessus dirigitur, vt testatur Aristot. Quare necessum est grauiter imaginatione lacessita, vt consortij lege & motio lædatur.

Siccine? sed cur Phreniticis, si ita fiat, motus tãto intenditur opere, vix vt contineri queant præ energia? Cur mania, aut atra-bile correptis non flaccescit? nouimus vetulam maniacam, quam vix dum quatuor neruosi iuuenes poterant coercere, dæmoniacam credebat vulgus; decumbente tamẽ ad crura, quæ arctiùs vinxerant, atra, vsaque bile, mens rediit, & summus languor excepit. Facessant ergo, & nos, vnde digressi sumus, reuertamur.

Prognosis. Vapores, qui hanc fouent uertiginem pituitosæ materiæ esse sobolem, multa testantur, deses uita, uoraxq;, quidquid enim Pueris offertur, facilè ingurgitant, unde eruditates colliguntur. Accedit pallor, & mentis stupor, quæ pituita oppressum caput indicant, atque adeó primaria affectione laborare. Hinc Hippoc. lib. de morbo sacro. *Qui à pituita insaniunt, quieti sunt, neque tumultuantur, neque vociferantur; qui verò à bile, vociferatores sunt malefici, non quieti, & semper aliquid intempestiuum efficiunt.* Ille cui frequẽs acciderit incubus, & scotomia, de se ipso sollicitus sit, & humore groſſo sum, euadere ne ad Epilepsiam, aut Apoplexiã perueniat.

Verùm age, quid portendat uertigo, in medium feramus.

Veteres omnes, qui de re medica scripserunt, Epilepsiæ, & Apoplexiæ finitimam affectionẽ protulere, eoque minùs esse negligendam, si tenebræ, & caducitas impendeant.

Hinc magnum malum nõ semel uertiginem appellauit Galenus, & quidem magnum est tùm sui, tùm affectæ particulæ ratione. Senibus familiaris esse assolet, quòd si Puerum incessat, tantò euadit deterior, maximè si à phlegmate proueniat, quom sit Epilepsiæ quàm proxima, ut ait Auicen. Quid ergo facto opus est? Danda cum primis opera, ut ingruente paroxysmo spiritus consistant, summotis uniuersis occasionibus, quę spiritus possint ciere: Tum uapor discutiendus, mincra, nempe pituita incisa, & attenuata eradicanda, cerebrum per cephalica roborandum.

Vertigini opportunis uenæ sectionem præscribit Pergamenus, quem sequuntur reliqui, ni quippiam uetet; Nos uerò uicarias admittimus cucurbitulas,

bitulas, quia cum pituita sanguis affluit, & oculi rubore quodam suffundantur. Auic. in omni vertigine venas ponè aures recludit grandi auxilio; Nos frictiones supernè deorsum seligimus. Cucurbitulas verò circa caput ex Auicen. præscripto admotas omittimus.

Auic. lib. 3. fen. 1. c. 1. Methodus post Prognosin instituitur ad mentem Campelongi. Curatio. Per chirurgiam.

Paulus arteriotomiæ plurimùm tribuit, si vertigo per idiopatheiam afficiat. Quidam contumaci vertigini circum suturam coronariam, circum lambdoida, aut ponè aures cauteria adhibent. Mesuæus aurium scarificationem commendat. Nos hæc confirmatæ iam, & in Epilepsiam mox lapsuræ vertigini conuenire fatemur, non recenti, qualem patitur puer ab externa caussa.

Per Pharmaciam.

Inter pharmaca præ cæteris probatur Hiera picra Galeni, siue in bolos, siue in pillulas coacta, nã etsi Hippoc. 1. Prorrhet. ne vertigini obnoxij pharmaco vacuentur, prohibet; Paulus tamen, & Auicen. præscribunt. Arcet à purgatione imbecilles, & vehemẽtia vetat cathartica, qualia eius tempestate vsurpabantur. A primo pharmaco instituenda propotisinata ad parandam superuacuam pituitatem parata, subinde foras exigenda pillulis ex mastichina massa, & cocchia conflatis. Ab his ad subalterna præsidia pergendũ. Quare non erunt omittenda errhina, & leuia masticatoria, quibus ad pẽsum adhibitis roborando cerebro incumbendum.

Per Diætã.

Hoc interim tempore sereno, placidoq; vtatur cœlo, non nebulis, vdaq; uligine fœdo. Inter alimonias à dyspeptis, quæque flatus generant, legarijs, lacticinijs, oxygala, melca, aphrogala, isicijs, tomaculis, botulis, phalisicis abhorreat, trũculos, succidia', petasones, crustula despiciat, aromata, pisces q; parciùs vsurpet: vino vtatur odoro, sed paucifero, nigrum, & dulce declinet, suadente Galeno; fortassis, quia est magis vaporosum, vt monet Themistius lib. de somn. & vigil. Qua caussa idem melancholicis ab Auicenna interdicitur. Quiescat, & summa tranquillitate tempus transigat, domi contineatur, & obscuro loco, quia lux spiritus ciet: A lectione oculos tollat, res celerrimè motas non inspiciat, neque supernè deorsum. Somnus prolixior, atque pomeridianus, cane peius, & angue declinetur, caput enim vaporibus opplet, & refrigerat. Aluum officiosam curet, si non respondeat, sollicitetur oui vitello resperso pulpere ex vini fœce præparata, aut iusculo ex marino pisce collecto, maximè ex marino scorpione. Clysmus, si velit admittere, instar erit omnium. Interim mũgat, & pituitatem ad nares proliciat Arantij inuerso cortice, & in nares indito, aut nigræ betæ succo tepente attracto. Bono sit animo, nec salutem despondeat; familiarium iucunda consuetudine vtatur. Vide, ne ira incandescat, aut mœrore, metuve percellatur: siquidem Auenzoar ait, timorem, & profundas cogitationes vertiginẽ inuehere, quòd spiritus accenduntur, succensi verò spiritus dilatantur, & in orbem mouentur: offerantur iucunda, quæque animum excitant. PHILAR. Eorum, qui ad numerum canunt, instar fecisti, ô Banopa, qui rogati vix pæanissant, vbi verò carmine paulò plus incaluere, cœptis vix desistunt. BANOP. Nunquam immodicus sapientiæ cultus; sed tu pro Perca scorpiũ, & veluti χαλκια χειρων. PHILAR. Emoriar, ni tua caussa hoc ediderim, uereor enim ne peraquè mihi contingat, atque illis, qui dum nimiam affectant scientiam, intelligendo faciunt, vt nihil intelligant. Obruor rerum multitudine, & grauitate. Quare pergratum feceris, si ea, quæ ad cautionem, & curationem faciunt, in pauca contraxeris, & veluti in tabella expresseris, quò præscripta ad pharmacopolam deferre singillatim, queãt. BANOPA. Faciam, vt iubes, nec quicquam tam molestum esse potest, quod tui caussa, libens non prosequar. Sic habeas igitur.

Rec. sp. Hieræ picræ scriptulos quatuor, electarij lenientis drachmas sex, cogantur in septem bolos obelijs uino albo madidis inuolutos; deuorentur duabus ante prandiũ horis'. Ea die frugi oportet esse. Postridie humidas cucurbitulas infernè sibi admouendas curet, quibus refixis binas humeris affixas scarificari iubeat. Septem sanguinis unciæ detrahantur. Tota die summa quiete cõtineatur puer, ne commotus sanguis ad debiliorem partem feratur.

In perẽdinum propotismata decernantur, quæ haurienda sunt quatuor ante prandium horis. Huiusmodi autem sunto.

Rec. Aceti mulsi drach. vij. serapij de betonica semunciam: Diluantur iusculo decoctionis betonicæ, saluiæ, seminum citri, sonchi ad quadrantem.

PHILAR. Ignosce quæso, si interpellator sum, & obex, eximia quadam excrucior curiositate, si supprimam. Memini, quendam Cynicum Medicum Sonchi nomine appellatum, ore rotundo, tabulata fronte, mediocri statura; Num audis illũ? BAN. Iam pridem compereram, me uobis deridendum propinasse. Scio per iocum interpellasse. Pessimè consultum esset Medicis, si & ipsi contundantur in Serapia. Similitudo tibi imposuit. Herbula est Punicis Scariola, Columellæ cicerbita dicta. Sed ad rem. Vtatur iusculis integram septimanam, interim proritetur aluus ea cura, quam innuimus.

Præmissa hunc in modum Protherapia humores foras exigendi hoc cathartico. Recip. massæ pil. mastichinarum drachmam unam, cocchiarum scriptulos binos; cum succo pœoniæ subigantur, & concinnentur catapotia num. vij. Tantum medicamẽtum præscribitur, quod morbus magnus est, & excrementũ subsistit in cap. longè à uentriculo. Ea die uino interdictum sit puero. His ritè peractis ad subalterna gradum faciat. Mastichen Chyam cum passulis quotidie præmandat, & pituitatem proliciat, & expuat, subinde os colluat calida. Non omittat errhina ex betulæ, aut sampsuci succo. Thraces nil efficacius experiuntur puluere tabaci in nares indito. Infestante paroxysmo halitum naribus ab hac decoctione sublimatum hauriat.

Recip. Aquæ betonicæ lib. 1. aceti unc. ij. anethi, uerbenæ ana p. 1. coquantur ad dimidias. Mercurialis.

Non erunt omittenda, quæ proprietate quadã pollere creduntur, proin deuoret quotidie huius electarij modum. Apolecta.

Rec. Conf. fl. Rorif. marini, fl. pœoniæ ana unc. 2. Rhodosacchari unc. sem. puluer. abrotoni, scriptul. 4. sem. coriandrorum script. 1. cum syr. de ſiechade fiat electarium. Gal. Dioſc. Marcell.

Abro-

Quæ.cetan.

Epiphan.

Horſt.ius.

Alexan. Benedict.

Gal. in Dynam. Alexand. Aldrouandus. Skenchius ex Patch.

Abr.2.cap. de Peyronij.

Abrotonus, pariterque coriandri ſemina peculiari vi pollere aduersùs vertiginem credùtur. Hoc facit ſtercus Pauonum arefactum, & in pollinem redactum. Xenocratis remedium: propinatur denarij pondo cum vino albo aliquandiù. Quinta, vt dicitur, eſſentia roriſmarini in primis commendatur. Vtatur hiſce tabellis.

Recip. Pulu.coriandr.præpar. drach.2. ſacchari cand.roſ.an.drach.2.thuris, maſtiches hyrûdinum præp.an.gran.8. diambræ, diapliris, aromatici roſati an.ſcript.1. ſacchari diſſoluti in aq.Roſ. q.ſuff. Fiant tabellæ ex arte. Siue Rec.ſp.diamoſchi dulcis drach.1.ol.nucis moſch. per expreſſionem ſcript. ſem. ſuccini albi gut.4. ambræ griſeæ gr.4. ſacchari in aq.ſt. lauendulæ ſoluti q.ſuff. ad orbiculos ex arte concinnandos. Nec minùs conferent myrobalani croceæ ſaccharo conditæ, vt xylobalſamum pariter conditum. Tempora Marcelli Empyrici hortatu ſublinantur nigrę betulæ ſucco, aut certè balſamitam ex oleo teres, & expreſſum ſuccum fronti, & capiti induces. Anyſum ipſum calfactum identidem olfactum, & naribus ſubditum vapore mirandum in modum prodeſt. Vertex ſubinde detonſus, eius vermiculi puluere, qui ſericum net, aſpergatur: Hoc fertur vius amuleto Carolus Quintus. His verò ordine peractis, tandem puero caput abluatur ſemel, atque iterum lixiuio, in quo chamæmellum, ſaluia, bethonica, ſtœchas, & Agaricus ebullierint; ſunt enim qui ex ſola capitis lotione ex D.chamæmelli, & Roſarum contumaces vertigines ſuſtulerunt. Quibus ſi non concedat malum, ad maiora erit tranſigendum; malo enim nodo, vt adagio dicitur, malus quæritur cuneus.

Auic.ad vertiginis, & epilepſiæ cautelã annuum vini potum præſcribit, in quo vitis alba præmaduerit. Plin. commendat D. ramentorum Loti. PHIL. Satmi Banopa, luculenter omnia. Nos pro labore tanto gratias agimus. Ad auditorium, vbi opperiũtur pueri, feſtinanter cedo. Benè vale. BAN. Me miſerum, ita ne? Hæccine antidota? FIDENT. Hui. Quid tibi? Caue, ne te amara auaritiæ radix opprimat, & bonam de te opinionem turbet; impenſam ad Parentes deferemus curam, vt ipſi merita remetiantur. Interim Banopa de me benè cogita. BAN. Heu perditum me. Sine antipelargia? Abite, ſed Viales ſint vobis improſperi. Nebulones. Verba, præterea nil dant, & auaritiæ inſimulare non verentur? Emoriar, ſi quicquam viderim hoc hominum genere impudentius, ac mẽdacius. Auaritiam exprobrant, cùm illi hac labe præcipuè ſordeſcant, ex quorum oculis mille lachrymas potiùs expreſſeris, quã vnum è bulga nũmum. Pædagogi petulantes ſunt, ſuperbi, ſubdoli, & cùm nihil præter nomina calleant, omnia ſe tenere iactant. Vbi verò toga induti, veluti prætexta obtecti ſibi de alijs licere putant omnia, & quæſtui inhiantes pulchros Aſclepiadas, ceu mancipium pecus adhibent, ſubinde ſupplantant ſuppreſſa mercede. Valeat genus hoc hominum, & in Euchetarum gregem relegetur. Ego pro more meum Diabathratium inuiſam chiragra laborantem, ſubinde domum me transferam, vbi vires effuſa oratione diſſipatas recolligam.

SVMMA PRÆCAVTIONIS

Ratio Peſtiferæ Contagionis,

Ac primùm de Contagionis Natura.

SApienter Plato, ſi quid aliud ſcripſit, in omnibus vnicum principium eſſe ijs, qui benè conſulere volunt, intelligere, quid illud ſit, de quo edifferitur, conſultaturque, id quod nulla ratione commodiùs fieri poſſe iudicauit, quàm cum ſingula definiuntur, quippe hoc eſt, ait, optimum initium, & fundamentum diluendarum quæſtionum omnium, cũ in quaque re exquirenda, à quæſita rei natura, quæ finitione exprimitur, inchoandum ſit.

Proinde cum arduam, & multis difficultatum inuolucris oppreſſam quæſtionem aggreſſi ſimus, quo ſcilicet pacto contagium fiat, quæ illius cauſa, & ſcaturigo; à finitione, quæ rei naturam è latebris in apertum, quàm eius patitur ratio, manu ducat, auſpicari operæpretiũ eſſe exiſtimaui. Verũ animi vehementer pendeo, cui me præbeam applauſorem, & aſſeclam, cum multifariam pro cuiuſque ſententia terminetur contagio. Sunt, qui duorum, aut plurium contactum deſcribunt, cuius ratione ſimilis gignitur morbus. Sunt, qui affectionem præter naturam, quę alteri corpori à corpore ſimiliter affecto communicatur, aut ſeminiorum à corpore præter naturã affecto in aliud corpus tranſitum. Alij contactum communicabilem, ſeu qualitatẽ ab vno in alium tranſfuſam, quæ pluribus alijs impertiri poteſt. Alij denique impreſſionem qualitatis præter naturam ab oppoſito in oppoſitum pertranſeuntis, quæ ſanè definitio, ni metaphorico genere conſtaret, præ cæteris mihi probaretur. Dicamus igitur eſſe morbidæ, & communicabilis qualitatis in corpus humanum actionem præualidam congeneris morbi procreatricẽ. Hæc profectò contagij naturam mihi ſatis exprimere videtur, quamquam dilucidum ſingularum partium rationem penitiſſimè latere ſcio, vt propterea oppidò vereor, ne mihi illud Hippocratis Diuinum implorandum ſit. Cęterùm cum ex ſummis decem rerum generibus duo dumtaxat ſint, à quibus primùm vis omnis, & actio promanat, Subſtantia, ſeu Forma, Phyſica, aut Metaphyſica, (Mathematica, quidquid Pythagorici, & Platonici dicant, non facit, ſed facilitat motum) & Qualitas, cui contagis cauſam acceptam tulimus, cumque hæc duum ſit generum, corporea quædã, alia ſpiritualis, cuipiam hærere poſſit aqua, quam velimus.

Definitio.

Notit itaque nequaquam nos incorpoream intelligere, ſed materiatam illam, & manifeſtam, reclamante Ioanne Fernelio acerrimi ingenij viro, & omnis cultioris litteraturæ Protomyſte, qui occultam, & à totius ſubſtantiæ proprietate profectam qualitatem arbitratus eſt, eamque non ſecus inficere, aut officere, ac Torpedo Piſcatoris manum.

Qui

Qui enim aliter fiat, inquit, cum non omnes peræquè corripiat animantes, sed sua singulis definita sit contagio? Quemadmodum quædam sunt venena, quæ occultas cum certis corporis partibus exercent inimicitias, vt Solanum Maniacum, & Hyoscyamus cum cerebro, Lepus marinus cum pulmonibus, Aspis cum iecinore, cătharides cum vesica, ita extant contagia quædam, quibus definitè hoc animantis genus subiicitur non aliud.

Quàm multæ Pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

Quòd si à putredine ortum duceret, nullum, inquit, animal, labem subterfugere posset, sed Homini, Equo, Boui communis foret. Bellum argumentum certè, quasi verò præter vim agentis non desideretur patientis aptitudo, & vti putredinis, ita pestiferæ contagionis non sint certi gradus, & modi, propter quos hoc potiùs, quàm aliud animantis genus succumbit. Mitto solis corporeis, primisq; qualitatibus vim similis genitiuam inditam esse, spiritualibus, & specificis non nisi ex enentu.

Ab illis igitur simus, qui in meliori schola instituti vnicam contagionis causam esse statuunt, nempe putredinem, eamq; non vulgarem quidem, sed summam, quæq; cum malitiæ gradum sortita sit, vt veneni vim, & effectus quodammodo proferat. Propterea scripsit Gal. calorem febris pestilentis, quæ inter contagiosos morbos pernitiosissima est, ab aliarum calore ob putredinis excellentiam differre. Hinc solertissimus Fracastorius contagium putrefactionem ab vno in alium transeuntem finiuit; cuius testatæ subsunt causæ, alieni quippe caloris copia, interni, connatique penuria, & superuacua humiditas, illi parentes sunt, hæc mater putredinis. Missa igitur illa acatalepsia istorũ vestigijs insistere consultius est, ne in incertum feratur medentis consilium, neve Andabatarum more aduersùm abditã causam pugnemus: Incerta quippe, & irrita medicatio (vel ipso confitente Fernelio) non nisi dispendio decernitur. Scitum est illud Herophili, oportere Medicum, quæ, qualis, & quanta sit, causam morbi nouisse priùs, quàm de remedio cogitet, quomodo verò cognoscas, si sit occulta? Attamen quia gradus ille, & modus putredinis certò definiri non potest, cuipiam quodammodo reconditam causam appellare sit integrum.

Dicamus deinde duas esse contagionum omniũ differentias, quarum vna solo mathematico attactu cominus inficit, altera, quia formalior, eminus, ad quam referre possis eam, quæ per fomitem labem inurit. Atqui dicet quispiam, quomodo eminus afficit, corripitque, si contagij genus actio est, quæ non nisi contactu absoluitur? Hoc ferat responsum, seminaria, quæ morbidas excretiones Hippocrates vocat, per aera diffundi, & quoquo versum ferri, vt etiamnum longè dissitis præsentia sint, præsertim si per ventos inuehantur, quę subinde particulam, qua cum analogia intercedit, & schesis, impetunt, atque conuellunt, quo pacto tersum speculum à muliere, cui menstrua abeant, inquinari notauit Aristoteles. Sunt nihilominus quædam opera, quæ physico duntaxat tactu, sunt, quæ sola fiunt energia, schetieòs, nõ hecticòs, quæ quoniã ad rem nostram minùs faciunt, omittitur.

Impræsentiarum de Peste, cui inter contagiosos affectus primæ deferuntur, obiter, & per transennam, non enim propositi nostri est singula minutis punctis colligere, sed summa sequi (caligia rerum) verba facere constitui. Verùm mihi in limite primo non sine grauissimæ difficultatis turbine, quem nescio, an sustinendo sim citra, quàm me transuersum agat, remeligo obiicitur.

Antiqui illi, primique Medicinę Parentes Hyppocratem dico, & Galenum, Pestem absque febre agnouisse videntur, cum tamen illi ipsi pestem quã acutissimum morbum palam fassi sint, à quo dissociari, diuellique non posse febrem. Qui fit igitur? Pestem, qui venenatę colluuiei sobolem esse decernunt, hunc nodum nullo dissoluunt negotio, seq; à labyrintho expediunt; Huiusmodi enim primo corrumpunt sine vlla putrefactionis necessaria anteceßione, aut consecutione. Cæteri quidem Veterum sensa non audent, quia non capiunt carpere, sed ita se rem habere aiunt: Febrem semper necessariò subesse, atqui nonnunquam vsq; adeò latentem, vix vt percipi, dignoscive possit, aut certè indigna sit, cuius mentionem, aut rationem ad cętera truculenta, & pernicioſa ſymptomata habeamus. In hoc censu est Argenterius, quem quia iactis fundamentis consentit, consequor.

Riolanus tantum abest, vt pestem citra febrem adoriri posse existimarit, cum eam potius finierit febrem epidemiam contagione deleteriam, Galeno finitur morbus, qui in omnes, aut plurimos grassatur ab aeris corruptione prouenieus, quo fit vt quàm plurimi intereant. Pestem igitur, quo nomine epidemia, cõmunem causam agnoscere par est: Atqui cum duæ ab Hippocrate statuantur precipuæ morborum causæ, aer, & alimentum, hocq; vt cuiusque suum est, & peculiare, ita singulares, & dispersos morbos gignat, quos sporadicos appellant, ille verò patens, communisque omnibus, & necessariò inspirandus, reliquum est, vt à solo aere causa repetenda sit. Cęterum duplici nomine aer morborum causa perhiberur, primariæ scil. qualitatis excessu, & maiori quadam labe, nempe putredine, (quanquam me minùs fugit, quosdam esse, qui aerem, cæteraque elementa non aliter putrescere, quàm recessu à sibi debita temperie, mordicus contendunt, id enim sibi velle Atistotelem existimarunt, vbi elementa ex parte modo putrefieri scripsit.) Vt vt sit, vtri potiùs Pestis causam acceptam referas, intemperatone, an putrido? Putrido sanè, etenim aer vehementer intemperatus, vtpotè calidus, aut humidus vltra modum naturæ suæ congruentem, erit quidẽ paratis corporibus morborum causa, hinc tamen oriundi mitiores erunt peste. Verùm Philosophus Minoribus dubitandi ansam reliquit, nunquid aer putredini subijciatur, cum in Problematis cũcta ignem præter, & aerem putrescere dixerit? Respõdendum tamen vnà cum Auic. & Conciliatore omnia elementa, dum integram seruant naturam, & puritatem, esse imputrescibilia, commixta verò, & inquinata facilè putrescere: Quò Meteorων. 4. respexit, vbi solum ignem à putredine vindicauit, cum nullus Heterogenei

patiatur

patiatur admixtionem. Putrescit igitur aer prauis inquinamentis, & vaporibus insperſus, præsertim si à ventis fileat,

Sic vitium capiunt, ne moueantur aquæ.

Labem quoque ex praua syderum constitutione, & influxu contrahit, in quem omnem causam reijcit Fernelius. Grauis, inquit, est illorum stupiditas, qui præter lumen, & calorem ab astris nihil deriuari huc autumant, nam si benè constituta mortalibus vitam largiuntur, quid ni noxam malè constituta?

Cui Riolanus pluribus obnititur, & refragatur, dicens. Quod verò primam causam pestis repetat à maligno cælorum influxu, non æquè patienter ferent Peripatetici: Qua de re, vt constet amplius à primo fonte tota disputatio repetenda. Aristoteli cœlum videtur agere in hæc inferiora, vt catholica causa, atqui astrorum benigni, aut maligni influxus sunt præcipuæ causæ: Non est dubium cœlum moueri potissimùm ad vsum hominis, si à natura, an ab anima, non est huius loci curiosius perquirere. Ideo enim astra videntur moueri à natura, quòd suos motus non potius sistere possunt, quando volunt, quàm elementa, & quòd singulorum sit unus, & simplex motus; cum animalia secundum omnes loci differentias pro arbitrio moueantur. Verùm faciamus ea intelligere quid agât, & quò mouentur, moueri à voluntate, non à natura, assistentem habere Intelligentiam, non informatem, quia nobis mouentur, non sibi, suo motu perficiunt mundum sublunarem, ipsamet non perficiuntur. Cur statò tempore suum virus vomunt in animalium perniciem? De Dijs quæso meliora. Boni enim est prodesse, non nocere: Si in scelerum vindictam, cur sine delectu tam boni, quàm mali, fontes, quàm insontes puniuntur? Cur' à ventis seminaria contagionis huc, & illuc promiscuè importantur? Verumtamen esto inscrutabile consilium Dei Deorum, cuius Ministri sunt isti Deunculi, habentne venenum, quod veluti Iouis fulmē in nos iaculentur? Possuntne infectiones pestilentes in cœlo subsistere, vbi nil nisi purum, lucidum, perfectum? Si motu, & lumine astra sufficienter regūt orbem, quorsum particulares influxus? Motu non aliter fit, & conseruatur calor cœlestis, quā natiuus exercitio, nam si motus in animali caloré seruat, primū calorem primo motu cōseruari probabilius est. Primus calor est cœlestis, primus motus conuersio, itaq; cælorum vertigine excitatur calor, qui Peripateticorum opinione influit in nostratem mundum vehiculo luminis, qui quidem si sufficiat generandis, & conseruādis mixtis, ad quid benignæ, & malignæ constellationes? Stellarum radij actus sunt quidam vitales tāquam ex Argi oculis emicātes; qui non potiùs inter se se miscentur, quàm animalium multorum se se innicem aspicientium radij. Itaque pro vario aspectu tam differentes effectus hic produci, quis credat? Vt sol certa aeris constitutione, cuius ipse est auctor, certi generis animalcula producit: Hoc cœlum culicum, aut muscarum, illud scarabæorum, aut locustarum incredibilem multitudinem profert, à quibus multas gentes, & nobiles ciuitates deletas monstrat Plinius, eadem vi cur non imprimit aeri malignam qualitatem pestilentium morborum procreatricē? Nōne sol est parens venenorum, quemadmodum alimentorum, & medicamentorum? Hactenus. At heus ò bone itane Ciui tuo asper es, & refractarius? siccine actutum te ipsum desertum is? In mētem reuoca, quod senior, & vsu rerum peritior quasi ipsa veritate impulsus palam confessus es, aerem videlicet ex maligna astrorum coniunctione, & influxu corrumpi, atque subinde pestem suscitari, causam adijciens, quod alioquin præuideri, & prædici ab Astrologis non posset; Considera, quæso te per sacras Musas, illam stellarum multitudinem, & varietatem, quàm frustra certè nonnondidit opifex, sed alicuius gratia, hinc fortè palinodiam canere non pigebit; Concludamus ergo ex praua syderum coniunctione, & influxu corrūpi aerem, situmque concipere; non is tamen sum, qui credam, pestilēs aliquod effluuium illinc emanare, sed ita aerem affici, vt inde exorta qualitas hominibus sit infensa.

Quæri solet, cur aeris corruptela adeò diras, & immanes ægritudines committat? An quia analogiam habet ad spiritus, & tenues humores, ex quibus acutissimi emergunt morbi? An potiùs quia quò quid perfectius est, dum integram seruat naturam, eò fit deterius cum ab ea desciuerit? Aer autem sincerus optimum quid est, & sanitatis seruator, corruptus pestifer euadat, necesse est, cum motus omnis à contrario in contrarium fiat, qua causa qui semel se mutuò deperierūr, si fortè amoris vinculum dissuatur, dissoluaturque, odio deinceps plusquam Vatiniano se prosequuntur. Sed ad rem. Inficitur aer etiam citra putredinem à pestiferis seminarijs, & effluuijs aliunde profectis. Apud Seleuciam Babyloniæ cum Marci Antonij milites auri spe potiūdi Auidi Cassij arculam aperuissent, inde tam putris aura exhalauit, vt non regionem modò infecerit, verùm in Græciam, & Romam delata magnam hominum partem sustulerit. Ea porrò seminaria duplicis sunt rationis, quædam enim compacta, & ualidissima mixtione tenentur, quocirca diu conseruantur, & longè latèque peretrant, quædam verò vti materiata magis, ita nec latè diffunduntur aerem contaminantia, aut certè si disperguntur, è vestigio vis omnis euanescit in auras, sed circa originem suā sæuiunt, & debacchantur, modò circa amicula, amictusvè, maximè si visciditatem nacta fuerint, inhærescunt, diuq; durant, quòd si quis vestem induat putrida illa, vdaque colluuie imbutam, vt quoquo modo latentis seminij vis à calore nostro promoueri possit, pedetentim in viscera glisci, & prima vitæ fundamenta, calorem, & spiritus vitales gemina proprietate inuadit, atque dissoluit. (neque enim inficiandum est virus sapere.)

Lætaturque homines disperdere cladē nefandā.

Byzantij pestem non absimilem vigere audiuimus, quæ ineunte æstate potissimum incandescit, atque in vulgus non sine miseranda pernicie efferatur, quam mitem, materiatamque satis conijcimus, tum quod rigente, & æstuante cœlo delitescit, & penè sopitur, tùm quia actuali contactu serpit, & se se profert in alterum. Verùm ædepol hic Amati in mentem venit, qui Thessalonicæ con-

tra

tra vsu venire obseruauit, euanescere nimirum, dum Syrius ardet, sub Ioue frigido, & sæuiente hyeme grassari, atque populari. Quæ tanti discriminis ratio? An dicendum Thessalonicæ ab aeris æstuosi summa efficacitate seminaria, & putrida inquinamenta absumi, & veluti igne conteri, hyeme certa cœli adiuuante constitutione excitari, & immensa non dimensæ formæ vi perdere, Bizantij verò, quia materiata magis aeris vtroque excessu domari? Philosophorum enim coryphæus & frigore, & calore facilè propulsari posse putredinem exemplis demonstrauit. Rationem deriuat Saxonia in qualitatem aeris alexipharmacam; vellem dixisset peculiarem conditionem. Atqui hæc parerga.

Porrò vt Cacum hunc immanissimum præcaueamus certis indicijs illius aduentum præuidere oportet, quocirca hoc iam perstringamus negotium. Præcipua sunt signa, & causæ malefici quidam syderum aspectus, vt Martis, & Saturni, quæ ratio mouit Rondeletium, vt crederet pestilentes febres omnes ex atrabile suscitari, cum Saturnus Melancholicorum morborum parens perhibeatur: Aut aliorum plurium quorumuis Planetarum in vnum conuentus, id quod Idib. Septemb. accisurum adnotarunt Astrologi, quo tempore faxint Dij immortales, ne quid miserabile mortalibus eueniat. Ad hæc Cometæ, & alia ignea phasmata ex insigni vliginosarum exhalationum copia suborta, quæ à solis calore conteri, & confici nequeũt idem nobis præbent argumentum, præsertim si ad Orientem, non ad Polos vergant. Dubitat non abre Costæus, quomodo igneæ impressiones futuræ pestilentiæ possint esse indicia, quum contra potius immoderatæ siccitatis, & caloris vt Arist. 1. Meteorũ testatur, signa sint. Pestilentem autem aerem reddunt imbecillus calor, & superuacua humiditas, quæ sc. aptam faciunt putredini constitutionem. Profectò vbi multum in causæ inuestigatione laborauit, ita se rem habere statuit. Exsiccant, inquit, ob immodicam aeris caliditatem, siccitatemque lacus, maria, flumina, fontes, ex quorum deinceps limosis alueis praui, & fœtidi halitus excitari necesse est, ab his aer corrumpitur, & euadit pestilens. Insignis itidem temporum mutatio, quum temperiem suam non seruant; Nubilum, caliginosumq; cœlum: Propterea lib. finit. medic. pestis dicitur versura aeris, qua de re nec ordinem proprium seruant anni tempora, &c. Austri, & Subsolani perseuerans imperium. Bellum præterea luem anteire solet, ab inhumatis enim cadaueribus teterrimi efferuntur vapores æthera contemerantes. Fames. Sic enim adagio fertur, λειμος μετα λιμον. Narrat Plutarchus Iulij Cæsaris exercitum annonæ penuria in pestem incidisse, quæ simul, ac in regionem feracem præsertim vini appulit, disparuit. In Æno propter vsum hordei, & frumenti obsoletorum idem contigit, in caritate namque cacochymis alimonijs vesci cogimur. Atqui sciendum est, hinc minimè pestilentes verè febres suboriri, cum à superna, communiq; origine haud prodeant, sed eas, quas Hipp. fortassis vocat pemphigodes, quales Venetijs est videre quàm plurimas, cum exanthematis fœdata cutis apparet. Græcis qui ex communi cibi, aut potus vitio committuntur morbi, pandemij nuncupantur. Huc pertinet reptilium è latibulis fugientum, & insectorum prouentus. Qua de re ingeniosus Poeta.

Lethiferis calidi spirarunt æstibus Austri.
Constat & in fontes vitium venisse, lacusq;
Milliaq; incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluuios temerasse venenis.
Strage Canum primò, volucrumq; auiumq; bouumq;
Inq; feris subiti deprensa potentia morbi.

Ferunt historiæ densam locustarum segetem semper consecutam fuisse pestem, inuadunt enim, & depopulantur aliquam regionem, paullò post commoriuntur, hinc aer contemeratur. Cornelius Gemma de ingentibus agens calamitatibus, quæ in Patria contigere, inter prodigia, ac earum præsagia Papilionum commeminit Papilionum inquit, ingens exercitus rursum apparuit xvj. Kal. Septēb. qualis alias ijsdem anni temporibus visus est. Durāt hæc animalcula Tinearum instar vt plurimum dies continuos tres, quæ nube densissima propè fluminum cursus vecta, hinc sole occiduo per vicos, & lares se se dispergunt, & corruptelam aeris ex anni madore significant. Præcesserat copula diuturna Saturni, & Veneris, &c.

Pestis hæc prædicta ab Astrologis successit anno 1629.

Mercurialis pestis Venetæ, ac Patauinæ signum dedisse Brucos per vias, & parietes apparentes scripsit, Plutarchus refert Medicos pestilentem æstatem prædicere ex telarum Aranearum multitudine. Milui consuetum locum deserentes ex Aldrouando idem præsagiunt. Aues nidos, oua, pullos destituentes, & in alienas regiones se se recipientes idem. Terræmotus denique non minorem præbet significationem.

Sæpe etenim tellus grauida cum spirat ab aluo,
Editur infensus vapor, & truculenta mephitis.

Præsentis verò duntaxat signa sunt febres vulgo grassantes, & plerosque perdentes, etiam si aspectu mites appareant, & calor tangenti Medico minùs mordax. Vitalis facultas primo insultu, aut certè paullò post exsoluta. Pulsus mira quadam inæqualitate affectus, & concitatior systole. Deliria, vigiliæ, nonnunquam somnolentus torpor. Internum incendium, propter quod ægri, inexhausta torquẽtur siti. Anorexia, cibiq; ineffabilis abominatio. Cardiogmos, syncope. Vrinæ aliquando sanorum, interdum iumentorum vrinis quàm simillimæ. Syntexim proprium huiusmodi febris symptoma esse scripsit Galenus: Antrax. Bubo, exanthemata, Ecthymata. Hæc aliquando conueniunt omnia, sæpe seorsum aliqua. Pauci conualsi euadunt, pauci, quibus blandus est calor, aut aluus liquidis fluit excrementis.

Reliquum modò foret, vt ad curationem gradum faceremus, at quando eadem genere remedia imminentibus, quæ præsentibus morbis conueniũt, vnam Prophilacticen. prosequi cõsilium cepimus, eoque magis, quoniam vt sanitas morbo, ita ars seruandę sanitatis arte depellendorum morborum præstantior est, & antiquior: Accedit, efferum illum & effrænem Cacum, vbi semel inuasit, & aggressus est, vt plurimum eluctari, & supplantare quemuis Alexicacum semper enim

Ægrìs ejcitur, quàm non admittitur hostis.

Expedit itaque summa prouisionis capita præfibare, quibus arte declinandi, propellendique iuratum hunc humanę ceruicis hostem instituamur, instruamurque.

Totius porrò cautionis,& prouidentię circa hoc vertitur cardo,vt nempe agentis vis refringatur, & patientis aptitudo summoueatur, cuncta etenim naturæ actio ab agentis idonea efficacitate in patientis capacitatem cadit. Illa quidem obtunditur primùm, si aer, quo medio, & instrumento vtitur ad agendum, alienus, & ineptus ad veneficam putredinem concipiendam reddatur.

Quod duplici ratione fieri posse compertum est,aut calore sicco,qui heterogenea dissoluens homogenea congreget, quæ teste Arist. 4. Meteorum difficiliùs putrere scitum est, ac propterea Hippocrates Athenienſibus consulens publicos ignes circum Pomeria Ciuitatis accendi iussit, vt pestis seminaria,quæ aliunde importabantur, protinus absumerentur: Hoc modo ab Empedocle,& Acrone Agrigentinos seruatos fuisse legimus: Ob quæ beneficia Patriæ collata æternam laudem commeriti sunt,atque Coum senem erecto altari Athenienſes in Deorum numerum retulerunt. Aut denique frigore sicco, quo putredinem propulsari apud omnes in confesso est.Hac ratione M.Caro Corcyram à peste liberauit, dum Aquiloni fenestras recludi, Austro claudi iussit.Proin edita loca Aquilone perflata eligantur, imò si fieri potest,in salubre solum, & cœlum secedatur, ne fiat applicatio, quæ ad actionem desideratur. Hipp. fuit summus Medicus, nullum tamen habuit præsentius remedium, quàm citò,& longè fugere,tardè redire.Quid,si non licet? Domicilia odorarum rerum suffitu inficiantur, aspergantur liquidis suauèolentibus, ligna grati halitus exurantur.

Florum serta manu, & redolentia poma gerantur,
Angelicaq; caput, volnantur & ore corymbi
Iuniperi, Myrtine, aut Hippoglottia fiant.

Arist. & Damascenus spiritus ab odoribus instaurari,ac refici,animum oblectari, & Facultatum stabiliri firmitudinem testantur. sed nos cuncta sub exemplo ponamus. Ad thymiasim, atq; suffitum hyberno tempore vtendũ. ℞.Styracis calaminthæ vnc. sem. benioini drach.2. xyloaloes, caryophyll. ana scr.4.calami aromatici,nucis mosc. ana drach. 1.ambræ,moschi ana gr.10.rite parata omnia referantur in pastillos super prunas injciendos. Seu carbonis saligni vnc.iij. Styracis aridę vn.2.benioini vn.1. cariophyll.dr.3. croci cinamomi, maceris ana drach.1. cum gummi tragacanthæ contrita, omnia componantur, effinganturq; vel tædæ, vel cypriæ auiculæ.

Auerroes suffitum commendat ex costo, styrace,galbano,ac teribinthina, ac si peculiari quadam vi polleant aduersùs pestem. Æstiuo autem tempore halitus excitari poterit ex trochiscis cãphoræ,aut ex succini el.dr.2.fol.myrti. corticum citrij, fl. nenupharis, rosarum, violarum, croci,maceris, sandalorum citrinorum ana dr.1. camphoræ,benioini ana dr. sem. moschi gr.v. omnia in pollinem redacta possunt ex aqua rosacea in pastillos efformari.Cubiculorum pauimenta oxycrato, aq.rosacea,aceto rosacco aspergantur,floresve nymphæę, rosarum,violarum, borraginis, vaciniorum passim effundantur,aut suspendantur è filo serico. Focus quouis cęli statu accendatur ex lignis iuniperinis, cupressi,laricis,tædæ,fagi,æsculi.

Disce & odoratam tectis accendere Cedrum
Galbaneoq; agitare graues nidore Chelydros.

Domus vndiq; niteat, nulla colluuie scateat.

Æluriq́ue, caneſque procul pellantur, & omnis
Sordities immunda scopis perratur, & amne.

Poma verò hoc pacto concinnentur. Sumantur florum scabiosæ,arantiorum, citrii ana p.2. cariophyll. nucis moschatæ, iridis Florentiæ ana dr.1. s. pulu. diambræ,diamoschi ana dr. se. ambræ grisea. gr.7. moschi gr. 3. Fiat puluis, qui puro ladano exceptus cum aqua cinnamomi referatur in pomũ.Seu styracis aridæ vnc.sem. calami aromatici, benioini rosarum rubrarum, maioranæ siccæ, iridis Florentiæ ana dr.3.macis,caryophyll.agalloci ana dr.2.ambrę,moschi ana scr.sem.ladani purissimi quantum ad omnia cõcorporanda desideratur. Pilo malaxentur calido affusa sensim aqua rosarum, aut naphtæ, & terebinthinæ momento, vt tenacior massa fiat.

Si mauis,Styracis calaminthæ, cort.citri ana dr. 2.been albi,& rubri,menthæ siccæ, caryoph., ligni aloes, cardamomi, valerianæ, calami aromatici, myrtillorum ann dr.1. santalorum citrinorum, mastiches,camphoræ dr.1.s. macis, nucis moschatæ, cinnamomi,ambræ dr.sem.moschi scr.1.ladani purissimi vnc.3.s. cum aqua mellissophilli. s.pomum.

Æstate verò huiusmodi. Seligantur Carabes dr. 2. corallii rubri, rosarum ana dr.1. florum nenupharis dr.1.s. styracis calaminthæ, resinæ pini ana dr.j. xyloaloes,mastiches ana scr.2.boli armeni dr. 1.sem. ambræ, cãphoræ ana gr.7. ladani quantum desideratur. Fiat pomum, quod peruia pyxide argentea includi poterit, siue florum boraginis, rosarum,viol. nymphęæ, citrii ana p.1. Succini, boli armeni aceto ros. abluti ana dr.1. galliæ mosch.dr. 1.Santalorum omnium, mastiches,xyloaloes, cinnamomi,rad.angelicæ odoratæ ana scr.1.camphoræ scr.sem.ambræ,moschi ana gr.3. Fiat puluis, & excipiatur gummi tragacanthæ affusa sensim rosarum aqua,vt effingatur pomum.

Ex cedro,vel iunipero sphæricum, & foraminosum toreuma Phydiæ, aut Polycleti arte confectum medium discindi iubebat Manardus, abiunctaq; inuicem partes ita cauari, vt de integro cõmissæ, coaptatæq; imbutam recentem spõgiolam caperent, infertisque deinde quibusdam vncinulis argenteis ita continerentur, vt pro libera voluntate claudere,& recludere possemus:spongiam aquæ rosaceæ,& cretensis vini parte imbuit, aceti dimidia, subinde superaspergit puluerem, quo poma conflari scripsimus, & ita madidam in lignеum, & undique terebratum globulum intrudit,manuque gestari,& natibus identidem admoueri iubet.

Ora, manusque simul roseo perfusa liquore
Permadeant gratum naso spirantia odorem.

Vestes quoque totam spirent Arabiam, quas bombycinas,& frequenter permutatas uelim, non pannosas, non uillosas, aut pellitas; priùs verò quàm induamur, ex præscriptis thymiamatibus suffiantur. Omnino culta corporis elegantia

proba-

probatur. Atqui sat isthæc inculcauimus.

Reprimitur tandem,& ineficax redditur pestis, si corporum nostrorum rectrices facultates aduersùs hostem muniantur, roborenturq; peculiaribus alexiterijs, qualia ab omnibus commendantur Theriaca, & Mithridatium, vt propterea iure scripserit Moses Ægyptius narratum sibi à Medico doctissimo, dum in Antiochia grassante peste Medicinam faceret,neminem præter illos, qui theriaca vsi fuissent,seruatum esse,hæc enim, vt Aphrodisæus quoque primariæ notæ philosophus putauit, ideo venenatos morbos diffringit,profligat,& propellit, quòd ex respicientibus singulas corporis particulas simplicibus conflatur. Et si aliter sensit Auic. qui refert,Sapientes Theriacæ,& Mithridatij compositionis causam acceptam ferre diuinæ inspirationi potiùs, & prouidentiæ, quàm humano ingenio, quia humana ratio ad illius compositionis efficaciam non pertingit.Optima uerò Theriaca septennis esto. Huc accedunt Bolus Armenus,& Terra sigillata, quorum vsu omnes seruari obseruauit antiquitas. Galenus pestilentia affectos,quibus sumptus est Bolus Armenus, curatos testatur, quibus verò hoc medicamentum non profuit,nullum præterea medicamentum profuisse.

Fertur senior Mediolani Dux quotidie bolum Armenum vnà cum Cretico vino aqua rosacea diluto hausisse, & à singulis domesticis priùs, quàm ad se accederent idem sedulò præstari iussisse, quo modo sibi benè cauit, pestemque elusit.

At ne emptoribus imponatur, & pro genuino fucosus, & fabrefactus sufficiatur,his notis probato.Bolus Armenus pallescat vt aurum,facilè soluatur, nullam includat saburram, modicè densus,& grauis sit, vt lapis propemodum videatur. Terra sigillata sit rubri coloris, munda, haud admodum lenis,gustui nequaquam mordax,moderatè autem adstringens, tenax quadamtenus, & lubrica, vt in aqua soluta molli fiat adsimilis cerę.Lapis Bezoar, cornu Monocerotis,& ceruinum, vniones, præsertim smaragdus inter præcipua alexipharmaca censentur, hæc enim præterquàm quòd aperta qualitate putredinem arcent, & expugnant, spiritualem obtinent antipathiam formæ sobolem. Vtrumque præterea Diamargaritum, electarium de Gemmis,Trochisci de Camphora, Manus Christi perlata,Confectio Hyacinthi,& Alkermes,Lætificans Galeni huc spectant: Scordium commendat Fracastorius, huius Diascordium Sennertus. Alij extollunt antidotum in Sanctuario Mitridatis repertam, cuius compositionem his versibus pepigit Serenus.

Bis denum rutæ folium,salis & breue granum,
Iuglandesq; duas, bino cum corpore ficus,
Exoriente die pauco conspersa Lyæo,
Sumebat metuens, dederat quæ pocula Mater.

Sunt tamen, qui huic minus tribuant, nam etsi caricæ,& iuglandes obstructa liberant, ruta,& sal à putredine vindicant,præcipua tamen facultate destitui videntur.Quoddam meminit electarium Sauonarola, quo se vulgo admirabilem præstitit Iudæus quidam. Habet autem cinnamomi vnc.sem. zedoariæ drach.ij. boli armeni drac.vj. seminis citrij,sem.acetosæ ana drac.iij.rad. dictami, tormentillæ, rasuræ eboris ana dr.j.ſ. ossis de corde cerui dr.j. fragmentorum smaragdi, rubini, granati, saphyri ana scr.j. Cuncta in pollinem redigantur, & commisceantur cum conserua bugloſſi, & conciuetur elect. cuius hyberno tempore dentur dr.ij. æstiuo dr.j. ſ. subinde propinentur aquæ cichorii vnc.ii. In libro simpl. Gal. commeminit propriæ vrinæ, quam à quibusdam hauriri maximo cum emolumento notauit. in li. de Incant. Gal.adscripto, quemcumq; pestiferam regionem ingredientem à gestato hyacintho seruari, & apud Summates gratiosum reddi traditur. Adamas sinistro vinctus brachio, betonica quouis modo circumlata, lapis Achates,lapis Chelidonius niger, Carbunculus idem præstare feruntur.

Arrhenicum verò sacculo inclusum, & ad cordis regionem adhibitum, quamuis summi viri illud efferant præconio, probare non ausim, etenim nisi carnem attingat, vt illius sepulta vis à calore nostro excitari possit,nihil operabitur,sin attingat vehementiùs verendum,ne,quæ à peste reformidabamus accisura mala, arrhenicum inauspicatò inferat. Narrat Valescus, se nouisse duos,quibus caputscatebat achoribus, qui Gordonii vnguento, quod ex arrhenico &c. constat, caput obleuere, quorum alter postridie è vinis decessit, alter tota reliqua vita stupidus remansit. Non absimilem historiam refert Amatus Lusitanus duorum Adolescentum, quibus ad scabiem tollendam vsis vnguento, in quod clam Medico Sepulsiarius arrhenicum intruserat, res pessimè cessit, vnus enim diè obiit suam, alter furore correptus saltu per fenestras in terram exiliens alterum sibi crus fregit,miseramque uitam uiuere deinceps coactus fuit. Satius sit igitur ea adhibere remedia, quorum maiores experimenta tulerunt Oleo igitur M.D.Hetruriæ, oleo scorpionum Matthioli, Theriaca, & Mitridatio addito citrii succo cordis regio deliniatur. Sunt, qui iecur quoque stomachum, & testes oblinunt,ut robur concilient, hoc ung. quod constat ex olei rosac.,omphacii unc.ii. ol.de spica odori unc.ſe. pulueris cinnamomi, cariophil. ana dr.ſ. rosarum, sandalorum citrinorum ana dr.i. ceræ, & aceti rosac. q.ſuff.vt fiat ung.molle.Si displiceât litus, concinnentur sacelli, seu marsupia cardiacis pulueribus intertexta. ℞. bugloſſi fl. arantiorum, scabio. ana p.i. pulueris diambræ dr.ii. pulu. iridis Florentiæ scr.ii.Puluis excipiatur cotone & inuoluatur syndone duplici,interſuatur ut decet,& cum zonis applicetur cordi. Æstate uerò: fl.borraginis, uiol.rosſ.nymphęę ana p.i. santal. diamargariti frig. ana dr.i. caphuræ ana scrup.i. ſ. ambari orientalis g.v.qui puluis, itidem sacculo intercludatur cordi admouendo.Mitto sexcentas alias antidotos,quas apud Authores cernere est, præcipuè uerò apud doctissimum Hollerium, quarum fusissimè trahitur materia, è qua unam decerpsi hìc adscribendam.

Cucumeris siluestris radix in mortario teratur cum foliis tenerioribus semperuiui,apii,coriandri, mel additur,& puluis cinnamomi, aut piperis grana ix.Omnia mixta stanneo uaſe seruantur. Veteris (ait) ieiunus castaneæ magnitudine ex uino tenui diluto aqua conuenienti, ut oxalidis. Poteris cum

lue correptis versari, aut iam correptus statim sanescens. Ea ratione conuenit hoc electarium, quòd vsu frequenti serosi, ichorosiq; humores foras excluduntur, quibus ad putredinem susciendam opportunius nihil.

Corporis deniq; dispositiones medicamentis,& recta victus, & vitæ ratione tolluntur, quocirca Platonicæ sententiæ applaudẽtes prius, quam corporis purgationem aggrediamur, animo prospectum volumus, vt, si fortè ægrotat, & graui pathemate afficitur, opprimiturq; erigamus, & in pristinam sanitatem, libertatemque asseramus: Quòd si omnino circumcidi non possunt affectus, his saltem rationis formula modum imponamus, ne ferociùs exorbitent, vix enim fieri potest, vt nos molioris naturæ scueros Stoicos agamus, virtutem,& animi sanitatem in apathia quærentes. Præ omnibus verò, vt coram deuoto Parocho sacrosanctæ confessionis sacramento mentem vnusquisque pie,& radicitus ab omnibus purget quisquilijs, ex animo hortamur. Enimuerò si oculus tuus (dicente Christo) i. anima tua simplex fuerit, totum corpus lucidum erit,& mundum.

Quisquis agit purus sceleris vitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morbi contagia ducit
Hospite.

Animi porrò alacritudo, & hilaritas cantu maximè & musica conciliata tanti semper à Thalete habita fuit, vt hac ratione sola pestem fugari asseuerauerit. Expurgato animo corporis curam geramus, oporter, quare omni studio illud ab excremẽtis,& superuacuis humiditatibus vindicemus, perficcemus, siccum enim teste Hippo. similius est sano. Cacochymia leui cathartico summoueatur. Plethora, si subsit, exhauriatur, sed parciore manu. Doctè enim Haly, habentes corporis humores laudabiles aeris malitiam corrigunt. Hinc ab Authoribus pill. Ruffi, quæ ex aloe, myrrha,& croco constant, queis aliquando bol. armenum, terram sigillatam, ammoniacum adijcimus, vsus commendatur, hæ namque præterquam quòd educunt excrementa quæ quotidiana generatione cumulantur, corpus reficcant, atque adeò susciendæ putredini inhabile reddunt. Huc referuntur cauteria brachijs, aut femoribus inusta, per quæ serosi humores repurgantur.

Quis verò iure expostulabit, & quærimoniam aget, nisi tot Antidotis vtendi modus sub exemplo, veluti schemate subiiciatur. Paucis igitur capiat Sanguis, si subsit copia, quàm mox è basylica dextra mittatur, parcè tamen, vt ad selibram, ne vnà cum sanguine vires exhauriantur, quas constare volumus: Hæmorrhoides assuetis, si substiterint, admotis hirudinibus citentur. Brachiis, si imbecille sit caput, alioquin femoribus cauteria inurantur, dextro potissimum, non ante tamen, quàm toti prospectum fuerit. Postridie eius diei, qua tunsa fuerit vena, oxymel. simpl. vnc. i. syr. de cort. citri vn. sem. (si modò rigeat cælum, & hominis frigidior natura) D. betonicæ,& sem. citrii vnc. 3. mane sumantur, alioquin tantumdem syr. acetosi, & acetositatis citrii,& D. oxalidis, & sonchi. Perseueret tres dies. Quarta die syr. ros. sol. vnc. 3. & tantundem D. Cardiaci infusionis scrup. 4. rhei, aut agar. troch. cum scr. 1. spicæ, aut zyngib. Quinta die opt. Theriacæ dr. i. cum conf. bor. dr. 3. Sexta die boli arm. aut sigilli lemni opt. præpar. scr. 2. ex bono vino cum aq. ros. aut scorzoneræ diluto exhauriantur. Septima die Iudæi elect. dr. 2. & aq. cichorii vnc. 2. Octaua die verbena præmandatur, dein deuoretur, aut semina citrii, rad. tormentillæ, zedoariæ: Nona die grana aliquot electæ smaragdi, vtpote g. 7. aut totidem C. Monocerotis. Decima die pill. Ruffi dr. 1. ex Cretico vino, si hyems, aut ex aq. oxalidis, & trifolii acetosi. Exactis diebus decem, vt dierum, ita antidotorum repetitio fiat, nullaque intercedat dies, quin aliquid dictorum deuoratum sit. Illud animaduerti velim, vt multo ante prandium tempore alexipharmaca sumantur, ne alimentorum accessu illorum frangantur vires. Cætera ex præscripto fiant. Superest, vt diætam percurramus. Cibi euchymi,& eupepti sint. Proinde carnes Perdicum, Phasianorum, Auicularum, Gallinarum turturum hœdi, veruecis, leporis, vituli commendãtur. Scribit Orus, esum columbarum vi quadam peculiari à peste præseruare. Pisces fluuiales, paruuli minus improbantur; ouis vtendum tremulis, & sorbilibus. Frequens pinguium, ac iurulentorum vsus cauendus. Herbæ conueniunt lactuca, endiuia cichorium, portulaca, oxalis, betonica, pimpinella, fœniculum, apium, borrago, melissa. Allium, si parcè sumatur, non est nullius momenti. Lentes, & hordea aceto condita conceduntur. Ex fructibus, nuces, auellanæ, ficus, passulæ, pini fruc. phistici, amygdala, præsertim amara, mala vel pyra acida, mala punica, citrea, arantia, limones, cappares, pruna sicca, cerasa acida. Piperis,& Zyngiberis vsus non conuenit; pro his alimoniæ hoc puluere condiantur, qui constat ex cinnamomi drach. 6. cardamomi anys. ana dr. 2. rosarum maceros ana scr. 4. croci drac. 1. m. Assa elixis, si facilè conficiãtur, conuenientiora sunt; lac nisi acidum in Garamantes,& Indos mittatur.

Porrò esculentis omnibus acida interniscentur, vtpote acetum, omphacium, limonum, citri, arantiorum, granatorum succus. Iusculis oxalis,& alleluia æstate, hyeme, betonica, saluia, apium in coquantur. Vinum mediocre subausterum commendatur, dilui poterit aliqua cardiaca aqua.

Mesuæus ante omnia manus & ora uino ablui, nares obliniri, & modicum ebibi iubet, animam enim ait, exhilarat, & confirmat, ut propellat aduersa. Propterea me in admirationem egit Auic., qui pestis Prophilacticem tradens, uino penitus nobis interdicit: sed condonemus hoc Auic. utpote Sarraceno. Diuus Ambrosius scripsit, vinum sobriè sumptum sanitatem largiri, & augere prudentiam. Sunt, quibus arridet uinum absynthites, sunt quibus cestrites. Exercitium uerò admodum conducit, si citra respirationis noxam, & in commodum fiat (non enim refert pestilenti in aere confertim,& affatim respirationem ducere) propterea scripsit Rhasis, omnes è medio sublatos fuisse præter uenationi assuetos, qui corpora strenuè exercuerant. Satius sit, si pransi domo exeamus, cum D. Lauri fol. uaribus attraxerimus & aures ol. spicato obleuerimus. Laudamus frictiones artuum leues. Sed illos deridemus, qui cautelæ studio aceto totum

tum corpus madefaciunt, vt pestilenti aeri viam præcludant, deridemus inquam, quoniam transpiratione prohibita faciliùs, id, quod tanto reformidant opere, incurrere possunt. Si lubet igitur oleo spicato adiecta vini quarta parte corpus sinatur.

Somnus diurnus, clamor, concubitus quàm fieri potest maximè declinentur. Cæterùm vt rem ad vmbilicum adducam, quemadmodum sua est cuique temperies, & natura, ita non quilibet vno eodemque calapodio, vt paræmia fertur, calceandus est, sed pro vsu, & Medici prudentia omnia temperanda, nam & si Gal. scripsit, ea quæ proprietate iuuant, omnibus temperaturis, & omni tempore prodesse, magis profutura sperandum est, si accedat delectus.

Atq; hæc pro instituti nostri ratione satis sint.

SYMMIXIS

Seu

MISCELLANEA PHYSICARVM,

Iatricarumq; Quæstionum.

HIPPOLYTO OBICIO MEDICO,
Et Philosopho Ferrariensi

IOANNES STEPHANVS

ἐυτρέπτου καὶ ὑγιαίνειν.

ARGVMENTVM.

Reijcitur Sanctorij, atque Obijci de Amore sententia: Illius, quòd sit species humanæ stultitiæ: Huius, quòd sit naturalis inclinatio.

Libr. de mul ciplici abusu in medicina. Epist. ad Sanctorium.

QVæ tua sit aduersùs Sanctorium virum præclaritissimum opinio. (Obici doctissime) satis, superq; percepi, quapropter missis cæteris, vtpote satis claris, & testatis ad amorem, vt iucundam, & planè diuinam rem (in quo enim consistit felicitas, & beatitudo separatorum animorum, nisi in amore?) orationem meam dirigam, quando per te mihi integrum, imò verò imperatum.

Quid de amore perperam, aut benè Sanctorius senserit, non absque admiratione intellexi, quapropter veterum Philosophorum, meamq; de amore sententiam in medium allatam volo, non sanè vt inter doctissimos, & sapientissimos viros sapere videar velle studio laudis ductus, sed vt mandatis auscultem tuis, vir præstantissime, atque obtemperem.

Plato amorem (quem Græci ἔρωτα nuncupant) finit perfruendæ pulchritudinis desiderium: Plotinus actum animæ bonum desiderantis: Theophrastus Arist. discipulus, & consanguineus animi concupiscentiam, quæ celerem habet ingressum, tardum verò regressum. Hinc colligere est aduersùs Sanctorium, ad amoris procreationem sat esse rem pulchram semel inspexisse, ac idolum, exuuiasque pulchritudinis memoria collocasse: Amorem verò magis, minùsve in dies succrescere, atque vires acquirere, prout homines magis, aut minùs oblectantis simulachri præsentiam exigunt, ac eorum animi huic importunè obsequuntur, eamdemque affectant formam. Quod etiam pulchrè Comædiographus Vates Hetruscus.

E tanto forte amore,
Quanto da i nostri cor forza riceue.

Amatio fit ex quadam consuetudine. Arist. in Eth.

Miserum ergo, & insanum haud malè asseuerat consuetudine effici Sanctorius (si loquamur de interna animorum consuetudine cogitatione comparata, non de externa corporum.) Neque omnino diffiteor, longa consuetudine sanum amorem conciliari posse, vt Arist. ix. Ethic. potissimum verò inter deformes, nam morum, & animorum similitudo, quam parere consueuit mutua consuetudo, quæque à simili proficiscitur temperamento (si quidem corporis temperiem animi mores sequuntur, ac propendent, vt Galenus) plurimum ad hùc effectum pariendum conducit, cum maximè nulla alia intercedat causa. Prætetea ad amorem aucupandum nequicquam præcepta traderentur, nam cum volunt fixum, intentumque obcutum in oculos Amasiæ conuerti, radiorumque luminum mutuo cum conamine occursum in congruo interstitio, firmamque, immobilemque imaginationem haberi, subinde inferunt, hæc omnia non nisi quadam consuetudine ritè fieri posse. Apuleius ad meas partes. *Tui oculi per meos oculos sæpenumero ad intima delapsi acerrimum meis medullis commouent incendium.* Hinc constare puto, consuetudinem aliquando desiderari ad amoris partum, cum non ita momento animi ad amandum omnes parentur. Sunt tamen nonnulli opportuniores. Hinc Virg.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Egloga oct.

Porrò vt Homo sensu, & ratione donatur, ita vtriq; data sunt pabula, & fomenta, quibus allicantur, & oblectentur, quin additi illices, & stimuli ad ipsa cognoscenda, & prosequenda; Id quod subolfacientes Philosophi duplicem fecerunt Amorem, vnum, qui rationi, alterum, qui sensui præesset, illum ad diuinæ lucis, solidæque Philosophiæ contemplationem, ad puram, castamque vitam vsque aspirantem, ac promouentem, hunc Veneris esse stimulum, qui vbi procax, petulansque proiectis habenis, ac deuorato pudore exorbitat, infra hominis speciem ipsum hominem deijcit, & ad insanas, damnataſque cupidines impellit, adigitque. Hunc fortassis amorem definire voluit Sanctorius, cum dixit, esse speciem humanæ stultitiæ, &c.

Quod verò ad tuam, vir sapientissime, opinionem, nimirum amorem esse naturalem inclinationem, vt exemplo ex sacris paginis affers, non possum, quin reclamem, nam reuera amor est voluntarium pathos, affectione ad rem cognitam, vtpote bonam, & conuenientem, siue beneuolentia rei, qua gaudemus, vt ait Fracastorius: Quòd si rem illam in nostram voluptatem vertamus, non amor amplius, sed libido est; Amor enim omnis per se purus est, nihilque aliud vult, nisi vt benè sit illi rei;

quem

quem amorem non solus homo, sed cætera animalia habent, quibus phantasia, & memoria insunt. At verò (vt ad rem nostram sermo conuertatur) si naturalis inclinatio esset amor, homines peræquè mulieres adamarent, non hanc amore, illam odio plusquàm Vatiniano prosequerentur.

Ad hoc, natura fixa, & mutari nescia, quam igitur modò diligo Puellam, amodò odisse nequeo, falsum.

Præterea facilè philtris ab Amata gratiam iniret miserus Amans, si naturalis præesset inclinatio, & pondus, atqui non potest, quia voluntas libera.

Potest quidem Magus, immo Medicus efficere, vt amemus exhibito Satyrio, aut cantharidibus, genita scil. amoris materiali causa, aut excitata, non propterea definitè hanc, aut illam, neque efficiet, vt redamemur. Accedat, desiderium, proinde amorem, vt Musæus, & Diogenianus affirmant, præcedi à vera rei cognitione, qua de re doctissimè scripsit Valeriola, idem autem de naturali inclinatione asserere, nefas. Hinc D. Augustinus, *amari non nisi nota possunt.* iuxtà illud,

Lib. 2 obseruationum.

Ignoti nulla cupido.

Scio esse quosdam amores, & odia, quæ cum non pendeant à certa causa, in naturalem inclinationem referuntur,

Martialis.

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

Scio inquam, quibusdam videri naturales inclinationes, mihi verò non videri, sed potiùs animorum sympathiam, aut antipathiam, siue cum Platone similem, aut absimilem Genium, similium, aut dissimilium astrorum genituræ dominorum soboles. Referunt in facie Darij tantum gratiæ, & venustatis infuisse, vt non modo suis, verùm etiam exteris, & hostibus gratus fuerit. Ecce inclinationis causa. Sileo Alcibiadem Athenienſibus adeò charum, & amatum, cui forsan, vt cum Hebræis loquar, assistebat Annahel.

Quod autem dicitur de Adamo, & Heua, crediderim, amorem illum, & desiderium congressus momentò excitum fuisse effectum singularis, & extraordinariæ Dei prouidentiæ, vt inde propago, & Soboles citiùs in hoc mundo, quam ab vno deriuari voluit Deus, vt maior esset hominum felicitas, mutui amoris copulatione resurgens, Notum autem est, quantum sanguinis coniunctio valeat, & storgæ naturales vehementissimi sunt amoris impetus. Neque inficior (ne hoc mihi obijciatur) congressum masculi, & fœminæ esse connaturalem, qui tamen fieri potest absque amore, non enim qui congreditur semper amore illectus, sed interdum pudendorum titillatione fœtifici lentoris copia, aut qualitate effecta. Sed hæc hactenus, ne nocuas Athenas. Vale Kal. Sept. M. DC. XIX.

HIPPOLYTVS OBICIVS

IOANNI STEPHANO MEDICO, Et Philosopho eruditissimo S. P. D.

ARGVMENTVM.

Obicius sententiam suam de amore validis rationibus tueri nititur.

QVæ de ineptijs Sanctorij Sanctorij sentis, tua ex epistola percepi, quas tanquam lippis, & Tonsoribus notas omisisti, cum eius solùm de Amore opinionem ponderare volueris, quam, ità viuam, perbellè reiecisti.

Cæterùm, etsi mea pariter de amore definitio à tua distare videatur, altera tamen alteri nec obstat, nec contraria censenda est; etenim eadem de re diuersæ pro considerationis diuersitate dari possunt definitiones. Quapropter dixi ego, amorem esse quandam naturalem inclinationem, qua mas appetit fœminam, quia species respexi, tu voluntarium pathos, quia indiuiduum: & quamuis exempla à me adducta sint particularia, quibus tua aptari potest definitio, non tamen volui definitionem meam allatam ad indiuidua referri, verum ad speciem: licèt Adam ea, quam dixi, inclinatione Euam adamaret, quæ tunc, cum in rerum natura sola, quasi species vnà & indiuiduum habēda erat; illo enim tempore fieri poterat propositio conuertibilis de Muliere, & Eua: Nam Mulier Eua erat, Euaque Mulier: hoc idem de Mare dici poterat: Nec, quod asseris, mea ex definitione sequi posset, vt scilicet homines suæ speciei fœminas peræquè adamarent, quandoquidem homo, natura scire cupit, nec tamen omnes scientias, artesque peræquè desiderat, verum hanc, vel illam eligit: sic quadam naturali inclinatione fœminam appetit, qua propensione eligit hanc, & non illam; secùs nihil interesset inter bruta, & hominem: tametsi non omnino negarem inter bruta, quodammodò hanc fieri posse electionem. Cæcus à Natiuitate fœminam appetit, nonnè hæc naturalis est propensio? libenter enim fœminas tangit, & audit, ipsisque adhæret: Est fortè Cæci amor pulchri desiderium? non re vera, si, quod pulchrum est, ignoret: igitur fœminarum natura ipsi ineſt desiderium, non Timocliæ Thehanæ, non Pollæ Argentariæ, non huius, non illius: licèt Puellas libenter tangat, audiatque, ipsisque (vt dixi) adhæreat: At tactus indè, vel auditus, vel vtriusque medio impulsus hanc, vel illam amare eligit: Odio igitur hanc habere, illam adamare, est quidem voluntarius animi motus, siue passio, vel desiderium, seu dicas, voluntarium pathos, (vt tu ais) fœminam autem appetere, & amare, naturalis propensio; nec homo ob pudendorum titillationem feminis copia, vel qualitate obortam principaliter appetit, vel cupit cùm fœmina coire, sed naturali præcipuè propensione congressum cum ipsa habere cupit, qua inclinatione amota, satis esset pro naturæ stimulo feminis fieri iaculà-

tionem:

tionem: Quod de Diogene, tanquam de homine, qui naturali inclinationi fortiter reſtitit, ſertur.

His ſatis conſtare arbitror nullum inconueniẽs ſequi poſſe, ſi à tua diuerſam attulerim definitionem, ſi ego ſpeciem, tu individuum reſpexeris: nec his duabus Platonis altera repugnat, quem prorſus finem ſpectare, eſt certum, cùm dicat amorem perfruendæ pulchritudinis eſſe deſiderium; idem de Plotini altera aſſero: tametſi neutra mihi probetur: nam non ſemper, quod pulchrum eſt, deſideramus, verùm ſæpiſſimè, quod deforme, nobiſque pulchrum videtur, licèt reſpectiuè ſit tale, quale mente concepimus: Vndè melius, ſi dicatur, amorem pulchri eſſe concupiſcentiam, vel illius, quod pulchrum videtur: perraro enim, quinimò rariſſimè, quod abſolutè pulchrum eſt, reperitur: quo fit, vt ſæpiſſimè, quod tale nobis videtur, cum tale non ſit, ametur.

Naturam fixam, mutarique neſciam in abſtracto concedo, non autem in concreto; ſeu de natura naturante ſit ſermo, & non de natura naturata.

Vtinam, ſuauiſſime Ioannes, philtris cogi non poſſent hominum animi ad hanc, vel illam amandam; fieri quidem poteſt, quod mille experimentis iamdiù id comprobatum habemus, licèt voluntas libera ſit, Deo tamen permittente, multa fieri poſſunt, quæ homines cogunt, eorumque voluntatem immutãt: de qua re ad Leonardum Miliarium Bellunẽſem diebus elapſis cumulatè ſcripſi: Satyrium verò, atque Cantharides non ſunt, vt forſan putas, de genere Philtrorum, licèt Venerem excitandi uim haberent; Amorem præterea præcedi à uera rei cognitione, eſt quidem uerum, quod quoque de naturali inclinatione aſſerere oportet, ſecuſque dicere nefas eſt, quo rogo modo mas fœminam appeteret, ſi ipſam nunquam uidiſſet, aut prorſus ignoraſſet? faciamus, Infantem inter homines oriri, atque educari, ipſumq; ab ineunte ætate, æternumque credere Mares dumtaxat in rerum natura reperiri, ortumque hominum ignoraret, qua amabò via fœminas adamabit, quas prorſus neſcit? igitur in naturali inclinatione rei cognitionem præcedere eſt opus. Ad hæc omnes homines, vt antea dixi, natura ſcire deſiderant: Homo exemplo artem ſcribendi ſcire cupit, niſi ipſam inter homines reperiri intellexiſſet, non deſideraſſet. In inſula Hiſpaniola, alijſque Indiæ locis ars ſcribendi olim incognita omnino fuit, forsàn gentes illæ hãc ſcribendi artem ſcire deſiderarunt? Abſit: his ergo conſtat, naturalem inclinationem præcedi à vera rei cognitione.

Nec prodigioſum puto amare, quod viſum non eſt, quia ex fama mente ſimulachrum pulchetrimum fingere poſſumus. Quinimò vita, moribus, ſapientiaque alicuius auditis, ipſum amare non eſt prodigioſum, qua ratione Cæci hanc potiùs, quam illam eligunt; plures ego diligo viros, quos nunquam vidi, quorum fama, ex ſcriptis ad ipſos amãdum ſum excitatus.

Quod ſympathiæ, antipathiæque ope, ſeu Platonis more ſimilitudine, vel diſſimilitudine Genij quiſque hominem vel amare, vel odio habere poſſit, non eſt verendum, cùm res per ſe clariſſima ſit. De Darij, & Alcibiadis gratia, & venuſtate nil aliud dico, cùm ad rei noſtræ probationem, aut improbationem eorum pulchritudo nihil conducat. De Adamo, & Eua iam, quod ſatis eſt, ſupra dixi, veluti de his; quæ ad ſeminis copiam, & qualitatem, ſeu titillationem pudendorum ſpectant. Hæc, pro dubiorum circa definitionem de amore à me in Epiſtola ad Sanctorium ſcripta tuorum ſolutione ſufficere ſum arbitratus. Vale. Belluni quarto Idus Sept. M. DC. XIX.

HIPPOLYTO OBICIO MEDICO, Ac Philoſopho Præſtantiſſimo

IOANNES STEPHANVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Obicij opinio contrarijs rationibus prorſus refellitur.

NVperrimè cum Amicorum meorum retractarem epiſtolas, in manus inciderunt doctiſſimæ literæ tuæ, quas cum iterum non ſine ſumma delectatione legerem, & acriùs in quædam, quæ alteriſco adnotaram, loca animum intenderem, in meam crucem plurimarum difficultatum crabrones excitaui, quæ me tranſuerſum agunt, ſollicitũq; tenent, ac dum animi pendeo, tibine derectas faciam, an muto ſilentio obruam, tuæ ſingularis doctrinæ præſtantia, quam admiror, & ſuſpicio, ingenij tui præſens ſolertia, ac præclaræ humanitatis magnitudo in mentem venerunt, quibus ego fretus non potui, quin meam hinc, atque hinc difficultatum turbine exagitatam ſcapham ad te ſacrum Muſarum Parentem, veluti ad tranquillitatis vadum appellerem. Idque eò libentiùs feci, quod abs te primum difflati venti, & emiſſi. Verum ſic habeas, velim, me (tuum teſtor Apollinem) haud cõtradictionis, ſed veritatis ſtudio indagandæ impulſum ad te confugiſſe, cum norim, penes te eſſe, maris fluctuantis æſtus, & reciprocationes compeſcere, & pulſa falſitatis caligine veritatis fulgorem palam facere. Æqui igitur, bonique facias, & æſtuantem mentem libenter ſiſtas in portu.

De amoris natura aduersùs Sanctorium differebamus, ac vt fanaticam eius de amore finitionem refelleres, naturalem adiecriti eſſe inclinationem. Ego verò, qui video naturalem inclinationem tam longo interuallo diſſitam eſſe, vt amorem non niſi confuſè, &, vt ait Themiſtius, de longinquo conniueat, tantùm abeſt, vt clarè, præſèque definiat, in diſcrimen reuocans, quæ ponebas, rationum momenta, non ſponte, ſed mutus, quia à te velim eſſe, & tua ſequi veſtigia, renitor. Atque in primis Gal. auctoritatem (talibus enim opus eſt tormentis) aduersùs rationum tuarum robur adduco.

Amor, inquit, aut eſt iudicium, aut iudicijs ſuccedit, ſeu motus quidam eſt concupiſcibilis faculeatis. Eodem modo ira aut iudicium eſt, aut irrationalis quidam affectus, qui iudicium ſequitur. Hinc conitare puto, amoris rationem abſque deſiderio ſtare non poſſe, vt neque hoc abſque iudicio, ſiue opinione. Apud Platonem Pauſanias dicebat, Comitem amoris eſſe cupidinem. Qua ratione Ariſt. quoque, neminem

Libro 4 de Decr. Hipp. & Plat. c. 1. aduerſus Chryſippũ.

Eth. lib. 9. cap. 5. nem scil. amare, nisi delectatus fuerit forma, qui verò gaudet forma, non continuò adamare, sed cum absentem desiderat, præsentiamq; affectat; Sed audio te, speciem respexisse, non individuum. Credo vtiq;. Atqui hoc emisso iaculo omnem difficultatem eludis, non eluis; enim verò quæ primò attribuuntur speciei affectiones, eædem rursus congruunt singulis, quamobrem, vt mihi videre est, cynosuram non attingis. Neque allata exempla mihi videntur efficere, quod optas, siquidem sciendi desiderium acceptum ferendum est voluntati potiùs, quàm naturali inclinationi; Atque licèt insitum habeamus principium scientias appetendi, vtpote nostri perfectionem intellectus, attamen pro corporis temperamento voluntas (alioquin libera) propendet, eligitque, cuius est eligere, non alterius facultatis. Obijcis. Cæcus ex vtero matris fœminas appetitne illarum pulchritudine illectus? Respondeo, effici. Amans enim delectabile, atq; adeò pulchrum appetit. Verùm ais, nunquam pulchritudinem nouit. Qui scis? Respondeo pulchritudinem in Eth. in Aph. Galeno in membrorum congruentia consistere, vt Aristoteli, Hipp. in corporis magnitudine, quare alio sensu quàm oculis percipi potest pulchritudo, cum sit commune sensile: Quin ex Platone addo, pulchritudinem esse gratiam, quę animam per mẽtem, oculum, & auditum mouet, allicitque. Non 9. Eth. c. 12. me fugit tamen, Arist. dixisse, aspectum adamantibus esse amabilissimum, atque per hunc potissimũ oriri amorem. Turpia nonnunquam nos deperire sedulò subijcis. Esto. Sed qui diligit propter morũ, aut animorum fortassis similitudinem, quæ comparem sequitur temperiem, pulchra esse opinatur, qua ratione Empedocles retulit. *Simile similis ducitur appetitu.*

8. Ethic. c. 2. Dial. de Sãcto. Nihil verò refert, reuerane pulchra sint, an falsò, namque Philosophus ait, amare quemque non id, quod est sibi bonum, sed quod apparet. Et Plato. *Amant singuli, quæ bona putant, pulchra, & iusta, contraria odio habent.*

Quæ verò de natura naturãte (vtor Philosophicę militię castrẽsibus vocabulis) & de natura naturata obtruduntur, libenter non admitto, enimuerò saxũ natura deorsum tendit, quod si centies millies sursum proijcias, numquam eò discet ascendere. Naturam verò naturantem, quod renuis, pro varijs circumstantijs mutari contendo.

Comminatus fuerat Deus Niniuitas perdere, & quoniam pœnitentia ducti redeunt ad frugem, pepercit, non perdidit. Fecerat hominem ad imaginem, & similitudinem sui, & quia benè monenti non paruit, pœnituit facti. Ecce igitur, vt Natura natutans mutatur, sed sine mutatione sui, vt inquit D. Ambrosius. (ego Deus, & non mutor) si modò constat, naturam naturatam esse ordinariam Dei prouidentiam, quam Physici fatum vocant, Platonici Adrastiam Parcarum matrem, & naturam naturantem esse extraordinariam Dei prouidẽtiam, quam vocant Platonici fortunam.

Porrò naturalem inclinationem, quò propendeat, certò cognoscere, tua cum pace dixerim, non capio. Quia enim Braffica naturali inclinatione salsum succum, canna, quæ saccharum fert, dulcem, Absynthium, & Colocynthis amarum appetunt, qua caussa Plantas animalia esse, credidit Plato, iucunda enim prosequuntur, & auersantur contraria. An quia propendent, cognoscunt? Minime puto. Apud Philosophos geminum inuenimus appetitum, naturalem vnum, alterum animalem, ille etiamnum inanimatis communis est; hic vt rei cognitionem sequitur, ita Animalium peculiaris est, & quisquis naturalem inclinationem appellarit, errabit. Vide igitur, doctissime Medicorum, vt omnia sunt lubrica.

Supereſt, vt de Philtris meam aperiam sententiam, audio enim te obnixè affirmantem philtris certum amorem conciliari posse, quantumuis nulla intercedat aptitudo. Paucis accipito. Est amor voluntarium pathos, ideòque à Platone voluntaria mors dicitur, & glycypicron Orpheo auctore: vellent enim amantes esse, & viuere in Amata, atque congressu vniri, vt testatur Aristophanes, atqui potentia voluntatis est indistincta, possumus enim velle, nolle, & iudicium suspendere, & è duobus propositis vnum ad vsum deligere, actus verò determinatus. Potentia tota à Deo, actus est noster, accepit enim animus à suo Creatore vim illam volendi, nolendi, at habet à se, quòd definitè velit hoc, aut nolit, qui est secundus, & verus actus voluntatis, ergo libera est in nobis voluntas, viuendi summa libertas, quam nemo præter supremum illum rerum Satorem, Deum Deorum, vt cum Platone loquar, potest dirimere, nedum adimere. Quomodò igitur magicis philtris cogi potest voluntas, & sua spoliari natura? Mitto Arist. & Platonem, quorum alter in Ethicis, nos esse dominos nostrarum actionum à principio usque ad finem, alter in Philosopho animæ rationalis naturam, quatenus intellectum participat, eatenus esse suę actionis dominam confessus est.

Neque inficior tamen multis artibus Puellam reddi posse amantem, sed efficaciter nego definitè tui, aut illius amantem. Sapienter Plato, si quid aliud, de amore uerba faciens. *Non enim vi patitur,* in conuiuio *si quid patitur, nam violentia non tangit amorem, neque vi facit, si quid facit, quisque enim amore in singulis paret.* Ad hæc Philosophus. *Qui agit aliquid coacte, non sponte, tristatur cum illo;* 1. Eth. sed unicuique est delectabile, quod amat, eodem teste, ergo aliena necessitas ab amore. Requiritur animorum consensus, ut uoluptas, amoris præmium, percipiatur.

Cæterùm quid moror, cum à me sit Medicorum, imò sapientium Princeps Galenus, cuius authoritas mihi est instar mille. Audi, quàm facilè Philtra demoliatur eius sambuca. *Porrò Philtrorum, ἀγωγιμων ονειροπωλικων καὶ μιγκτων vocarorum (de industria enim illorum nomina recensui) planè nec si abundè essem expertus, mentionem facere in animum* Lib. 10. de Simpl. med. facult. cap. 1. contra Xenocratem. *inducerem, sicut nec lethalium medicamentorum, aut, vt ipsi vocant, φάτνωσιων. Nam illa sanè ridicula sunt, constringere, ac vincire aduersarios, vt in iudicio nihil possint loqui, aut grauidæ aborsum afferre, aut ne concipiant, deinceps conficere, & quæcumque eius sunt generis. Cæterùm pleraque, vel antequam facias periculum, scire licet esse impossibilia, quædam verò possibilia, at uitæ mortalium noxia.* Hactenus Galenus, quæ si recto iudicio subducantur, cui dubium est, philtra esse in illorum numero, quæ ludicra, & impossi-

possibilia planè sunt. Apage igitur magica philtra, quia sunt vana, fallacia, ridicula, quæ furorem potiùs, quam amorem pariunt. Arist. refert, mulierem quamdam poculum exhibuisse cuidam amatorio, deinde eo poculo hominem mortuum concidisse, eam verò mulierem in Areopagum confugisse, quam præsentem non alia de causa liberarunt, quàm quod non id præuidens effecisset. Eodem modo Cæsonia Caligulam, Lucretium Poetã vxor Lucilla interemit, vt quidam ita testatur. *Liuia virum suum interfecit, quia nimis odit, Lucilla suum, quem nimis amauit: Illa sponte miscuit aconitum, Lucilla decepta furorem propinauit pro amoris poculo.* Neque absimili modo Cornelius Gallus, & Lucullus è medio sublati fuerunt. Huc accedit Ouidianum apophtegma

Nec data profuerunt fallacia philtra Puellis,
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Vera ergo philtra sunto duntaxat, Aurum, affabilitas, facundia, similitudo, formositas. Quicunque aurum personatum amoris vinculum appellauit, quantum in agendis habeat virium, intellexit. Iuppiter ipse per aureum impluuium in sinum Danaes descendit. Casta certè illa est, quam nemo sollicitauit auro. Vlisses cunctis Puellis gratus, & dilectus erat, attamen

Non formosus erat, sed erat facundus Vlisses.

Affabilitatem Græci φίλτρῳ nomine exprimunt, vt significent solos affabiles esse amabiles. Ficinus præter Platonem, & Arist. affirmat, morum, & animorum similitudinem, quam finit naturam quandam in pluribus eandem, in primis amorem parere. Pulchritudinem verò maximè omnium amabilem, Plato dixit. Olympiæ cum renunciaretur, Philippum ab Inda quadam fuisse inescatum, & philtro veluti laqueo irretitum, iussit illam ad se adduci, quam cum videret super omnes formosam, ecce philtron, inquit. Concludamus igitur cum summo amoris Magistro.

Ergo quisquis opem nostra tibi poscis ab arte
Deme veneficijs, carminibusque fidem.
Sit procul omne nefas, vt ameris, amabilis esto.

Hæc sunt, sapientissime Vir, quæ me trãsuersum egerunt & à tua sententia alienum. Si liberè expatiatus sum, ignosce, & Philosophicæ libertati aliquid condona, nuda enim fingitur Philosophia non tam veritatis, quàm libertatis causa. Vale. Idib. Nouemb. M. DC. XIX.

IOANNI STEPHANO MEDICO, Et Philosopho elegantissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Captata occasione inuitat ad mutuæ scriptionis exercitium.

IAm diu ad te scripturio. Obicius noster vir Excellentissimus ostendit mihi litteras tuas latinè, & purè loquentes, humanitatis sale sparsas, & non vulgaris doctrinæ notis insignes. Exinde ad meum in te amorem magnus cumulus accessit, quem cupiebam tibi non ignotum esse. Nec tamen audebam inanibus litteris obstrepere, & mearum nugarum veluti remora tuorum studiorum cursum retardare. Verùm hodie ab Eccellentissimo Bernardo Colle consanguineo meo Epistolium Venetijs accepi cum tribus his, quæ ad te perferenda curem, vehementer rogat. Non mediocrem voluptatem cepi ex oblato ad te scribendi argumẽto. Statim calamum arripui, quidquid in buccam venit, vt vides, exaraui. Si rescribere velis, & litteras ad me mittere, mittam libentissimè cum meis per tabellarium singulis hebdomadis. Gratissimum etiam mihi feceris, si quid ex Philosophia in medium dubitando proposueris, non quòd me eum esse existimem, qui Mineruam doceam, sed quòd tarditas ingenij mei exercitatione indigeat. Multijuga eruditione Vir es, & omnifaria, si quis alius, lectione, & qui suauitatis, & Philosophiæ omnis venus appellari possis, proin quod scribas, tibi semper erit, & cuncta auidissimè legam, vt mœstitiam, qua visendis ægrotis afficior, tuæ elegantissimæ scriptionis expectata lectio expectoret. Vale, & qui te amat, redama, Patri tuo viro optimo à me salutem plurimam. IIII. Idus Ianuarij M.DC.XX.

IOANNI STEPHANO MEDICO, Et Philosopho elegantiori

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Probat sententiam de Amore, suamque de Philtris reponit.

PLacent mihi rationes tuæ contra Hippolyti Obicij Excellentissimi viri de amore decreta. De philtris sentio cum Martino Del Rio, nullius voluntatem his cogi ad quem non vult, amãdum, sed posse imaginationem perturbari, humores cõcitari, & totum corpus interiùs quasi accendi ita, vt quispiam dæmone varijs tentationum illicibus, & illecebris certante, œstro quodam veneris vexetur, & sic vehementi inflammetur desiderio se se cum aliquo in genere miscendi. Quòd si tunc temporis maleficus amator superueniat, & artibus, quibus solent irretiri mulierculæ, muliercula vrgeat, vel dæmon de illo vno tam assiduè memoriã & phantasiam mulierculæ moueat, exhibendo speciem circumstantiarum, propter quas amore dignus, & subtrahendo eas, propter quas indignus videatur, vt in nassam præda cadat, facilè fieri. Hãc sententiam probat Martinus ratione, exemplis, & auctoritate, quæ missa facio, ne aliarum auium plumis, Æsopicæ instar corniculæ, conuestiar. Philtra mihi non ludicra sunt, & impossibilia, sed possibilia, vitæ tamen mortalium noxia, quia sunt venena, vt æluri, lacertæque cerebrum, menstruus meretricis sanguis, stinchus, hippomanes, quæ edenda ueneficæ præbent, sunt tamen & alia philtra, quæ non eduntur, inquit Cardanus, pleromque à mortuorum uestibus, candelis, mensuris, acubus desumpta.

Disquisit. Mag. lib. 3. p. 1. q. 3. sect. 2.

Libro de subtilitate.

sumpta. Galeno qui dæmones non nouerit, iudicra fuerunt philtra, qualia illa, vincire aduersarios, vt in iudicio nihil possint loqui, aut grauidæ abortum afferre; aut ne concipiat, deinceps efficere, & cætera de genere horum, quæ tamen nimis seriò, atque frequenter fiunt. In maleficorum apprehensione iudici primùm obseruandum esse Petrus Gregorius Tolosas censet, ne Rei domum iterum ingrediantur, taciturnitatis medicamentum desumpturi. Hoc enim munuti quoslibet vel sæuissimos cruciatus Spartana fortitudine perferunt. Id componunt ex corde (horresco referens) vel alijs membris, sacro lauacro non abluti infantuli, vi necati, & redacti in puluerem, quem corpori inspergunt, vel occultant. Concionator quidam ex prædicatorum societate, quod se puerum vidisse testatur Illustrissimus Cardinalis Robertus Bellarminus, in Monte Pulitiano Quadragesima cùm vellet concionari, loqui non potuit. Accidit hoc bis, & ter, perspicienſque non secundùm naturam, sed trans naturam esse, in concione tantùm sibi vocem præcludi, votum diuæ Agneti vouit, cui locus dicatus erat, inuenitque maleficij signa in suggestu, capillos inter se colligatos, & alia huiusmodi: illa combussit, & voce recepta concionatus est. Cur etiam in iudicio aduersarius à Dæmone rogato magi vinci nequeat, vt nihil affari omnino possit? Abortum & sterilitatem induci maleficijs, Ioannes Niderius memorabili euincit historia: in oppido scilicet Boltingen Kausanensis Diœcesis eximium quendam maleficum, Stadelein nomine à loci iudice captum, fassum fuisse se in quadam domo in fœmellæ vtero septem infantes per multos annos abortione necasse, & per totidem annos, omnes fœti pecoris fœtus in eadem domo antequàm in lucem ederentur, in matrum aluis se abortu interfeciſſe, posita sub ostij domus limine lacerta, qua amota fœcunditatem inquilinis quasi postliminio reuersuram: cùm autem animalculum illud sub limine quæreretur, nec inueniretur, quia fortasse in puluerem solutum esset, puluerem desubter positum asportatum, & eodem anno vxorem, & pecora fœcundatas. Hæc Galeni loco à te allato obijcere Obicius vir præstantissimus potest. Vale, meque, vt facis, ama. vij. Kal. Quinct. M. DC. XXI. Belluni.

10. simplicium 1.

15. de Rep. cap. 30.

Lib. vlt. Formicarij.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico, & Philosopho præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S.P.D.

Quæritur num Dæmonis vi fœmina cogi possit in alicuius amorem.

DE Philtris quid sentias cum Martino Del-Rio libenter audiui, ego enim, tametsi aliter sentiebam, rationibus, atque exemplis hinc inde decerptis ductus in tuam venio opinionem, quando probati viri auctoritate innitur. Sed vnum mihi eximas scrupulum velim. Faciamus fœmellam frigidissimæ naturæ, cucurbitarum, lactucarum, & similium praui, & pauci alimenti vsu congeneres humores in venis congessisse animum castitati, & pudicitiæ constanter, ceu Daphnen, aut Dianam, addixisse, num cacodæmonis efficacia, & stimulis Veneris œstro irritabitur? Minimè puto, quia materia nihil ad effectum producendum conferens, vt est philosophicum proloquium, nihili rationem subit. Quare cum Ouidiana Puella dici potest.

Multi illam petiere, illa auersata petentes
Impatiens, exorsque viri nemora auia lustrat,
Nec quid hymen, quid amor, quæ sint connubia, curat.

Cum verò Dæmones substantiæ sint finitæ, atque adeò finitæ virtutis, ineptissimam, & reluctantem Virginem inflammare, & cupidinis igniculos suscitare nequibunt vel si Rubetæ vepreta colentis officula siniſtri lateris obijciant, aut Staphylinum, queis amorem excitari scripsit Plinius, vel si Pasiphaes genium insinuent. Quod cum non accidat frustra phantasiæ simulachra, & idola offeruntur. Testantur quidam, homines frigidioris naturæ audiuisse, qui in congressu plus laboris quàm voluptatis se percepisse fassi sunt. Psellus tamen ait. *Sicut aer præsente lumine colores, & formas accipiens traducit in illa, quæ naturaliter accipere possunt, sicut apparet in speculis rebusque quasi specularibus, sic & dæmonica corpora suscipientia ab ea, quæ intus est essentia phantastica figuras, atque colores, & quascunque ipsi voluerint formas in ipsum animalem, nostrumque spiritum transmittunt, multa nobis negotia præbent, voluntates, & consilia suggerunt, formas subindicantes, suscitantes memorias voluptatum, simulachra passionum frequenter excitant vigilantibus, atque dormientibus. Nonnunquam femora nobis, ac inguina titillantibus insanos, & iniquos amores subijciunt, & subacuunt præcipuè verò si humores calidos humidosque ad id facientes nacti fuerint.* Hactenus Psellus. Rogo te mi Ragozi, vt me diligas.

Nat. Hist. li. 32. c. 1. & li. 20 cap. 5. Riolanus.

IOANNI STEPHANO
Medico Elegantiori

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S.P.D.

Respondetur dubijs.

FOemellam frigidissimæ naturæ, quæ paucis, & cacochymis cibis assueta frigidos, & crassos humores in venis congessit, & illæsum pectoris pudorem nullos non per annos seruare constituerit, Veneris œstro Cacodæmon inflammare potest. Quamquam enim finitæ substantiæ, & virtutis sit, potest tamen facere, quod etiam facit natura. Res frigidissimas natura excandefacit, plumbum, ferrum, terram, aquam, pituitam, saxa. Cur etiam Cacodæmõ frigidissimæ mulieri amoris faces subdere non poterit? Has quidem faciliùs subdet virgini calidioris temperamenti, & cibarijs euchymis infarctæ. Quæcumque enim habent cognationem adinuicem, velox horum transmutatio est; quęcunque autem non habent, tarda, inquit Arist. sit quãtumuis frigida Mulier, nonne vterum habebit? At vterus nonne animal generandi auidum dicitur à Platone, quod, quando procul à fœtu per ætatis florem,

2. de gen. corrupt.

in fine Timæi.

florem, aut vltrà diutiùs detinetur, moram ægrè ferat, ac plurimum indiguetur, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludat, respirare non sinat, extremis vexet angustijs? Diuus Franciscus nonne sanè quàm parcè, & promiscuè vescebatur? & tamen à Cacodæmone terra libidine succensus fuit, vt illius auertuncandæ gratia, durissimo, quo præcingeretur fune se nudus verberauerit, neque hilum verberibus proficientibus, septem ex nine Montes, quot sunt Thebarum portæ, & Nili ostia, constituxerit, & sedes hæc, dixerit, ò corpus vxor tua est. Diuus Hieronymus nonnè fatetur Eustochio, quamuis solitudinem incoleret, nihil coctum comederet, aquam potaret, in suo frigido corpore, & quasi mortua carne, sola libidinis incendia pullulasse?

Diuam Catherinam Senensem, quæ à pueritia carnium esum auersata, solum panem, & olera comedit, & viginti annos nata, pane penitus omisso, sese herbarum succo, donec vixerit, enutriuit, & ad quintum vsque supra decimum annum vini momentum bibit, idque non aquosum duntaxat, sed quasi meram aquam, & illo deinceps omninò abstinuit, & plures dies ieiuna sæpius permansit decumanis impudicorum tentamentorum fluctibus à Cacodæmone legimus iactatam. Ne credas igitur doctissime Ioannes mulierculam frigidissimæ temperaturæ, & frigidissimis cibis altam amoris calcaribus non fodi à tenebrarum principe, & virtuti imaginatiuæ simulachra incassum offerri: concepta in imaginante virtute pulchra forma, nolentes etiã rapimur ad amorem testante Cardano. Sacerrimus ille stygius dolorum fabricator optimè scit formosissimas species Phantasiæ, cuiuscunque velit, exhibere, & amoris laqueo volentem, nolentem irretire. Nec tamen necessitate absoluta quenquam ab eo cogi aio, sed tantùm vehementi persuasione, & valida inclinatione. Miracula propriè dicta, quæ sunt effectus producti præter, & suprà naturę naturatæ vires, & leges, dæmon edere non potest, sed multa mira secundum quid, seu respectu nostri, qui ea admiramur, quia causas ignoramus, nõ admiraturi, si causas calleremus. Mira hæc, quæ de Dæmone narrantur. Vuierus vir hæretica prauitate infectus, quâ falsa, quâ ludrica simulauit se putasse non ex animi sui mente, sed pœnæ formidine, quia ob magiæ crimen pœnam mortis, si Crespeto credimus, vereretur. Vale, & scribere ad me perge. Studia enim mea non interpellas, sed adiuuas, & hisce feruoribus deficientia, velut adspersa frigida refoues.

e subtil. li. 3.

Discursu 3. de odio Satanæ.

Ego, quia te mutuò diligo, libentissimè rescribo: si serius, quàm velles, tuæ humanitatis erit ignoscere, & occupationes meas agnoscere. Iterum Vale. Pridie kal. Quinctilis. M. DC. XXI. Belluni.

IOANNI STEPHANO
Medico Eruditissimo

LAVRENS RAGOZIVS. S. P. D.

ARGVMENTVM.

Quibusdam dubijs, quæ desiderantur, respondet; mentem scilicet humanam esse immortalem, & si foret organica cum Huarte. Non censendum esse dæmoniacum, quicumque externo idiomate loquitur. Verbis, & characteribus nullam efficiendi vim inesse secundùm naturam. Lamiarum tactantiam non omnino esse vanam. Hecticos posse restitui, ni sint tabidi. Grammatici superbi. Sapientes cur verecundia maximè afficiantur. Cur ijdem plerumque stultos filios suscipiant. Cur hominum liberi figura, & aspectu alienos aliquando referant, reliqua Animalia fœtus sibi simillimos semper pariant. Cur mulieres, quæ ex vetito concubitu concipiunt, difficulter abortiunt. Lunam propria, sed exigua, luce non destitui. Quomodo vacuum, quod non est, efficiat.

HOrtus meus, præ hyemis fœuitia fructus ægrè tulit, & insuaues, quos tamen ad te misi, vt tuis suauissimis permutarem, sicuti dicto citiùs mihi contigit. Nè graueris philologum detegi, nomen enim philologię tàm latè patet, vt omnes laudandas artes, & scientias complectatur. Philologus Athæneus est, Plutarcus, Galenus, & quicumque scientiarum vtile cùm dulci eloquentia, non barbarè commiscent.

Intellectum, potentiam organicam esse, certumque qualitatum concentum ad benè agendum, & ad permansionem in corpore desiderare, nec tamen subire mortem tibi assentior propter eas, quas attulisti, rationes fusiùs allatas ***. Mercatus nõ subsannat Galeni doctrinam, sed eum malè à plerisque intellectum esse censet, explicat ergo, & in suam sententiam trahit. Assecla Arist. est, intellectum inorganicum statuens, & agere per solam ad Phantasmata conuersionem; & primis qualitatibus non obnoxium. Arist. vagus, & ambiguus non est, sed sibi constat; Sententia Arist. hæc est, non totam animam rationalem, sed partem duntaxat, mentem scilicet, siue intellectum immortalem esse. Antiqui Philosophi, sicut Petronianus ille Trimalchio vxori, tribuebant omnia materiæ: Arist. addidit efficiens. Hæc duo principia æqualiter voluit se habere.

cap. 6. & 7.

1. de part. anim. c. 3.

Iusta pari premitur veluti cum pondere Libra
Prona nec hac plùs parte sedet, nec surget ab illa. Tibullus lib. 4.

Sed maiorem vim debuit efficienti tribuere, quoniam aliquæ formæ; quamuis accidentales nõ conseruantur in subiecto, sed à præsentia efficientis, vt lumen à præsentia solis. Cognouit Arist. vegetalem animam sine sensuali, & rationali esse, rationalem in mortalibus nunquam esse sine alijs duabus, vt Æneas nunquam sine Achate in Virg. Putauit hoc à materia proficisci, non ab efficiente, cùmque vegetalem, & sensitiuam materiales esse non ignoraret, rationalem etiam illis superuenientem materialem esse existimauit.

Sed si nos dicimus, efficiens esse maioris virtutis, quàm materia in naturalibus, sequetur necessariò, si efficiens supernaturale accipiamus, illud multò etiam maioris virtutis fore. Cùm Deus sit huiusmodi efficiens, nihil prohibet humanam animã, etiam secundum Arist. Philosophiam à Deo effici, & corpus informare, nec tamen materialem esse, quia etiam in naturalibus à naturali efficiente for-

ma producitur, quæ materialis non est, nisi quatenus materiale subiectum informat, vt lumen, quod
2. de Anima tex. 69. est actus perspicui, secundum, quod est perspicuũ, teste ipso Arist. Qui in cognitione animæ dormitauit. Nemo nostrum non peccat, homines sumus non Dij (inquit Petronius.)

Fuit Arist. acerrimi ingenij, & altera natura, vt eum vocat Scaliger, homo tamen, non mirum igitur, si totiùs humanæ animæ immortalitatem non nouit, quam sola fide cognosci posse, nonnulli rentur. Ego tamen naturali rationis lumine cognosci,
Scotus 4. sent. d. 43. q. 2. Caiet. super 3. c. Ecclesiastici. & firmis rationibus euinci posse cũ Pererio puto.

Qui peregrino idiomate loquatur, non semper censendus Dæmoniacus, modò melancholicus, prout dæmonis, vel melancholiæ signa elucescent. Et quamuis expurgato pharmacis nigro humore peregrinus sermo desinat, hoc non est necessarium melancholiæ argumentum, quia dæmon etiam illa corpora derelinquit, in quibus non sunt amplius amicæ illi dispositiones, quæ atræbilis euacuatione tolluntur. Qui peregrina vtatur dialecto, aliquando dæmoniacum esse ex historia, quam narrat
2. de abd. rer. caus. Fernelius, facilè cognoscas. Iuuenem quendam peritissimi Medici torqueri conuulsione Epilepsiæ finitima à maligno, venenatoque vapore spinæ dorsi impacto censuerunt. Accommodatis remedijs id malum non cessit, quoniam omnes longè aberant à cognitione veri. Nam mense tertio primùm deprehensus dæmon quidam totius mali auctor, voce, insuetisque verbis, ac sententijs tùm latinis, tum Græcis, (quanquam linguæ Græcæ laborans esset inscius.) se prodens, & multa assidentium, maximèque modicorum secreta detegebat, ridẽs, quòd eos magno periculo circumuenisset, quòdque irritis Pharmacis corpus hoc pæne iugulassent. Hactenus Fernelius. Potuit dæmon medicos illos decantato prouerbio incessere, Accesias medicatus est, qui cuidam medens pedum dolore laboranti, dolorem auxit. Ludouicus Cœlius Rhodiginus rusticos à dæmonibus obsessos latinè, ac græcè plerunque loqui animaduertit. Olim Sybillæ melancholico abundabant humore, si Arist. credimus, eoque incalefacto vaticinabantur. D. tamen Augustinus inquit, Sybillas in ijs, quæ de Christo, & alijs ad salutem humanam pertinentibus rebus prædixerunt, à Deo afflatas fuisse.
2. sect. ant. c. 13.
30. sect. probl. 1. lib. de ciu. Dei.

Figuris, characteribus, verbis, nulla vis inest, nequequidquam secundum naturam ijs efficitur, sed duntaxat trans naturam, vt Ferneliana dicendi formula vtar, ex constituto scilicet, quùm dæmones illa sibi signa constituerint, & quasdam quasi tesseras militares, aut pacta conuenta. Quibusdam verbis in taurinam aurem insusurratis, humi bellua, ceu mortua, procumbit, non vi verborum, sed dæmonis, quo cum pactum intercedit. Canum latratum, & inuasionem alij quibusdam verbulis illicò compescunt, eiusdem vi dæmonis, & pacti. Pariter quando effectus aliquis, figurarum, seu characterum vsum sequitur, id totum à dæmone fit.

Lamiarum iactantia non omnino vana est, innititur enim pacto cum dæmone siue explicito, siue implicito. Nequeunt tamen aquam fluuijs sistere, & sydera retro vertere, & vno verbo dicam, quæ principijs, & ordini naturæ aduersantur, efficere non possunt; soluere mentes carminibus, & alijs diras immittere curas queunt, variè afficiente imaginationem dæmone, & humores corporis nostri variè concitante, prout Amor, vel odium, vel alia passio animi requirit. Quæres cum Luc.

Quis labor hic Superis cantus, herbaſque ſequendi, Lib. 6. Phar.
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obſtrictos habuere Deos? parere neceſſe eſt,
An iuuat ignota tantum pietate mereri,
An tacitis valuere minis? hoc iuris in omnes
Eſt illis Superos? an habent hæc carmina certum
Imperioſa Deum, qui Mundum cogere quicquid,
Cogitur ipſe poteſt?

Nullus dæmonibus labor est sequendi, timor nullus spernendi cantus, atque herbas. Pactum fit à Magis in verba dæmonis sacramentum iurantibus, & eidem, ceu domino tanquam legitimis gladiatoribus corpora, animasque religiosissimè addicentibus, vt dæmon ipse morigeretur. Dæmoni parere necesse non est; ab hominibus enim cogi non potest, vt stet promissis. Cùm stat (quod facit nunquam) non stat coactus, sed sponte, vt arctius miseros irretiat, & celeriùs perdat. Magi non pietate merentur, nec minis, sed impietate, & malitia.

Magis ius non est in omnes dæmones, sed in cacodæmones. Habent imperiosa carmina certum Deum, nempè cacodæmonum principem, qui tamen nec cogitur, nec cogit.

Hectici possunt sanitati restitui, dummodo non sint tabidi. In tabidis calor celeriùs extinguitur, totumque corpus tabescit instar arboris supra modum arefactæ, inquit Galenus, Quia verò hectica febris in habitu est, non facilè curatur, curari tamen potest, principium curationis est per contraria, vt in alijs morbis.
1. de diff. febr. c. 8.

Grammaticos superbos esse, quia plurimum memoria pollent, parum imaginatione, minimùm intellectu, tecum conuenio. Alij tamen dicunt eorum superbiam ab inscitia, tanquam à fonte, & scaturigine prouenire, cum autument Grammatici in verbis positam esse veram scientiam, non in rebus.

Non dum apud Arist. legi, mulieres nihil iucundiùs membris genitalibus aspicere, quæ audire, & videre Sapientes pudeat. Causa tamen adscribo appetitioni, quàm ex natura ipsa arripuerunt, ad quam non doctæ, sed factæ, non institutæ, sed imbutæ sunt, vt marẽ appetant, ceù pulchritudinem turpe, & materia formam.

Pudet sapientes audire, & videre membra generationis ob timorem infamiæ. Habent in ore, & in mente versiculum illum.

Venter, Pluma, Venus, laudem fugienda ſequenti.

Verecundiam passionem esse intellectus tibi concedo, affirmante Arist. VI. Topicorum, ni fallor; Hęc autem mulieribus ab omnibus assignatur, & videmus pleraſque, exceptis meretricibus, verecundas esse. Si verecundæ non carent intellectu. Vellem fœminarum amorem mihi conciliare, ideò libenter earum causam suscipio. Nollem ab ipsis, vt olim Orpheus, discerpi. Caue tu, loricam indue, si natura negat, facit indignatio fœminis virtutem.

A sapientibus filios suscipi stultos, & imbecilles, quia vires intellectus naturalem potentiam refrin-

gant,

gant, rem acu tetigisti. Vtrum autem hoc, vt plurimum eueniat, an raro, ambigo, quia multi sapientes, filios etiam sapientes susceperunt. Iulius Cæsar Scaliger Iosephum, Titus Stroza Herculem. Ianus Donsa Ianum, Ioannes Heurnius Otthonem, Nicolaus Cordosus popularis noster Petrum, & alij alios, quos data opera prætermitto.

Cur homines aliquando sibi generent liberos sibi aspectu, & animi moribus dissimiles, cætera animalia similes, imaginationum diuersitati acceptum fert Arist. Inquit enim hominem vago, varioque vt plurimum animo esse in coitu, prout autem pater, materque in conceptu affecti fuerint, ita partus euariare; cætera verò animantia omnia, aut certè plurima rei tantùm ipsi intendere, totaque se Veneri dare. 10. publ. 12.

Ego tamen acceptum fero potiùs alimētorum, & proinde seminum diuersitati, cùm bellua semper vno, eodemque vtantur victu, vt optimè adnotasti. Inuitus Aristotelem derelinquo.

Mulieres, quæ ex vetito congressu concipiunt, difficulter abortiunt, vxores castæ facilè, quia illæ ex virili semine crasso, & cocto, hæ ex tenui, & crudo grauidantur, vt perbellè soluis.

Obseruani vxores etiam difficulter abortire, si ex crasso, & cocto semine cōceperint. Multis enim vtero se gerere nescijs vena tali secta est, nulla subsecuta abortione.

Hactenus ad priorem epistolam tuam. Venio ad alteram. Qui statuunt in Luna propriam lucem à Sole non emanantem, tàm exiguam afferunt, vt eclipsim non subterfugiant, in qua eclipsi hæc exigua lux lunæ propria inter terrenæ vmbræ tenebras rubidam se videndam exhibet.

Fuga vacui videtur mihi finis potiùs, quàm efficiens, & licèt vacuum, vt acutè obijcis, nullam boni rationem, quam exposcit finis, habeat; habet tamen fuga vacui, hæc autem continuitas est, quam sic efflictim natura amat, vt ad fugiendum vacuum oēs neruos intendat. Vale vij. kal. Febr. M.DC.XX.

IOANNI STEPHANO
Medico Eruditissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Proponit diluendas difficultates. Cur lunæ corpus à Sole non lustratum totū nihilominus cernatur. Quomodo vacuum, quod non est, trahat. Hipp. fœminas calidiores viris ponit. Arguitur, Rorarius reijcitur. Cur Numidæ dicantur infrænes, &c.

ACcepi tuas litteras, & vt sæpiùs accipiam, nōnulla scribam non præstantissima, ac pulcherrima, qualia à me expectas, sed vulgaria, ac trita, quæ tamen negotium mihi facessunt. Obseruani præteritis diebus, dùm lunæ cornua tenuta essent, & lucida, reliquum lunare corpus à sole non illuminatum subluſtre tamen; nec adhuc inueni hoc ab alijs obseruatum fuisse, nisi à clarissimo Liceto. Fac me certiorem, vtrùm hoc vnquam obseruaueris. Cur autem pars lunaris globi à Sole non illuminati conspici à nobis aliquando possit, nullam aliam scio causſam afferre, nisi propriam ipsius Lunæ, & reliquorum siderum lucem, quam à Sole non mutuantur. Lib. 3. de visu c. 35.

Hæc propria Lunæ lux Lunaris globi partem à Sole non illustratam oculis nostris obiicit, nisi vapores, & nubeculæ interponantur, aut maior lux illuminatæ partis, minorem partis subluſtris sæpenumero extinguat. Singulis tamen Mensibus dùm post coniunctionem Luna apparuerit, statui obseruitare, an pars à Sole non collustrata conspiciatur, necne, idemque tu etiam facias, rogo.

Sed Cœlo descendo, grauis sum, remigio alarum diutius esse sublimis nequeo. Inter varias attractionis causas recēsetur vacuum, & ratione vacui attractio fieri vulgo dicitur.

Ego adeo rudis sum, vt hoc non intelligam. Quomodo vacuum, quod non est, si Arist., & veritati credimus, potest aliquid efficere? Fuga uacui est finis, non efficiens, cur grauia sursum attrahantur. Scire aueo efficientem causam: hæc natura nō est, quia motus grauium secundùm naturam deorsum est; erit ergo uiolentia. Si uiolentia, cùm nullum uiolentum perpetuum sit, cur is grauiū ascensus, Aquæ exempli gratia in fontibus artefactis ad prominentes, quibus euomitur, Siphones perpetuus est? Tuam mihi sententiam exprome. Ego, cur in fontibus artefactis aqua ad Siphones ascendat, causam assigno, decliuitati, & angultiæ loci, & aquę antecedentis impulsioni. Delabitur fontis aqua per plumbeos, pineosue tubos, & quando ad Siphones peruenit, non ascenderet, sed relaberetur, aut consisteret, nisi obstaret subsequens aqua, quæ priorem impelleret, hæc impulsa, qua data porta ruit, scilicet per Siphones si hæc tibi uera causa fontanæ aquæ ascendentis uideretur, hostiā musis immolarem, ut Pytagoras, cùm nouum quoddam Geometricum theorema inuenisset, sed quam causam asseremus, cur altera parte angularis stanneæ fistulæ posita in situla plena aquæ, altera extra situlam propendente, si semel tantum ore aquam per fistulam attraxerimus ad abluendas manus, tota aqua ab ima usque situla per fistulam extollatur, uasque omninò depleatur, ni fistulam inde auferamus? motus ab altero quatuor sunt, pulsio, tractio, uectio, uertigo. Ex Arist. Tractio principium motus aquæ largitur; sed cur definente tractione non desinit aquæ ascensus, & effusio? Cur si aquam ore attrahimus per tubulos uitrearum ampullarum, quibus sactitici utuntur, remoto ore à tubulo liquor non effluit? Nulla mihi occurrit ratio, præstat inscitiam fateri meam, quàm inani aliqua ratione me tibi deridendum propinare. Diceret aliquis, aquam per fistulam ascendere, ne detur uacuum: ore enim primo aerem fistula inclusum trahimus, quem nisi aqua sequeretur, uacuum in illa fistula existeret: At dum ore attrahimus aquam per uitrearum ampullarum tubulos, ore à tubulis dimoto non emanat aqua, quia non potest ibi dari uacuum, cùm aeri pateat ingressus. Hæc ratio à uacuo desumpta satis ingenio meo non facit. Vellem discere efficientem causam. 7. Phys. tex. 10.

A vacuo transeamus ad plenū, cuius arbitrium, vis, &

vis, & norma penes fœminas est: Calidiorem sanguinem mulier habet, ideòque uiro calidior est, inquit Hippocrates. Parcant Hippocrates manes, nõ credo. Nec Nicolai Rorarij solutio placet, mulierem calidiorem uiro per accidens esse ob arctiores cutis meatus. Reclamat eodem loco Hippocrates, qui mulierem rariore, & molliore carne esse, quàm uirum censet, ergo latiores etiam cutis meatus mulier habebit, si memoria tenes, quomodo Patauini professores Hippocratem tueantur, mihi scribe; adhuc enim nihil excogitaui, in quo mens conquiescat. Sed hæc forsitan latentiora sunt. Numidę infrœni à Virgilio dicuntur. Infrœnos exponit Seruius sæuos, aut qui equo sine fræno utuntur, posterior arridet expositio. Nam Herodianus inquit, Numidas iaculatores optimos esse, atque equitandi peritissimos, sic ut equos etiam infrœnos uirga tantùm currentes moderentur. Vnde Silius.

4. Aen.

Lib. 7.

Hic passim exultant Numidæ, gens inscia fræni.
Quis inter geminas per ludum mobilis aures,
Quadrupedem flexit non cedens virga lupatis.

Si quid de Numidis infrœnis, apud alios Auctores notasti, admoneas. In eodem Herodiano, vertẽte Politiano, mentio sit auroſæ arenæ. Nusquam alibi hanc vocem auroſam legi; si tu legisti, me doceas; vide, quantum te amem, qui satis pro imperio scribam, humanitate tua, & eruditione fretus. Par Pari refer, & vale. Belluni xiiij. kal. Febr. M.DC.XX.

Hæc scripseram, cum altera à te mihi reddita epistola est, quò longior, eò iucundior, cui si seriùs fortasse, quàm velles, rescripsero, in rerum, quas proposuisti, multitudinem, & præstantiam, inq; occupationes meas culpam transfer. Iterum vale.

IOANNI STEPHANO
Medico Eruditissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Quid logos. Quomodo Dæmoniaci à melancholicis distinguantur. In hecticis non esse omninò peruersum temperamentum. Cur imaginatio nil extra corpus queat efficere. Reijcitur Auic. Striges nequeunt sola imaginatione fascinare.

LAudari à laudato viro gaudeo, & explico Pauonis instar alas, sed cum porrò intus, & in cute me respicio, vt cum eadem volucris pedes, doleo, & tuum in me amorem tibi palpum obtrudere. Gratum mihi est te quædam reuoluere, vt ex crebris silicis ictibus ignis excuditur, ita ex crebra rerum reuolutione veritas.

Logos Græcis non solùm verbum, & orationem sed definitionem etiam, & rationem significat, & in numero multitudinis, logi, studia litterarum, & disciplinas liberales. Philologus igitur non solùm loquax, aut verborum amator Græcis est; sed etiam, qui alios loquentes, seu differentes libenter audit, item litterarum studiosus, uel litteratus, seu doctus; & Philologia differendi de re aliqua studium est, & studium seu amor litterarum. Extant Guilielmi Budæi de Philologia libri duo pulcherrimi ad Henricum Aurelienſem, & Carolum Angolisinenſem Regis filios, vbi Auctor philologiam vocat, quæ intra sua, veluti pomœria omnes pènè scientias non sine suspicione curiosæ auiditatis concluſit. Itaque differt aliquando philologus à Philosopho, vt cõmunius à particulari, vt nobilius ab ignobiliori; nec semper Orator à sapiente discrepat & causarum perito, cum Oratoris ars definitam regionem aliquam non habeat, cuius cancellis circumscripta sit, sed plena perfectaque esse nequeat, nisi de omnibus rebus, (si eloquentiæ parenti Ciceroni credimus) varie posſit, copiosèque dicere. Mercatus, si Galeni doctrinæ toties, vt obseruasti, sine causſa obnititur, alium sibi mercetur defensorem. Amicus mihi Galenus est: qui parum Galeno amici, nullam à me gratiam ineunt. Mercati de mulierum affectionibus libros quattuor legi, in illis non aduerti, eum tàm facilè Galeno nostro aduersari, medicam eiusdem Praxim non totam percurri, carptim tetigi, in hoc forsasse Galenum dente appetit. Sed dicet Galenus cum Plauto. Auxilia mihi & suppetiæ domi sunt, apolatizo inimicos omnes. Illud tamen non tàm Mercati, quàm gentis, & sæculi vitium dixerim. Hispani innato quodam fastu alios proculcant. Auerroes Cordubensis est Galenomastix. Ab vno disce alios. Seculum hoc ferreum rectà non grassatur ad gloriam, decus ex alieno dedecore venatur, & ex alienis incommodis sua commoda, sic fatetur ad tantam inertiam peruenisse, vt se tollere humo nisi aliorum deiectione non possit. Hinc tot petulantes & proterui libri, hinc tot apologiarum myriades. Ne teneat nos vnquam hoc scribendi cacoethes. Frangamus potius calamum, & litteras dediscamus, quàm ipsis, Ioannes iucundissime, abutamur. Fateor me Huartem legisse, & eiusdem mastiges etiam Antonium Posseuinum, & Thomam Garzonium: si auctorum multitudine nitor sententiam meam aliquando confirmare, tibi gratias habeo, qui torpentem excitas, & librorum meorum puluerem excutis. Lætare exiguam doctrinam meam à te tàm strenuè oppugnari, vt iamiam procumberet, nisi adminiculis sustentaretur. Tu libros habes in memoria, si Venetijs reliquisti. Cupis intelligere, quomodo à Dæmone vexatus, & ab atro humore, inuicem discernantur. Dicam, si sciam. Hoc enim argumentum per difficile mihi videtur, nec fateor me illud plenè adhuc assecutum. Dæmoniacus, si sacra, diuinaque verba coram legentur, ferociùs subsultabit, & inhorrescet, & cum intermissio erit ferociæ, omnium meminerit, quæ inuitum se pertulisse fatebitur, & solis remedijs naturalibus non curabitur, melancholicus sacris prolatis verbis non asperabitur; eorum quæ delirando effutiuerit, memoriam non tenebit, naturalibus auxilijs morbum euadet. Detegunt etiam dæmoniaci aliorum secreta, & colloquia ordine referunt, quod melancholici non faciunt. Narrat Io: Heurnius, se dum medicinam Vltraiecti faceret, dæmoniacum mania implicitum inuisisse decumbentem cubiculo à primo angustarum ædium limine remoto. Hoc in limine à socro eius tenui alloquio de morbo excipi solitum. Hinc cum ad ægrum ab ambobus ventum esset la-

set ad laborãtem, vtriusq; verba ordine retulisse, & horrendo vultu toruum inspiciente illusisse, sed, quod magis mirabere, affirmat mihi Æneas Pisanus Cathedralis ædituus pietate, & doctrina vir insignis à Theologis omnibus inter præcipua dæmoniacorum signa peregrinos sermones recenseri, nec censet ipse fieri natura posse, vt alterato quantumuis cerebri temperamento aliquis illâ dialecto loquatur, quam nunquam didicerit, & vtitur illa cõtrita vsu in Peripato ratione. Nihil in intellectu est, quin priùs in sensu fuerit. Nos duo turba sumus qui aliter sentiamus, huiusque sententiæ semina nobis iniecit, puto, olim Huartes.

Per duodecim circiter annos, quibus ægros inuiso, neminem offendi, qui in delirio incognita lingua vteretur; Interrogandi verò erunt Veneti, & Patauini Asclepiadæ, qui sæpius tales ægrotos inuiserint, & signa dæmoniacis, & melancholicis propria nos docebunt. Principium sanitatis, vt optimè nosti, in hectico duplex est, natura, & ars; Hæc contraria remedia adhibet; illa in actum deducit. Nec enim omnino peruersa, & permutata natura in hectico est; si omnino peruersa, & permutata esset, abijsset morbus, inuasisset mors. Et iam hectica feb. vt quæcumque alia, conuersio est nativæ caliditatis in igneam, sicut diuinè Galenus definiuit, non autem nativa caliditas in igneam conuersa, quia donec permanet feb. & febricitans viuit, nativa caliditas secundum partem ignescit, secundum alteram nativa persistit, si tota in igneam conuersa esset, ægrotus viuere nõ posset, cùm illa præcipuum actionum omnium instrumentum sit.

Hominis anima semper producitur vsque ad mortem, sin autem ignescat, simul cum morbo, & anima corpus depascitur, inquit Hipp. Hominis animam interpretatur Galenus naturalem calorem, qui corpus depascitur, dum ignescit; & interimit, dum igneus factus est; Nam quodcumque suis mutatum finibus exit. Continuò hoc mors est illius, quod fuit ante.

Igneo calore suis mutatum finibus corpus nostrum exit, & consequitur mors. Legi Arist. caput à te mihi propositum, nec tamen inueni, quod indagabam, nihil gratius fœminas genitalibus membris intueri. De naturalibus substantijs immortalibus hæc quidem Arist. & eleganter dixit, sed nihil ad rem nostram faciunt. Res namque illas superiores, tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cum hæc nobis iuncta omnia tenemus: quemadmodum quamlibet partem, minimumque corporis nostrarum puellæ deliciarum vidisse gratius, ac iucundius est, quàm cæterorum hominũ membra tota prospexisse, & contrectasse.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.

Hæc tui Laurentij facies erit, à quo fugit hic Arist. locus, quem in Arist. quærit.

Ego statim me ad lenitatem dedi, scripsi, & placatus sũ. Nihil metasyncritico opus est, dolorabijt. Doleo duntaxat res tibi minùs secũdas esse, vt tuis litteris significas, sed rerum omnium vicissitudo est. Secundæ fient, Interim virtus tua, quasi aurum igne perficietur. Auicennas imaginationis vim putat tam longè, latèque patere, vt possit remotiora corpora fascinare, pluuias dimittere, & alia admiranda parere, animæ enim præstantioris imperio, quæcumque materia constant, simplicia, mixta, cœlestia, terrena obedire. Sed hęc obedientia soli Deo tanquam omnipotenti à rebus omnibus exhibetur. Ideò refellitur hæc Auicennæ opinio à Laurẽtio Anania, Martino Del Rio, Thoma Garzonio, & compluribus alijs, quorum scrinia compilanda mihi non videntur. D. Thomæ imaginatio in corpus imaginantis omnia potest, quæ naturalem cum imaginatione conditionem habent, qualis est localis motus in sopitis, alteratio per frigus, & calorem, & quæ huic alterationi contraria sunt. At in corpus alienum ab imaginante disiunctum humana anima per imaginationem efficere nihil potest. Imaginatio enim actio immanens est, proinde anima imaginans nullam quit qualitatem realem rei remotæ imprimere. Striges igitur solius vi imaginationis corpora inficere, & fascinare nequeunt. Nequaquam rectè facit, qui citò credit, (inquit Petronius.) Non credo, te hoc credere, sed tentandi mei gratia, te scripsisse. Quomodocunque se res habeat; vellem tecum in omnibus conuenire; sed tamen in aliquibus dissentio.

Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem.

Nisi te amarem, tibi blanditer, si affirmares, affirmarem, si negares, negarem. Sed tunc, quis fructus nostræ scriptionis esset? Vim patitur veritas, & violenti rapiunt. Sicuti nux pinea malleo frangitur, vt eruantur nuclei, sic densissimus humanæ insciticæ globus perrumpendus est ingenuis, & modestis disceptationibus, vt aliquid sciamus. Si modestiæ fines meis ad te litteris tibi vnquam transire videar, ignoscas. Nollem factum; peccatum autem in voluntate positum est; hac sublata culpæ expers sum. De longitudine nihil dico, longiores, quàm Philoxenus gulam, litteras à me optas, volo, vt vis. Si tamen tot nugas meas fastidire incipias, vindictam sume, longitudine longitudinem lege talionis vlciscere, merui, nec deprecor, imò rem mihi persanè gratam facies. Vale. Non. Feb. M. D C. X X. Belluni.

IOANNI STEPHANO
Medico Eruditissimo

LAVRENS RAGOZIVS. S. P. D.

ARGVMENTVM.

Galenica definitio defenditur. Hectici temperamentum non esse omnino subuersum. Tinnitus aurium nihil significare. Benioin manu detentum impedire stuporem à Torpedine inductum. Cur canes obmutescant Hyenæ vmbra. Quid fascinatio, quotuplex, & quanta possit. Quid imaginatio valeat, an extra corpus imaginantis vires suas exerat.

NOn molestiam, sed voluptatem afferunt mihi litteræ tuæ, ideò caue putes me illas vnquam discussurum esse. Lego, relegoque rescribo, ne hoc epistolare, vt ita dicam, commercium nostrum si-

lentio

lentio alterius auferatur. Nõ probas Galenicã feb. definitionẽ; feb. ſ. eſſe natiuæ caliditatis conuerſionem ad igneã, quia feb. natura ſit affectio, & forma ſubiectum denominãs, non autẽ paſſio, quæ in motu poſita eſt: Sed hoc Gal. qui cũctis Medicinæ Authoribus ſplendore quodam ſuæ celebritatis tenebras offudit, minimè ignorauit: *ſiquidem feb. ſubſtantia (inquit) in genere caloris, qui eſt præter naturam conſiſtit.* Feb. conſiderari poteſt, vel quatenus fit, vel quatenus facta eſt. Quatenus fit, per motum definitur, vt clarè nos docet Gal. *Feb. verò ortus (inquiens) caloris natiui ad igneam eſt conuerſio.* Quatenus facta eſt, definitur per terminum, nempe per calorem præter naturam. Miror, qui velis Hectici tẽperamentum eſſe omnino ſubuerſum, & nihilominus calorem, qui ad munera vitæ exigitur ſupereſſe. Si omnino peruerſum eſt temperamentum, nullus vitalis calor eſt, ſed tantùm lethalis;

1. de differ. feb. cap. 1. & alibi.

1. de Rat. vict. in morb. acut. 18.

Virg. 2. Aen. *Præſentemque viris intentant omnia mortem.*

Nonne temper. cum ex omnibus primis conſtet qualitatibus vitalem illum calorem comprehendit? ſi totum peruerſum eſt temperamentum, calor etiam, qui pars eſt illius temperamenti, peruerſus vno, & eodem tempore erit.

Quomodo ſpiritualis ſubſtantia ſine realis qualitatis effluuio, ſi ſcheſim nanciſcatur eminus plurima poſſit efficere, capere mente neſcio; obtuſitatem meam agnoſce, ignoſce. Hac ratione reris his tinnire aures, de quibus alibi verba fiunt. Si velimus tinnitum aurium ſeclusis naturalibus cauſis obſeruare, incidemus in Ethnicorum omina, quorum vaniſſima eſt animaduerſio, & ſemper illicita. Incertus, ſed uetus quidam Poeta cecinit.

Garrula quid totis reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.

Vellem cauſam afferret, cur ſonitus auris aliquẽ noſtri meminiſſe ſignificet. Auris autem uel dextra, uel ſiniſtra eſt, ſi dextra tinniat, amicum, ſi ſiniſtra inimicum memoriam noſtri tum recolere exiſtimant, ſed non probant, gratis dicunt, mihi neque etiam pertundendo perſuaſerint. Lipſius hanc decantatam ſententiam ſequitur in Epiſt. ad Iatrum Douſam. *Ecquid* (inquiens) *tinniunt tibi aures mi Douſa, ita multus non in ſermonibus meis ſolùm es, ſed in litteris ad amicos.* Verùm aliud eſt ſeriò ſcribere, aliud animi cauſa. Seriò uterque noſtrùm profitetur ſe ſcribere. *Aures ſonis implentur tum propter eos, qui in ventre ſurſum feruntur vapores, tum propter flatuoſum ſpiritum, qui in cap. ipſo oritur*, inquit Galenus. Ex flatuoſo ſpiritu exiliter labente fit ſibilus, ex illius curſu interrupto tinnitus, ait Fernelius tuus. Hæ medico mihi tinnitus aurium cauſſæ ſufficiunt. Alij in Dæmones referunt, alij in ſenſus acumen, alij in ſympathiam, ut teſtatur Cardanus. Piſcatoris manum Torpedo ſtupefacit, quia uaporoſus halitus à torpedine expiratus manifeſto temperamento calidus, & humidus, ſed proprietate à tota ipſius ſubſtantia prodeunte deleterius per corporum, ſiue inſtrumentorum continuitatem uſque ad piſcatoris manum communicatur mediante aere, quem aqua, uerriculum, foſcina, hamus, & alia id genus inſtrumenta in proprijs continent meatibus, & animalem ſpiritum tenuiſſimum neruoſis partibus diſſeminatum putrefacit, & corrumpit, ut ſubtiliter diſſerit Euſtachius Rudius uir clariſſimus, popularis, & patruus, & præceptor olim meus. Benioin calidum Vuechero eſt in gradu quarto, ideò mirum mihi non uidetur eo manu detento præpediri ſtuporem. Calidus uapor ab illo gummi effuſus, & occulta quoque proprietate ſtupori aduerſus inque manus neruos ſua ſe penetrans tenuitate halitum diſcutit, qui ſtuporem iniecit.

Epiſt. 3. cent. 1.

2. de rat. vict. in morb. acut. 44.

5. de morb. part. c. 6. l. b. 13. de ſubtil.

li. 4. de morb. occult. venen. c. 1

Hyenæ umbra canes obmuteſcere affirmas, lingua eius ſub pede in calceamentis geſtata Plinius, eius pelle, uel quauis eius parte Oppianus, eius oculis Agrippa. Vide, quæ opinionum uarietas me torqueat. Cui credam? Vmbra, cum priuatio quædam ſit, nihil efficere poteſt. Poſſunt quidem ab Hyenæ propinquo corpore multi uiroſi uapores emanare qui medio aere in Canum cerebrum ſe inſinuent, illud cum neruis linguam mouentibus naturali quadam antipathia percellant.

Triplex faſcinatio eſt, uulgaris, phyſica, magica. Vulgaris, quam ipſa uiſione cum imaginatione maleuola fieri contendunt, non eſt aliquid naturale, ſed fabuloſum, & ſuperſtitioſum, cum enim uiſio, ſicut etiam imaginatio, immanens actio ſit, & ſpecierum fiat receptione, non radijs emiſſitijs, quę naturalis idonea cauſa faſcinationis afferetur? Vulgaris huius faſcinationis opinio ſic nata eſt. Pueri præter modum obeſi, pingues, nitidi, formoſi, lætabundi à mulieribus, uiriſque prætereuntibus aſpiciuntur, laudantur, motitantur, ulnis excipiuntur, manibus plauduntur, ſpiſſiſſimis oculis conteruntur (*plenior corporis habitus, ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum proiectus, lubricus eſt*, inquit Hipp. ſæpe huiuſmodi pueri optimè ualẽtes, & ſucci pleni in ſæuiſſimos repentè incidunt morbos, gracileſcunt, & deformiter emaciantur. Vulgus tam celeris mutationis cauſam ignorans culpam in deformem aliquam Aniculam transfert, quæ puerum attentis oculis paucis ante diebus fortè fortuna conſpexerit.

1. Aph. 3.

Phyſica faſcinatio impropriè faſcinatio appellatur, propriè contagio eſt, ſiue infectio, ſic lippitudo, ſcabies, phthyſis, luesue uenerea, peſtes contagione communicantur emanante ab infectis corporibus tetro uapore in propinqua corpora.

Magica faſcinatio, quæ frequentiùs uſurpatur, pernicioſa qualitas eſt Dæmonum arte illata ob tacitum, uel expreſſum hominis pactum cum dæmone. Ad hanc referenda eſt Puellę faſcinatio Alexandrum uiſu ſe interfecturam pollicitæ. Paciſcuntur magi, ut quos liuidis, uel iracundis oculis aſpexerint, ijs dæmon inferat perniciem. Læſi deinde rentur ſe mala illa uiſu ipſo perpeſſos, ſed diſpice, an illa Puella, non uiſu, ſed uirulento potiùs halitu fuiſſet aerem infectura, qui poſtea accedentem enecaſſet inſpiratione Alexandrum, hæcque faſcinatio potiùs phyſica extitiſſet. Suſpicor enim te puellam illam ueneno alitam innuere, qua Perſarum Reges nouæ carnificinæ inuentores, alios interimerent.

Adhuc igitur in mea ſententia, (quod tua pace dixerim) permaneo in corpus alienum ab imaginante diſiunctum animam per imaginationem efficere nihil poſſe; nec tamen ab efficientium later-

culo

culo imaginationem expungo, quia concedo, imaginationem per accidens quidpiam posse in propinquum corpus arcta coniunctione, & contactu ei copulatum, si tamen imaginatio vehemens sit, & corpus propinquum apprimè dispositum. Nulla enim causarum sine aptitudine agere potest, inquit Galenus noster. Hoc modo apparent maculæ in fœtu earum rerum, quarum arsit cupiditate incredibili gerens vtero mater.

1. de diff. feb. 4.

Dominicus Leonus colonus meus habet in dorso latam maculam nigram hirtam, quia mater eius vinum nigrum in caprinis vtribus deferri viderat, efflictim concupiuit, & cupiditate frustrata fuit, potionem hanc exposcere præ pudore non ausa. Vuitimbergæ Ciuis cadaueroſa facie natus, quòd grauida mater obuio cadauere perterrefacta fuerat. Nicolao III. Pontifice infans similis vrſo Romæ ortus, quia in ædibus, vbi mulier prægnans habitabat, complures erant vrſi depicti. Thomas Erastus nouit principem fœminam, quæ valdè à felibus terrebatur, quòd repentè felis de alto loco iuxtà parentem grauidam delapsus eam insigni formidine affecisset. Si Pauo dum ouis suis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omninò pullos non gemmantis coloris edet, si Fernelio credimus. Id genus effectus imaginationi tribuo, tu multo plures. Quis rectiùs sentiat, aliorum sit iudicium, ne iudices, & partes nos simul simus. His ludicris Bacchi festis seueriores Musas missas faciam, si hilariores litteras ad me dederis. Atqui breuiter multa, seria, & erudita scribis, quibus multa, & multis, sed inerudita respondeo. Memineris satis esse in magnis & voluisse. Verùm quod in antrum se recipiet nunc Bacchus, cum ieiunia, supplicationes, pœnitentia collatis velut signis ipsum adoriuntur? Abeat in maximam malam crucem.

De occul. Pharm. propriet. c. 34.

De Hom. procreat. ca. 11.

Virg. 1. Georg.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicinæ raptis inter se legibus Vrbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe.

Quomodo Bacchanalia agitare possumus, si totus terrarum orbis vehementer laborat? cui laboranti vt Paulus V. Pont. Opt. Max. opem ferret, cœlestes aperuit liberali manu thesauros. O vtinam horum compotes fiamus, miserati alios in omni scelerum genere, & flagitiorum insatiabiliter volutatos, & sorte sua vti, & ad bonam frugem his tristissimis temporibus conuerti nescios. Vale, & me ama Belluni XIII. Kal. Martij M. DC. XX.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

ARGVMENTVM.

Proponuntur diluendæ difficultates de pestilente febre, nunquid scilicet à sola interiore causa fieri, ac foueri possit; an pestis occulta sit causa; an citra febrem consistere possit.

Rationes vltrò, citroq; afferuntur.

NVper cum incidissem in quæstionem multis difficultatibus inuolutam, non potui, quin ad meum confugerem Æsculapium tantę controuersiæ sententiam auditurus. Ea autem est, num pestilens feb. ab interna duntaxat causa citra vitiati aeris confluxum fieri possit. Me in hanc dubitationem potissimum egit Montani auctoritas, qui pestiferæ feb. intrinsecam causam agnoscere videtur, testemque adhibet Galenum in lib. de cibis boni, & mali succi, & lib. 1. de diff. febr. quem alibi aliter sensisse legimus. An voluit Montanus ab internis causis feb. pestilenti similem oriri, non genuinam? Morbus enim est epidemius, cuius externa semper origo. An malignas intellexit, & pemphigodes, quæ parum abeunt à conditionibus pestilētis? Huc spectat alia non prætereunda quæstio. Pestis occultane, an manifesta subsit causa. Prius voluit Fernelius doctissimus; Posterius cæteri etiam ex mente Galeni, inter quos Massarias primas tenet. Fracastorius genus pestis putrefactionem posuit secutus Auic. qui pestilentiam definit aeris putrefactionem. Tuam velim sententiam audire, quæ mihi erit instar omnium. Et si definieris, nunquid pestis citra feb. consistere valeat, vt Galenus, & Hipp. velle videtur pergratum mihi feceris. Riolanus tantùm abest, vt existimarit, vt potiùs finierit pestem feb. epidemiam contagione deleteriam, feb. enim est inseparabilis à morbis acutis, neque differre putat pestem à febre pestilenti: in eadem opinione hæret Argenterius, quibus suffragatur Auic. qui verba faciens de peste sic scriptum reliquit. *Et sequuntur febres malæ, leues, & quietæ exterius propter profunditatem caloris naturalis, & conturbantes, & adurentes interiùs, ad quas sequitur syncope, & casus virtutis, & sudor frigidus, & paruitas pulsus.* Videtur abesse feb. propter exiguitatem, subest tamen perniciosis stipata symptomatis.

Comm in 1. de morbis vulg. lib. de Ther. ad Pisonē in quibus ab aere causam pestis deriuat.

lib. de removendis nocumentis c. 2. 9. simpl. c. de Bolo Arm. in Epid.

lib. de removendis nocumentis Pestis.

Augenius putat, pestem veram esse febrem pestilentem, constitutionem verò pestilentem nunquam habere febrem: Affectus, qui in pestilentia contingunt modò cum febre, modò sine febre consistere. Tu videris. Vale.

lib. 14. epist. 11.

IOANNI STEPHANO
Medico Præstantissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S. P. D.

ARGVMENTVM.

Respondet dubijs adamussim, nim. feb. verè pestilentes ab interna causa sine aere fieri non posse. Pestis causam esse manifestam, aliquando etiam occultam. Pestem sine feb. aliquando consistere posse.

NOn nostrum est de pestilente febre inter præcipuos medicinæ scriptores tantas componere lites. Scribam tamen sententiam meam, vt voluntati paream tuæ. Dubitas, an pestilens febris ab intima duntaxat causa citra putrem, & infectum aerem fieri possit. Vter Montanus, comesne Vicentinus, an Ioannes Baptista Veronensis te in hanc adduxerit dubitationem, non explicas, credo tamen Vicentinum esse. Is enim libro 3. de morbis intrinsecam pestilētis febris agnoscit causam, tantam

cap. 23.

scilicet putredinem,& corruptionem,vt vim veneni accipiat, testemque adhibet Galenum 6. de locis malè affectis cap.5.2.de nat.humana 3.de cibis boni,& mali succi in principio, & 1. de differentijs febrium cap.3. qui aliter sensisse visus est in calce proœmij Epidemiorum, libro de Theriaca ad Pisonem cap.13. & alibi, vbi solum aerem tanquam communem pestis causam attulit. Soluit controuersiam Montanus inquiens rarò ab alijs causis pestem excitari, ab aere frequentiùs,& ideò ab Hippocrate eam causam vocatam fuisse maximè communem. Quare & Galenum,licet interdum id aeris constitutioni tantùm ascribat, alias tamen causas non excludere. Febris igitur verè pestilens ab interna causa, vt ego puto, absque aere fieri nō potest, non verè pestilens potest, quod fusiùs probat Altimarus.

11.de nat.humana tex. 2. c.11.

De febre pestilenti c.6.

Quæris deinde, occulta ne pesti, an manifesta causa subsit. Manifestam arbitror, hancque triplicem cum Georgio Agricola, & Ioanne Heurnio Galeni imitatoribus,aeris putredinem,eiusdem intemperiem, & nutricatus corruptelam. Doctissimus tamen Comes Montanus aduertit videri posse aliquādo pestem sine causa manifesta oriri, quia ab infectis in alias regiones, vbi aer purus sit, & saluber,deferatur; manifestam tamen causam contagium esse.

Agric. lib.1. de peste Heurn.li.de peste c.1 12. 11. de morb.ca. 24. 3 epid. 3. ca. 35.55.60. 9. simpl. de terra Samia,

Scire postremò cupis, an pestis esse citra febrem possit,vt Hippocrates, & Galenus videntur innuisse.Aiunt Comes Montanus, Massarius, Rudius,negant Riolanus, Argenterius, Mercurialis, Andreas Gallus, Agricola. Ego cum ijs,qui aiunt, aio. Si enim venenata pestis materia in cor agat, non tamen putrescat quòd si putrescat, putredinem cordi non impertiat,tunc venenatus quidem,& pestilens morbus fit, non tamen febris. Conciliari hæ dissidentes opiniones queunt, cùm rarò pestis sine febre fiat. Nostri enim corporis humores,quotiescunque corrumpuntur,& inde virosam naturam acquirunt, plerunque putrescunt, & febrem cient pestilentem, vt vir clarissimus Rudius noster asserit.Sed hoc perpetuum non est. *Quid enim prohibet* (inquit cum præceptore Massaria Theodorus Angelutius) *quominus communi aliqua de causa malitiosi quidam, & venenati humores aggregari, putrescere, & corrumpi possint extra venas tantum, vnde homines varijs prorsus, & variarum partium morbis absque vlla febre laborent, & frequenter moriantur putridis halitibus, qui è putredinis foco ad cor efflantur, ante necem afferentibus, spiritusque extinguentibus, quàm febrem succendant?* Atqui non assentior putridis halitibus ad cor efflatis antè necem afferri,quàm febrem:& quanquam venena hoc faciunt, non est par ratio, quia venena agunt corrumpēdo; putridi halitus putrefaciendo, proinde hi mihi videntur priùs, quàm vitam extinguant, anteambulonem mortis febrem succendere.Vale,meq; vt facis, ama. Si merito,& consueto Excellentissimi titulo te non decoreni,ne mireris. Senatus eum Venetus recenti Rogatorum decreto abstulit, & solis legatis,Imperatoribus,& supremis Reipublicæ cōcilijs liberaliter indulsit. Quo modulo ego te metior,eodē tu me metieris,vt ijs,qui rerū potiuntur, pareamus. Belluni Kal. sextilis. M. DC. XXII.

lib.3. de affect.internis c.30.

De nat.& cur.malignæ febris c.2.

IOANNI STEPHANO
Medico Elegantiori

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Paradoxon de Rheubarbaro proponitur.

SYluestrem gallum (vrogallum minorem,vel tetraonem minorem Gesnerus vocat) accepi. In ruborem me totum das hac nimiùm frequenti humanitate tua. Nuperrima epistola suauissimas epulas menti meæ præbuisti, nunc palato præbes. Vis, semper tibi pluribus nominibus debeam.Themistocli Miltiadis Marathonia victoria, mihi tua munera somnos adimunt. Vigilans nocte cogito, quomodo tibi gratiam referam. Animo cupienti nihil satis festinatur, inquit Salustius. Ego vel serò, vel, vt vereor, nunquam munis in te tam munem ero. Approbabis saltem voluntatem meam.

Bernardus noster iam salutem recepit, solidè gaudere hoc te gaudium iubeo. A diuturno,& pertinaci, quem non ignoras, morbo reualuit, imò reuixit. Ad fauces enim Orci sibi destitutus videbatur;ita eum febris oppresserat. Hæc nunc abijt,ipse è lectulo cœpit surgere. Conqueritur tamen nec caput,nec pedes suo officio fungi,& hypocondriacas adhuc oppressiunculas,& obstructiunculas,tāquam in agro filicem inuisam,superesse. Sed potest cum Virgiliano Ænea nobis dicere.

Maxima res effecta,viri; timor omnis abesto,
Quod superest.

Vt Socrates apud Platonem Æsculapio gallum se debere profitetur, sic amici nostri causa debemus nos. Eum quidem tu sacrificasti, sed mihi. Vide,ne tibi magnus ille mutarum nostrarum artium parens irascatur.

In Ioanne Baptista Montano Paradoxum inueni.Rhabarbarum negat electiuè trahere, cùm inter medicinas benedictas à Mesue ponatur, & illæ distinguantur à reliquis, quòd reliquæ electiuè trahant è corpore humores, benedictæ non. Vnus est omnium Asclepiadarum, (si Montanum excoperis) consensus à rhabarbaro bilem electiuè trahi. An quispiam alius cum eo sene Veronensi sentiat, pergratū erit, si me certiorem feceris. Vale. Belluni. Non.Brinæ. M. DC. XXI. Apho.22. & 24.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S.P.D.

ARGVMENTVM.

Afferuntur dubitationes de recensione dierum criticorum in recidiuis, & nunquid purgās Pharmacum, si fine suo frustretur, in purgandum humorem faciat.

EXistiambat magnus Albertus vnamquamque rem suam communicare naturam ei, cui associatur,

ciatur, (quo fundamento innititur mirabilium myrias) atque hac de caussa fortè Socrates Æsculapio gallum offerri iussit, quanti esset medico vigilantia æstimans. Ego verò minorem Vrogallum ad te misi, vti meæ erga te obseruantiæ symbolum, & amoris. Agnosce igitur meam voluntatem, & si me redamaueris, satisfactum puta.

Vix credas, quanta me perfuderit lætitia aureus nuncius de reditu Bernardi Colle Viri doctissimi, & mihi summa necessitudine coniuncti ad bonam valetudinem. Faxit Deus, vt quàm ocyssimè in integrum nobis restituatur. Cæterùm hic mihi non leuis dubitatio in mentem venit, an scilicet perpetuò in recidiua, quæ ab alterutra pendet caussa, formali inquam, aut materiali, dierum criticorum sit à radice facienda recensio? Præterea, an perpetuum sit, totidem diebus recidiuam circumscribi, & totidem interuallũ remissionis, quot percurrerit feb. ad primum iudicium, nam in hac re minùs sibi
Hipp. in ead. constare videtur Hipp.

De Rheubarbaro, quod inuexit paradoxon Montanus, quantum ipse colligo, verè est paradoxon, ne quid acerbius dicam. Satiùs fuisset si nullam ciendæ alui rhabarbaro vim tribuisset, atque cum antiquis illud ignorasset. Fatetur quidem Damascenus Senex Rhab. clemens esse pharmacum, & Pueris, fœtisque fœminis tutò exhiberi posse, & mirabilem humano corpori opem ferre, cuius errorem sequi non decet (monente Ioanne Manardo) dum Rheum ad drach. x. exhibet, sed potiùs Auic. consilium. At qui hoc argumentum tanti nõ est, vt cogat nos à regia via aberrare. Montanum semel sugillauit Argenterius hoc potissimùm nomine, quod inchoante febre Rhabarbarum vetuerit propinandum, adijciens hanc caussam, quòd adstringat, quasi verò inquit Argenterius præterea non sit catharticum vehementer, & cum delectu repurgans, & vias desideret apertas, cum non per intestina modò, verum etiam per vesicam humores educat. Verùm quoniam de catharticis sermonem iniimus, abs te scire velim, si fine suo cadat purgans pharmacum, an in humorem purgandum conuertatur, vt stat Galeni sententia?

Mihi certè non videtur, propterea quod alimenta sunt, quæ assimilantur, & in nostram abeunt naturam, medicamenta verò teste eodem Galeno lib. simpl. quæ nos afficiunt, immutantque, cum naturam habeant nostræ asymblitam. Vale.

IOANNI STEPHANO
Medico Elegatiori

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S.P.D.

ARGVMENTVM.

Dubijs propositis respondetur. Gallus Æsculapio offertur ad medici vigilantiam significandam; in recidiua ex reliquijs materiæ morbosæ recensio dierum criticorum facienda est à radice. Purgans pharmacum, si fine suo frustetur, uertitur in humorem purgandum.

LActantius Socratem incessit in Platonis phœdone familiares rogantem, vt quem vouisset Æsculapio gallum, pro se sacrificarent. Tuetur Socratem Cælius Rhodiginus, nunquam, inquiens futurum Platonicum, qui allegoricè Platonem non putet intelligendum: & quid illis inuolucris sibi Plato voluerit, ex Marsilij Ficini sententia, & verbis, licèt eum non nominet, sic promit. Veteres, diei nuntium gallũ mactabant Æsculapio Medico Phœbi filio, id est, diuinæ beneficètiæ morborum omnũ curatrici, quæ diuinæ prouidentiæ filia nominatur, cui diem, id est, vitæ lumen se debere fatebantur. Eiusmodi Medicum in superioribus Socrates perquiri iusserat, morborũ animi curatorem. Et quasi iam omni dubitationis, metusque morbo liberati sint, gratiam victimamque Deo referri iubet. Præterea oracula priscorum tradunt, animas remeantes in cœlum pæana, id est, triumphalem cantilenam canere Phœbo. Reddit ergo Deo votum, vt alacer pæana canens cœlestem patriam repetat. Sed mihi tua opinio probatur gallum Æsculapio à Socrate fortè oblatum fuisse ad Medici vigilantiam significandam. Ex vetere etiam christianorum Patrum instituto, ædes sacræ insigniri solitæ gallo in apice summo turris, vt boni episcopi vigilantia significaretur.

3. dicin. in. fin.

inst. antiq. lib 16. cap. 12.

Alciatus Emblat.

In recidiua criticorum dierum recensio à radice facienda est, cum re vera recidiua est, quæ secundò accidit, ex morbi præcedentis reliquijs, ac non potius alter morbus. Nam cùm alter morbus est in essentia, alteram quoque esse computationem oportet. Ita sentio cum Vallesio, Claudino, & Ioãne Colle auunculo meo, & tot diebus recidiuam puto, & remissionis interuallum pleruque definiri, quot ad primum iudicium percurrerit febris. Hippocrates, qui varius in hac re videatur, conciliandus est, perscribe, ni grauaris, locos, in quibus varietatem obseruaueris.

Valles 10. controu. 5. Claud. tract. de diebb. crit. cap. 2. Cosmitorg. de medico ſe-candо.

Gratum etiam fecisses, si locum adnotasses, vbi Galenus medicamentum purgans, si fine suo frustretur, in humorem euacuandum conuerti existimauit. Cùm enim tot, tantaque sint volumina Galeni, mihi homini occupationibus assiduis distento, atque eruditionis penum (sic memoriam vocat Plutarchus) angustissimum habenti tam facile aliquando est, quæ quæram, in Galeno inuenire, quã vbi cerui cornua statuto veris tempore abijciant. Galenus 3. de simpl. medic. facult. medicamentum purgans, inquit, *vel cum vno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro, similitudinem obtinet, non autem perpetuò missa est vis aliqua venenosa; quam obrem, nec perpetuò, licet non purget, iniuria afficiet, verùm concoctionem accipiet, talemque producet humorem, qualem trahere natum erat.* Credo ad hunc locum te respexisse, qui quidem egregius est, & valde difficilis, nec declaratur ab interprete Vallesio. Magni momẽti obiectio tua est, alimenta esse, quę vincantur, & in nostram vertantur naturam: medicamenta verò esse, quæ nos permutent, & naturam nostræ asymbolam habeant. Quomodo ergo medicamentum purgans concoctionem induet, & talem procreabit succum, qualem educere suapte natura aptum esset? in medicamentis multæ diuersi generis mistæ substantiæ sunt, ideò si eorum aliquod purgatione frustretur propter familiaritatem, & similitudinem, quam aliquæ partes ipsius

De lib. educ. cap. 24.

cum detrahendis humoribus obtinent, concoqui potest, & talem gignere humorem, qualis educendus erat. Natura semper, quod melius est, facit, nisi impediatur. Pharmacum ergo, quod suo officio non fungatur, in alimentum si potest, conuertit; si non potest, commutat in humorem euacuandum. Quòd si in hunc commutare non possit, in corruptionem, & tanquam in venenum, necessitate coacta, vertit. Quando autem in alimentum, vel in humorem conuertitur, suam naturam pharmacum amittit quin naturam nostram non alterat, sed ab ipsa alteratur. Nec mirum, quia natura nostra interdum adeò valida est, vt ipsum etiam venen ũ superet, & concoquat. Quantò facilius superabit, & concoquet pharmacum? Anus Athenienſis à *minima cicutæ portione auſpicata ad permaguam progreſſa eſt copiam, principio enim paucum exiguitate ipſa deuictum eſt, & conſuetudo naturale reddidit, teſte Galeno noſtro*. Sultanum etiam Cambaiæ aluit pater ab incunabulis veneno, vt Ludouicus Romanus asserit. Sed Costæus in Mesuem iniecit nobis scrupulum, neque eximit: si pharmacum temperaturam similem habeat temperaturæ humoris euacuandi, illud in hunc verti posse, vt rhabarbarum in bilem; si dissimilem, nequaquam; proinde cnicum, granumque Gnidium, quod caliditate, & siccitate à pituita differant, in pituitam mutari non posse. Hunc scrupulum, si non Costæus, Aristoteles auferet. *Quæcunque inquit, habent cognationem ad inuicem, velox horum tranſmutatio eſt; quæcunque autem non habent tarda, quia facilius eſt vnum, quam multa tranſmutare*. Pharmacum igitur vbi purgatione frustretur, si temperaturæ cognationem cum humore purgando habuerit, velociter in eum transmutabitur; si non habuerit, tardè. Ocyus rhabarbarum in bilem propter temperamenti similitudinẽ conuertetur: seriùs cnicus, & granum Gnidum in pituitam propter temperamenti dissimilitudinem. Hæc ad tua quæsita satis sint, si tibi placent; si non placent, plus satis. Vale, & an pater tuus optimus vir melius habeat, fac me certiorem. Vt enim illius morbum dolui, sic si eo leuatum cognouero, vehementer lætabor. Iterum vale. xvij. kal. Ianuar. M. DC. XXI. Belluni.

3. ſimpl. 18.

Ii. nauig. 4. c. 2. referente Liſio i ſcholio ca. 25. lib. Hiſt. Arom. Garciæ.

2. de gen. & corrupt. tex. 25.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico doctiſſimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Propoſitæ difficultates iterum refricantur, & ſtatuitur, in recidiua à cauſſa formali ab inſultu dies eſſe ſupputandos.

OMnem mihi diluiſſent difficultatem ſcitiſſimæ litteræ tuæ, ſi planum feciſſent, numquid in Recidiua, quæ modò ex morboſa diſpoſitione, & relicta intemperie reſurgit citra materiæ reliquias, dies à morbi radice recenſendi eſſent (ſi quidem eſt in confeſſo recidiuam partem febris prioris eſſe ad vigorem properantis) Cum enim ratio temporum & dierum criticorum petatur à pugna naturæ aduersùs morboſas materias (conſultò ſuperiores cauſſas omitto) & in Recidiua ex intemperie nenoſica non ſubſit materia, qua cum natura certet, non video, an ſit à radice facienda recenſio.

De numero verò dierum, quibus recidiua, remiſſionis interuallum, & primum feb. iudicium, circumſcribuntur, quòd ſcribis, te excupere loca videre apud Hipp. quem varium eſſe dixi. Accipito. Lib. de iudic. non procul à principio velle videtur ſenex, omnes iudicationes à recidiua fieri debere quinta die. Et lib. 1. Epid. p. 1. tex. vlt. ſtatuit iiſdem circuitibus, quibus à prima morbi radice latum fuit iudicium, iterum iudicari nulla de remiſſionis interuallo facta mentione. Dein lib. 1. Epid. p. 3. in Hiſtoria duorum fratrum Epigenis numerat varios recidiuarum dies, omnes tamen circumſcribi 7. à die radicis morbi affirmat. Poſtremò lib. 4. Epid. tex. 11. inquit, ſexta die iudicatæ Virgini, ſexta redijſſe morbum, & iterum ſexta iudicatum fuiſſe morbum.

Locum verò, vbi Galenus aſſeruit catharticum, ſi fine ſuo fruſtretur, in humorem expungendum, expurgandumue conuerti, tu ipſe notaſti.

IOANNI STEPHANO
Medico Elegantiori

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S. P. D.

Dubijs rationibus certo epichiremate ſatisfit.

VIdentur mihi etiam in recidiua ex morboſa intemperie citra morbi præcedentis materiam dies critici à radice recenſendi, vtpote quæ illius intemperiei fons ſit, & ſcaturigo. Loca Hippocratis, quæ attuliſti, adhuc conciliare non potui, & neſcio, an vnquam poſſim. Nonnulla adducit Valleſius, in quibus à radice Hippocrates criticos dies recidiuæ recenſet. Natatore Delio, ne quis in ijs præfocetur, opus eſt. Febres ſenum à recentioribus non iniuria ſepultæ nuncupantur, quia calor acris in ipſis non percipitur. Non igitur mirum Patris tui, viri optimi febrem lentam eſſe, neque perſpicua tertianæ nothæ ſigna præ ſe ferre, Febres ſenibus non ſimiliter vt iuuenibus acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus, inquit Dictator Couſ. In vltima cœna, & prandio momentum vini albi, tenuis, oligophori ęgrotanti propines, per me licet. Apparent ſiquidem concoctionis indicia, vt ex vrinis, quas deſcripſiſti, conijcio, & dies vndecima morbi elapſa eſt, & vinum æger percupit. Paulo autem deterior cibus, & potus, ſed ſuauior melioribus, ſed minus ſuauibus eſt præferendus, Hippocratis noſtri teſtimonio. Nollem tamen ægrotum ab omni medicamento abhorrere. Nam quomodo Medicus erit alexicacos, ſi pharmacum nequeat exhibere? Natura quidem medicatrix morborum, ſed inſtar Virgiliani Mœris à Lycida faſce leuanda eſt. Hercules alexicacos dictus Audiæ ſiabulum repurgauit, ſi me alexicacon opras, fac, vt concocti humores pharmaco euacuentur. Pharmacum mihi probaretur ex ſexquidrachma rhabarbari aqua cicoreæ infuſi, ſyropi roſati laxatiui quadrante

drante syrupi de polipodio sescuncia, electuarij lenitiui semuncia, sic ne schetica febris in hecticam euadat, præcauebimus. Et tutò deinde veniemus ad aperientia, exempli gratia, ad decocta, in iure radicum petroselini, & filicis maris, & foliorum agrimoniæ & capillorum Veneris. Die duodevigesimo pharmacum, si tibi videbitur, exhiberem, vt postea aperiendis obstructionibus incumberemus. Ætas ægrotantis senilis est, tempus anni hyberñ, & pluuium, ægrotus crassis scatet humoribus. Hæc omnia morbi longitudinem, ni corpus saltem purgemus per epicrasin, minantur. Veteri quidem, & sapienti adsentiendum sententiæ, quæ præcipit, vt bona quàm maximè amplificemus, mala autem summopere extenuemus. Non tamen ita extenuãda, vt contemnamus, ne serò sapiamus, vt Phryges, ne serò medicinam paremus,

Cum mala per longas inualuere moras

Quia tamen pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem.

Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, planè sciunt.

Tu qui oculatus testis es, qui vides, qui clinicus semper ades, planè scis, quid agendum. Ages igitur, quæ singulis diebus indicet morbus, & morbi causa, & ægrotantis vires, neque vt facis amabis. Vale xv. kal. Ian. M. DC. XXI. Belluni.

IOANNI STEPHANO
Medico Elegantissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S. P. D.

Proponuntur difficultates circa Aph. 56. sect. 7.

REscripsi præteritis diebus litteris tuis. Nunc mitto Excellentissimi Viri Bernardi Collis affinis mei Epistolam. Vellem me certiorem faceres de ijs, quæ legeris, aut audieris, aut ipse excogitaueris de illo aphorismo. Quibus inter ventriculum, & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum ventrem, his per venas ad vesicam pituita versa soluitur morbus. Quo in loco scilicet inter ventriculum, & sceptum possit cõsistere pituita, nec prę sua grauitate delabi.

7. Aph. 56.

Videtur enim Hipp. crucem Medicis, in qua torquerentur assiduè, confixisse. Aquapendens nescioquid commentatus erat, sed non recordor, nec habeo omnia illius aureola scripta. Deest mihi liber de artificio musculi, & formatione fœtus, & alij. Non suppetit mihi, nisi Pẽtateuchos cyrurgicum, & luculentum opus de Visu, Auditu, & Voce. Res digna est, in qua omnes ingenij tui neruos intendas;

Vale
III. Non. Quinct.
M. DC. XXI.
Belluni.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico, & Philosopho præstantissimo.

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Dubia super Aphorismum 56. lib. vij. Spigelij, Cardani, necnon Auicennæ auctoritate corrogata declarantur.

VSque adeò egregiè mihi nodum soluisti permiscens vtile dulci, vt ignorem, doctonamne, an elegantiam priùs admirer, ita animum vtraque emolluit. Ingenuè fateri necesse est, me nondum cognouisse, qui aut solertiùs dirimendis dubijs, aut maturius rebus deliberandis ingenium obtinuerit. Ad hæc verò accedit moris bonitas, quam omnes palatim celebrant, teque vt idæam bonorum medicorum suspiciunt. Faxit Deus, vt tuæ sapientiæ halitus diutissimè ad me per litteras accedat, quò ingenioli mei vis incalescat, inualescatque ad tui normam. Cæterum mutuus amor plurimis expressus symbolis me summa perfudit lætitia, & apud me tanti est, vt omnibus Arabum gazis eum non permutem. Vale pridiæ Nonas Iulij M. DC. XXI.

Hæc cum exarassem celeri calamo, nouæ abs te literæ redduntur, quibus rogas, vt quid legerim, aut audiuerim de illo Aphorismo lvj. septimæ sectionis, in medium afferam, id quod libentissimè facerem, si quid noui, aut tuis auribus dignum haberem. Non possum tamen, quin fatear, Galeni sententiam mihi probari magis, quàm Cardani, hic enim existimat, pituitam super diapragma intercludi prope ventriculi osculum, quæ liquata propter viciniam facilè transfundatur à natura ad connexam hepatis partem, hincque à renibus, vt par est, trahatur.

Ille verò putat, phlegma contineri intra septum, & peritonęum veluti in cysti quadam, vnde per venas ad iecur natura liquatum phlegma amandat, indeque à renibus prolicitur, & soluitur affectio: Crediderim autem huiusmodi materię metastasim aliorsùm posse fieri, verùm non peręquè morbũ iri solutum. Doctissimus Spigelius intersecanda cadauera rogatus visus est Galeni sententiæ inhærerè. Auicen. Aph. Hippoc. hoc pacto interpretatur. *Quibus inter diaphragma, & ventriculum pituita intercluditur, & dolorem affert in alterutrum ventrem viam non habens, ijs per venas in vesicam uersa pituita morbi fit solutio. Melius est, ait Galenus, ut phlegma præceps deuoluatur in pectinem quam ad partem uesicæ. Qui enim e conceptaculis crassissimum phlegma resudabit ad vesicam, ni e priore forma extenuetur in aqueam serositatem? ego autem dico, quòd fieri potest, vt pituita illa calore liquescat, & transferatur, citra quàm quod in serenum faciat liquorem, neque absurdum est, aut absonum, naturæ ipsius viribus, dum subest necessitas, hanc metastasim fieri, exemplo sit pus, quod in thorace contentum tandem ablegatur per iecur ad vesicam. Hæc autem penetratio non est mirabilior penetratione puris in ossibus pectoris. Quòd verò, vt quidam animo duxerunt, pro phlegmate aquea serositas audienda sit, non est rationi consentaneum, nec necessarium.*

Lib. 3. sen. 4. Tract. 4. c 5. de caussis Alcitis.

rium. Hactenus Auic. Tu verò mi Laurens suauissime æqui bonique consule, si pro rei difficultate luculenter non exploro, & rimor, etenim plurimæ quisquiliæ me nunc à studijs auocant, nec patiuntur libris hærere. Iterum benè vale.

LAVRENTIO RAGOZIO Medico, & Philosopho præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

An Arrhenicum pestis tempore tutum sit sub alis gerere. Quonam argentum viuum sit temperamento præditum. Materiam in febrium putridarum statu confici, non esse omnino concoctam. Symptomatum, & coctionum tempora haud coincidere.

IN hoc silentio videbatur mihi nostet amor periclitari, aut certè situm contrahere, nisi quam mox abrupissem hisce, quæ ad te mittenda curaui, vt animum saltem erga me tuum excitatem, & pulsis tenebris tu ingenij tui lumine rebus dubijs claritatem afferres. Audiui non semel, atque legi apud melioris notæ Authores commendari Arrhenicum grassante peste sub alis ad cordis regionẽ gestum, vt tutũ euadat cor à veneno pestifero. An tibi probatur vitæ fonti adhiberi iuratũ hostem? Putasne cordi admoto arrhenico maius noxa succrescere emolumentũ posse? Mihi planè nõ videtur, nã etsi propter similitudinem venenati spiritus aliqua ab infecto corde fieri posset euocatio, non video tamen, quomodo non etiam aliunde ad cor. Præterea arrhenici praua qualitate tantum cor affici posse existimarim, vt illud præsens afferat lethum. Propterea monet Valescus, ne quis ad capitis scabiem Gordonij vnguentum adhibeat, (conflatur enim ex Sandaracha. Helleboro, Argento-uiuo, æruginis viridi, &c.) quòd duobus, quibus caput scatebat achoribus, infelici admodum successu admouerit, alter enim toto vitæ tempore stupidus remansit, alter postridie e viuis decessit. Ad hęc Amatus Lusitanus refert, idem penitus duobus adolescentulis contigisse, qui, vt scabiem tollerent, totum corpus obleuerunt vnguento, in quod Pharmacopola clam Medico arrhenicum intruserat. Quod si cerebrum per densissimum cranium tam citò offendi potuit, quid putas euenturum cordi ab applicito arrhenico? Quare libentissimè adscriberem Augenio, qui pluribus contendit, arrhenicum non conferre ad pestis cautionem Ausoniumque Gallum sugillat, qui monstrare conatur, aliquando duo venena simul salutem attulisse, quò & Plinius spectasse videtur. Dicet quispiam non omnibus promiscuè admoueri, sed robustioribus modò, quò paulatim cor venenis assuescat, illisque minùs oblædatur, contracta veluti familiaritate, etenim

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Idem effecit Athenienſis Vetula alta Napello, & Puella, quæ visu receperat interficiendum Alexandrum, nec minùs Puera, quæ pro delicijs habebat Araneas, vt refert Albertus Magnus. Fateor multa, & admiranda effici consuetudine, cum sit acquisitus naturæ modus, per quem facilius opera obimus, aut patimur difficilius, sed difficeor, tam efficax venenum tam breui quicquam boni afferre posse. Nec est quòd quispiam Auic. obijciat scribentem, arsenicum mirabili virtute constare ad sarcωsim moliendam, ad sanguinem resoluendum ad prohibenda noxia, si introsumatur ex potu; nam vbi arsenicum legatur, ibi arseni intelligere oportet, quod teste Auenzoare species est nigri cinnamomi. Vtinam Auic. his, & similibus erroribus non scateret interpretis, aut Typographi vitio. Sed quando de venenis sermonem instituimus, ahtam placet quæstiunculam subtexere, an Argentum viuum (fusile vocat Arist.) sit energia calidum, an frigidum, etenim vtrinque adsunt argumenta, & experimenta. Quidam frigidum esse ea potissimũ de caussa arbitrantur, quòd Pharmacopola quidam incautus eo epoto mortem sibi peperit congelato in venis sanguine: Præterea inquiunt, quo iure pillulæ Mercuriales, quemadmodum hydrargyrωsis lue venerea, lepra, elephantiasi infectis præscribuntur, quibus summo viscera torrentur æstu, nisi vt illorum flogωsis attemperetur? Auicennæ reuera frigidum, humidumque statuitur secundo recessu. Qui verò contendunt calefacere, afferunt, illud vim fundẽdi, liquandique possidere, angustissimos corporis meatus peruadere, vt quòquouersùs se insinuet, cuius vim etiamnum perennis mobilitas arguit, sputumque hydrargyro inunctis proueniens, (quamquam Hollerius hãc vim axungiæ quoque attribuit.) Arist. mixtum aereum fecit. Epiphanius igneum, Bonorum decoctores Alchymistæ aqueum, & terreum. Vnus quisque sibi placet. Non me latet, argentum viuum esse corpus heterogenes, calidis, frigidisque partibus constare, vtra verò præponderet, præpolleatque, præterit. Tua mihi instar erit omnium sententia. Fernelius Chymicis fauet, aitque vim narcoticam possidere, liquandi, & quoquouersùm penetrandi virtutem à secunda qualitate obtinere, non à prima; Additque nullo modo luis venereæ alexipharmacum esse, argumento, quòd ille hominem Guaiacina decoctione persanarit, quem alij frustra semel, atque iterum inũctum hydrargyro ad sanitatem perducere non potuerunt.

li. 4. sen. 4. tract 2. cap. 5

1. de chirurg. remed.

Vnum porrò est, quod me exercet, & angit, qui fiat, vt in vigore febrium salubrium in tanta symptomatũ vehementia perfecta sit cõcoctio morbigenæ materiæ cum potiùs credibile sit, tunc confici, nam teste Hipp. dum pus conficitur, dolores fiunt magis, ac febres, quàm iam confecto, scitum autẽ est, vel Galeno teste 2. de diff. feb. concoctionẽ morbosæ, & putrescentis materiæ in venis analogia respondere maturationi, quæ in Phlegmone absolui cõsueuit. Quo iure igitur hic mitescũt febres, & dolores perfecto pure, ibi elaborata, & perfecta, quę putrescebat, materia, exacerbantur symptomata, & acuuntur febres? *Status*, inquit Auic. *est hora in qua vehemens est pugna inter naturam, & materiam, & apparet victoria unius super alteram. Et apud statum completur uestigiũ digestionis, aut eius contrarij.* Hoc dubium Ioannes Prævotius eximij vir ingenij, & Præceptor meus excogitata hac ratione soluebat: quòd praua materia in statu à cæteris

cap. 2. lib. 4. de horis febr.

teris succis sit digesta, & seposita, à quorum benignitate eius malitia lenita mitescebat, & tegebatur. Cui ego eo argumento reclamaui, atque restiti, quòd concocta materia excessus vniuersos, à quibus vrgebatur, natura edomuit, & materiam quâ potuit tenus sibi reddidit similem, saltem penes primas, atque secundas qualitates. Quare in ea ego sum sententia, quòd in vigore febrium perficiatur coctio nequaquam sit perfecta, sed duntaxat decedente vigore morbi, quidquid dicant Alij. Fernelius inficiatur, perfectam coctionem summa sequi symptomata semper, sed duntaxat vbi tota naturæ committitur curatio, quemadmodum Hipp. & Gal. tempore contingebat. Verùm enim verò morborum tempora penes tria distinguere necessum est, vt docet Galenus, nempe penes morbificam caussam, penes symptomata, & penes morbi ipsius dispositionem, quæ tempora semper eòdem non recidunt, ait Amatus cent. 7. curat. 39. argumento sit Pleuritis, quæ in principio vigescit, & consistere videtur, si spectemus symptomata, & morbi dispositionem, non item si coctionem, aut cruditatem materiæ. Vale, & me ab his tricis vno verbulo expedias. Scio enim esse, quibus secus videatur, quibus accenseo Vldaricum Binderium epiphania tertia, fol. cix. qui Auic. tuetur à calumnijs Iacobi de Partibus, qui probare conatur, augmentum feb. esse deterius statu.

Lib. de crisi. Aph. illo eir. initia, & finis & c. & lib. 3. de rat. vict.

IOANNI STEPHANO MEDICO, Et Philosopho eruditissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S. P. D.

Argumentis respondetur. Non improbatur Arrhenicum pestilenti tempore gestatum sub corde. In Hydrargiro callidæ præpollent particulæ. In statu feb. perficitur coctio, non est perfecta. Cur paria gradu aptanda sint morbis remedia.

PRincipem sedem in Patauino Gymnasio Ioâni Colle auunculo meo viro clarissimo obtigisse gratulâti tibi maximas gratias ago. Incolumis ille Venetias peruenit, & omnia sua studia, omnẽ operam, curam, mentem in sustinenda expectatione fixit, & locauit. Dubitationes tuas libentissimè legi, sed soluere non opis est meæ. Ægrotantium multitudine distringor, & nullum otium lucubrationibus suppeditare possum. Ne mireris igitur, si serius, & frigidiùs rescribam.

De febre pestil. & malig.

Arrhenicum cordi in pestilentia admotum non improbo. Puto cum Mercato arrhenicum insignẽ habere vim, quod sibi simile est, attrahendi, & proinde veneficos spiritus promptissimè allicere. *Omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur nempe aut caliditate attractionem mollientibus, aut totius substantiæ similitudine, autore Galeno nostro*, Arrhenicum attrahit substantiæ similitudine, nec cordi noxam affert, quia arcana quadam antipathia, quæ inter venena est, agit in venenatos cordis spiritus, nec sanas partes attingit. Quod de aconito Plinius, de arrhenico etiam verè nos dicere possumus. *Ea est natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit, quod in homine perimat; Cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento; sola hæc pugna est, cum venenum in visceribus reperit. Mirumque exitialia per se ambo cùm sint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo superstit.* Valescus vnguentis ad scabiem cum terrore admiscet arrhenicum, hydrargyrum, helleborum, & vitriolum propter mala symptomata, quæ illinc accidisse conspexit. *Quidam enim miles (inquit) unguentum ex prædictis confectum applicuit capiti raso nepotis sui patientis achoras, & postridie in lecto mortuus inuentus est.* Causam mortis Valescus refert non in arrhenicum duntaxat, verùm etiam in reliqua: tu in arrhenicum solum; ego probabilius, ni fallor, in hydrargyrum præcipuè, quo cerebrum non parum lædítur. Hydrargyrum in cerebrum ferri, per densissimum cranium suarum partium tenuitate actutum potest; arrhenicum, helleborum, vitriolum haudquaquam. Testatur Fernelius multos inde epilepticos euasisse, quòd in curanda lue venerea, dum unguentis ex hydrargyro illinerentur, nonnihil in autem, & in cerebrum penetrasset. Obseruauit Rudius noster, & alij corpora quædam dissecta, in quibus non exigua argenti uiui copia in ossium cauitate ob illius inunctionem administratam collecta fuerat. Scabiosis adolescentibus litu unguenti, in quod clam Medico seplasiarius arrhenicum iniecerat, & mammarum ulcere, cui arrhenicum immisere chirurgi, laboranti mulieri malè rem cessisse fateor. Non tamen hinc euincis arrhenicum cordi non prodesse. Magna cautione usurpandum arrhenicum est, ut uoti compotes fiamus, & gloriam consequamur. Vidi difficillima crurum ulcera arrhenico sanata. Vidi arrhenicum in uesicantibus, à præstantissimis Medicis feliciter adhibitum, & ego quoque adhibui sine ullo ægrotantis detrimento. Galenus in sanguinis profluuio ex erosione, Pasionis, uel Andronis pastillis utitur; item in neruorum uulnere, & corrosione, in ulceribus aurium, in columellæ immoderata inflammatione. Illi autem pastilli constant, si Mercuriali credimus, arrhenico, & chalcanto.

Cap. de Scabie.

2. de ab. rer. caus. c. 15.

3. de morbo Gall. c. 10.

5. Meth. 6. 6. Math. 3. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 1. 6. de comp. med sec. loc. c. 3. de mor. venen. lib. 1. cap. 12.

Quæris deinde, an argentum uiuum frigidum, an calidum sit. Hoc ego plures abhinc annos ab Ioanne Colle auunculo, cui plurimùm debet res Medica, quæsiui, ut legere est in eiusdem Cosmitore Mediceo Tertio. Respondit argentum uiuum mixtum metallicum esse, uapore aqueo prædominante, & mixtum esse similium partium secundum sensum, dissimilium secundum rationem, tanquam ex quatuor elementis conflatum; tres spiritus, ut spagyrici loquuntur, & tres sales, arsenicalem, mercurialem, & sulphureum, & facultates calidas, & frigidas à natura obtinuisse, sicut ex effectibus, quos parit, innotescit. Vtrum autem calidæ præstent, an frigidæ, sciscitaris; calidas præstare opinor. Nolim tamen meam tibi opinionem instar omnium esse. Nimium felici Medicus forem auctoritate

Haud equidem me tali dignor honore. Virg. 1. Aen.

Quod Pythagoræ inter discipulos contigit. Ipse dixit; hoc mihi cõtingere inter Asclepiadas non potest. Nequeo apud eruditos loqui. Ad myrtum

cano,

1. simpl. c. 12

lib. 17. c. 2.

cano, vt adagio est. Argentum viuum à tota substantia, & à forma occulta Venereæ luis alexipharmacum est, sola experientia duce, non ratione, affirmante Epiphanio. Si Fernelius hominem sanauit, quem argentum viuum non sanauerat, vel inunctio inopportunè adhibita fuit, vel exuberanter. Nec vna hirundo, nec vnus flos ver facit. Quot sanati sunt inunctione ex argento viuo à Iacobo Carpensi, qui quadraginta aureorum millia hoc remedij genere lucratus est? Quot sanati sunt ab alijs, qui Medicinam superioribus annis honorificentissimè fecerunt, hodieque faciunt? Ars est eorum, quę plerunque fiunt: satis nobis est pleroſque Venerea lue affectos hac inunctione rite peracta curari.

Hist. 17.

Tibi vir doctissime assentior in totius morbi vigore perfici materiam, minimè perfectam esse, nisi vigore declinante. Hoc docet Galenus II. Aphor. vt in libro de crisibus, inquit, *manifestauimus, coctiones morborum tunc (id est, in vigoribus) maximè fiunt. Exquisita verò coctio fit tempore status, ait in libro de crisibus. Fieri in vigore, & in statu coctionem dicit Galenus, non factam esse.* Non igitur mirum tunc symptomata esse vehementissima.

17.

3. de crisib. c. 5.

Postremam tuam dubitationem, morbis paria gradu adhibenda esse remedia Galeno auctore, Archangelus Mercenarius olim Horatio Augenio proposuit. Obiecit Archangelus, si morbis remedia æqualia gradu admouerentur, nunquam morbum enictum iri, quoniam inter æqualia actio non fit, qua alterum ab altero vincatur. Occurrit obiectioni Augenius inquiens, etiam si morbis paria gradu remedia admoueantur, morbus ab illis vinci posse, non tamen quatenus paria sunt, sed quatenus cum ipsis tanquam instrumentis natura, quæ vt præcipuum agens propulsat morbos, connectitur; qua ratione fiant remedia validiora morbis, ficque actionem medicamentorum in morbos non ab æquali fieri, sed à maioris inæqualitatis proportione. Institit Archangelus, quamuis natura in morbis cum remedijs connectatur, eam tamen supra eorum vires non agere, neque vim ipsis addere, vt magis agant, sicuti faber supra dispositionem serræ secare non potest, nec anima in ægrotis, & in senibus robur illorum imbecillo calori, vt melius concoquat, adiungere. Visnè hos inter olores anserem strepere, strepam, & tuę lędentur aures, quarum peracre iudicium est: sed patienter feres, quia tu ipse anagyrin, vt est in prouerbio, commouisti. Inter æqualia non est ratio, qua alterum ab altero vincatur, si æqualia gradu, & actiuitate sint: quòd si æqualia tantùm gradu sint, non autem actiuitate; inter ipsa est actio, veluti inter calidum vt octo, & frigidum vt octo; quia calidum vt octo actiuius est frido totidem gradibus. Quòd si æqualia gradu iuxta sint, atque actiuitate, inter ipsa quidem non est actio, qua alterum ab altero superetur, sed reactio, qua vtrunque ad medium per mutuam pugnam redigatur. Nos igitur Medici Galenicum præceptum seruantes, intemperiem curamus medicamentis, quæ totidem numeris à mediocritate discedant, quot illa intemperies à naturali distat. Hæc autem medicamenta licet æqualia gradibus sint intemperaturis, inæqualia interdum sunt actiuitate, vt quãdo in syncope est frigiditas sex graduum, & calidum totidem numeris, instillamus, exempli gratia, vinum creticum, fit actio, quia calidum actiuius est ipso frigido, & miseri ægrotantes ad se se redeunt. Sæpius autem propinamus medicamenta paria gradibus, & actiuitate ipsis intemperaturis, vt quando in febribus decoctiones, syrupos, & alia alterantia offerimus proportione respondentia affectionibus: quibus auxilijs intemperies statim non aufertur, sed sensim, & sensim per mutuam pugnam, & reactionem refrangitur: quod tutum est; sicuti plurimùm, & repentè calefacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus mouere, periculosum monente Hippocrate. Habes sententiam meam, intemperiem tollendam esse medicamentis, quæ paria gradu sint ipsi intemperiei, & dari inter ipsa actionem, si non fit eadem omnium actiuitas; si fit, reactionem. Caue, ne mea tibi sententia, siue auctoritas, vt scribis, sit pro ratione. Rationem sequi debes nullius addictus iurare in verba magistri, sit tibi amicus Laurentius, sed magis amica veritas: quam vtrum tetigerim, nescio: ardua enim quæstio est. Vale. Pridie Kal. Februarij M.DC.XXIII. Belluni.

1. Aph. 12.

Hor. in ep.

1. de comp. med. per gen. c. 3. difficidat. volum. 2.

LAVRENTIO RAGOZIO
Medico Præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Proponitur difficultas de actione pharmacorum in humanum corpus.

DIsertè adeò, & luculenter ad dubia omnia respondisti Laurens doctissime, vix ut credam te multitudine ægrotantium distineri, quod si ita est, virtus & probitas tua mihi magis affulsit. Cogor in tuam cedere sententiam grauibus rationum momentis adductus: Vnus tamen superest scrupulus, quem stirpitus mihi eximas, uelim.

Dicebam, ab æqualibus gradu cõtrarijs nullam actionem edi, tu verò effici probasti, quoties alterutrum contrarium energia præpollet. Quæ sanè responsio me magis trãsuersum egit; etenim Auerrhois gradu æqualia virtute quoque, & efficientia paria esse scripsit. Verumtamen esto, ut gradu æqualia agendi efficacia distinguantur, atque adeò actionem, & uim proferant, dein fac, calorem ut pote formatissimum esse actuosiorem, frigori agendi vim minorem, resistendi promptissimam inesse, hinc manifestò fiet, ut nulla calida intemperies à frigidis eodem recessu pharmacis expungi, expelli ue possit, id quod nullus dabit cordatus Medicus. Nec desunt, qui putent, à proportione quoque minoris inæqualitatis (ut aiunt) actionem emanare, auctoremque proferunt Arist. 4. de Ortu Animal. cap. 3. Vbi rationem reddens, quare Agentis actio aliquando soluatur, ait, Agens agendo repeti, atque interdum uberiùs perpeti, quàm ut agat. Propterea Fernelius lib. 1. Therapeutices, atque Hieronymus Capiuaceus libello de Methodo componendorum pharmacorum ad summouendas discrasias aliquando suppari gradu medicamenta adhibent, à quibus suæ harmoniæ partem restitui posse tutiùs,

ciùs, & si non ocyùs, rectè arbitrantur. Rationem autem Capuaccius subijcit, quòd medicamentum Agentis rationem subit, patientis verò intemperata particula, secus autem in vlceribus, atque vulneribus accidit, quum natura, seu insita partis temperies tunc agentis rationem induat. Quæ cum ita sint, amplius torqueor, & vix scio, quam in partem inclinem. Si tamen in dubijs aliquid proferre licet, dicam, mihi illorum opinionem non improbari, qui duplicem statuunt actionem, vnam victricem, quæ fit ab agente superiore demoliendo, destruendoque contrarium, alteram ancipitem, in qua contraria licèt gradu paria, & viribus vicissim agunt, & patiuntur, donec ad mutuam quandam crasim, & mediocritatem sese redegerint, remiserintque. Quis enim crediderit, duo contraria ad posita actionem suam suspendere posse, quum fato, & naturæ impetu agere cogantur? Ab hac tamen actione neutrum destruitur contrarium. Adhæc formæ sunt prima agendi primordia, & habitus, à quibus necessaria profluit actio, quantumuis gradus, & efficientiæ paritate conueniant. Bertus quidam Comm. in Fen. Quartam Auic. arbitratur præsidia gradu paria atque etiam supparia ideo agere in morbosas dispositiones, quòd dirigantur à natura, quæ est primum contrarium in omni affectu præter naturam debellando: eandem opinionē concoxisse videtur bonus ille Augenius, quem ex more sugillat Mercenarius. Tu Laurens doctissime videris. Vale.

IOANNI STEPHANO
Medico præstantissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S.P.D.

Nouæ difficultates in medium feruntur. Cur Augundi Aqua clara, illimis calida hyeme, frigida æstate collecta in vrceo intra sesquihoræ spatium turbida euadat, & putris.

30. prob. PLacet responsa non displicuisse. Ne tamen credas rariores dotes naturam in me contulisse. Liberali manu pituitam, auaram melancholiam, qua omnes sapientes teste Aristotele viguerunt, mihi dilargita est.

Augundi in quodam loco, cui Diui Lucani Vallis nomen est, perennis aqua, candida, perspicua, illimis, calida hyeme, frigida æstate, adeò vbertim, vt trochleas molitrices volueret, per glareas, & saxa defluit: quæ tamen in vrceo, vel alio vase reposita, intra sesquihoræ circiter spatium turbida fit, & putris. Quæsita à me causa est, sed non reperta. An insunt huic aquæ multi crassi vapores, qui in aquam densati, prioris aquæ perspicuitatem turbant? An exit ab hac aqua proprius calor exiguus ab ambientis calore attractus? *cùm autem quod mouetur & fluit, minus putrescat, quàm quod non mouetur, debilior enim fit motus, qui ab ea, quæ in aere caliditate, quàm quæ in re præexistit*; vt omnium calculis doctissimus Aristoteles asserit: ideo dum hæc aqua matris, vt ita dicam, suæ gremio fluitat, suam seruet naturam; dum seiungatur, amittat. Idem labentis aquæ motus impediat, ne vapores in illa inclusi in aquam densentur, quod fiat postea, vbi extra suum locum conquiescat. Do operam, vt admarandi huius liquoris cantharus ad me perferatur, vt videam, olfaciam, gustem, & ope pharmacopœi destillem, sic enim ex ijs, quæ in ima ampulla adhærebunt, crassamentis aquæ mineram inuestigabo; interea temporis dispice, quam tu reddas rationem, & vtrum de alia aqua talem perturbationem legeris. Vinum quidem, quod in vappam trāsijt, è dolio clarum exhauritur, deinde intra paucas horas perturbatur, sæpius etiam vrina clara mingitur, mox turbida euadit. At nullius aquę naturalis tam citam obseruaui perturbationem. In hac causa mihi aqua hæret. Cur enim inscitiam meam tibi amicorum iucundissimo non fatear? & præsertim per epistolam, quæ minimè erubescit? multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putaissent se peruenisse, præstantissimus sapiētię affirmat. Proinde iure, & meritò censeo me ad nullam adhuc sapientiam peruenisse, qui tandem labore duce, & comite Deo opt. max. peruenire exoptem. *Abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps, nec ideo adsequare*, politicarum magister inquit sententiarum Tacitus. At venari arcana naturæ licitum, quamuis anceps, vt voti sæpenumero compos fias. Quòd si ego non semper, non tamen dolore peream, vt Homerus, quia quæstionem à piscatoribus positam soluere non potuerit. Cor ne edito, dicebat Pythagoras, id est, ne curis animum vexes. Acriores autem aliquando sunt curæ sciendi, quàm aliarum rerum. Ideo difficillimum est retinere ex sapiētia modum, cùm scire plerique vehementiùs, quàm cautè desiderent. Chærephon auditor Socratis tam pertinaciter litteris incubuit, vt præ pallore, macie, atq; extenuatione dictus vulgari ioco vespertilio fuerit. Mihi hoc nō contingit, qui singulis ferè horis ab ægrotis accersor. Eadem mihi, quæ cœlo quies: perpetuo in cursu quiesco. Vale felix vi. kal. sext. M. DC. XX.

Seneca de vitæ tranquil.

vi. Anal.

IOANNI STEPHANO
Medico præstantissimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS S.P.D.

Conciliatur sibi Hipp. sanguinem modò prudentiæ modò stoliditatis authorē afferens. Quomodo suffusione laborantes videant spectra intra oculos, declaratur.

QVas proponis dubitationes Vir eruditissime, mihi arduæ videntur; dicam tamen, quod sentio, vt studio obsequar tuo, detrimento forsitan doctrinæ, nullo amoris. Scio modicas vires mihi, & maiora credi de absente. Quando inquit Hippocrates inter omnia, quæ sunt in corpore, nil magis ad prudētiam conferre, quàm sanguinem, loquitur de humana prudētia latè sumpta: proinde Anutius Foesius doctissimus Hippocratis interpres intelligentiam vertit, non prudentiam, ne prudentiam hoc loco arctè accipiamus pro habitu cū ratione vera actiuo circa ea, quæ humana bona sunt, sicut definit Aristoteles. Sed quomodo sanguis ad pru-

lib. de flatib. n. 20.

6. met. Nicom. c. 5. lib. de hom. ſtruct. ad perd. 1. de Natur. hum. 39.

dentiã̃m confert, ſi ab eo potius aſſiduus riſus prouenit, vt alibi aſſerit Hippocrates, & ſimplicitas, & ſtoliditas, affirmante Galeno? Dignus vindice nodus eſt, quem voto bonum expetas, qualemcũque toleres; ſanguis intelligitur vel pro omnibus quatuor, qui in venis continentur, humoribus; vel pro ſincero illo humore, quem propriè ſanguinem appellamus. Sanguinem priore modo ſumit Hippocrates libro de Flatibus, qui in congruo temperamento permanens, ad prudentiam facit; permutatus autem vel frigiditate, vt in ſomno; vel caliditate, vt in temulentia, animi quoque prudentiam permutat, Quia quieta eſt, reſidetque anima, ſciens fit, & prudens, autore etiam Ariſtotele. Perturbatio ſanguinis animam ipſam Perturbat, ſanguinem poſteriore modo accipit diuinus ſenex libro ad Perdiccam, & Galenus 1. de nat. humana, dum riſum ci, ſimplicitatem, & ſtoliditatem aſſignant. Quod ex verbis ipſis vtriuſque liquet (Qui puri ſanguinis non inexpertes ſunt, hi vſquequaq; rident, Cous inquit.) Animi acumen, & dexteritas à bilioſo humore prodibit, ab atra bile conſtantia, *& ſtabilitas, à ſanguine ſimplicitas, ac ſtoliditas, dicit Pergamenus.* Sanguis igitur copia peccans, & qualitate, riſum, ſimplicitatem, & ſtoliditatem pariet: at debita copia, & qualitate mixtus cum reliquis humoribus prudentiam. Sed inquies cum Satyro illo Aniani. Ex eodem ore pariter & calidum, & frigidum efflas. Ego non ex eodem ſanguine prudentiam, & ſtoliditatem: hanc ex ſanguine immoderato, illam ex moderato.

7. Phyſ.

in Antiquis eſt Sapientia, & in tempore multo prudentia. Iob cap. 12.

In ſuffuſione mirum eſt volantes conſpici muſcas, & alia ſpectra, cum viſio externum medium colluſtratum requirat, & ſenſibile ſuperpoſitum ſenſum non afficiat. Variæ illæ imagines ſuffuſis oculis obuerſantes ab opacis vaporibus proficiſcuntur chryſtalloidi humori, & tunicæ corneæ interpoſitis. Intra oculum eſt, quod in aere externo videtur eſſe, & chryſtallinus humor, quia externæ aſſuetus viſioni eſt, quæcunque intus ſunt, extra iudicat. Idola tamen illa intra oculum cernuntur, quia præſto eſt obiectum, vapor quippe interiectus, medium, humor aqueus; & præcipuum viſionis inſtrumentum, chryſtallinus. Viſio imperfecta, qualis eorum eſt, qui ſuffuſionibus laborant, poteſt fieri viſibilibus obiectis viſorio organo ſuperpoſitis; & abſque externo medio illuminato. At perfecta nequaquam. Hæc eſt Andreæ Laurentij præclariſſimi Medici ſententia, quam volens, lubenſque ſequor, vt quæſtionum ſymplegadas euadam.

Anat. lib. 11. q. 1.

Grauiter moleſteque fero eſſe te ſuffuſioni obnoxium, quæ à vapore in longum protento originem duxit, cùm tenuiſſima quædam fila tibi principio apparuerint. Hirudines ani primùm, deinde aurium venis applicitæ mihi probantur. Agarici, & ſennæ decoctum non omnino arridet; ſcis agarico quamuis correcto vomitionem cieri, quę magis atque magis caput repleret; ſumas, velim, catapotia cochia tantopere in his malis ab Arabibus commendata, niſi à pharmacis ſolidis abhorreas, ſi temporis æſtus vrgeret, poſt horam ab aſſumpto medicamine vel mandere ſemunciam manæ, vel apozema aliquod refrigerans bibere non abs re eſſet. Leues apophlegmatiſmi placent, & electarium cephalicum. Cucurbitulas ſcarificatas omitte, non ſcarificatas admitte. Raſis, & Iacchinus in vera ſuffuſione ſanguinis miſſionem auerſantur, quia morbus tardus, & diuturnus ſit, & frigidarum cauſarum ſoboles, & ſanguinis euacuationem ſequatur euacuatio ſpirituum, & virium imbecillitas, ſicut vmbra corpus. Nos tamen cum Ætio, & Paulo mittere ſanguinem poſſumus, & præſertim ex hæmorrhoidibus, vnde pauci ſpiritus exhauriuntur. Ad internoſcenda corpori tuo vtilia, vel noxia puto alieni conſilij te non indigere: vereor tamen, tibi noceat nimium litterarum ſtudium, nec noxiam præ voluptate ſentias. Libros à cibo niſi uitas, te ipſum euitas. Legis quidem, ne ſolus ſis, vt ſcribis, in cubiculo, ſed credo te nihil aliud agere. Omne nimium naturæ inimicum, non ignoras. Vt robur oculorum ſerues, in legendo chryſtallinis vtere conſpicillis; & per certa interualla conſpicillis ex viridi vitro, vt recrees ſpiritus; eoſdem vt colligas, pyramide rotundo acumine imperforato, tam lata baſi, vt ambos oculos complectatur, concaua, ex viridi denſiore uitro. Hæc Petrus etiam Foreſtus ſtudioſo iuueni ſuffuſione laboranti propoſuit. Ingenuè fateor, per quos profecerim (ſi quicquam tamen proſeci.) Sed conſilium, quia inuicem abſumus, poſt rem fortaſſis afferetur. Parui refert, dummodo meã in te uoluntatem perſpicias.

Hip. 2. Aph 51.

11. obſ. 31.

Gratias tibi immortales ago, quòd nuper domi me conuenire exoptabas. Dolui me abfuiſſe; ueni inumbrante ueſpera, & niſi putaſſem te Venetias poſtridie cogitantem cubitum tunc iuiſſe, vt ſummo mane te committeres rati, ad te auidiſſimè acceſſiſſem, vt uiderem, vt ſalutarem, vt amplecterer, vt domum, meque ipſum tibi paratum eſſe promitterem.

Ancilla egeo nec uetula, nec iuuencula, ſed mediæ ætatis, pudicitiæ incorruptæ, manus non piccatæ, linguæ non procacis. Si quam iſtinc erueres, & ad me mitteres, rem gratiſſimam faceres, Vale. xiv. kal. Sextilis. M. DC. XX. Belluni.

IOANNI STEPHANO MEDICO, Elegantiſſimo

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S. P. D.

Hortatur; vt Muſis placidioribus operam det ſummorum virorum exemplo.

CArmina Heroica, & Phalecia nudius tertius, hodie elegiaca accepi, & mihi uehementer probantur. Lætare igitur quoniam tibi hoc erat in uotis. Non uoluntatem tuam ſolum, ſed paucos intra dies rem agnoui. Nimirum legiſti illud Auſonij.

Gratia, quæ tarda eſt ingrata eſt, gratia namque
Cum fieri properat gratia grata magis.

Summas, quas mereris gratias agere uelim, ſed me uerba deficiunt, habebo libentius, & referam libentiſſimè, ſi dabitur unquam facultas. Interea ſæpe uerſus conſcribe, ne ingratus muſis, qui te naſcentem placido numine uiderint, uideare. Benè conueniunt, & in una ſede morantur Poeſis, & Medicina.

dicina. Ideò fabulati sunt veteres, eundem Apollinem & Musarum Principem, & Medicæ Artis repertorem fuisse. Non te latet quot carmina Nicander, & Andromachus ex Græcis, Serenus, & Fracastorius ex latinis composuerint. Nunc Io: Cappotus Medicus Florentinus Hetruscorum carminum librum edidit. Antonius Ongarus, cuius extant Alcæus Piscatorium lepidissimum drama, & aureolus Hetruscarum odarum, & Epigrammatum libellus Patrum nostrorum memoria medicus erat Io: Baptista Amaltheus insignis extitit Poeta, & multa eius carmina typis commissa sunt, sed multo plura in scrinio seruat Octauius filius tanto Patre dignus, lumen, & ornamentum Asclæpiadarum. Quis à tantorum virorum exemplo abhorreat atque imitatione. Non tu certè, qui quibusdam veluti naturæ igniculis ad laudem, & gloriam, ad virtutem, ad omnes laudandas artes inflamaris. Difficile est, inquies, carmina bella facere. Mille sunt, inquit Seneca in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indixerit. Si libros, quos consulas, non habes, parui refert. Tute es Bibliotheca animata. Vale, meque ut facis, ama vij. Idib. Nouembris. M.DC.XX.

VINCENTIO VONIGÆ
Medico præclarissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Dubia proponuntur de deliriorum speciebus. Non posse Phantasiam deprauari incolumi ratione, neq; hanc vitiari illæsa imaginatione.

IAmdiu ad te scripturio, sed audaciæ notam veritus, hucusque curiosi animi impetum sustinui, quem verecundiæ frænis adhuc coercitum continuissem, ni summa humanitas tua, & præclaræ indolis præstantia in primis excitassent, animumque addidissent, boni igitur facias, rogo. Hæreo, veluti in Dædali labyrintho positus sine Ariadnæ stamine, in re pleriſque peruia.

Legi non semel apud Galeni interpretes doctissimos tres deliriorum species, cum scilicet sensus citra mentis errorem vitium capit; cum mens oberrat sensibus integris; Ac denique cum eodem errore tenentur ambo. Qui fit, inquam, hoc? Potestne sensus (interiorem dico, nam exteriores sæpe decipiuntur sine mentis assensione) falsus esse, vera, & incolumi ratione, aut mens erronea sensibus integris? Durum sanè hoc, & quod ingeniolum meum vix queat concoquere, si ita fiat. Audi, quæso te per sacras Musas (vir præstantissime) quantum hæc abeat opinio à Peripateticorum officina, imò ausim dicere, à veritate. *Scitum est, oportere intelligentem phantasmata speculari.* Qua igitur ratione læsa phantasia illæsa, intaminataque cuadet intellectio? Dicat quis cum Auic. esse quidem necessarium sensuum ministerium nouis rebus intelligendis, cum omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti præuiaque fiat sensuum cognitione (nihil enim est in mente, quod prius non fuerit in sensu, propterea earum rerum cognitione caremus, quarum desunt sensus) at semel intellectis haud amplius opus esse visis, & imaginibus, cum intellectiua facultas singula fiat intelligibilia, & in ea recòdantur species, propterea scripsit Philosophus locum specierum esse mentem, nosque adeò intelligere, quando volumus, non item sentire ad libitum. Non breui huic acquieui, ac parum abfuit, quin manus darem, atqui cum accuratiùs Aristotelem perlustrassem fieri nò posse comperi. Enim verò operatio facultati analoga est, cum verò intellectiuum (vtor D. Thomæ verbis) sit in sensitiuo non potest mens de rebus etiamnum acquisitis, quarum tenetur habitus, absque idolis, & similitudinibus edisserere, etenim intelligibiles species re non abiunguntur à phantasmatibus, vt docuit Arist. in lib. de Anima, & præclarè in lib. de memoria, & reminiscentia, vbi pressè scriptis prodidit, nos intelligere minùs posse sine continuo, & tempore, subdit autem D. Thomas rationem, quam placet ad verbum adscribere. *Accidit, inquit, quoniam nihil intelligi potest sine phantasmate, phantasma verò sit oportet cum continuo, & tempore, quia similitudo rei singularis est, quæ hic, & nunc est, quod non potest intelligi sine phantasmate.* *Quare autem homo nihil possit intelligere sine phantasmate, ratio facilè assignari potest, quoad primam specierum receptionem intellectibilium, quæ à phantasmatibus abstrahuntur secundùm Arist. sed experimento patet, quòd etiam ille, qui iam acquisiuit scientiam intelligibilem per species intellectas, non potest actu considerare illud, cuius habet scientiam, nisi occurrat ei aliquod phantasma, ac inde est, quod læso organo imaginationis impeditur homo ab intellectione non modò nouarum rerum, sed earum etiam, quas prius intellexit, vt patet in Phreniticis.* Hactenus D. Th. qui comm. in lib. de An. idem ferè scripsit.

Ecquis verò erit, qui his lectis libenter non concedat in Ludouici Mercati opinionem? ille est, qui cap. de Phrenit. phantasia oblæsa machinalis ratione causse necessariam violatæ intellectionis consecutionem inferri autumat, atq; à contratio exturbata intellectione, ratione signi, imaginatricis præcurrens argui vitium. Neque arbitratur, Galenum aliter sensisse exemplo Theophili, & Lanifici, hoc enim voluit Arist. quando scripsit, *Quodam interius corruptio*, nempe phantasia, *corrumpi intellectum*, hoc est intellectionem. Cur ergo deliria secamus in discrimina, si vnum est, varium modò, prout alterutrius facultatis noxa manifestior extat? Sciunt autem omnes, magis, minúsue nullam constituere speciem. Quare satiùs sit Phrenitidis species ex modo inflammationis cum Mercato venari. Hæc autem dicta sint his, qui intellectum inorganicum esse in animum induxerunt, & per conuersionem ad phantasmata duntaxat munus obire suum, qui verò difficulter hoc dant, possunt reuera aliter sentire. Sed enim si singularem hâc sententiam ineam, video melioris notæ medicos mihi infensos, quos cauere velim te monitore. Quare te obtestor, vt me in via tutiore sistas. Vale. M. DC. XXIV. Kal. Octobr.

Lib. 2. de Anim.

FRANCISCO MISTRVCIO Medico, & Philosopho præstantissimo.

IOANNES STEPHANVS MEDICVS, CENETAEQVE PROVISOR S. P. D.

Dubijs quibusdam, quæ continentur in lib. de structi. Hom. respondetur, & veritas retegitur nouis argumentorum momentis.

PRudenter Ægyptij Isidis, seu Sapientiæ pedibus subscribebant, *Nemo mortalis adhuc meum peplum detexit*. Enimverò vsque adeò rerum veritas in materiæ gremio latitat, vt nil sit tã sanctum, tam constans, quod contrario argumento refelli non possit. Id quod commodùm per litteras tuas palam, planumque fit, quarum doctrinamne, an elegantiam potiùs admirer; nescio, adeò animum meum permulsit utraque, & titillauit. Quòd si Pythagoricam metempsycosim admittas, Cremonini genium in te commigrasse, ausim dicere; & quod de Epicuro dicebat Neocles, omnes atomos sapientiæ in uterum matris tuæ concurrisse. Gratulor itaque Bellunensium eu fortunium, quibus uir Pharbæa arte, & summo ingenio præditus obtigit; nehementer autem doleo me non eum esse, qualem agnoscis, & tollis præconio: Nam licèt in me de siti sapientiæ sit plurimum, inest tamen exili stylo de fonte eruditionis exiguum, neque enim maximum potest esse in minimo.

Argutiolas ex Eleaticæ scholę medio decerptas perfunctorie, & obiter attingam, &, quod aiunt, summis labijs libabo, quando per temporis angustiam, & maximas rerum agendarum difficultates, quibus continenter distrahor, & prorsus distineor (tota enim Ciuitas mihi incumbit graui pestilentiæ insultu lacessita, cui nomen officij obseruans, multifariam prouidere, & consulere cogor) luculentiùs, & minutis punctis singula prosequi non licet. Æqui igitur, bonique consulas, si summa rerum fastigia sequens modò digitum ad fontem intendam, sat enim pauca sapienti.

4. de Part. anim. c. 2. & 4. 1. de Gen. Anim. Auerr. 2. col. 4ec.

Quod spectat ad primam difficultatem, apud omnes Asclepiadas & Iatraleptas Hippocratis doctrina imbutos est in confesso, quatuor in venis subesse alimentarios humores, sanguinemque per se nutrire, reliquos sanguinis commercio, & concomitantia, à quo dulcantur, nutritionique præmuniuntur, præparanturque, quare non est mirum, si ipse Medici personam sustineus, & in Hippocratem Heraclidarum genus, & Medicorum Coryphæum commentarios edens communi sententiæ adscripsi, Aristotelemque ipsum, qui ab Hippocrate genus duxit, paulò negligentiùs sum prosecutus.

3. de Gen. anim.

Hic solo sanguine Animalia alescere, scriptis tradidit, & meritò quidem, si velim melioris notæ Medicis applaudere, qui pacem conciliare contẽdunt, etenim sanguinem pro aggregato accepit, pituita, vtraque bile, & propriè dicto sanguine, cui reliqui mancipantur, cætera, quæ fluitant, & toto corpore oberrant, non sunt humores, sed excrementa, quæ sponte ad sua feruntur conceptacula, & nullatenus nutriunt, si modò verum est, quod idem ipse fatetur, excrementum id esse, quod incoctum remanet, quocirca scitè, & ad rem appositè scripsit in libello de longit. & breuit. vitæ excrementum instar esse contrarij. *Præterea, inquit, oportet id, quod haud facilè sit corruptibile, nequaquam excrementis abundet, quod enim tale est, aut vi morbi, aut suapte natura interimitur, namque excrementorum virtus, atque facultas subit vicem contrarij atque interdum naturam ipsam, interdum partem corrumpit, quapropter quæ salacia sunt, & semine redundant, ocyssimè senescunt, & semen excrementum est, & insuper, cum prodit, assiccat, &c.* Quare cum excrementum sit asymbliton, neque assimilari queat, id enutrire ἀτοπον est dicere. Nõ me fugit, quidquid redundat in corpore, aliquando à Medicis vocari excrementum catachristicως, transumpto excrementi nomine, cum non sit nefas quippiam alicui excrementum, alteri alimentum esse, si modò sola copia peccet, non etiam qualitate, & forma.

His satis, superque factum putarem tibi, ni remeligo obijceretur Coltæus, qui Philosophum propterea bilem vnà cum sanguine non admisisse contendit, quòd eius acrimoniã perferre cor nequeat, quocirca ille Arist. à Galeno etiam commendatum hac ratione defendi posse fatetur, si quis dixerit ab eius principijs non desciscens, sanguinea Animalia solo nutriri sanguine, & singulas eorum partes non bilioſas, nõ pituitosas, sed sãguineas esse tueatur, & licèt alię ex tenui, vt carnes, alię ex crassiori sanguine sint procreatæ, vt ossa, & aliæ rursũ ex calidiori, aliæ ex frigidiori, quædã ex humidiore, quædam ex sicciore sanguine sint constitutæ, omnes tamen ex puro ipso sanguine constant, atque adeò nutriuntur singulæ similem earum substantiæ alimoniam attrahentes. Quid facias. Ex malè positis, dicebat Epicarmus, difficile est benè colligere.

Porrò Philosophus carnem potissimam Animalis partem, cui prima sentiendi vis insidet, palam constituit, non item Medici. Quidquid tamen sit, quemadmoduin à Platone, & à Galeno caro tegmen contra frigus, æstumque censetur, & alibi ad replenda loca vacua commodum conferre, & pars musculi æstimatur, ita à Themistio non modò Arist. interprete, verum etiam paraphrasta tactus organum non putatur, quia qualitates cum materia recipit, nemo enim est, cui hæc sæpe non incaluerit, non frixerit, non humuerit, itaque & hæc materia qualitatum efficitur, quod in cæteris instrumentis non contingit, pupilla enim non albescit, aer, qui in auditorio est, nec grauis, nec acutus redditur. Et reuera Arist. ipse suis interpretibus dubitandi ansam præbuit, modò enim cor, ait, esse tactus sensorium, modò carnem, modò neruum. Cor sanè est primarium, seu radicale principium, quia neruos inde oriri existimauit, caro est medium internum, quando enim Arist. scripsit, attactum fieri sine medio, intelligendum est de externo, sentit enim nerui ministerio animali spiritu à cerebro influente ad interiectam carnem. Præstat igitur cutem constituere tactus sensiterium constat, enim subiecta carne infinitis neruulis consperſa.

Quod

Quod verò obtrudis argumentum, si nigrabilis, & pituita nutrirent frigus ingrederetur opus naturæ, est ficulneum, etenim ab Alrice ministerio temperamenti, & caloris, quæ sunt machinamenta, nutritio perficitur, quæ cum sit quædam aggeneratio, terminus est præcurrentis alterius, sic autem afficiuntur humores, qui sunt obiecta, inquæ illa agût, vt vndique natiuo calore perfundantur, donec eam nanciscantur similitudinem, quam pars alenda meretur.

Nec abs re adducitur Philosophi auctoritas, quam tanto verborum apparatu, & exemplorum vsurpatione consilio meo nihil adminiculari contendis, nam naturale, & præter naturam (nihil enim refert præter, an contra naturam dixeris, quod vult Auerrhois) sunt differentiæ primùm humores distinguentes, discriminantesque, illæ autem ex aduerso positæ sic se habent, vt altera perfecti, altera imperfecti rationem subeat, cum autem perfectum prius, potiùsque existat, proximum est, vt humores naturales ceu perfecti, prius existant, quam præter naturam; Quare cum etiam Philosophorum testimonio dentur vtraque bilis, & pituita præter naturam, cõficitur totidẽ esse naturales, quot enim modis vnum contrariorũ dicitur, & alterum, positoq; vno contrario, necesse est & alterum admittere. Vide igitur, quàm solida ratione consistat argumentum, & quàm facile mole sua ruant, quę nulla stabilitate firmantur.

Lienem ex euentu necessarium esse, reuera scripsit Arist. quemadmodum Erasistratus Arist. discipulus frustra, ego verò eiusdem erroris ambos insimulaui, quo iure me tibi vellicandum propinari. Appello ad Gregorium Horstium, qui pro me tulit sententiam. Hinc tamen ἀτιμίας indicta caussa non recedam. Audi igitur patienter, vt tandem colligas, te ante victoriam triumphum cecinisse. Necessarium variè vsurpatur, dicitur enim quippiam simpliciter necessarium, vt Deum esse, vel ex hypothesi, quod licèt considerata natura rei secus euenire queat, aliquo tamen supposito necessariò contingit. Hoc autem in tot genera distribuitur, quot sunt caussæ, quæ supponi possunt, nimirum in quatuor. Quædam enim sunt necessaria ex suppositione efficientis, quædam ex hypothesi finis, alia ex suppositione caussæ formalis, alia denique necessariò sequuntur ex materiali caussa, nam facta hypothesi, quòd substantia sit, necessariò datur vbi sit, cum substantiam esse, & nullibi esse repugnet. Lien verò necessarius videtur ex finis suppositione, non vt vinamus simpliciter (reperti enim sunt, qui sine splene Vixerunt, & Plinio authore veteres cursoribus lienem vrebant, & canes fabrorum ferrariorum, qui chalybeatam aquam lambunt, nullum aut per exiguum habent lienem Celso teste) sed vt commodiùs viuamus, quare si per accidens necessarius est, vt scilicet commodiùs viuamus, perinde est, ac si frustra conditus sit eius sententia.

lib. 1. de nat. hum.

Arist. 5. Metaph. 2. de anim. Animal.

Ad tertiam redargutionem sic respondsum volo, quam magna verborum suppellectile construis, & vt firmis eat pedibus, ex argutiolarum exercitio multa longè repetis, & innectis, vt etiam sine caussa in Platonicorũ dogma incidas, dum κοινωνεῖν sine singulis subsistentem facis, cum tamen dicat Philophus, sublatis primis substantijs nihil reliquorum remanere, & vniuersale posterius esse suis singularibus, & reuera τὸ καθ' ὅλου ἐν reipsa conueniunt. Nil extra singula exittit. Animal, homo notiones sunt sola mentis opera subsistentes. Verum hęc parerga. Anima humana cum sit in toto, & in qualibet parte tota, videtur tamen Philosophi sententia quadam eminentia in corde suum collocasse domicilium, quòd ibi communia vitæ instrumenta calor, & spiritus suppetant, cum verò anima substantia sit simplex, & individua, vnam habeat facultatem addecet (quemadmodum & materia prima) quę sit indifferens, & peræquè affecta ad plures obeundas functiones; Hæc autem communis, seu ἀδιάφορος facultas, vt determinatæ operationes absolui queant, opus habet quadam contractione, & præfinitione, contrahitur autem, & limitatur in partibus similaribus à proportione formarum elementorum, & à complexione ipsa v.g. sanguificatio est functio determinata, quæ fit à facultate communi animæ, cæterùm contracta in iecore à proportione formarum elementorum constituentium iecur, & ab eiusdem temperamento. Hinc facultas sanguificatrix est animæ vis certo modo contracta in iecore à determinata temperie heparis, & statuta proportione formarum element. quam solus Deus cognoscit.

lib. de Pred 2. de Anima.

Ad supremam difficultatem quòd attinet, quoniam ex superioribus palam fit, quàm vera sit Gal. sententia, singula minutiùs non prosequar (quum maximè quod conaris, non conficiant) sed conniuente oculo præteribo. Vnum tamen dissimulare nequeo, oppositum scil. non colligi eo argumento, quod obtrudebã. (Vbi amandantur, digerunturque excrementa, ibi sanguinem absoluti) nam teste D. Thoma, & tota Peripateticorum schola idem est agens disponens, & inducens formam, quod & in arte factis apparet. Et hæc sunt, quæ raptim exarare fuit integrum, si non sint sesamo, & papauere respersa, si non sapiant lucernam, in ingenii exiguitatem, & in temporis angustiam referas. Morbi pestilentes, & mortes interpellant. Vale, meque vt occepisti, dilige. vij. Idus Decembris. M.DC.XXX.

Auer. 7. Metaphy.

FRANCISCO MISTRVCIO
Medico, & Philosopho præstantissimo

IOANNES STEPH. CEN. PROVISOR S.P.D.

Redargutiones rationum pondere recuduntur, refelluntur que.

PHilosophiæ, quam Thaumantis filiam vocant, si non Philosophantis, veritas finis est, quæ cum sit adæquatio mentis cum re, in intellectu velut in subiecto residet, in re autem veluti in relato, cum igitur conceptiones intellectuum sint rerum intellectarum similitudines, si conceptus aptus sit rei, veritas paritur, à qua multi Philologi potiùs, quàm Philosophi Pythagoricam illam, ut ita dicam, dualitatem, aut Platonicam τριάδα sequentes abhorrent, dum tricis, & teretismatis res ipsas offundunt, qui-

quibus cum hercules disputatio iniri non debet, quum post longas rerum ambages veritas nihilominùs delitescat, quæ vna est. Cæterùm quum nostra disceptatio grauibus rationum momentis innitatur, & veritatis inuestigandæ gratia suscepta sit, frequenti rerum agitatione tandem id, quod est, e densis materiæ tenebris se se proferet in apertum, ac prodet, & alterutri manus dabit, quod auper me fieri possit, tu vir excellentissime videris.

Inuocatis itaque vt cum Timæo loquar, secundùm legem Dijs, eo ordine difficultates refigam, quo fixisti, interim tamen vtar Laconismo, mos enim, inquit Zimara, sapientum est, vbi de veritate agitur, paucis rem conficere.

10. probl.

Dixeram, apud Medicos Hippocratica doctrina formatos in confesso esse, h.e. ratum, & constans, quatuor subesse in venis alimentarios humores, sanguinemque per se nutrire, reliquos sanguinis coitu, admixturaque; Tu hinc arguti ansam sumis subinde præter Hipp. mentē aduersùs Peripateticos quatuor humores alibiles statui, quum vnicum sit per se tale. Sed o bone non animaduertis à me tertio modo per se accipi. (Quamquam non præterit esse quosdam, quibus singillatim nutrire sanguinem haud probetur; volunt enim vltimum alimentum coalescere ex vnione quatuor succorum. Porrò vt vnitate formę Animal hoc vnum est, cui subsunt diuersæ naturæ particulæ ad functionum diuersa munera obeunda, reliquum est, vt etiam alimentum partium illarum dissimilitudini analogia respondeus vnum sit, tale autem est sanguinea massa quatuor illis succis conflata, constitutaque; Nec refert, plures esse humores, dummodo vni sanguini mancipentur perinde, atque in crasi primæ qualitates præpollenti, vnde nomen, & ratio temperamenti sumitur. Quod si exhaustum sanguinem in scypho concretum accuratè obseruasses, singulos humores vt locis ita proprijs naturis distinctos discreuisses. Nec à te Costæus est, qui rationem, modumque dum taxat indicat, quo defendi Philosophus possit.

Mercatus.

3. de Hist. Animal.

Quod spectat ad carnem, eam finiunt Medici partem similarem ad fibratum, quibus circumjcitur fitmitudinem, roburque genitam Equidem cum Arist. & Laurentio Anathomico cuiusque instrumenti præcipuam partem eam statuo, non est tamen, vir eruditissime, cur tam acriter medicos incessas, & supinæ ignorationis insimules, qui vsu, & officio partes nostri corporis æstimant non actibus. Interim non possum, quin admoneam, carnem medium, & sensorium esse non posse, quo discerniculo Arist. tegis; Idem enim obiectum eodem tempore esset organo abiunctum, & adiunctum. Porrò sensorium tactus, vt res est naturalis à materiatis qualitatibus afficitur, atqui vt tactus ὄργανον est, non nisi à qualitatibus denudatis, hinc fit, vt nullo egeant medio peculari, inquit Mercatus, tametsi requirunt organi dispositionem: Nec absurdum est in cactu peræq; ac in gustu sensile supra sensorium admotum sentiri, in reliquis tamen sensibus absonum. Quare statutum sit membranam esse præcipuum tactus organum.

Proh Dij immortales, admiratione, tamquam Enthusiasmo affectus, tot modis vnum contrariorum dici, quot & alterum inficiatum is, & despectum. Quam parum cordatè. Equidem apud Philosophos nil magis pertritum vidi, nil vulgatius, quę ab Arist. rationem mutuantur, vnum vni contrarium esse, dicente, & contrariorum eandem esse rationem, posito que vno necesse esse & alterum contrarium apponi. Verum ea est tantæ admirationis causa, quod extra pomœria vagaris. Tu ethicum paradigma, & steritica obtrudis opposita, & nobis de naturalibus, & positiuis agentibus oppedis. Non latet mediocritatem ex integra causa constare, incongruum ex multiplici, cum à medio infinitis modis recedere datum sit, hinc fit, vt tam multiforme sit vitium, ut non modo nututi repugnet, uerum etiam sibi ipsi, ut excessus defectui, auaritiæ prodigalitas, timiditati audacia: & quemadmodum forma pulchritudinis, & vnitatis, ita materia deformitatis, & diuisionis origo est, & nutricula, atqui forma bono analogicos respondet, materia malo. Quare, ut ad pensum redeam, licèt bilis, exempli loco, multis modis præter naturam fiat, nomen tamen, & rationem non amittit, quo fit, ut uni bili naturali opponatur. Fortassis illuc collimasti, ubi Arist. ait, *Si vnum contrarium sit, non oportere esse & alterum.* Sed aduertas, Arist. ibi secundùm logicam considerationem prouisse, quæ cum in campum latissimum excurrat, eiusque affirmatio, uel negatio in re nihil ponat, nil impedit, quò minùs quispiam imaginari possit unum contrarium sine altero.

cap. de oppos.

Siccine me iterum ad lienem vocas, & ad crepundia, caue ne tanta verborum exaggeratione intumescat, & insolescat, nam quemadmodum aucto fisco (dicebat Galenus) minuitur ærarium, ita crescente liene totum corpus marcescit. Hoc vnum volebam, non esse necessarium lienem ex Arist. quemadmodum tu astruebas. Porrò necessarium simpliciter, & ex hypothesi finis sunt assitata, tantùm abest, vt vnum sint, & ipse tautologias vitium inscitè commiserim; Absolutè enim necessarium est, quod nullam aliam causam suæ necessitatis agnoscit, ex hypothesi quod agnoscit. An nescis sola simplicia, & immobilia (quod docet Arist. 5. Metaphys.) esse absolutè necessaria, composita verò ob varias mutationes, quas subeunt, neutiquam. Deus itaque est primum necessarium, à quo cætera suæ necessitatis vim mutuantur. Sit verò ille rerum opifex finalis causæ, an potius efficientis nomine donandus, non contendo, qui scio causam finalem esse potissimam, cum moueat efficientes omnes immobilis ipsa. Mouet Deus, ait Alex. tamquam amatum, & desideratum, efficit tamen, dum singulis uim tribuit, per quam agunt. Cæterùm ad id, quod subijcis, formidare te, ne in ueterum absurdam opinionem incidam tanto ab Aristotele damnatam opere, responsum tale repono. Materiam in dispositionibus rerum naturalium esse necessariā, causam uerò necessitatis esse finem, etenim necessariò serra fit ex ferro. Cur dices propter finem, nidelicet ne sit expers ipsa secandi. Quid si dixero, inutiles dispositiones, & nequissimas, ut puta deformitatem, senectam, morbum, mortem, propter materiam necessarias esse, adeò ut & necessaria, & necessitatis etiam scaturigo sit, & causa? Quòd si tantisper commentarios super Porphyrij Proœmi um

mium in quinque vniuersalia percurrisses, illud necessarij discrimen passim saltem oculis hausisses, si non mente, & me tanto labore leuasses.

Quod ad particulares animæ facultates attinet, quemadmodum in genere differentiæ virtualiter (vtor philosophicæ militiæ castrēsibus vocabulis) continentur veluti in radice, ita in communi illa animæ facultate, quæ in corde residet, præcipuæ, atqui in singulis organis secundùm actum exercitum, & hoc est, quod volui. Subuereris denique, ne, si vniuersale mentis solius opera subsistat, scientia tollatur, quum sit vniuersalium, sed libero te isto metu. Affero enim vniuersum esse ens logicum, non Physicum, notionem, non substantiam, quia quod subsiat singulare est, notionem inquam, non inanem, cui nihil subsit, sed quæ habeat pro fundamento essentiæ κοινωνίαν, quam pro Platonicorum μετοχῆ. Arist. sapienter reposuit. Hinc Themistius. Sanè videntur genera, & species nudis notionibus proxima, quæ tamen cum ex singularium collatione, & similitudine reponantur, in singularia, & naturas euidentes, & solidas recidunt.

Boetius lib. de vnitate, & vno ait. Ideo est, quia vnus numero est, &c.

Quando scripsi idem esse agens disponens, & inducens formam, primarium agens, & vltimam dispositionem audiui, calor animasticus (vt tuis vtar verbis) non est agens primarium, cum accidens non attingat generationem substantiæ, quum nil agat vltra suam speciem, sed machinamentum est, & vniuersus naturæ dæmiurgos, instrumentaria verò causa agit secundùm vim primarij agentis, quod est vis κυαστοποιητικὴ, id est sanguificatrix iecori insita, quæ vtitur proprio hepatis calore, & temperamento ad educendam e chylo sanguinis formam. Quare cum hactenus nil confecerint tua argumenta, & meis rationibus nil offecerint, infractis viribus persistunt.

In causa faculi cuiuis licet esse disertum.

Interim rogo te (vir eruditissime) vt aliquid Philosophicæ libertati condones. Contradictor enim ait Auic. est excusandus, cum est super veritatem. Me in tuo habeas ære, & certo scias, te à me summè obseruari, & coli. Vale. Idib. Maij. M. DC. XXX. Cenetæ.

BERNARDO COLLE
Medico eximio

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Quod contrarium agat in contrarium non in subiectum aduersus Sanctorium.

lib. 2. de præsid. innocent.

NIhil est tam constans, nihil tam ratum præsertim in Physicis, quod contrario exemplo respui, reijcique non possit; ecce mirabilis Sanctorius, cuius auctoritatem plurimi æstimo, veterem sententiam negligens asseuerare non dubitauit, *contrarium non agere in contrarium, sed in subiectum contrarij, nempe in materiam primam. Quo principio non intellecto, inquit, Medici cæco, & inconsiderato impetu non methodicè medicinam faciunt. Hæc est, ait, causa, cur spagyrici, vt plurimum lædunt, & sæpe interimunt, quia eorum remedia agunt generosè in contrarium, & agendo morbo possessam partem corrumpunt.*

His suam prodidit sententiam Sanctorius ab euentu potiùs, quàm ab vlla ratione ductus, aut edoctus. Quod vt euidentiùs constet, præfari necessum est, duo esse principia, per quæ vnumquodque agit, aut patitur, scilicet materiam, & formam, illa patiendi principium ab omnibus statuitur, qua causa immateriata nullam subeunt alliosim, i. alterationem, forma verò agendi principium ab vniuersa Peripateticorum schola decernitur, vnde quo quid formalius, eo etiam efficacius est, hinc fit, vt ignis inter cætera elementa magis sit energotatos. i. efficax, cuius principatui fauent quotquot ecpyrωsi conflagratione perituram mundum arbitrantur. Cæterùm materia cum nulli subsit cathegoriæ (neque enim est definitè aut quid, aut quale, aut quantum, aut reliquorum Prædicamentorum aliquid) sed omnia potestate, hoc est omnia possit esse, quæ transmutationi sunt obnoxia, videtur omnium formarum subiectum esse, de quo veluti de communi possessione contendunt primæ qualitates, quæ substantiuam præcurrunt generationem, vt materiæ potestatem, alioquin indefinitam, & indeterminatam definiant, & ad certam suscipiendam speciem disponant, atqui huiusmodi parasceuæ, & aptitudines induci nequeunt, ni contrariæ deturbentur, siquidem duo contraria in eodem subiecto esse nequeunt (si modò sint in habitu, & totam expleant latitudinem, demonstratum enim est sub aliquo gradu simul stare posse.) Verùm dū istæ qualitates vicissim agunt, & tumultuantur, non in materiam primā vim inferunt primò, sed in contrariam qualitatem, quando materiam nullam agendi efficaciam habere statutum est, atqui agentia, & patientia vicissim agere oportet, & genere cōuenire, specie differre. Quis autē dixerit, materiā genere cōuenire cum qualitatibus, substantiam cū accidentibus? Adhæc nihil agit vltra suā speciem, quare vt accidens attingere non valet substantiæ generationem, ita nec corrumpere potest, eadem enim est ratio contrariorum. Accedat substantiæ nihil esse contrarium, actionem verò fieri ratione contrarietatis, quare cum materia sit substantia (incompleta tamen) substantiæ verò nil sit contrarium, nullo modo contraria in contrarij subiectum propriè agere, & vim exercere suam est dicendum, sed contrarium, nempe calidum in frigidum, humens in aridum, non in materiam primam, quæ peræquè subijcitur, substerniturque quibusuis formis indifferens, & indefinita.

Vide Fracastorium lib. 2. de Sympathia & Collec. Conimbr. lib. de ortu, & interitu.

Omnia transformans sese in miracula rerum.

Ad hoc agens omne agen lo repatitur, igitur si agat in materiam primam ab ea repatietur, quod dictu nefas est. Præterea agens gestionem edit, vt patiens sibi reddatur simile, sed quis hoc admittet, vt substantia accidenti adsimilis euadat. Sed quam in nobis comminiscitur materiam, cum vniuersa certo cultu, & ornatu sit definita, & compta? Nec est, quòd Arist. testem adhibeat dicentem. *Quod impossibile sit contraria pati ab alterutris.* Bifariam enim quippiam pati dicitur, nempe admittendo, suscipiendoque, aut corrumpendo, & destruendo, ut verò contraria mutuo conflictu, & cer-

2. Phys. tex. 67. Vide Burlæum.

certamine sese explodunt, & confodiunt, ita fieri non potest, vt vnum contrarium ab alterutris patiatur, id est suscipiat, hospiteturque contrarium veluti columen incolume, sed hoc officium sustineat materia oportet (eius enim necessitatem ibi demonstrare studebat Arist.) quæ subiecta contrariorum sedes perhibetur. Qui igitur tueri possis doctissimi Sanctorij paradoxon Accidentia, & primæ qualitates vt ad generationem substantiæ dicuntur conuenire disponendo (neque enim D. Thomæ sententia mihi probatur, formam substantiuam nudæ materiæ accedere) ita ad demolitionem contrariã inducendo habitudinem. Quare cum id, quod fit, non sit forma, sed compositum ex materia, & forma (ad hoc enim aliquid fit; vt sit, propriè autem dicitur esse compositum subsistens) vtriusque nexu, & firma copulatione subsisteret. Hanc autem copulationem efficiunt agẽtia per primas qualitates, quæ habitudinem ingenerant, cuius causa forma conciliatur materiæ, quòd si hæc habitudo per contraria agentia summoueatur, forma dissociatur, & dissoluitur compositum, nil enim est aliud generatio, quàm firma vnio formæ cum materia ritè parata.

Cæterùm aduersùs Spagyricos meritò inuehitur, qui nulla partis, temperamenti, consuetudinis, sexus ætatis temporis, aut regionis (mitto affectuũ discrimina) ratione habita vno, eodemque calapodio omnes calceant; singulis suum Stybium, quo vel deploratos morbos accipiunt sanandos, proponunt, ac propinant, singulis extracta, essentias, elixir, & nescioque præbia sesquipedalibus voculis nuncupata, vt sint vulgo admirabiliora, sine methodo ægris, qui se concredunt, exhibent ea mente, vt post longos labores languentium loculos exhauriant, & calamitosam cladem in morbi peruicatiam reijciant. Valeant illi tenebriones nugiuenduli, Valeant. Tu verò mi Bernarde benè vale, & æqui bonique consule.

MICHAELI ANGELO ROTAE Archiatro elegantissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Diluuntur quædam dubia aduersùs tractatum de Vertigine obiecta, statuiturque Vertiginem non oculorum, sed communis sensus esse passionem.

ARgutiolis, quas mihi externa die nimiùm sollicito leniter obiecisti (Michael-Angele doctissime) Marinelli hæresim fortassis insequens dum vnà elegantiore lintre suauissimè veheremur, more, & amore ductus respondeo, vt sententiæ meę robur tibi ampliùs constet. Vellem, totam nostræ scriptionis, disceptationisquè seriem seculò perlegisses, etenim fortuna omnem dilutam difficultatem licuisset inspicere; Fatemur enim communem sensum externorum obiectorum pulsu duntaxat cieri, sed nihil refert, per oculosne, an per tactum, qui extrarium medium non habet, commune offeratur sensile, quod non nisi proprijs coniugatum intrò commigrat in sensus. Porrò vbi rudi, inchoataq; suffusione obsessi imagunculas, & volitantia spectra tuentur, atque etiam, quod ob oculos versari falsò credunt, propulsare contendunt, necessariò imaginatio fallitur, vtpote quæ imperat, atq; excitat appetitum ad amouenda contraria, motus enim appetitus, hic verò imaginatricis, cui rerum species immanent, vt ait Arist. 2. de Anima in calce, imperio ducitur. Affectio verò oculis imputatur, quòd causa ex vsu artis in oculis deliteicat, imaginatio verò per externum errorem decipitur duntaxat vulgaribus, non scitis. Quare vbi pathos huiusmodi exercet, si sapienter loqui velimus, ita definiendum est, vt sit phantasiæ falsitas à concretis inter corneam tunicam, & chrystallinum humorem vaporibus, qui alienam, externamque speciem referunt. Cæterùm Vertiginem esse communis sensus passionem, vel hoc vno argumento te reuinci posse puto, non oculorum, vt ais, quòd oculi colores modò capiunt, & vnus communis sensus communia sensibila, nempe motum, magnitudinem numerum &c. internoscit, si credimus Auerroi, atque Alexandro melioris notæ Peripatericis. Scio enim esse, qui aliter sentiant. Atqui Vertiginis ratio in strophade consistit, nempe in spirituum, & imaginum conuersione. Quisquis igitur oculis motum citra colorem videri, iudicarique posse dabit, ille idem strophadem oculis donare poterit, sed qui cæcis, & clausis oculis vertigo contingat, vel si Oedipus sit, diuinare non poterit. Quare aut tu pristinam sententiam depone in meam tractus, aut grauiore epicherema te fac, vt in tuam resiliam. Equidem solidis diorismis sartam, tectamque satis habeo opinionem meam, quam possim etiam doctissimi Septalij authoritate munitam, & sanctam reddere, is enim Vertiginem sensui communi tribuit, & grauiter censionem facit in dissentientes. Vale Asclepiadarum decus, & mihi tui obseruantissimo fauere ne desistas.

in cõment. super Arist. Problem.

PRAECLARISSIMO MEDICO. Atque Philosopho Ioanni Stephano Cenetensi Patritio, iuxtà & Taruisino, Patauinoque.

HIERONIMVS CORT S. P. D.

Dubia proponuntur varia de Purgatione, nec minùs de sanguinis missione in feb. pestiferis.

QVò optabilius quippiam, eo etiam gratius, vbi accidit. Nihil reuera poterat mihi libello ad me misso iucundius cõtingere, siquidem ante multos menses Excellentissimus Medicus Banderia se mihi allaturum acceperat lib. de structura Hominis vnà cum lib. de Virg. Morbis, promissis tamen parum stetisse videtur, quum nil adhuc attulerit. Mãdaueram præterea Philippo hic Venetijs habenti Pharmacopolæ nostri filio, vt curaret ad me mittendos huiusmodi libros, qui rescripsit, se non inuenisse. Hinc facilè conijcere poteris, quam libenti animo viderim lib. in quibus memoris animi certa symbola prodis, dum epistolium honorificum mihi inscribis, & tuorum laborum copiam luculenter facis. Quoniam verò meam exigis sententiam, dicam

cam affatim sine hyperbole. Proficiscuntur à *Stephano.* i. Medicorum Coryphæo, & Principe, quare opus Hipp. omnino dignum est. Libentissimè legerem lib. de structura Hom. vti acciperem, qui vorticibus rapidum mare, & multis difficultatum fluctibus horridum tranaueris, scis. n. plurimas versari inter Arist. & Gal.) Mihi, & filio meo methodum curandi catholicam composui, quæ ad particularia tamen descendit, in qua aliter ipse sentio; quam tu statuisti, nempe, quòd purgantia in principijs morborum conueniunt, sæpe sæpius inquit Auic. de cura feb. putr. si times victoriam humoris magis necessaria cautela est euacuatio, & si non est digestus nō moueas, nisi in principio; si enim velis expectare materiæ digestionem, inquit Arculanus pro digestione succeder maligna dispositio. Pro meo consilio subdit grauissimus ille Vir nostro tempore quo homines magis gulę indulgẽt, quàm tempore Hip. præstantius erit exhibere ab initio lenitiuum, cui aliquid solutiui sit admixtum nã incommoda, quæ ad illius exhibitionem sequũtur, vt vacuare aliquid boni, cum malo, aut magis de parte subtili quam de grossa, aut aliqualiter agitare humores sunt minora precipue in principio dum virtus est fortis, quam illa quæ possunt sequi ex illius omissione, vt maligitas, & dominium materiæ super naturam; ita enim, inquit Fernelius, quidquid à purgatione reliquum erit facilius natura domabit, quod enim, ait eruditiss. ille vir, iuuat Hip. concocta medicari non solum perfectè, sed & quouis modo concocta amplectitur, obscurè quidem cocta pareè, manifestè moderatius, perfectè vero cocta validius, in neutra corporis affectione impendentem morbum sæpe arcemus purgatione, quæ vitiosos iam congestos humores detrahat; atqui tùm maximè, multoq; magis quam ipso morbi initio crudi sunt; cur igitur non peræque initio vtiliter illos purgemus; sic sæpe artis vsu animaduersũ est crudioris humoris purgatione siue sponte, siue arte ea contigisset accelerari coctionem, moxque vrinas puriores & cum sedimento fieri, & ancipitem, periculosumque morbum salutarem reddi itaq; licet à perfecta coctione fœlicior semper sit purgatio, ea tamen etiam ante coctionem in ancipiti, & graui morbo est necessaria in salutari, ac miti vtilis. Præterea ipse Hipp. non ne dixit; *In principijs morborum si quid videtur mouendum* moue, & alibi in principio vrinis crassis, & nebulosis apparentibus, quod est obscurum coctionis iudicium, non ne cathartica admittit. Sed experientia quoque suffragatur, quæ docet in artis vsu. Hinc Empyrici dum ocyssimè ægrotantes sanitati restituunt validioribus præsidijs, occasionem vellicandi dogmaticos medicos sumunt, qui in longum protrahunt morbos cathartica subtrahendo, exhibendoque identidem iusculà ineffi cacia. Sed missis Empyricis doctissimus etiam Gostæus post longum ratiocinium ita concludit nostra tamen tempestate pleriq; omnes qui medicinã faciũt permiscere ipso etiã morbi initio purgatorij & soluentis med. portiunculam lenienti non verentur, cui sanè curationi videre est fortunatos frequenter morborum euentus succedere.

1. de mor. acu. tex. 48.

1. 4. de l. 1. c. 3.

In tractatu preterea de chirurgia nonnulla communi medicorum sententię aduersantia conscripsi, quæ acri nunc tuo iudicio ponderanda, corrigendaque mitto, atque subijcio, & primum. An vero in febribus pestil. liceat venam secare, res fuit semper ita controuersa, vt certa adhuc hac de re lateat curandi ratio, sunt qui omninò perniciosam ducant, vt Cand. Montanus &c. ne in tanta putredine illud parum boni, quod superest, cum ipsoq; simul vitã ipsa profundatur, alij econtra exuberante sangu. semper illam adhibent, & inter cœteros Auic. inquiens summa curationis ipsarum est exiccatio, & illud cum phlebotomia, & solutione ventris, & oportet vt incipiatur in ea ad vacuandum si materia vincens fuerit sanguinea cum phlebot. &c. cui subscribunt Ætius, Paulus, Celsus, Mercatus &c. grauiss. Viri. Colięus in comment. quasi anceps quomodo ex huiusmodi tricis se expediat inquit vrgent profectò vtrinque rationes; vrget exprientia, obseruatum est à multis in pestil. constitut. quib. vena est secta conualuisse, sæpe etiam interijsse ita vt si tum rationes, tum experientiã spectes statuere nequeas vtrũ agas, denique tamen rem ita decernit; vbi febres statim primo morbi insultu pestilentes inuadunt, in his a venæ sectione omninò abstinendum, vbi vero non statim sint pestilentes, tales vero futuras suspicamũr, quũ integræ (quantum febris putridæ permittit ratio) vires sint, nullum commodius, vel melius in harum curatione præsidium esse videtur, quam venæ sectio, si modo, & sanguinis multitudo, & alia id genus consentiant. Hæc eruditissimi huius viri est sententia Galeni tamen auribus, dogmaticæque methodo minus consona Gal. enim 1. epid. sec. 3. n. 26. miratur Hip. Critoni repleto sanguine laboranti febre pestil. initio morbi venam non secuisse (fuit autem vere pestilens, & exitialissima, perijt enim postridie quam ægrotare cœpit) illumque excusat quòd morbo iam progresso fuerit accersitus sed febris illa primo die, & statim inuasit pestilens, primo enim die fuit parum calens, & fastidiosus pestil. feb. pathognomonica signa, quare ex mente Gal. initio febris actu pestil. cum sang. repletione secanda est vena. & Orib. de cucurb. cap. 21. dũ pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, neque cum morbus attigisset secunda morbi die remissione feb. facta ctus scarificaui duasque fere lib. sang. detraxi, hacq; de causa periculum vitaui illique præcipue saluabantur, qui sanguinem copiosum exhauserant, erant enim plenitudinis signa; huc etiã accedit ratio, quando adest morbi magnitudo cũ sanguinis copia (præcipua venę sectionis indicãtia) nec vires morbi initio contraindicant in presẽtia nec in futurum semper secanda est vena sed virium robur stat in sanguine, vt superius patuit, plurimus igitur sang. id virium roboris indicat, vt in futurum quoque satis sint; lepata natura onere, euaporataque initio venefica illa aura per sanguinem & venas diffusa, antiquum illum vlterius inficiendo corrumpat) hinc morbi initio vrinæ vt plurimum claræ, mox corrupta massa sanguinea turbidæ minguntur leuentatoque putredinali illo calore, ad ignobiliores que & à principibus remotiores partibus tracta materia validiorem adhuc ipsam fore pro certo habendum, quare &c. accedamus ad aliud caput.

Verum vt ex dumoso hoc venæ sectionis calle tandem euadamus, restant adhuc sentens aliquot spinosiores de loco venæsectionis in affectibus cum mensium suppressione excidendi euellendique Gal. lib. de sang. misso. cap. 11. plenitudines à suppressis mensibus ortas omnino per crura vacuabis, inquit, sectę enim in cubito venę mulierum sustollere purgationem assolent, & cap. 18. loquens de venę sect. in hemorrh. suppressione inquit si velis cohibere, quæ in cubito sunt, sin prouocare quæ in cruribus uenæ secandæ, ut ijs, subdit, quibus supressi sunt menses, semper in cruribus; Ætius uero etiam uenas cubiti scindit. Capiuac. de affectib. uteri cap. 1. hos auctores sic curat conciliare, si dum uenam incidere est opus, adsit, uel propè sit tempus mẽstruæ purg. ex talo uacuandus sanguis, quia tunc habemus naturæ propensionem, atque irritationem ad illam partem; si uero remotum sit illud tempus, quia tunc quiescit sanguis, nec ulla naturæ ad inferiora propensio irritatioque præstabit affectis partib. suprà iecur uenas cubiti recludere, cui sententiæ etsi à plurimis doctioribus neotericis amplexatæ his rationibus aquiescere minus possum. Presente, uel imminente naturæ propensione, protitationeque ad inferiora in suppressione mensium aperiendæ sunt uenæ inferiores, sed in quolibet affectu cũ mensium suppressione adest semper illa naturæ propensio, atque irritatio ad inferiora igitur semper ex uenis tali uacuandus est sanguis ma. ab omnibus conceditur, min. sic probatur periodicus ille mensium motus siue à natura tantum ab excrementitio illo sanguine ad certam aucto quantitatem copia, uel qualitatę, uel utraque simul lacessita fiat, siue uniuersalis etiam concurrat causa, ut luna potissimum, fit semper à uenarum expultrice irritata, & per uterum expellente, modò suppressis mensibus in dies magis augetur copia, & prauitas excrementitij illius sanguinis, quare etiam maior naturæ irritatio, sic autem lacessita natura quis in quolibet affectu eam magis pronam ad inferiora per familiares sibi uias, quàm aliò inficias ibit? nec quis obijciat superius iactis fundamentis nos tergiuersari: diximus enim ubi agendumà subsistentia materiæ, ut inde uenarum communicationem cum parte affecta possimus inuenire; sed existente materia supra iecur, ut in ophtalm. angina, sputo sang. &c. uenæ tantum in cubito consentiunt igitur &c. affectus. n. supra iecur cum suppressione mensium neminem latere credo excitari cum fluxione ab infrà sursum, unde Hip. 5. aph. 58. mẽsibus suppressis morbi ex utero contingunt, quinimò lib. de loc. in homine omnium mal. affectuum potissimam uterum autumauit causam: mulieri sang. uomenti mẽstruis erumpentibus solutio v. aph. 32. & Gal. in com. opera, quę à natura bene geruntur nos imitabimur; quare per inferiora reuellendo, & uacuando naturam imitabimur, morbique radici prospiciemus; mox morbi sæuitia, pertinaciaque poscente tutò ad proximas accedere poterimus uenas: præterea non ne medicinæ parentes humores praua qualitate infectos per superiora duci uetuerunt, ne principes in transitu uitient partes? at quid nocentius mensibus retentis?

Venarum præterea manus pro basilicæ, uel cephalicę brachij sectione dubiam habeo tùm authoritate Vessalij, qui ob istarum venarum serici varietatem deridet medicos decertantes an in manu cęphalica, vel iecoraria sit secanda, tùm rationibus, quas nunc missas facio ne doctas tœdio afficiam... aures; similiter & hæmorthoidum reseationi in assuetis parum fido an venæ sectionis vicem gerant authoritatibus, & rationibus quas coram, cum primum istuc accedendi mihi præstabitur facultas, tibi faciam communes. Vale mi Ioannes atque iterum vale. Portusgr. Non. Maij 1635.

HIERONYMO CORTEO MEDICO, & Philosopho eruditissimo

IOANNES STEPHANVS. S. P. D.

Dubia obiter diluuntur. Citra orgasmum aliquando minuens Pharmacum in Principio morborum esse necessarium. Sanguinem in feb. pestiferis esse mittendum, si communes scopi præsto sint. De mittendi sanguinis loco in mensium suppresione decernitur præsente plethora. Saluatella aliquando basylicæ sufficitur.

PRo libello non modò gratias egisti, verùm etiam eas laudes retulisti, quas non agnosco. Vrbanè semper mecum agis, & lepidè. At verò auxit existimationem desiderium, hoc autem Tabellariorum in frequentia, haud obliuiosa Mnemosyne, haud mens mea, quæ in te semper propendet. Placet non displicuisse lucubratiunculas, distulisse displicet. Id agam semper, vt meum erga te studium extet. Motis, & amotis gratia consilium pro Heroina tibi inscripsi misso verborum lenocinio. Duobus, inquit Arist. existentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem. Ego liberæ mentis candorem nusquam non promo. Fastidiunt alij, quorum maligna æmulatio mihi non secus officit, ac Salmonei apud eiidem, aut Alladij apud Albam, dum Iouis fulmen, ac tonitrua mentiri, & confingere conantur. Noui (proh dolor) & declinare nequeo. Dij tamen nostri negligentes non sunt, qui cardiagnostes sunt. Faxint, vt bombilantes sulurri posthac conuertantur in Authores. Suppudet, elenchos esse in pretio, suppudet, iam melius videri esse, quàm esse, & non videri. Sed si veritas ex re, hoc in consolationem adhibeo. At τὸ ἀνθρώπινον γνωσθῆναι.

Epistolium summis difficultatibus oneraſti; indice tantùm alleuabo, neque enim vacat. Curis solutum quærit solutio, non implicitum, sic habeas igitur.

Te meæ sententiæ refragari, reclamareque putas, dum inchoante morbo propinari aliquando soluens pharmacum posse contendis multis instructus auctoritatibus. Fallit opinio, neque. n. aplos, & vniuersim eo in capite, vbi in eorum reprehensionem excurro, qui à morborum carceribus admouẽt phænigmos, purgationẽ in principijs refello, de qua neque consulto agitur, sed obiter, & exempli loco. Ego enim à te sum, & nonnumquam etiam citra turgentiæ discrimen incunte, aut ad vigorem pro-

Fen. 4. Prima lib. 1. d Meth. medendi.

procedente morbo minuens pharmacum (quod catharticum admittit) exhibendum esse asseuero, vbi pernicialis est affectio, vbi vires materiæ copia faciscunt, & instrangulãtur, quod voluit Auic. quod graphicè significauit Fernelius, quin Galenus ipse comm. in 4. Aph. x. dandum est pharmacum, inquit, priùs quàm virtus vitiata sit, seb. caliditas aucta sit, aut ad aliquod princeps membrum humores decumbant, aut per corpus vagentur. Huic adscripsit Amatus Lusitanus, sed omnium pulcherrimè secundùm Ioannem Manardum egit Valerius Martinius.

Cæs. 1. cur. x.

lib. 4. sui Enchiridij c. 34

De sanguinis verò missione in febribus pestiferis aliter Costæus, aliter Fracastorius, atque aliter alij sentientes disputant. Videas Petrum Salium, ille enim omnium scitissimè, videas Forestum. Ego ad communes mittendi sanguinis scopos collineãdum esse puto, nempe ad sanguinis vitium, & ad vires. Morbus magnus magnum poscit remedium, cui non modò venæ sectio respondet, sed & pharmacum. Propterea Auic. afficationem, & inanitionem cum pharmaco, tùm phlebothomia requirit. Rem dubiam effecit infelix exitus, nam siue mittas sanguinem, siue omittas, plerique intereunt. Tanta est pernicies, vt quantumuis ex arte auxilia præstes, vix tamen euinci possit. Pestis, inquit Galenus, est morbus, qui in omnes, aut plurimos grassatur ab aeris corruptione prouenies; quo fit, vt plurimi intereant. Non esset pestis, si plurimos non interficeret, plurimos verò de medio tollit, quòd analogiã habeat ad arterialem sanguinem, ad vitales spiritus. Pestis, ait Mercatus, est vapor veneficus, vitali spiritui aduersarius, hunc vocat Capiuacceus venenum putrefactiuum) vitalem vim primò impetit, & gemina proprietate dissoluit. Conueniens est, ait Auic. vt nocumentum pestis sit corruptio complexionis cordis, & vitalium spirituum. Hinc Alex. Aphrod. quærit, *cur pestem magna ex parte lippitudo præcedere soleat? Quoniam, inquit, est spiritus affectio, qui commotus, vitiatusque cum feratur ad caput, oculos perturbat, eosque priùs, quàm cætera membra vitiat, vt qui tenuis, mobilisque sedem adeat oculorum.* Spiritus vocauit Hipp. enormonta. i. impetum facientia, quia unà cum facultate sunt uitium auctores. Horum parens præcipuus est sanguis; quarè, præsente plethora, & ineunte morbo uix credi potest, quin uires ferendæ sanguinis missioni sint. Diorismi, quibus utuntur Fracastorius, & Costæus, non arridēt, rem arctiùs contrahunt, quàm patiatur. Tua mihi, atque adeò Græcorũ probatur sentẽtia.

lib. definit. Gal. adscripto.

De mittendi sanguinis loco in mensium suppressione non abeo à suscepta opinione, pluris est apud me ratio, quàm authoritas. Si alcè perlegeris supremos commentarios in Hipp. libellum de Virg. morbis sententiam hauries meam, si menses supprimãtur copiæ causa e brachio, si uerò esse suppressio ne copia sanguinis succrescat ex pede sanguis est mittendus Andrea Cæsalpino teste.

Vesalius porrò iniquè subsannat Medicos uenas manus aliquando basylicæ sufficientes, aut cephalicæ, dum uiribus metuunt, quasi uerò uenulæ illæ à maiusculis istis non deriuentur. Hoc consilium probatur melioribus, quod ego consequor, & exequor idemidem Vale felix Asclepiada, cui fauentibus musis, & Apollini uacare, & litare integrum est, nos uerò miserare, qui latera fessa quotidie trahimus pro Perca scorpium recipientes Miltiadi, aut Aristidi non impares. Vale Taruisij Alexicacos. Anno. M. DC. XXXV. vij. Id. Maij.

HIERONYMO CORTEO
Medico eruditissimo.

IOANNES STEPHANVS EVPRAXIAM.

De veris temperamento quæstiuncula diluitur.

PRęclarè, si quid aliud Philosophus; non ex locorum interuallo, uerùm ex muto, mutuoque silentio refrigescere, & periclitari amicitias statuit, quas in Ethicis externorum bonorum præcipuum uocauit, hinc Manilius egregiè.

Idcirco nihil ex se met natura creauit
Pectore amicitia maius; nec rarius vnquam.

Quò collimans fortasse tu occupasti, & disertissimo sermone prærupisti. Næ præ uoluptate liquescere animus, nisi in reponenda ueritate præ uerecundia confusus refrigescerem, cum me uideam Costæo propositam quæstionem soluenti præferri. Siccine mecum agis? sed hoc tuo iure facis. Audendum hic non sine nominis periculo, ut tanto faciam satis Amico.

Illud in primis filij Rhois præfari licet. Nimirum ex propinquitate, aut longitudine solis ad nos, & eiusdem distantia media efficiuntur anni tempora quatuor, siquidem ex longitudine causa inoritur humiditatis, & frigiditatis, quę hyemalis est constitutio, ex propinquitate siccitas cum caliditate, quę propria æstatis sunt, at ex media solis distantia temporum supputatur ratio media. Adhæc ueris tres partes statuunt melioris notæ medici, principium, medium, finem, illud ad uuiditatem, hic ad thermasiam parumper deuergit, Medium medio se habet modo, ab extremis enim peræquè distat, quare ut temperatum sit, reliquum est, quod cum ita sit per se, relatum tamen reliquis anni quadris, & uniuersim sumptum calidum, humidumque censeri potest. Quid enim uerat? singula enim & si sibi temperata sint, comparata tamen, uarias subeunt denominationes, quæque calida uidebantur, mox apparent frigida si cum calidiore conferantur. Idem tibi ob oculos ponas exemplar, neque hallucinari me uidebis. *Ver, inquit Auic. cum est secundum suam complexionem est melius tempus, & proportionale complexioni Spiritus, & sanguinis, & ipsum quidem cum æqualitate sua, quam diximus, declinat parumper ad caliditatem subtilem, cœlestem*; Quę cum ita sint, facilè dilui poterunt tuarum rationum momenta, quæ ab Auic. & Gal. summo studio deprompsisti. Vale, meque dilige, ut facis iij. Kal. Aprilis. M. DC. XIX.

Absolutè aut comparatè dicitur vnũquodque temperamentũ.

lib. 1. f. 2. d. 1. cap.

ERVDITISSIMO ARCHIATRO Io: Stephano sibi dilectissimo

HIERONYMVS CORTE S. P. D.

Opusculum quoddam veluti methodum medendi, siue artē cur, ex Hip. Gal. Auic. & alijs tùm veteribus tùm neotericis depromptam compositi ad mei vsum, & filij mei medicinæ vacaturi, quod cum viderit excel. Gaspar Maphæus itidem medica arte non leuiter instructus, petijt vt illud ei transcribendum concederem, dedi, rogauique vt, vbi sibi videretur, illud castigaret: iam remisit, quibusdam signatum notatiunculis, omninoque est hortatus, vt ad lucem edam; verùm, quia castiganda loca minus tetigisse mihi videtur, & cum de typis negotium sit maximi ponderis, & à meo consilio alienum, illud tibi mitto corrigendum, & ab erroribus expurgandum, & venio ad te tamquam ad alterum Apollinem consulendum; neminemque agnosco, Deum testor, qui & eruditione, & amore hac in re magis mihi præsto esse possit, quàm te; pro certoque habeo tùm ob veterem inter nos amicitiam, tum ob tui animi candorem remota prorsus omni hyperbole, quid sentias liberè esse dicturum. Auctorum verba transcripsi tùm quia ad exprimēdam eorum mentem melius dici non posse sum ratus, tùm etiam vt illorum auctoritates ad verbum memoriæ mandari queant in consultationibus, disputationibusve adducendæ; paucum id laboris tùm mei causa, tum humanitate tua, tum potissimùm studij gratia, quo tàm delectaris libenter suscepturum mihi suadeo. Vale Asclepiadarum decus, diuque te seruent fata ad tui ipsius, & patriæ honorem, & studentium, & languentium vtilitatem. Taruisij idib. Ianuarij 1638.

HIERONYMO CORTEO Medico eruditissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

TOtum opus tuum, quod tibi longo post tempore remitto, semel, atque iterum perlegi, egregium sanè, & dignum, quod foras emittatur, volitetque per ora virorum. Adeò animum meum titillauit, atque emolliuit, vt decies repetitum placeret. Nihil asperum, nihil salebrosum inueni, sed omnia perpolita, & explanata, quæque lucernā sapiunt. Equidem mirum in modum lætor, virum mihi summa necessitudine coniunctum virtute eò proiectum esse, vt reliquos longè antecellat. Valeant tenebriones, qui ex aliena detractione sibi laudes libare conantur.

In toto opere vix vnum, aut alterum locum offendas, in quem acrior fieri possit animaduersio (ni admittas gregarium Pædagogum, qui Priscianum agens voculas aliquot à Philosophis, qui rem volunt, meritò despectas, in discrimen vocet.)

Id tamen sedulò tibi cordi sit, velim, vt præfatiunculam operi præfigas (ni malis acephalon) qua benеuolum, docilem, & attentum, antequam rem ipsam aggrediaris, lectorem reddas. Hoc verò præcipuè curandum, vt de indicationibus quippiam generatim præmoneas. Scitum enim est, vires remedia metiri, prohibere, aut admittere, non indicare, aut coindicare. Res externas, & non naturales esse signa verorum indicantium, quæ intus esse, & agere debent, quare cautè, & præfatis, vt dicitur, honoribus, à rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam vna elicienda indicatio, quæ ab vno duntaxat promitur. Satis sic digitum ad fontem intendisse, sat enim pauca sapienti.

Quod spectat ad hæmorrhoides, docet Galenus, earum non esse faciendam consuetudinem, ni magnum aliquod commodum speretur, cum sit præter naturā euacuario. Cautio igitur adhibēda.

De sanguinis missione in mensium suppressione, non est, quod actum agam, siquidem in libello de Virginū morbis apertè, & ad rei naturam accōmodatè exposui, ni fallor. Ne pigeat oculos adijcere.

Quod spectat ad reliquas difficultates tute satis bellè fecisti, docet enim Cornelius Auic. secutus, si Adolescens, & senex pari febre, & ardore corripiantur, magis esse refrigerandum in sene, vtpote qui magis abscedit à naturali statu, & à sibi debita mediocritate; Quamquam non desint, qui aliter sentiant Gal. ipsius auctoritate muniti. Hinc Iacobus Fontanus ait, morbus calidus in tempore frigido non æquè remedia frigida postulat, atque in tempore calido. Notanda illa Hipp. sententia 6. Epidemion. Summa curationis ex naturæ ægrotantis à prima generatione notitia pendet; naturæ nomine temperamentum audiuit. Tutiùs igitur adhærebis Galeno. libr. 7. de meth. cu morb. c. 1.

Nec minùs præfationem ad lectorem percutri, quæ sanè mihi prorsus arridet, eoque magis, quòd meum nomen humanissimè apposueris. Summam habeo gratiam, & abs te hoc agnosco, qui studiosè me colis.

Carmina epistolium condiunt elegantissima, sed quia Ars Metrica quędam corripit, quę abs te producuntur, asteriſco corripienda, atque producenda notaui. Bene vale doctissime Vir, & me tuo foueas amore. Mitto ad te libellum de Hippocratica Theologia nouissimè in lucem editum, vt ad me remittas tuum, vbi lucem typis expressus viderit. Interim rogo, vt ignoscas, si te diutiùs retinuerim, multa enim intercesere impedimenta. M.DC. XXXVIII.

PRAECLARISSIMO MEDICO Atque Philosopho eruditissimo, Cenetæque inter optimates optimo

Ioanni Stephano Hieronymus Corte. S. P. D.

LIbellum recepi cum humanissimis tuis literis; tibi multum debere fateor; si quid & ego tui causa possim, nil mihi gratius potest contingere, quàm quod mea vtaris opera. Tibi gratulor, atque iterum gratulor de pulcherrimis à fœcundissimo tuo ingenio nuper enixis fœtibus, ijs certè auspiciis, sub eoque syderum aspectu, vt ferocis libitinę telis, tem-

temporisque edacitate omninò contemptis cum summo, & perenni tui nominis splendore æternam sint ducturi per sæcula vitam; quinimo & mihi ipsi gratulor, qui videam meam iamdiù de tui nomine conceptam ob præclaras virtutes spem minimè decipi, vt breui nostræ tẽpestatis Archiatrum omnes te sint cõfessuri: est igitur quidem vt gaudeam, meum à tanto viro laudari opusculum, cum illa tantum sit vera laus, quæ à viro laudato proficiscitur, correxi tui monitu carmina, & quia Parnasi calles mihi sunt ardui, & ignoti, denuo illa tibi in eis versatissimo, & altero illius montis numini reuidenda mitto, simulque duo anagrammata à quodam Reuer. Fratre ord. prædicatorum huius ciuitatis condita, quæ an operi præmittere debeam, sum anceps, tamquam nimis elata. Vale Pœoniæ Artis decus mi Ioannes, meque, vt facis, dilige. iv. Kal. Mart. 1638.

Impressor hic, cum de imprimendo opusculo cum eo verba facerem, sponte se exhibuit suis sumptibus illud imprimere, dummodò sit res vendibilis, ideoque petijt illud à se videndum (non enim se insciente profitetur) interim quota impensa, tu qui in huiusmodi rebus es versatus, id fieri possit, certiorem facias oro, vt, si de pretio, velit pacisci, non decipiar.

CLARISSIMO IVRIS-PRVDENTIAE Doctori Hieronymo Marchio Serrauallensi.

Io: Stephano eupraxiam P.

Remedium aduersùs veneficia proponitur efficax.

MOrbos, & remedia quædam trans naturam dari, tam in confesso est apud medicorum Coryphæos, quàm difficilis eorundem dignotio: Huius difficultatis caussa est similitudo, quum morborum species, quas inferunt, infliguntque venefici, sint naturalibus simillimæ, similitudo verò falsitatis, & erroris origo est, propterea dicebat Hipp. solius esse Artificis similium differentias, & differentium similitudines internoscere. Ea tamen fuit hominum solertia, & perspicacitas, vt signa quædam veluti tecmiria obseruarit, quibus morbos, queis diuinum quiddam subest, vt ait Hipp. ab illis, quos sola producit natura distinguit, ac dispescit.

Chodronchus lib. 3. cap. 13.

Inter reliqua verò illud est potissimum, cum congruis adhibitis præsidijs, tantum abest, vt morbi vis, & sæuities deprimi, debellarique possit, vt potiùs immaniter inualescat, & exacerbetur, id quod vno, atque altero exemplo patefecit Fernelius. Cæterum quum nobis hunc morbum tractantibus idem vsu veniat, quid sentiẽdum putes? equidem malim iudicium suspendere, quàm temere de re difficili sententiam proferre. Dicam tamen, quid mihi probetur. Mirificum hoc symptoma, in quo æger solo volutari delectatur, finitimum esse affectioni illi, quam choream S. Viti indigitant, referrique ad deprauatam imaginationem, cuius meminit Daniel Sennertus.

lib. de abd. rerum caus. cap. 16.

Placet adscribere, quod ipse ego elapsis annis vidi. Nubilis Puella, & venusta ad me vnà cum matre defertur consilij gratia, illa mœrebat, & continenter lachrymabatur, quòd dextrum pedem indesinenter circumagere cogeretur, quem si vestigio fixum continere contenderet, summis cruciatibus afficeretur. Sacrificulos expertæ sunt mulierculæ, quibus profeciisse audio. lib. 2. p. 3. sect. 2. cap. 4.

Remedia ueneficio affectorum partim sunt naturalia, partim trans naturam, quorum disertissimè Io: Baptista Chodronchus, & Hieronymus Menghius li. 3. meminere. Matthiolus pulueris herbæ *Paris* drachmam vnam cum uino albo uiginti totos dies mane propinabat, & ueneficiorum genus omne hoc præsidio dissolui posse profitebatur. Referam Authoris uerba. lib. 4.

In semine herbæ Paris, quemadmodum in reliqua planta non modò vis vlla letbifera non inuenitur, verùm summum est, & præstantissimum antidotum aduersùs veneficia, vt scribit bonus ille doctor, qui Pandectarum appendicem perfecit, vbi atteſtatur, se quosdam mente alienatos & ceritos vidisse per morborum prolixitatem, & sanitiam, alios quidem per veneficia, qui pristinæ restituti sunt sanitati sola vini potione per viginti dies, cui herbæ Paris pulueris drachma vna insperſa fuerat, cuius rei certum & ipse testimonium perhibere possum. Hactenus Matthiolus. Quod si Doctorum auctoritati fides sit adhibenda, non abhorream ab hoc usu, dummodo constet ueneficij genus. Herbam mitto, ut sit ueluti paradigma. Vale. Cenetæ kal. Mart. M. DC. XXIX. in lib. 4. Dioſc.

MEDICO, ET PHILOSOPHO præstantissimo Hippolyto Pelliciæ

IOANNES STEPH. MACRAB.

IAm pridem parturiebam, & sontico quodam palpo percussus (malum) abortiui, bicipitemq; susceepi infantem uerè infantem quinq; mestrem: Hucusque paterno calore foui, & condidi, nè repentina iudiciorum acie lacessitus obcæcaretur penitus, & tenebris redderetur, nihilo tamen tutior uisa est eius conditio, quare ad te mittendum curaui, ut sartum tectumq; habeas. Sed seriò mihi tecum agendum est.

Non ita pridem me torsit, & ferè transuersum egit difficultatis quoddam inuolucrum, quod ex Arabum salebrosis tesquis auctore Haly decerpsi. Nil adhuc mihi antiquius, aut planius, quàm cathartticum humores trahere per mutuæ similitudinis illicem, quod à Gal. & ab Hipp. olim traditum fuit, quibus acriter reclamat Haly. asserens ideo pharmacum trahere, quòd per uim contrarietatis debilitat, & uirtutis tenorem infirmat, quò & Galenum spectasse, ait, ubi pharmacum ideò euacuare asseruit, quia corporis deijcit robur, hoc autem contrarietatis efficientia fieri constat.

Sed ab auctoritate ad rationes pedem conferamus. Medicamentum, si suo fine frustetur, patiendo nutrit, ergo trahit, & euacuat agendo, sed nutrit ut simile, & euacuat ut contrarium, omnis enim

enim actio est inter contraria, cum actionis finis sit assimilatio.

Dices fortasse, quemadmodum similitudo intercedit inter pharmacum, & membrum, quando nutrit, ita contrarietas, quando euacuat, nequaquam uerò inter humorem, & pharmacum, sed hinc eluditur, non eluitur difficultas, nam humor, qui proximè membri naturam imitatur, & propriè induit proximas dispositiones, ut paulò post faceßat in membri naturam, necesse est, si pharmacum membro aduersetur, pariter & humori. Scio eludes hanc conclusionem afferens humorum attractionem fieri per totam speciem, non per apertam qualitatem. Siccine? Audi, quanta absurdorum consecutione premaris, nam si ita fiat, reliquum est, ut humori binæ subsint totæ species, quarum altera membrum respiciat, altera pharmacum, per quod trahitur, proliciturq; atqui unius rei unica est species, & perfectio summa, id quod per Philosophum Auic. monstrauit.

Adhæc si catharticum sigillatim, & tractim abduceret humores totius speciei proprietate, & conuenientia, Rheum, & Dyagrydium sub unius formæ unitate coalescerent, quum unum trahant peræque humorem nempe choleram, operis enim proprietas sequitur rei naturam, quis autem, nisi fanaticus affirmare ausit, eandem Rheo, & Diagrydio inesse speciem? Faceßat ergo Priscorum opinio, & potius Philosopho applaudamus dicenti in Probl. Naturam ualde per medicamenta irritari, habent enim formalem repugnantiam, quare facultas excretrix irritata, quod est præsentius, & noxium magis excrementum foras amandat. Vale. Pridie kal. Augusti. M. DC. XX.

IOANNI STEPHANO
Philosopho, ac Medico doctissimo

HIPPOLYTVS PELLICIA S. P. D.

Dubijs quibusdam propositis, quæ desiderantur, respõdetur scil. de Pharmacorum attractione peculiari.

TTractatum de incolumitate diu seruanda, atq; de humanæ mentis immortalitate, quem ad me misisti ne dicas abortiuum, sed planè vitalem, licet quinquemestrem, quòd ingenij tui fœcunditate enutritum, ac tanquam salubriori cæli plaga æditum immaturitatis defectum subterfugerit. Nullius igitur ope, vel adminiculis egentem, sed veluti non vulgarem, atque honorificum tuæ virtutis testem futurum finas per manus, perq; ora hominum euagari. Quod vt mihi probatissimum videtur, ita minimè eam recipiendam puto, quam de me habes sententiam, quum aliorum operum Plastem, vel potius Aristarchum effingas, (ni id animi tui cãdori, atque beneuolentiæ minima quæque augentis potius, quàm tuo hac in re iudicio acceptum referatur) pro qua quidem singulari tuæ in me voluntatis significatione maiores, quas possum, habeo gratias, neque par pari semper profiteor redditurum. Sed illuc diuerto, quo me iam dudum feriatum reuocas, ad Philosophicam nempe dissensionis, ac controuersiæ pleniſſimam speculationem, de medicamentorum nempe purgantium ratione, quam contrarietate non similitudine fieri ex Barbarorum Classe Haly à te propositus inuexit, cui suffragari videtur Galenus lib. de ratione vic. acut. dicens, ideo à pharmacis educi humores, quia corp. deijciunt vires. Qua Galeni sententia crassiori, vt aiunt, minerua intellecta, id consequeretur absurdi sibi ipsi pugnantia protulisse, quippe qui lib. temper. de simp. med. & vniuersa eius doctrina planum fecerit medicamenta à calore nostro de potentia ad actum deduci, eorum vim latitantem exuscitari, totiusque subst. similitudine humorum fieri tractionem. Vt igitur à calumnia vindicetur, illud suppositum velim tibi etiam vndequaque notissimũ medicamenta purgantia ab Antiquioribus celebrata, atque tunc temporis ad vsum reuocata vehemẽtissimæ actionis esse, id clarè colligitur à Gal. 2. acut. 12. qui omnium purgantium medicament. naturam humanæ naturæ contrariam, ac deleteriam facit, quid mirum igitur, si in purgationibus infirmata facultate corporis vires labefactentur hinc Hipp. 2. acut. 13. ab assumpto medicamento cibum consueto minorem præcipit, nam agitata, inquit Galenus, natura tolerare non valet alimoniam. At dices, contrarietate igitur non similitudine fieri expurgationem, at nego eam potissimam causam esse, & principalem, hæc nempe est attrahentis medicamenti cum trahendo humore similitudo, illa vero causæ sine qua non vices subit; medicamentum quippe in purgando corpore dominari debet, & facultates obsequentes habere, quibus destitutum nullam plerunque molitur euacuationem, quod fieri cum in robustis, tum inedia exhaustis corporibus obseruatur, vt propterea medicamenta tunc suo fine destituta in substantiam veneno finitimam conuertantur, hanc Galeni sententiam nunquam à me hactenus obseruatam sic censeo interpretandam. Ex his deducitur Haly sententiam, si sola contrarietate perfici expurgationem æstimet, esse penitus eliminandam. Neque rationũ suarum vis quidquam, me iudice, cogit, siquidem minime verum est, medicamentum si suo frustetur effectu, vel in alimentum, vel in proliciendum humorem verti, id etenim eorum est, quæ vel benigna sunt, ac minimum ab alimentorum natura defecerunt, vel illorum, quæ mediocria cum sint, vim corpori propè nullam inferre sunt nata ex triplici, quã notarunt veteres medicamentorum natura, ad corp. se habente deducta. Dum vero subdis, si medicamentum parti aduersum est, ergo & humori, quod proxime partis naturam imitatur, dicimus humores partibus adhærentes, vel qui futuri iam sunt earum proxima materia, & in substantiam cõuertibiles, neque etiam in superpurgationibus posse à catharticis attrahi, aut cum his vllam contrahere similitudinem, per quam attrahantur, sed sola euacuari colliquatione, vt sæpissime docuit Galenus. Probas demum neque etiam purgationes à medicamentis totius formę similitudine fieri, quoniam inde plura consequerentur absurda, primum quod eidem humori duæ inessent formæ aut species, altera quidem partem, altera pharmacum respiciens, secundum, medicamenta diuersa eundem

nata

nata trahere humorem eiusdem essent speciei cum sub vnius formæ vnitate continerentur, qua cum attrahendis humoribus conueniunt. Vrgent hæc sanè at non tanti apud me sunt ponderis, vt à sententia dimoueant, etenim esse aliquid specie alteri simile contingit dupliciter, vel actu, vel proprio subiecto tanquam primo attractionis principio, quo attrahentia, & attracta conueniunt, humores enim esse actu partibus dissimiles, & medicamentis nulli dubium, cum propriam habeant formam, per quam distinguuntur, at proprio subiecto, nempe spirituali eo, per quod attrahuntur à medicamentis idem spiritale continentibus, similia, & eadem esse specie, nullum est, inconueniens. Eodem autem attractionis principio etiam in medicamentis specie diuersis existente, nulli mirum, si eosdem attrahendo humores conueniant, licet propria natura diuersa sint, medicamenta verò humores trahere, non ab his attrahi contingit, quòd illa potentiora sint, quæ vires temperamenti calor plurimum auget, quamuis illud attractionis principium humanos latens sensus, ac non nisi experimento cognitum neque ad materiam, neque ad temperamentum, sed ad abditiorem causam, quæ totius rei species est, cuius est soboles, referatur. Hæc habui quæ tuis doctissimis petitionibus respondeam, qua in re si quid egero tua doctrina dignum non paruam me prouinciam assecutum putabo, sin minus, Pelliciæ ingenium ætate iam collabi incipiens, & ad artis grauiora, seuerioraue properans culpaueris, interim Vale, meq; amare perge. Serr. xvij. Idus Augusti 1627.

HIPPOLYTO PELLICIÆ Medico, ac Philosopho præstantissimo

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Responsa improbantur argumentis.

NVdiustertius accepi litteras tuas Vir eruditissime, & ad dubitationes responsa primum & tuarum rationum momenta ceu ex tripode profecta admiratus sum, deinde non vsquequaque consistere intellexi, qua de caussa sciendi. Audio ad te veluti ad præclarum Asclepiadam, in quo Thaumantis filia, & Apollinis vernat genius, confugi.

Primùm igitur ut Gal. sibi ipsi constantem redoles, & concilies illud in medium ceu sequestre intrusisti, uires labefactatas, & directas per contrariũ esse caussam, sine qua purgatio non agatur. (ea enim de re nobis erat controuersia) id quod neq; à Medicis, neque à Philosophis accipietur; uitium enim languor purgationem excipit, non fit, atqui caussæ uniuersæ id eueniunt saltem natura, & præcurrunt, cuius sunt. Quod verò pharmacum seligat, & purget humores per contrarietatem, uel illud confirmat, è numero esse remediorum, at remedia omnia morbo, aut certè eius caussa aduersantur si non ναντιῶς, ut calidum frigido, saltem ἐναντικῶς, ut uacuum pleno, ut enim Scorpius priuatiuè duntaxat suo veneno opponitur, cui resistit ad motus ulneri, ita Rheum bili, quam euacuat, non opponitur ut aduersum ceterùm vt priuans. Vide igitur quàm tuta Barbatorum, ut ais, familia securitate fruatur, quũ remedia omnia sint contraria, quod ceu parageima præ foribus medicinæ præfigitur præcipuum.

Dum uerò intenta uoce reclamas, medicamentum suo fine frustratum in expiandum humorem non facessere, ut rheum in bilem, cnycum & agaricum in flegma, Galeno quoque tuo refragaris, & oppedis, à quo primum fluxerat ea opinio. 3. Med. Simpl. quam Arabum Archiater l. 2. F. 4. c. 4. penitus euellere contendit, ut rei exigit natura.

Ad uerò propositam difficultatem nil facit responsum de humoribus, qui membri naturam imitantes pharmaco nõ educuntur, nisi per syntexim, eos enim non audijt auctos; nec ea ratione argumenti uim eluis; hoc instabat probandum ui aduersaria non euacuari.

Portò suprema argumenta despectui uideris habere, quæ sanè mihi sunt entreptica, & demonstrare uidentur si intro res inspiciatur, non superficietenus aspectetur enim uerò si humori per substãtię similitudinem in aduersos cõueandum sit terminos, scil. ad membrum, & ad pharmacum, profectò non una confletur specie, & substantia, necesse est, cum mixtorum formam ut reliquæ naturæ ad unam duntaxat motus partem affectæ sint, quo nomine animæ, & naturæ motus differunt. Propterea quam commentus es, responsio nõ planè arrisit. Quid enim per Deum hoc est rei? Aliquid actu, uel proprio subiecto (malim potestate, quæ actui opponitur, dixisses) alteri specie simile contingit esse subiecto inquam tamquam primo attractionis principio, quo inuicem attrahentia, & attracta conueniunt Fracastorij auctoritati forsan inniteris quidem scire uelim quidnam sit illud proprium subiectum attrahens, etenim subiectum quatenus tale nullam præter patiendi uim, obtinet, per se enim positam materiã connotat, suæ actionis expers est; tractio verò quaddam est trahentis operatio: Volebas fortassis suppositum (quod idem est, quæ singularis substantia) sunt actiones, cuius, ait Arist. Saltem denominatiuè, si non originaliter. Quamobrem me iudice nouissima ea spicula, & ictus cautiùs exijsses, si attrahendos humores à natura prius quoquo pacto desciuisse, & degenerasse, ostendisses, quibus cum membro nulla intercedit analogia, quos propterea veluti spurios oblegat, & amandat. Hinc Cous sanis purgatione interdixit, cui adscripsit Celsus, & vniuersa Medicorum Schola, cum enim nihil subsit, quod trahat Pharmacum humores agitat modò, & corpus colliquat, prauos verò facilè educit natura adminiculante. Hinc λυσις, solutionis petenda erant initia. Hoc interim habeas ratum cum Mesue purgationem haud sequi nisi limitante, quæ est primarium Agens, & cooperante, & discernente natura.

Supremum argumentum, (quidquid dicat Ioannes de Sancto Amando super expositiones Antidotarij. Hic, vnde sumuntur argumenta, quæ ipse perplexè resoluit) nulla ratione effringas, ni Auic. illum barbarum certè, sed summum Philosophum, & Medicum consulas lib. 1. f. 4. c. 4. demonstrantem tractionem, & coniugationem non fieri per substan-

substantiam, sed per qualitatis similitudinem, cum enim nil sibi se ipso similius existat, magnes magnetem traheret non ferrum si sic fiat; & hoc vsu venire non experimur, quam sententiam aliquãdo, & tuus Gal. amplexatus est, & genuinam censuit l.3. de facult. nat. c. 15. Quocirca si Rheum, & diagrydium similes qualitates consensione conueniant, quid mirùm, si eadem moliantur opera? Qua in re necessaria non est subst. identitas. Tu videris Vir doctime, & pro tua humanitate me ab hac difficultatum implexu explicabis. Vale, Cenetæ 11. Kal. Sept. M. DC. XXVII.

IOANNI STEPHANO Medico erudito

HIPPOLYTVS PELLICIA S.P.D.

Dubia de recensione dierum criticorum in Puerpera.

CVm hodierna die inuisum puerperam nonnullis à partu diebus febre correptam ambo cõuenissemus, obiter sermonem incidisse meministi, an à febre, vel potius à partus die inchoandam esse dierum criticorum enumerationem, quis recte decernetet. Tuam audiui sententiam, quod à partus die non à febre dierum numerus petendus esset à me tunc confirmatam ea ducto ratione, quod è die partus morbi causa instaret, & à natura inciperet agitari, at mox mecum ipse mente contrectans, an talem sententiam perpetuæ veritatis consectari liceret, memini varias ea de re veterum Medicorum sententias, sibique inuicem pugnantes aliquando perlegisse, mihique nondum fuisse exploratum vtra potior, & quomodo loca sibi inuicem aduersa quis conciliare potis esset, at quoniã minime suppetebant loca illa, libellum, quem mihi olim tanquam labentis memoriæ subsidium asseruaram, euolui, inueni prout mente conceperam, neque mea me fefellit opinio. Et quãmuis te pro singulari in veterum monumentis perlegendis studio, & diligentia versatum eam adnotasse pro certo habeam quæstionem antiquiorem, ac peruulgatam audiuisse, tuam lubens hac de re sententiam, & dubitationum solutionem exoptarem. Hipp. 3. progno. text. 10. inquit in mulieribus iudicationes fiunt à partu quouis die pepererint; & Galenus in comm. numerationis principium esse ait die non quo febricitarint, sed quo pepererint. Oppositam tamen habemus ab Auic. sententiam fen. 2. 4. lib. & si pepererit Mulier, mox accidat febris, tunc si non computetur ex febre, & non nisi ex partu, est illud error. Amplius sibi nõ constare videtur Hipp. qui primo epid. in historia vxoris Philini, quæ 14. à partu die febre fuit correpta, à die febris dierum numerum accipit exemplum consimile habemus 3. in tertium epid. alterius mulieris, quæ apud frigidam aquam in Thaso, dubitabat, & 3. à partu die acuta febre laborabat, computationem tamen facit Hipp. à die febris, tales igitur, ac tanta inter artis nostræ proceres est controuersia, atque in eorum dictis pugnantia, vt nullo alio quàm Apolline, vel Apollinis filio enodanda videantur, tibi verò ornatissime Stephane ad ingenij exercitationẽ hæc sint proposita, benè vale, meque, vt facis ama.

Desideratur responsio. Vide Amatum Lusitanum hac ipsa de re doctissimè differentem Cent. 1. vide Iacobum Phrygium comm. in Prognost. Hipp. Vide Vallesium lib. controuer. & plurimos alios quos de industria prætereo. Vniuersi à radice dierum criticorum recensionem faciendam esse statuunt.

PATRONORVM DISSERTISSIMO Hyacintho Casono in Zumellensi Comitatu Vicario.

IOANNES STEPHANVS

ὑγιαίνειν καὶ ἐγιαίνειν.

MElancholici affectus tanta est vis, tanta pernicies, tam magna tyrannis, vt non modò robur eneruet, corpus macie conficiat, & animum miris modis ludificet, verùm etiam hominem infra propriam speciem deijciat, & omnem vitæ iocunditatem perturbet, adimatque triſtia enim dũtaxat animo obijcit, metus, terroriſque pleniſſima, vt patientem prorſus vitæ tædeat. Quid enim, per Deum, aliud animo voluit Melancholicus.

Quàm lethi ſimulachra, piacula, Dæmona, manes,
Nocturnos lemures, portentaq; Theſſala, larnas?
Ille ſimultates, fatua & diſcrimina fingit,
Quæq; nec vſquam ſunt, neq; poſſunt eſſe profectò.
Hic dapibus parcit, quia ſe ſubtartara miſſum
Eſſe putat, nec defunctis opus eſſe cibulla.
Hic ſibi deeſſe caput credit, vel cornua longè
Erupiſſe foras, quare conſortia vitat.
Ille ſibi demptum femur egelidoſve lacertos
Cogitat eſſe miſer, paniciſq; timoribus horret;
Suſpirat, trepidatq; ſuæ diſpendia famæ
Deplorans, & mille modis monſtroſa volutat
Commenta Interea vigilatis noctibus ager
Suſpicioſus hebet, vitamque laboribus aptam
Burdus agit. Quid plura? malum exitiale dolorum
Omnigenas referens ſpecies, Acherontis imago.

Quiſquis igitur atræ bili opportunum ſeſe nouerit, manibus, pedibuſq; ſeſe ſubtrahere nitatur, ne ſibi ipſe diſpliceat, ne humanitatem exuat, neu Pauſaniæ, aut Bellerophontis inſtar.

Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitet.

Cæterum cum te virum prudentia, & ſapientia ſpectatiſſimum nonnihil atræ bilis vitio obnoxium animaduerterim, non potui, quin meæ erga te obſeruantiæ ſtudio moneam, vt quamprimum ſaluti tuæ conſulas, namque affectus iſte famæ adſimilis eſt.

Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

Hac de cauſſa muſis tecum ludere libitum eſt, harmonia enim vel peſtem fugari, exiſtimarunt antiqui, quare boni conſule, & præcepta enygmate de brachilogia obuelata, ingenij tui acumine veluti Silenos detegas, imo adhibeas.

Hæc tibi, Patronum lepidiſſime, mittit Hygea
Saturnum aduersùs triſtem ſoteria, qui te

Solli-

Hipp. lib. de Virg. morb. et melancholiam, & mores præaliginosita e fieri dum spiritus animales obtenebrantur &c.

Plin. lib. 22. c. 3. an. Homini cibus fabilissimus simplex, a equatio laborum pestifera, & consimenta per acieflora, &c.

Decennem Theriacam.

Sollicitat rapta de fonte cupidinis atra
Bile, quatitque animum mortis formidine cæca,
Obtenebratq; nigra caligine Palladis Arcem.
Antitheus, sæuam subigens in ventre Mephitim.
Eripe te his cataphractæ malis, monitusq; sequendo
Differ in extremum penitus lachrymabile fatum.
Despice multiplices epulas, dyspeptaq; cuncta,
Et quæ distendunt nocuo præcordia flatu.
Encrata frugales onerent alimenta cibillas;
Quæque atrã generant bilem, cane peius, & Angue
Hen fuge, & effæti stomachi fastidia vita.
Hinc etenim pathos omne sui primordia ducit.
At Bacchus tibi sit cordi comitatus amicis
Nymphis, e pingui surgens modicellus Agello.
Aft Venus exhausto turgens ex inguine lenta
In Garamantinos Populos mittatur, & Indos.
Prompta quidem soboli confert Cytherea futuræ,
Languida sed genitos immiti funere mergit.
Interea fomes placido medicamine prorsus
Diripiatur, Aqualiculusq; & membra pientur.
Hoc tibi senna dabit, chymicoq; Extracta labore.
Aft vbi ventris onus, subduxeris ipse saburram,
Vtere te te ipso, nihil æquè animum afficit ipsum
Lætitia, aut atræ bilis cacoethes abercet,
Atq; nitens Hyacinthus, concinnataque miro
Antidotus coitu gemmarum Hyacinthina, sine
Viperea conflata simul de carne remixta,
Quam decies reduci lustravit Cynthius Orbe.
Nec minùs ipsa tibi Citrago infusa Lyæo
Profuerit persæpe hausta, aut æmodia radix,
Cui comes Absynthi coma se sociarit olentis.
Alkermes præstabit idem Iosacchare mixtò.
Interea laxare animum, curasque malignas
Emollire Canum, volucrumve rapacibus iris
Sit volupe, & penitus Stoicos imitarier ipsos.
Vere nouo tibi maius opus, tibi curaque maior
Incumbet.

PRAECLARISSIMO MEDICO, & Philosopho Francisco Rhodiæo

IOANNES STEPHANVS. S. P. D.

IAmdiu ad te scribendi teneor desiderio, sed modestiæ frænis coercitus, ne te grauioribus studijs vacantem interpellarem, hac temperaui tenus, nũc autem res postulat, vt deposito metu tecum rationem agam, quando nescio quis Agyrta potius, quã Medicus non dubitauit me insimulare, & temerè proscindere.

Vir quidam triginta natus annos biliosissima temperie, gracillimo corporis habitu præditus perenni febre detinebatur tertiana, quam etiã praua symptomata stipabant, siquidẽ agrypnia, & corporis iactatio infestabant, pulsus erant parui, inæquales, debiles, systole concitatior: Angor, & cardiaca passio à venefica qualitate profecta continenter ægrum affligebat, vt loco stare nesciret, de hac præcipuè querebatur æger, hanc molestiam sedulò instabat excuti. Extremis algescentibus interiora flagrantia torrebantur, id quod aridior arguebat lingua. Appetitus deiectus omnia respuebat, excretoria vis languescebat, quæ tamen Artis ope excrementa foras deiiciebantur, erant biliosa, ut uniuersa magnum cholericorum prouentum ostenderent. Ante aduentum meum æger vnum, atque alterum pharmacũ deuorauerat, hæmorrhoidibus admotæ fuerãt hyrudines, iniecti clysteres, admoti phænigmi, propinata cardiaca, quæ minimè profecerãt. In quæ cum mentis acie defixissem, & sedulo animaduertissem, vnum adesse potissimum symptoma, vnde certum mortis periculum ægro impendebat, nempe cardiacam passionem, quę cor ipsum opprimebat, spiritus, & vitale robur deijciebat, huc præcipuè collineandum esse animo duxi, vt vitalis firmitas conseruaretur, quare cum deleteria qualitas quiete circa cor, & viscera omnia peccaret reses, & peruicax, abdicatis cardiacis adstringentibus, quæ hostem intus coercitum detinebant & regerebant, alexipharmacum proposui, quo praua illa qualitas è centro ad habitum corporis, per sudorem prolecta effunderetur. Erat autem lapis Bezaar ad grana septem propinatus, vel potius propositus vna cũ aqua hordeacea, in qua contraieruæ radix ebullierit. Præscriptum in syngrapha antipharmacum . . . . probatur, sed opportuniore tempore, & ad grana saltem sexdecim exhibitum. Siccine impudens Acesias mecum agit, tam malè de me sentit, tantùm licet, inquam? Iusta quadam ira correptus non potui, quin præscripti quam mox rationem literis redderem. (causam enim coram agere non licuit, quia homo ille bonus mecum congredi noluit.) Cumque aliquando obuiam mihi venisset, cunctationem, & neglectum exprobraui. Ille autem, vt est audacissimus, non dubitauit respondere, non exhibuisse *tunc Bezaar, quòd cruda essent omnia*, quasi verò in lethali morbo expectanda esset digestio. Cui ego. Qui methodũ in omnibus seuerè exigit, ægros de medio tollit, nobis enim curandarum seb. duplex ratio proponitur, methodica, vbi versari licet in regimine causæ, amethodica, vbi aut infringere cogimur frigidis febris hyperbolen, & excessum, aut symptomata infrænare sæuientia, quæ rationẽ causæ induunt vires prosternentis, & morbum augentis, quod docet Auic. quod Paraphrastes Fernelius graphicè expressit. Sed age propositum præsidium rationis calculo subducatur.

Quanti sit lapis iste in affectionibus faciendus, consule Epiphanium Ferdinandum Hist. lxxix. de Palp. cord.

Fernel. lib. 1. Methodi. Auic. Rhasis Gal.

Agendi opportunitas à præsentia indicantis petitur; præsto erat venenata qualitas cor, præcordiaque vellicans, quæ bezoarticum proculdubio indicabat, seu potiùs postulabat, indicatio enim ducitur ex præcognita rei natura, incognita verò sunt, quæ totius temperamenti proprietate agunt. (Est autem Albezoar, ex Auic. auxilium, quod sanitatem in spiritu seruat) quare vt venenatæ qualitatis vitio circa præcordia stabulantis irem obuiam, proposui lapidem Bezaar vnã cum aqua hord. & contraieruæ, quo veneficam qualitatem profecto sudore roborata quadantenus excretoria vis in corporis habitum effunderet. Laudatur. Sed opportuniore tempore. Sed quidnã per Deum tunc exhibitionem inhibebat tam præclari præsidij? cruditas, inquit. O mirabilis diligentia, ò accuratissima curatio. Non satis fuit intra dierum decadem binum propinasse pharmacum, inculcasse clysteres, corpusculum inedijs, & sanguinis missione exinaniuisse? Adhuc formidatur cruditas? Quid? An coctionem non futuram præstolari licet? An sudores,

qui inclinante paroxysmo erumpunt non sine ægri emolumento, declinare oportet, quia materia est crudior? Non puto. Non me præterit occasionem agendi esse vnum ex ijs, quæ medicinam reddunt coniecturalem, vt ait Galenus. Hinc Hipp. tempus est, in quo occasio est, occasio est, in qua tempus paucum, propterea ab eodem præceps etiam nuncupatur. Non me latet, vel Platone teste, illud duntaxat benè fieri, quod opportunè fit, Hocq; præcipuè mandat Hipp. vt medicina in tempore fiat. Præsidia inquit Galenus tempore exhibita tandem fiunt auxilia. Sed quid quæris? opportunitas est Domina rerum agendarum.

Data tempore prosunt
Et data non apto tempore quæq; nocent

Sed in hoc casu nihil ædepol suberat, quod arceret vsum lapidis Bezaar, nisi curantis medici ignauia accessisset, quæ hanc occasionem despexit: Nihil vetabat, vires enim vtcumque constabant, corpus à quisquilijs erat satis expiatum, & iam decima morbi dies illuxerat. Hoc illi in memoriam erat ex Hippocr. reuocandum, nimirum ab omni arte alienam esse cunctationem, potissimùm ab arte medica, in qua procrastinatio est animæ periculũ. Hinc Mesues proclamabat. Auxiliari ne differas, nam semel pereunti nulla postea suffragia prosunt. Verùm quid contigisse putas? Pridie, quàm moreretur ex consilio optimi Medici propinatur Lapis effœtis iam viribus, natura fatiscente: ò bellum remedium, ò admirabilis opportunitas. Ita ne mortuis aduersùs Galeni dogmata præsidia decernuntur in dedecus, & infamiam, ò supinam vecordiam. Virtus est curans. Natura medicatrix, & medicamentorum moderatrix. Cadaueri si vniuersam pharmacorum vim infundas, nihil profeceris. Hydrotica quidem propria, quæ caloris vi sudores promouent, in morbo salubri non nisi decedente morbo, & expurgato ritè corpore propinari debẽt, sed impropria, ceu Lapis Bezaar, qui roborata excretoria vi per formæ similitudinem sudores prolicit, vtique post leuem purgationem in morbo lethali inclinante paroxysmo, quo tempore natura solet per sudorem alleuari, non sunt importuna. Quid verò? An nescis, necessitatem nulla lege teneri, vrgentissimisq; in primis esse incumbendum? Sed iam gradum faciamus ad dosim.

Bonus ille saltem ad grana sexdecim exigit. Ego septem proposui. Quid hoc est absurdi? Nil peræq; inquit Galenus, Medicinam coniecturalem reddit, ac iusta dosis remedii. Quid igitur mirum, si me fefellisset opinio. Quantitas auxilii capitur ab actione morbi, quantaque fuerit læsio, tantum reposcit auxilium, (proin Hipp. extremis morbis extrema consulit auxilia) quòd quantitas per formam terminata agendi virtutem metitur. Sed quoniam alexipharmaca mediam habent naturam inter venena, & alimẽta, vt testatur Galenus (habent enim quidem formam similem nostræ, sed summæ energiæ, vnde corpora afficiuntur, & proin non sunt temerè vsurpanda) ante eorum vsum ad vires collimare expedit, vt quantæ fuerint vires, tantum suppetiarum præstetur, ne auxilii copia opprimantur, vt imprudentibus vsu venit. (sunt enim vires tyrannæ indicationum omnium.) Nos igitur grana septem proposuimus, quia modicellam sudorem prolectum volebamus, qualem modicæ vires ferre possunt, corpus adhæc erat gracile, frigosum, peruium, vnde minimo negotio sudor excitari poterat. Non ego omnes vno, eodemque calopodio, ut paræmia fertur, calceo, sed pro circumstantiis temporis, loci, personæ, ætatis, sexus, vitium, consuetudinis, temperamenti permutato. An eadem quantitas Rheubarbari dãda est robusto, & debili, Puero, & adulto, mari, & fœminæ, Veneto, aut Scythæ, æstate, & hyeme? Non puto: Ni velis omnia fortunæ temeritate regi. Vide igitur Medicorum optime, quàm temerè audacissimo homini de me liceat, qui petulantissimo fastu per compita se iactat, & ignauæ plebeculæ se uenditat, ceu egregium Asclepiadam. Sed quid facias. Hoc illi condonandum. Hipp. nostrum audi. Timiditas quidem impotentiam, audacia uerò ignorantiam artis sequitur, inquit. Quam sententiam ego sic interpretor. Ignorantia ad pauca respiciens errotibus facilè implicatur, parit audaciam, quæ securitas quædam est, qua quis malum neque futurum expectat, nec præsens perhorrescit, quoniam contraria non cernit. Sed cur pluribus incesso hominem, qui pudorem omnem deuorauit, qui uoluptatem omni honestati antetulit? Valeat, & faxint Viales, ut tandem uicatim excurrendo incidat in Thaletis infortunium. Vale.

Vide Babũ, qui lap. Bezaar vin. & vtẽdi mo dum prægla rẽ demõ. strat, nec a nos Mosaic dus.

Doctissimo, præclarissimo Medico, & Philosopho Ioanni Stephano

FRANCISCVS RHODISEVS S.P.D.

IAm diu plebe Medica perquàm longissimè posthabita, tua te uirtus (Stephane Doctissime) ad Asclepiadeos euexit. Ideo non nisi sacra teneris artis Oracula respicere; infimosque Agyrtas à tuis phãtasmatibus explodere. In tua nihilominus epistola perspicio, te non ut Herculem Nemæo, sed mure ridiculo concertantem. quid? non te clarissimum, at illum quemdam impudentia ductum tecum illegitimè contendentem. Stephane ignosce ignaris, miseros commiserare Pythones: tuas Apollineas sagittas in aureos permuta medicei orbis radios; prout sanè præstas in Diui senis comment. Ipse miseri ægrotantis interitus faliaciam tui testatur contradicentis: equidem si mens ipsi bona, meminisset utique sat esse Socratem dixisse, parce: sunt lucis imperceptibiles Talpæ; & suo quisque utitur genio: sunt tamen quidam, quibus non est genius, nisi Audacia, atque inscitia.

Aegrotus igitur triginta annorũ, bilioso naturę, gracilis, assiduo flagrans igni extraneo febrili tertiano, iactabundus, inquietus, insomnis, prauo conflictatus angore, symptomate hocce urgentiori, exterioribus frigefactis, ignitis interioribus, pulsib. inæqualibus, paruis, frequentissimis, & cæteris à te Hippocraticè relatis, post duo pharmaca, hyrudines, Vesicantia, clyst. cardiacis adhuc irritè usis à te prudentissimè lapide Bezaar proposito in Dosi granorum septem unà cum decoctione ordei, & contrayeruæ radice, cur commendatus, & in aliud

tempus

tempus dilatus, videat ipse insipidus, inscius. Æger obijt, & sua in hoc casu futilis scientia abijt, excessit, euasit. Morbus erat læthalis, acutus exactè: expectatur coctio? porrigat sua scriptula. In cardialgia prauissima si humorum expectatur coctio, mors aduentat interim. Bezaar verum, certumque euadit auxilium à me quoque toties, vt à te occasione impendente probatum, salubertimè. Virulenta deleteria qualitas in tenuibus acribus biliosis subiectata os ventriculi infestabat, incumbendum igitur erat infesto symptomati læthali: quid tutius ipso Bezaartico lapide? qui unicum supra omnia in tali casu post purgationes, & cætera administrata præsidium.

Vnaniniter omnes Archiatri fidissimo innixi experimento statuunt hunc lapidem in malignis febribus ad deleteriæ qualitatis sæuitiem perdomandam, & omnes cardiacas affectiones euellendas, præsentaneum, atque salutiferum medicamentum.

Tua excellentia elicita iodicatione a morbi natura, ægri temperie, & viribus huius propallarat granorum septenarium; quid sapientius? nolebas cogere, sed leniter concitare naturam molli passu ad madidum sudorem. Addo: bezaartica antonomasia obstassent cardiacæ mirabiliter per omnes qualitates tam primas quàm secundas, & tertias; ac à tota substantia, præsertim repetito opportunè medicamento. Quid amplius? viuus viueret, hanc spiraret auram ægrotus ille. Tu solus, Stephane doctissime, potuisses eum ab Orci faucibus eruere. Obijt triumphante impudentia, ostentata audacia, Cacophonia canente; obliteratis experimẽtis, dissipatis *Methodis, conspurcatis Oraculis*.

Imprudens autem cadaueri fiendo, præcipitata occasione contra diuinum senem, Bezaar grana xvi. perperam, & incongruè exhibuit ad irritandum læthem, non ad morbum profligandum, expectet suas in prauis cardialgijs coctiones; & omnes vitam cum morte commutabunt, dum elenca sua opinione congelatus numquam iste mutabitur.

Non est turpe nihil scire, est nil discere velle.

Plura scriptis committerem (Stephanè Doctissime) at omnia tua sonat epistola; nec mihi locus, nisi ex animo subscribendi; atque omni meo conatu vera, scientifica comprobandi. Vale Doctissime, sapientissime. Venetijs ex ædibus nostris xvi. kal. Augusti M.DC.XLI.

Adhuc grauiora secutus

Permagnum tibi (Stephane doctissime) commonstro monstrum Dices. Thebanam Sphyngem? Biformem Minotaurum? Harpyam Tiphonidem. Minimè. Num Gorgonidem anguicomam? Chimæram triformem? Minus. Quid per sacras Musas? Bifrontem Ianum? ludicra mercatura, si nasum vnum pro duobus compensaret. Adhuc tibi hæret Aqua? Parce obscuritati limosæ, limbosæ. Num Briarreum? Centaurum Sagittarium? Mulcentem Syrenam? Aspera sunt verba, & facta. Agedum? Alcidam igniuomam? ferè, scis tamen à tua Pallade enectam. In publica, Stephane, valetudinis commoda peccem si diu in ænigmatibus tua tempora morer? Audi igitur, & iudica, nam & in hoc iudicium, monstrum his magis extraneum, & portentosum tibi mõstro: obstupesce. En Charontẽ sub pelle Medica ad stygiam paludem miseros ægrotos deuehentem. En monstrum portentosius monstris. En crimen, en causam. Tu abesse stude ab hoc Paludoso lanione. Iterum Vale.

BERNARDO COLLE Medico Præstantissimo.

Ioannes Stephanus Eupraxiam, & Macrobioten precatur.

De quodam signo mortifero.

INter lethalia signa, quæ certò mortem prænunciant, nullum hactenus obseruare licuit, quod pluris sit momenti, quod ve prepolleat frequenti, & insolenti manuum admotioni ad nares sine vlla materiæ effluxione, (quod Prosper Alpinus, alioqui satis diligens, non obseruauit) Vbi namque ægri febricitãtes identidem manus mortitant ad nares quasi sordes exempturi, aut nares emuncturi, si nihil talium fiat, perniciosissimum est signum. Et sanè inter veteres vnus Auicennas ait. *Si infirmus continuè digitos in nares immittat, ac si nares detergere sine causa velit, hoc inter mala censetur signa.* Cur ita mi Colle? Non me latet paleatum collectionem, manuum gesticulationem inanem, venationem muscarum, aut floccorum sollicitam euulsionem inter praua signa enumerari ab Hipp. quoniam, vt ait Auic. argumento sunt multam vaporum sobolem ad cerebrum efferri, quæ imaginationem ita depranat, vt videantur esse, quæ non sunt, quare cum ad oculos diferantur vapidæ illæ exhalationes, & referant alienas species, certò ab ægris creduntur. Sed cum hæc signa communia sint Phrenitidi incipienti, & plurimi etiam euadant, vt de seipso meminit Galenus, minimè hoc faciunt, quum nullus hactenus mihi visus sit tali signo sese proferente, qui e vinis non decesserit. Aliud igitur quippiam maius latere necessum est per quod ægri omnes perduntur. Sanè vt nares stillare sanguine prauum existimatum fuit ab Hipp. quoniam irritos naturæ conatus significat non valentis sese deonerare, etiamsi à sarcina, & à mala sanguinis pernicie irritetur, ita prauissimum est iudicandum peroritari quidem, & vrgeri excretricem, nihil verò excerni, quia summam expultricis facultatis imbecillitatem arguit. Qui igitur sic afficiuntur, manus, digitosque frequenter in nares immittunt, quoniam irritamentum persentiscent quidem à mordaci, & putri sanguine, quem natura per hæmorrhagiam excludere contendit, sed pre debilitate nequit. Quare hoc symptomate apparente dicito (vt tui moris est vaticinari.) Præ foribus Libitina manet, filum Atropos occat.

Fen 4. trac. 1. c. 35. lib. 4.

IOANNI COLLE IN PATAVINO Gymnasio Practicæ Medicinæ facilè primo Ioannes Stephanus eupraxiam Precatur.

MAndauit Socrates Critoni, vt Gallum olim Mercurio sacrum, Latonæ charum Æsculapio offerret, cuius ego exemplo motus tibi huiusce nostræ ætatis Æsculapio Tetraonem monticolam mex erga te virum omnium votis sapientissimum obseruantiæ pignus, & amoris mitto (hunc vocat Auic. Phasianum Masculum, quo viperino veneno infecto probari iubet Theriacæ bonitatem) quem à Dijs immortalibus immissum, dispeream, nisi crediderim: Quando quidem Puer meus oberrãs lõgè deuolantem Alitem suspiciens constitit, vt descensum, appulsumque spectaret. Ecce verò, dum se ponè dumetum subtrahit, latitatque, ne præsens metum intentet, Ales cucurriens adest, & ad illius pedes aduolat, & veluti indigitamentis coactus constitit anhelans, non secus ac Mustella Buffonis ante ora voracis. Auceps accurrit, Ales vltrò deditionẽ exhibet demissis alis, incuruatis cruribus, Viuus ad me defertur, auspicatò tibi vouetur vrogallus, cui illud Scaligeri accommodari potest.

lib. 4. c. de Theriaca.

Cui lux ante diem, tenebræ sunt ante tenebras,
Sic vtrumque simul sedula segnis erit.
Quærere posterius, natone, priusue parente
Possumus hoc, quod nunc est, quod & ante fuit.
Fit melior, peior, generique, tuoque, suoque,
Sed peior melior postmodò vita tibi est.

Decreueram te conuenire, vt merito honore præsens colerem, atqui (malum) Patris mei inualetudo ceu Remora cursum remoratur, Dij mihi sint propitij. Interim tamen scias velim, me tibi studiũ, & operam omnem iampridem efficacissimè deuouisse, quæ si probabis, abs te gratiam me iniisse arbitrabor. Vale, & me tibi commendatum habeas. Id. Feb. M.DC.XXIII.

Ad præclarissimum Eyarchiatrum omnigena virtute ornatissimum Valerium Martinum

IOANNES STEPHANVS μακροβιοτης

Fieri non posse, vt mulier fœtum Felis capite præditum ediderit.

VNiuersa Naturæ opera ab agẽtis virtutis efficientia, & materiæ disposita potestate fiunt. Fœtus opus est vegetantis animæ ex idoneo semine, & sanguine menstruo. Quare si monstrosus prodeat fœtus, non in phantasiam, sed in corrupta principia reijcienda caussa est, vt docet D. Thomas. Cęterùm cum sola inter caussas capax sit contradictionis materia, par est, vt ab ea monstrorum origo petatur, id quod etiã ab Arist. statuitur. Quis enim prudens dixerit, illic fœcundè vberiùs, & fœliciùs creuisse, & luxuriasse, hic verò extabuisse propter eius, qui sementem fecit, multimodam imaginationẽ, nõ potiùs ob Agelli, terræque conditionẽ? In vna Arbuscula, puta malo, tã varia repullulat fructuũ dissimilitudo, & deformitas, vt vnus palleat, rubeat alter, iste veneto colore suffundatur, hic rotundiore forma protuberet, ille oblonga, aut panda figura propendeat, an putas imaginationis vi hoc effectum, quæ nulla subest? Vide igitur medicorũ doctissime, quàm infirma base stabiliantur, quæ de proposito monstro decernũtur. Accedat Arist. authoritas asserentis, fieri non posse, vt monstrum oriatur, cuius caput sit Arietis, aut Bouis, & reliquum corpus Hominis. Atque ea est ratio, quod speciei similitudo materiam sequitur. Quare si animalia diuersæ speciei congrediãtur, semper fœmina sibi specie similem & cognominem fœtum producet moribus tamen paternis præditum. Hinc constare puto prodigiosum illum fœtum aut non extitisse, aut certè humanam effigiẽ præsetulisse Ælurino rictui adsimilem. Non me latet, quanta sit imaginationis efficacitas, cum in spiritus, & humores imperiũ habeat, quos pro arbitrio ciet, & quoquouersùm ablegat, sed nego, tantam esse vim, vt Felis effigiem fœtui imprimere possit. Scio multa circumferri, quæ mihi anilis instar sunt fabellæ, vt illud Auic. Gallinam, quæ ouis incubabat, & insidebat viso Miluo vsq; adeò expauisse, vt Pullos vniuersos Miluino capite præditos excluserit. Nugæ sola phantasia, nullaq; ratione suffultæ. Vale.

de gener. animal. cap 3.

de gener. animal.

BERNARDO COLLE MED. EXIMIO

IOANNES STEPHANVS.

Soteria.

Cur Palmæ Vespillones quidam inter humandum cadauer repentè diem obierint.

VEspillones, qui Palmæ imprudenter tumulum altissimum, vt audiuimus, ingressi sunt, vt cadauera disponerent, & coaptarẽt priùs quàm emerserint, miselli e vestigio oppetiuere mortem, quòd summè putris, & venenata aura vitales spiritus, & calorem, duo vitæ principia, repentè cor inuadens gemina proprietate corruperit. Nam si vitium capiunt, ni moueantur aquę, & pernicioſam nanciscuntur qualitatem, multò magis aer alto tumulo incluſus à ventis silens, & teterrimis cadauerum excretionibus inquinatus potuit putrescere, & in pessimam, & deleteriam qualitatem desciscere, quæ inspirata præsentem intulit necem: quòd si inhumata cadauera ita perflatum aerem afficiunt, vt pestem aliquando ingenerent, quid putas euenturum concluso, & sequestrato aeri? In Seleucia Babiloniæ Marci Antonij milites hanc perniciem suo damno sunt experti, dum Auidi Cassij arculam recluserunt, ex qua tam putris aura exhalauit, vt omnes, quot quot aderant, confestim sustulerit, & regionem contagione infecerit. De Barathris Charonijs quid dicam? De spelunca Puteolana, in quam intrusi canes repentè moriuntur? Notæ sunt historiæ eorũ, qui ex carbonũ cõcluso fumo perierũt, nõ ex manifesta qualitate, inquit Auic. sed occulta, & deleteria spiritui infensa. Narrat Leo.

Aser

Afer in Nubia reperiri venenum tam exitiale, vt iniectum carbonibus confestim præsentes interficiat.

Fœtor (vt hoc obiter dicam) vt est species sensilis sine materia non potest vllam afferre perniciem, siquidem species illud duntaxat refert, vnde venit. Quod si aliquando vehemens sensibile sensorium destruit, illud coniugatæ qualitatis ratione contingit. Scire autem oportet, illud esse veriſſimũ, quemlibet sensum esse receptiuum specierum sine materia, vt docet Arist. hæ autem species, vt scitè demonstrat Fracastorius, nullam agendi vim possident, id quod etiam præclarè Montanus comm. in lib. 1. Rhasij cap. de Epilepsia conficit.

De maximè prosternentibus virtutẽ est dolor, & fœtor, quia hic maximè calori innato & spiritui aduersat. lib. de vir. cordis. Auic.

Quare asserendum funeratores diem obijsse suam ob lethalem syncopen, quam deleteria vis putrido aeri insita ex cadauerum, putredine spiritus corrumpendo, & calorem fugando induxere. Quòd si quis dicat potiùs ex Apoplexia fortissima interemptos, quam vis narcotica, & cerebro infestissima ingenuit, & respirationem actutum intercepit, non habebit me repugnantem. Anno M. DC. XLVI. kal. Iulias.

BERNARDO COLLE
spectatæ doctrinæ Medico

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Quæritur, numquid cadauera peste interfecta tutum sit attrectare.

VIri Illustrissimi, atque Excellentissimi quærunt, scireq; discupiũt, nũquid cadauera abhinc quindecim annos peste sublata, & sepulta in præsétiarũ citra periculũ sanitatis detumulari possint. Cui sanè quæsito fine diorismis definitè respõdere nos non posse arbitrarmur, siquidẽ adsunt argumenta, quæ dissuadeant esse quippe hac tẽpestate, in qua Austri prædominari videntur, de quibus Ingeniosus Poeta. *Pestiferis calidi spirarũt flatib. Austri.* detumulãda peste interfectorũ cadauera, ne Camerina commoueatur, vt dici consueuit. Namque si terræmotus aliquando pestem excitant, quòd ex imo telluris hiatu Sæua mephitis tollatur, & grauis halitus, à quo aer inficitur, vt testatur Auic. Fen prima, lib. 4. Tract. 4. cap. 1. *Et quandoque accidunt putredines in interioribus terræ propter causas, quarũ euentus ignoratur, & nocent Aquæ, & aeri. &c.* Præterea si è barathris charonijs, si ab Æthiopia pestiferæ expirationes, & miasmata exhalare potuerunt, si ex Arcula Auidi Cassij in Seleucia Babiloniæ tam putris aura emanare potuit, quæ non modò finitimos contagione Populos infecit, sed etiam longissimè dissitos, quidni peste interemptorum cadauera agitata efflare queant pestilens effluuium seminarijs conditum, quæ ob elaboratissimam mixtionem, ob tenacitatem, & visciditatem diutissimè seruantur, vt docet Fracastorius, exemploque patet apud Forestum, qui narrat totam familiam post decenniũ peste correptam ob Araneorum telam trabibus appensam, quam ancillæ incautæ tetigere manu. Quare magna cautio videtur, mortuos dormientes non excitare.

Sunt verò & argumenta, quæ suadeant, nam mortua corpora nullum amplius emittunt effluuium, neque inficiunt, cuius rei rationem reddidit Forestus lib 6. de Feb. obseruatione xxviij. in Scholio. *Dicimus, quòd cum Animal mortuum est, humores amplius non mouentur, nam vis illa motiua extincta est, vnde homines non inficiuntur.* Hinc Rondeletius. *Dissecuimus aliquando corpora mortua ex peste multis spectantibus studiosis sine aliquo damno, propterea quòd mortuo animali omne venenum perit, & quia ignorabamus eos mortuos ex peste, causa fuit vt minus turbaremur, quòd certissimè confirmat, illam fieri propter perturbationem sanguinis cacochymi.*

Præterea quis dubitet, quin hodierna die cadauera illa penitus dissoluta sint, illudq; prorsus illis acciderit, quod Græcorum exercitui comminabatur Homerus.

At vos ò cuncti tellus fiatis, & vnda.

Et quoniam entis bono deficiente accidentia omnia euanescunt, quis ambigat, an praua qualitas vlla supersit, nisi qui transmigrationem, & mutuum accidentium commeatum ab vno ad aliud subiectum admittat? Nec est, quòd quispiam ossa obijciat, quæ supersunt, nam illhæc seruandis pestilentibus seminarijs minùs idonea sunt. Conclusum igitur sit, melius futurum, si quiescere sinantur ossa, sed si publicus sic exigat vsus, fieri posse, vt aliò transferantur, dum modo amictus, & amicula non attrectentur, dummodo ab altis cauernis non eruantur, interim huic functioni destinentur funeratores, qui noctu cadauera exportent silente aere, qui subinde per 40. dies detineantur sequestrò in Nosocomio, siue in Hospitio D. Lazari, ad maiorem cautelam.

AD IOANNEM BAPTISTAM
Marchinum Virum Nobilem, & primariæ notæ Medicum.

Quomodo Pharmacorum vires in Aquas, olea, & cineres distribuantur.

SEmper aqua hæsit, qui fiat, vt pharmacorum vires, per infusionem, aut Decoctionem in liquorem transfundantur, quum eædem in proprio subiecto permaneant nihilo magis imminutæ, vt cuique periculum facere licet. Sanè cum vires, & facultates medicamentorum formam aliquam consequantur, ea autem indiuidua sit, vni tantùm germano subiecto insit, oportet, quòd si vni præsto sit, quomodo virtutes, quum sint accidentia; quæ necessariò propriæ inhærent substantiæ, particulis pluribus adsunt? Sanè ni, facultates illas liquore exceptas sine formæ præsentia consistere concedas, illud des, oportet formam esse diuiduam, & se veluti Hippolytum discerpi patientem. Reclamas. An doctissimo applaudis Fernelio, formam quippe vires suas subiecto vsque adeò imprimere, vt illæ absente etiamnum forma remaneant in qualibet compositi parte exceptæ? Ita esse, Alchimiæ Doctores facilè demonstrant, qui suo Vulcano Aquã, oleum, & cineres exprimunt ijsdem facultatibus obsita.

obsita. An minimè incongruum, per se indiuisilem formam ex euentu suppositi subire conditionem, atq; adeò delibari, diuidique eius integritatem? Tuum vir clarissime expecto, expectoq; iudicium, quod mihi instar erit omnium, spero enim futurum, vt ex Hippocrate, quem quotidie concoquis, & diurna, nocturnaq; volutas manu, aliquid in medium afferas, quod mihi ex oculis hasce tenebras discutiat. Vale. meq; in tuo habeas ære.

ADVERSVS QVOSDAM NEOTERICOS, qui Vesicantia, & Hydrotica, seu Diaphoretica temere adhibent in principijs morborum. Anno M. DC. XXIX.

AD IO. BAPTISTAM ROTAM E D. CASSIANO.

SApienter Herophilus medicamenta θεῶν χεῖρον Deorum manus appellabat, si à perito Medico vsurpentur, si ab imperito, venena, neq; enim in sola remedij inuentione consistit Therapeutice, vt si refrigerandum, aut euacuandum protinus lactuca, aut catharticum sit exhibendum, sed vsus potissimum est discutiendus, qua dosi, quo tempore, quo modo, & quo deniq; loco sint administranda præsidia; quis enim non videt frustra summis, & crudelibus remedijs laxare, fatigariq; eos, qui à sanitatis limite parum abscedunt? Quis mecum palam non profiteatur, imò cum diuino Hippocrate perperam crudos humores in principijs morborum educi, aut cõmoueri nullo turgentiæ, aut orgasmi impellente metu?

Videas tamen hac tempestate (proh dolor) quã plurimos alogos, & inertes Medicos, qui Andabatarum more clausis oculis nullo discrimine ægros suis vesicantibus destinant etiam à totius morbi carceribus, quin etiam, si Diis placet, hydrotica propinant, vt exhanthematum eruptionem promoueãt, cucurbitulas admouent, frictiones, & Hesiodi illitum illa innixi sententiola perperam intellecta. *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia, eò ducere conuenit.* Aph. xxi. sect. p. Cuius hic est germanus intellectus. Quum Hipp. in priori aphorismo decreuisset nihil esse moliendum, vbi natura integrè, & perfectè exturbat morbigenum humorem, sed tum modò, cum diminutè, & parce admittitur, docet, neutiquam obluctari nos, aut reniti naturæ conatibus fas esse, verum imitari maximè, dummodo per loca conferentia sibi viam moliatur ad euacuationem. Columen huic rationi subiicit Galenus in commento, quia, inquit, opus est Medico naturam ritè operantem imitari, tunc verò ritè agit, quando per loca conferentia lustrationem, euacuationemq; molitur, eo igitur tempore Medicum naturam sectari, & promouere decet. Quòd si humores ad loca incongrua impetum fecerint, non amplius adiuuandi sunt conatus illi, tunc enim natura perperam, & minùs ritè agit, quo tempore distrahenda est euacuatio, vel transferẽda, vel diuertenda: Hinc est colligere, naturæ etiam enormiter operanti non esse resistendum adstringẽtibus, & apocrusticis, sed diuertendã esse naturã.

Quæ cum hactenus confecisset Hipp. mirabili artificio, admonet, quando ritè, rectèque operetur natura, sequenti Aphorismo, dum ait; *Concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principijs, modò non turgeant, plurima verò non turgent.* Aph. xxij. sect. prima. Operæ enim pretium est, vt quando natura non euacuat, Medicus concoctam materiam educat tum cathartico, tum alijs medicamentis, quod si materia cruda fuerit, tunc neq; purganda, neq; mouenda, dummodo furens, & errabunda non sit. Huius autem haud ea est ratio, quam amusi quidam comminiscuntur, quòd nondum sint adæquati humores, (vtuntur Auic. vocabulo) & parati ad purgationem, aut quia non dum nacti sint eam similitudinem, quæ intercedere debet inter medicamentum, & humorem, quod voluit Mercatus vir alioquin doctissimus, verùm quia nondum genitum est excrementum, quòd sola producit digestio noxij ab innoxio segregatione.

Hinc dicebat Galenus, quemadmodum nefas est aperire vomicam, priusquam cõfectum sit pus, ita nec pharmaco per febres putrescentem in venis materiam attrahere licet, antequam concocta sit, quia aut nihil, aut cum malo frugi etiam humor summo cum labore, & ægri detrimento euocabitur: In quam sententiam Gal. Sic scriptum reliquit. Qui indigestam materiã euacuare nititur destruit loca sana resistentia ægritudini nihil euacuans materiæ. Philosophus verò in Probl. quærit cur neque concumbere, neque euomere, nec sternuere, neque flatum emittere oportet, nisi res turgente corpore vrgeat. 1. de Diff. feb. 4. part. Aph. & 9. de Crif. 4. sec. prob. 8

, Cui certè problemati scitè, & ad Hippocratis
, mentem respondit. An quia, inquit, cum non tur-
, gemus similes terræ stirpibus sumus, quibus cuni
, sis, aut alienum cõuellitur quippiam, aut aliquid
, abscissum relinquitur. Quod autem cum extrudi
, debet, minutum remanserit, dolorem diutius id
, omne mouebit. Et si quid alienum commotum
, sit, id cum sua sede priuetur, dolorem creabit.
, Quæ certè ijs vsu euenient, qui cum nõ turgent,
, aliquid faciunt ex ijs, quæ modò retulimus.

Quæ cum ita sint; quo se se vultu in conspectum dedent amethodi illi Aceſiæ Dodonæo ære loquaciores, quibus nil nisi tricæ, & logicæ argutiolæ sunt cordi, qui sine arte, & vllo discrimine primo morbi insultu ægrotantibus phœnigmos admouent? Illud summopere rescire velim, cuinam destinentur illa cacodæmonum inuenta, morbone, caussæ, an symptomati? (neque enim sunt plura, quæ præsidia postulent.)

Morbo haud crediderim, ni perniciosissimo Paracelso adscribere velint contrarium suæ Medicinæ fundamentum iacienti (similia similibus curari) contra Hipp. & Galeni dogmata, quæ ratio, & omnium consensus, tot seculis confirmauit; siquidem vesicantia non modò calfacientia sunt, sed etiam vrentia, febris verò intemperies calida cordis, & totius corporis (mitto volens siccitatem, vtpote quæ nisi hecticis sit essentialis) tale autem additum tali, vt ait Aponensis, facit ipsum furere. Quare perinde est, ac si igni adijciatur ignis. Nec est, quòd Capiuaccius, multique alij nobis obtrudant, ex euentu phœnigmos refrigerare educta ca-

loris

loris causa, quemadmodum, & rheum barbarum, & radix apij, aut fœniculi febres remouent, steriticòs, si non enanthiòs aduersantia caussæ, enim verò non accidentarius, & contingens effectus spectandus est, sed qui necessariò sequitur, & semper, calidi verò est calfacere, quia accidentium productio à simili fit, & vnius caussæ vnicus est effectus.

Rheum verò & radix fœniculi proximarum causarum eductione, & expulsione febribus prodesse solent, si non importunè vsurpentur, horum enim indecens vsus tam noxius est, quàm vesicantium.

Porrò neque caussæ, nam per bullas, & vesicas superficiaria duntaxat serositas educitur, quæ neq; antecedit, neq; proximè morbum committit, in his enim seb, aut bilis, aut tota massa sanguinea efferuescit, & putret, aut certè eius ichores in penitissimis venis. Sed faciamus, educere & euocare morbi caussam, si non coniunctam, saltem antecedentem, licetne eam mouere priùs quàm cocta, & digesta sit? Mihi non videtur, si modò Hippocrati stare vellimus, nec est, cur retorqueant turgentiam, aut veneficam naturam, illi enim debetur pharmacum, huic antipharmacum, non vesicans. Dicent fortassis symptomati decerni. Siccine? At huic non decernuntur remedia, quum sequatur morbum, veluti corpus vmbra, & ad morbi summotionem euanescat, est enim epigenematicum,

Verumtamen sunt quædam symptomata, quæ vsq; adeò ingrauescunt, & sæuiunt, vt ad se totum medentis consilium trahant, vt puta vigilia pertinax, immanis capitis dolor, delirium, syncope, cardiaca passio, cardialgia, insignis aliqua effluxio, quibus sanè vtpote vires deficientibus, & morbum augentibus succurrendum est artis auxilio; Duoq; sunt potissimùm, quæ phrænigmorum admotionem desiderant, impetus quippe humorum ad caput, vnde impendeat paraphrosine, somnolentus torpor, aut aliquis alius grauis affectus, tunc enim si extremis artubus adplicentur, reuellunt, retrahuntq; errabundam, & furentem materiam: Et extremarum partium algescentia, & refrigeratio, cum interim viscera intus flagrantia torreantur, huiusmodi enim metasyncritica sunt, & ab alto foras calorem euocant, & retorrida viscera alleuant, & ægros commodis augent, cæterùm si temerè experiri velimus vesicantia his circumcisis affectionibus, plurimis cumulamus damnis languentium corpora. Cunctanter igitur posthac agant, qui tam facilè hæc extrema remedia vsurpant.

At multò deteriùs se se gerunt, qui pulicum morsu apparente quàm mox diaphoreticæ, & hydrotica propinant phantastica ecthymatum, & exanthematum specie falsi. Hoc enim pacto amplius in feruorem agunt sanguinem, putredinisq; parant, & maleficæ qualitati subijciunt, quod tanto reformidat opere Arabum familia, quæ etiamnum austera, & styptica initijs præscribit, ne spiritus lancinentur, & dissipentur, ne sanguis per ebullitionem putrescat, & corrumpatur. Imitantur, inquiũt, naturæ motum, qui Trincauellij sententia medius est inter criticum, & symptomaticum. Nugæ. Tunc naturam imitari oportet, quum rectè agit, rectè autem agit non modo quum ad loca conuenientia vergit, sed quum præcedente coctione, die critico, cum ægri euphoria morbi caussam expellit, imminutè tamen, vt artis auxilio opus habeat.

Morborum autem initijs putasne vi morbi, an naturę decreto euacuationes fieri? Quòd si vi morbi contingant, cur illis manus porrigimus, & imus subsidio? Medici munus est, atq; officium curare apositè ad sanandum, appositè autem curat, qui citò, tutò, & iucundè remedia confert. Curatio autem talis initur, cum recta, & conueniens fit remediorum vsurpatio. Remedia uocamus, quæcumq; corporis affectum præter naturam depellunt; non quæ subsidio sunt, horum verò recta, & conueniens est vsurpatio, quum idonea quantitate, & modo, rationeq; congrua adhibentur, atq; in his curatio omnis consistit.

, Tria igitur sunt, quibus ars omnis medendi con-
, stituitur.
, Remedij genus, quantitas, & utendi ratio.
, Remedij genus, ut planius cognosci possit, discer-
, nẽdum, unumne, an multa esse oporteat, si unum
, simplex ne. an. compositum, si multa, simulne
, omnia, an sigillatim, & quo quæq; ordine afferen-
, da sint?
, Atq; hæc recta censenda est methodus. Quantitas
, rectè designabitur, si constet, quàm ualidum re-
, medium quo gradu recessus à mediocri, quo
, pondere, quoties, & quandiù exhibendum est:
, Vtendi ratio explicat, per quæ loca abigendus
, morbus est, cui sedi adhibenda remedia, qua for-
, ma, quo morbi tempore, quaue hora.

Hæc igitur omnia nosse oportet, ut conueniens fiat remediorum usurpatio. Quum enim remedium conuenienti quantitate, & ratione adhibetur, arte curatio succedit.

Ad quæ uniuersa colliment, oportet posthac nostrates Medici, qui nullo iudicio remedia usurpant. Multa suppeterent ad hanc rem facientia, sed satis sit digitum ad fontem intendisse. Vale. Prid. kal. Aug. M. DC. XXIX.

MICHÆLI-ANGELO ROTÆ Medico, atq; Philosopho Clarissimo, & omnium virtutum genere ornatissimo.

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Dari occultas proprietates, probatur, Calculi, & conuulsionam aliam esse caussam ab ea, quæ vulgo putatur.

VSque adeò, doctissime Rota, rerum species, rationesq; in materiæ gremio latitant, ut non sit mirum, si pro ueritate comparanda tot opinionum myriades emergant, cum enim sua sit cuiq; ingenii uis, atq; conditio, plures de una, eademq; re rationes efformari, effingiq; contingit, quamquam res una, ueritas una. Nihil igitur moreris, aut mireris si in præsentia tibi rerum proprietates improbanti probans ipse reposuerim: Et illud in primis
, sapientissimi Capuaccei, quem meritò tanti esti-
, mas, h.e. *putrefactionem materiæ esse vitium ratione organi formæ, venenationem vitium ratione organi formæ*

In Epist. ad Petrum Menanũ Med.

formæ principalis. Quid hoc est rei? Nisi proprietates designet, quæ ad temperationem præcipuum magis, & dignius videtur esse formæ machinamentum, cum nulla substantia sit immediatum agendi principium, nemo, nisi Oedipus, diuinet. Qualitas illa efficienti causſæ intima, quidnam, quæso est, nisi proprietas? Quid sibi volunt specificæ, abditæq; qualitates? Quid audiuit Themistius elegantissimus, quum facultatem graphicè describens, quippiam esse, ait, quod rei substantia ex se profert, ac tanquam de sinu suo promit? Sanè plurima, quin omnia ausim dicere aut per temperamentum aut per proprietatem agere. Respice Heraclium lapidem, qui illibatus ferrũ allicit, Adamante circumposito, aut succo allii allitus vim amittit, quam iterum benignus Hirci cruor restituit, atq; rependit, in hoc spectaculo ob oculos quid obiicitur aliud, quàm proprietas? (Morus verè, & seuerè sim si morer illorum nugiuendulas de magnete opiniones, quos satis superq; repressit Sennæ filius). Quod si omnia ad temperamentum reuocas, cur peræq; calida, aut frigida ijsdem viribus nõ pollent? Proportionem obtrudes. At proportio, cum ad aliud referatur, omni vacat efficacia; Scio enim quosdam huc confugere. Sed mihi omnium instar sit Galeni authoritas, proprietates asserentis aduersus præceptorem Pelopem.

Lib. 5. c. de Crucro.

Porrò calculos coalescere asserui, si sæculenta, & terrosa materia lapidescenti, vt loquitur Matth. succo iugata, commixtaq; angustos, aridioresq; pernadat meatus, quibus innexa cohæresçat, quod vsu venit in renibus, ac vesica, per quos materia à sanguine secreta continenter prætерlabitur, atq; stratę, prostitutæq; materię præbet incrementum. Accedit renum certa quædam διαθεσις, per quam intimũ tartarei succi coagulationis principium promouetur, ac veluti exercetur; diathesim verò non audias vim quandam λιθοποιητικην tartareum, vt dicunt Hermetici, succum coagulantem, & in lapillos cogentem, nam valde atopon esset renibus gignendi calculi uim adscribere, quibus ea publica cura, & officium incumbat, vt serosùm excrementum alliciant, atq; secernant, sed potiùs materialis quædam compositio intelligenda est, ueluti meatuum laxitas, renum densitas, angustia, siccitas, excretricis imbecillitas, huc quoq; calorem uelut synætion, & adiutricem causſam appello, non primam & præcipuam, quis enim credat, aut concedat tantam caloris hyperbolem, quæ uim cogendi lapillos habeat? Quod si ita est, cur humidis non dissoluuntur, & dissipantur? Sic enim contingit iis, quæ calor coegit. Cur omnibus, queis renes summo torrentur æstu, & uentres uberrima turgescunt cruditate, calculi non succrescunt?

Arbitror præcipuam causſam esse renum densitatem & siccitatem. nam si caliditas sit cur circa dentes cõcrescit lapidea illa materia, dentes autẽ frigidi sunt.

Deniq; conuulsionum unicam, & continentem causſam statui, fibrosarum partium expultricis, quæ animalem uim sibi in eadem sede coniugatam in sympathiam trahit, irritamentum à re molesta. Neq; enim proximè neruorum repletio siue secundùm substantiam, siue secundùm cauitatem, siue secundum tunicas, ut Neotericorum utar idiomate, conuulsionem parit, uerùm paraplegiam, & motus, sensusq; impotentiam, & narcosin; neq; tanta uigere potest in uiuente corpore siccitas, quę neruos contrahat, aut adducat, quod si hoc verum est cur hecticis, aut marasmo confectis, quibus anima est pro sale, neruorum non accidit contentio?

Senoertus.

Vide igitur vir præstantissime, quàm dubia sint omnia, vt non iniuria scripserit Rhois filius Medicorum verba in hoc symptomate vniuersim similima esse Musicorum cantilenis, aut Anicularum fabellis, cur enim in latum potiùs, quàm in longum protenduntur?

Atq; hæc sunt, quæ per temporis angustiam tibi optimo, & spectatissimo Philosopho obijcere volui; rogo igitur vt equi, boniq; consulas & mihi festinanter scribenti, & abs te gratiam ineunti aliquid condones; Expectabo autem ab Horto tuo, in quo Suadæ, & Apollinis vernat Genius, vberrimos tuæ sapientiæ fructus liliorum candore respersos, atq; nitentes. Vale Asclepiadarum decus, & me in tuorum numero esse velis.

IOANNI STEPHANO Fratri dilectissimo.

B. STEPHANVS. S. D.

ANimi gratia cum externa die litteris vacarem, nec non meos reuoluerem Auctores, qui mihi sunt instar animatorum sociorum, quibus hic vndequaq; & omnino non sine tormento careo, vt tu ipse excogitare potes, cum inquiat Philosophus, Homo est animal sociabile, & politicum, quod societate mirè delectatur; non absq; tamẽ magna voluptate, hæc externa oblitus, in meo Museo intrusus perlegi hæc verba, quæ sunt Concilij Anquitensis,

Quisquis credit aliquid posse fieri, aut aliquam creaturam in melius: aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

Post horum lectitationem reuocaui in dubium, quoniam de singulis dubitare non est inutile, an ars Alchymiæ sit prohibita, & an Alchymistæ hæretici putandi sint, cum credant posse transmutari aliquod corpus, siue speciem, in aliud corpus, & speciem, nam ipsi, vt Zenes, Auricalcum, & Plumbum, in Aurum, & Argentum permutare conantur. Si more Legistarum adhæreo litteræ, absq; dubio Alchymistas esse hæreticos, & Alchymiæ artem damnatam, atq; nullius ponderis esse, vt quotidie nos vsus, & experientia docet, cum nunquam ad optata perueniant, quamuis multum temporis, & olei conterant, asserere debeo. Amplius in hanc sententiam huiusmodi argumentum me trahit.

Quod lex non permittit, videtur prohibitum, at Alchymia sine auri decoctione fieri non potest, quę decoctio ab Augustiis. Impp. Honorio, & Theodosio prohibetur, ergo Alchymiæ ars est vetita. Attamen facilè labor in contrariam opinionem, quia mihi non videtur impossibile, & repugnans omnino naturæ, quòd ex vna specie metalli. 5. ære, alia species metalli. 5. aurum producatur, nec hoc, vt puto, est credere vnam speciem mutari in aliam, quod esset impossibile. Quod dixi non est inconueniens; nam non ne videmus ex herba vitrum confici? ex

re

re mortua non raro viuam produci, vt videre est in bombycibus? Sic equidem. Ergo multo magis ex metallis in quibus est maior conuenientia, & similitudo potest fieri commutatio æris in aurum. Et cum ars imitetur naturam, Alchymista non peccat, dummodo non arte Magica, sed virtute herbarum, lapidum, & elementorum de flamo faciat argentum, cum sint quasi ex eodem principio, & similia, in habentibus autem symbolum, ideo facilis, mihi crede, est transitus, quia vt est credendum, multæ virtutes herbis, lapidibus, & elementis insunt. Ad cuius corroborationem in medium affero Augustini notabile, & aureum dictum, albo lapillo signandum.

Insunt rebus corporeis per omnia elementa, mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, & causalis prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus.

Ad te verò, quia facile decipi possum tanquam in his parum versatus, pro solutione huius meę dubitationis ficut ad Apollinis Oraculum confugio, vt hęc, quę mihi per obscura sunt, rationibus magis appositis facias clariora. Solaminis gratia tibi hæc scribere volui, & vt inde tuo auxilio aliquos fructus percipere possim. Natalitias solemnitates tibi à Deo exopto cum alijs quam plurimis propitias, atq; auxiliares. Me vt commendatum habeas, rogo, & Vale.

Longaroni xi. Chal. Ian. Anno ab orbe redempto M. DC. XXIV.

Per obliuionem exciderat, hîc modo Attagenas, Porphyriones, Vrogallos maiores, & minores infrequenter decipulis decipi, aut pyrio puluere, plumbeaq; glande perfodi, & cædi, tanta enim vis niuiũ repente Cælo decidit, vt vias inuias copia effecerint, & iter omne interceperint. Iterum benè vale.

B. STEPHANO V. I. D. Ac fratri Dilectissimo.

IOANNES STEPHANIUS S. P. D.

Chymicæ artis Professores nulla hæreseos suspicione teneri.

SEriæ dubitationes tuæ animum mihi mulsere, & blanda quadam admiratione affecerunt, rem belle, & solidè quæris. Suppudet verò, pigetq; me tanti non esse, qui plane tibi satis possim facere. At verò quoniam conatus meos pro tua humanitate agnosces, audendum. Paucis igitur, quid sentiam; accipito.

Adquirenti Concilio sancitum est, qui Metamorphosin citrà Dei voluntatem crediderit, infidelem esse.

Quæ sanè sanctio memoriam tibi refricuit Alchymiæ vnius metalli in aliud transmutationem promittentis, atq; adeo nunquid Chymistæ, qui cæterorum metallorum in argentum, & aurum transmutationem tuentur, infideles censendi sint, & hæreseos damnati.

Cuius rei declarandæ gratia altius quædam repetenda sunt, & illud in primis alta mente tenendum, transmutationes duplicis esse generis; quædam enim ex idonea, aptaq; materia fiunt ad formas certis circumstantijs limitatas, & definitas; quædam verò nequaquam: Priores naturæ viribus existunt interdum solius, nonnunquam artis ope communitæ. Ars etenim naturam perficit. Posteriores summa Dei potestate constituunt: enimuerò materia nullam ad effectum producendum obtinens dynamin, & facultatem, nihilitationem subit, solius porrò Dei est, aliquid ex nihilo procreare, vis enim desideratur infinita, atq; inexhausta. Quamobrem, qui crediderit Hecubam in Canem, Io in Vaccam, Callisto in Vrsam, Acteona in Ceruum, Picum in Auem, Moerim in Lupum, Apuleium in Asinum citra Dei voluntatem conuersum fuisse, infidelis erit, & hæresi infectus. Verùm dices. Nonne firma credit fide Ecclesia, Vxorem Loth versam fuisse in statuam, Nabucod. Regem in Iuuencum? Ad hæc nonne Circe sortilega Vlissis socios mutauit in Porcos? Narrat Diuus Augustinus; quosdam viatores in iumenta conuersos ponderà baiulasse. Sed enim quemadmodum illa secreto Dei consilio planè acciderunt, isthæc temerè non sunt admittenda, fuerunt enim præstigiæ, quæ oculis imposuere, neq; enim mens in belluino corpore consistere potest vel momento, si modò omnia in numero, pondere, & mensura facta sunt. Pythagoræis nil magis est in confesso, quàm formarum transmigratio. Accedit, fabellis illis aliquid subesse, quo docemur, scortatores fieri suibus persimiles.

Reliquum modò est, vt videamus, an ferro, aut cupro insit aliqua ad aurum facultas, quam si constiterit inesse, facilis postea erit quæstionis dilutio.

Physicis controuertitur, num Deus materię mutationis potiùs, quam perfectionis appetitum indiderit.

Arist. perfectionis appetitum tribuisse videtur cum primo Phys. scripsit, materiam appetere formam, ceu fœmina virum, qua propter Scaliger huius opinionis acerrimus est fautor.

Quod si ita est, diffiteri non possumus, metallis omnibus insitam esse propensionem ad aurum veluti ad finem, & perfectionem, in qua conquiescãt. Sed esto, vt Deus materiæ mutationis appetitum indiderit, eo nomine cætera metalla, vtpote quæ eadem materia constant, nempe Mercurio, & sulphure, poterunt aliquando in aurum artis ope commutari: Nam etsi singula æquisita propria forma conquiescunt, nec aliam expetunt formam, attamen peculiaribus exuta dispositionibus, & melioribus ab extrario agente imbuta dynamin nanciscuntur ad meliorem formam. Hinc Chymicæ Artis fautores argumentum sumunt, arguuntq; artis opera summoueri posse naturæ impedimenta, & materiæ sopitam potentiam inductis per artem certis aptitudinibus excitari ad auri formam suscipiendam. Propterea D. Thomas ex eet. metallis aurum constari constanter asserit, dummodo certa ratione actiua passiuis coaptentur, vt inde naturæ actio resultet. Neq; tamen hinc consectum volumus, vt per artem forma specifica in aliam transferri possit, nam hoc est naturæ solius, non artis, Cõ. In Meteor.

quæ cum sit accidens substantiæ productionem non attingit nisi naturæ coniugata.

Sunt, qui putent, auro inesse genitiuum spiritum, sed crassum, & in fœcundum, qui ignis, & artis ope depuratus, & syncerior fœcundus evadit, & solo cum alcero metallo coitu, congressuq; aurum gignit. Hunc spiritum Elixir vocant Arabes, quem velim potiùs, quàm Socratis genium.

His satis, superq; probatum puto, naturæ viribus posse ex cæteris metallis aurum conflari, quare haud infideles censendi erunt Chymici, sed sufflones, & bonorum decoctores, pauci enim ingenij acumine naturæ arcana peruadunt.

Atq; hæc pro tempore tibi sint satis. Rogo interim, vt pergas, & tuum excolas, perficiasq; ingenium bona gymnade. Vale. Prid. Ianu. M.DC.XXIV.

Inuitus audiui, non inueniri alites monticolas, quas iam dudum amicis voueram, si studio inueniri possunt, quam primum ad me per puerum transmittas.

MICHAELI ANGELO ROTAE
Summo Philosopho, ac Medico

IOANNES STEPHANVS S. P. D.

Quòd guaiacina decoctio syncera sit propinanda ad luem veneream extirpandam.

PLurimi, quos non leuis inanitas exagitat, non ita pridem anxie percontati sunt, qui fiat, vt quantumuis diligenti studio, & summa arte præscriptam guaiacinæ decoctionis vim exhauserint, plurimumque effuderint sudoris, & auri, nullo tamen beneficio cumulati, imò ijsdem cruciatibus exerciti domum redierint? Quam sanè querimoniam temperaui culpam in eorum intemperantiam deriuans, & medentium inscitiam obtegens. Sed enim lubet tecum hanc rationem deputare, vt veritas apertiùs emergat. Fac igitur guaiacioam hebenum esse genuinum. Indicæ luis alexipharmacum (vt aliàs confecimus) Cui curati peræquè non sanescunt? Sunt enim, quibus eadem refricantur vlcera, sunt quibus dura recrudescunt symptomata. An in obsoletam ligni vim caussa reijcienda? An potiùs accidit, quòd iusta dosi, & decenti tempore haud propinatur decoctio? Formæ enim naturales certam desiderant quantitatem ad pensum absoluendum. Hinc Arist. querit in Problem. cur piper multum quidem exiliens vesicam soluit, modicum verò ventrē: Atqui à contrario diagrydium, multū sanè aluum ciet, exiguū vrinas? Eius verò est vrinas prolicere, vt docet Auic. huius ventrem citare. Certa mole definiti vnumquodque vt forma, & propria virtus conseruetur, iamdudum à Peripateticis conclusum fuit, nec quisquam Anaxagoræ consilium probauit. Opportunitatem verò in omnibus desiderari, nemo est, qui nescrat. In tempore quid peragere, inquit Terentius, omnium est primum, & hoc ratum sit. Hinc Galen. comm. in 6. Epid. Tunc demum remedia fieri vult auxilia, cum in tempore applicantur. Hoc que præ cæteris mandat Hipp. vt medicina in tempore fiat. An in concrementa, & corporis cacochymiam caussa regerenda? Vt enim vinum (vt suauis quilibet liquor) in cœnosa, & senta situ loca effusum vim amittit, & venustatem, ita guaiaci iuscului, si impurum, & excrementis scatens corpus nanciscatur, nostram vim non exerit, sed excrementis iuuaretur, propria priuatur virtute, & pro sanitate multiformia inducit symptomata. Sed quis tàm imperitus Medicus, tamque supinæ ignorationis, qui ligni præstantiam non internoscat luis signatā indicijs? Quis tàm vsitati præsidij dosim non calleat passim inculcatam? Quis rectā vtendi ratione forma, & delectu definitā planè non calleat? Quid igitur irritos reddit conatus? Quid lignum (χυάϑιον appellaretur Epiphanio) viribus spoliat suis? Synthesis, mi doctissime Rota, synthesis, quam perperam affectant nostrates, vt diligentiores videantur, qui ligni decoctionem non propinant, ni myriades simplicium exaggerent. Valeant. Vbi enim specifica quædam qualitas, & proprietas quæritur (quæ teste Auic. est virtus in mixto reperta, à qua procedit in alio corpore actio non assueta, quantum ad manifestam naturam) non sunt plura congerenda; etenim, qui scis, quàm tacito, & arcano dissensu se se mutuò interimant, quæ vnà coniugasti, & coegisti? Iure igitur Auic. inuehitur in Medicos, qui antidoti vim perdunt simplicium aggestu, & commixtione, præcipitque, vt quàm fieri potest, maximè simplex pharmacum exhibeatur, vbi proprietas exigitur, nè aliorum infida societas vim deleat insitam. Facessant igitur, qui secus faxint. Te vnum admirabundus suspicio, suauissime Rota, in quem omnes sapientiæ athomi, vt de Epicuro dicebat Neocles, concurrere, qui tam scitè omnia geris, vt nihil possit desiderari. Auic. lib. 1

Verùm fortasse mihi obtrudes theriacen tot conflatam simplicibus pharmacis, tot virtutibus obsitam, quas nullum obtinet simplicium. Cui tamen responsum tale repono; theriacen ex mixtione virtutem inchoasse, iam licet nihil agat vltrà suam speciem, qualitates tamen affectæ dum vicissim afficiunt, miscentur, & in vnam conspirant temperiem, simulq; singulorum species formæ, quæ secundùm fermentationem emergit, emicatque, mancipantur, acuminem nanciscuntur facultatem, aguntque totius compositi actu, & propriæ speciei conditionem excedunt. Hinc etiam fit, vt ex theriace in nos tot beneficia non concedant, vt pollicetur antiquitas, quòd nec desiderentur germana simplicia, nec quia ante fermentationem in usus conuertatur humanos, quo tempore nondum exorta est species occultarum virium origo, singulorum enim formæ corrumpuntur, & una enascitur omniū vim redolens. Neq; enim Aphrodisæo applaudendum est, qui caussam quærens, cur quos dipsas momordit, non aqua, sed theriace eorum sitim sedat, respondet non qualitatis ratione sitim sedare, sed mutuo quodam consensu, & naturali ratione; nam huiusmodi antidotus pluribus ex herbis componitur, quæ consensum aliquem cum singulis corporis particulis habent. Vnumquodque igitur horum mellis dulcedine illectum trahit, quod sibi proprium, ad tutelam est. Inter quæ omnia sunt, & viperarum commixtæ car-

nes,

nes, quę naturalem quendam mutuum affectum habent, quem antipathiam vocant, aduersus quoduis venenosum animal, corruptiuamque virtutem. In singulas igitur partes distributa affectum illum, qui corruptionem minetur, agere non sinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidam milites, qui pro sua ipsorum patria arma acceperint. Hæc Alexander, cui ea ratio reclamat, quòd singulorum formæ non persistant, sed corrumpantur, ex quarum corruptione communem facultatem obtinens forma resultat. Quòd, si vt putat Alex. ita sese res haberet, recentissima Theriace esset optima, quod dictu nefas est. Auic. lib. 5. cap. de Qualitate Compositionis ait: Non ergo respicias ad illud, quod dicunt Medici quod confert Theriaca ad hoc propter spicam, ad hoc propter myrrham, imò confert ita, verùm illud, cui intendendũ est forma &c. Cõmoneas igitur Amicos, vt posthac simplicis Guaiaci propinẽt haustum, & serenam quærant Theriacen. Vale.

BERNARDO COLLE
Philosopho, & Medico admirabili

IOANNES STEPHANVS S.

Quòd morbus prior sit sanitate.

NOn possum, quin scribam, & calamum exerceam etiam cum nominis detrimento, tantùm in me tuæ scriptionis stylus insæuit desideriũ. Qui autem auidè cupiunt, vltrà metam aliquando excurrunt, & cùm non animaduertant, fiunt animaduersionibus obnoxij, nonnihil tamen condonatur, vtpotè sine mente oberrantibus. Quòd si mihi idem contingat, placidiorem ferulã peropto.

Sed age in medium feramus quęstiunculam, quę me inter tenebras exacta nocte cessantem exercuit, & egit transuersum. *Num sanitas prior sit morbo?* Videtur me Hercle, quis enim est, qui nescíat, morbo præstantiorem esse sanitatem? Atqui ego dignitatem spectari nolo, sed tempus. Dices etiam tempore priorẽ, sanitas enim habitus quidam est, at ægritudo eius priuatio; quare cùm habitus priuationẽ antecedat, fit omninò, vt sanitas præcurrat, anticipetque morbum, qui enim aliter capias? Respõdeo, morbum non esse similem tenebris, aut cęcitati, sed frigori, aut nigrori, quæ sanè extrema si ad opposita referantur, imperfecti quidem rationem subeut, nil tamen impedit, quin origine anteueniant, natura enim ab imperfectis oritur. Sic negatio affirmationem, priuatio formam occupat, anteuertitque. Obijcies, Scio, Aristotelem dicentem, id, quod est secundùm naturam præstare, idque antecellere, quod præter naturam est. Argutè: Atqui præstantiam inspici vult Philosophus, non originem. Nec enim reuera potest, nam infantulus simul atque in lucem editur, à vagitu prima ducit initia, & doloris exprimit symbola, quòd si vagit, & dolet, conficitur, vt ægrotet, dolor enim ex ijs, quæ temperiem, aut vnitatem repentè, confertimq; soluunt, proficiscitur (hoc enim voluit Hipp. cùm scripsit, omnem morbum esse vlcus.) Dedit quidem satis luculenter hoc nobis Dictator, dum totam hominis vitam morbum esse scripsit, sed appello ad eundem benignius de homine sentiẽtem. Ægrotat quidem homo, dum nascitur, & eò vsque pergit ægritudo, donec hominis munera ritè obit, quod sanè secundùm septennium vsu venit, si experientiæ, sacrisque Canonibus fides habetur. Rides paradoxon. Non debes, imò non potes. Hominis functio intellectio est, hæc autem primo septennio dumraxat sese obscurè profert, promitque, quo etiam tempore lethalibus culpis obnoxij redduntur pueri ob rationis vsum, vt transmundani statuunt Philologi. Quare cum toto anteacto tempore propriæ functiones delituerint, aut certè ieiunè emicuerint, fateri necessum est, aliquod præfuisse impedimentum, quod actionem læderet, hoc autem quid aliud est per sacras musas, quàm morbus? Confectum igitur sit, vt morbus sanitatem antecedat, quemadmodum infantia pueritiam, inchoatio consummationem, & summum robur? Negas? Siccine detrectas? Audi, & alta mente reconde.

In generatione rerum (quidquid deblateret P. Ramus) necessariò anteit priuatio, quæ aptitudinem ad formam, qua caret, insinuat; at cùm puellus pappans confit, aggeneratur etiam congrua habitudo, ceu necessarium accidens, per quod anima vires suas exprimit (neque enim substantia seipsa operatur) bona autem ita habitudo, siue sanitas cùm nil sit aliud, quàm symmetria, & æqualitas quædam ex ametria, & inæqualitate fiat, oportet, quodlibet enim non fit ex quolibet, sed ex determinato contrario, vt statuit Aristot. Quamobrem quocumque te conuertas, vlcus erit. Atque hæc obiter, & typo tenùs. Expectabo autem, vt ad me Virginem illam mittas, quæ tibi solet inter edisserendum assidere, quæquè Hippocratem de Democriti sanitate ambigentem, & dubium certò commonuit, & dextra duxit ad virum non insanum, sed sapientissimum, quique res humanas susque, deque habebat, & quidquid offerebatur sana excipiebat fortasse eò, collimans cum Vate, & secum intus presso ore mussans

O curas hominum, ò quantum est in rebus inane.

DE THERMIS CENETENSIBVS
ad Aedem Diui Gottardi.

Ad Excell. Antonium Piccolum Cenetæ Archiatrum.

NAtura φυλάττουσος, Vt Acedicolas Cœli, solique clementia faustos bonis omnibus cumularet, medicato fonte locupletauit, quem ab antiquis Sapientibus humanos in vsus tractum, plurimique factum fuisse, vel ex eo est conijcere, quòd superiori Suburbio Serualli finitimo SALSÆ nomen indiderunt, ex Salsa nimirum Aqua auspicium capientes. Fons hic ad propinqui iugi radicem proximè D. Gottardi Ædem iacet, & lachrymante veluti Saxo per rimulam emanat, & stagnat, sed hominum incuria, & inscitia fontis syncerítas cœlestibus Aquis, & mille inquinamẽtis contaminata vim deserit insitam.

Non defuerunt tamen & noſtra hac tempeſtate, qui adhibito ſtudio, omni ſorde, colluuieque remota Aquam legère, & vaporario incluſam in halitum digeſſerunt, reſiduam verò materiam accuratè explorantes colore fuluam, ſapore ſalſam Salſe, & Sulphure ceu parentibus conſtare, non dubitarunt aſſerere; Subinde in vſus adhibita eoſdem, quos Tettutiana Aqua, & multò etiam præſtantiores edidit effectus.

Huiuſce Aquæ bonitatem præclariſſimus, & nunquam ſatis laudatus ob virtutum præſtantiam Excell. Benedictus Syluaticus Eques, & in Patauino, Patrioque Gymnaſio Actiuæ Medicinæ è primo ſuggeſtu Doctor celeberrimus agnouit, & publico Chirographo teſtatus eſt: Nec minùs egregij vir ingenij Excell. Octauianus Gratianus ſe huiuſce Aquæ ſæpius periculum feciſſe non ſine languētium maximo commodo ingenuè, & palam profeſſus eſt: Quorum ſubinde auctoritate munitus Georgius Gratianus in libello, quem de Cenetæ Vrbis præſtantia edidit, mira huiuſce Medicatæ Aquæ eloquentia meminit: Paſqualinus verò Tirindellus probatæ, ſpectatæque virtutis Sacerdos, dum Patauij ageret, Pharmacopolæ, cuius Aromatariæ tabernæ propendet Galerus, ſe venditaſſe frequens affirmauit, Seplaſiarius autem pro Tettutiana exponebat Aquam, quæ cum expectationem ſuperaret, Sacerdotem excitabat, vt vberiore modo Patauium conduci curaret, ſibi enim inde non leue lucellum pollicebatur. Hac eadem Placentinus vtebatur ſucceſſu proſpero. Ego verò, qui hiſce oculis fontem vidi, qui Probaui, non poſſum, quin ſedulò moneam, fruſtra è longinquis fontibus peti ſalubres hos hauſtus, cum domi abundemus.

Dicam breui, Aquam Sale, & modiciſſimo Sulphure medicatam eſſe, iiſdem affectibus deſtinari, quibus Tettutiana, & eodem prorſus modo exhiberi. Hoc intereſt, quòd Cenetenſis multò præſtantiùs omnia perſoluit, prout mihi videre datum eſt, dummodo pura, nulliſque quiſquilijs inquinata è fonte hauriatur. Ioannes Baptiſta Bortoia Cenetenſis, (vt rem exemplo proficiam) reformatæ Religionis Monachus Lignipes in cachexiam inciderat ob ſtomachi cruditates, & iam immedicabilis Hydrops inſtabat, cumque plurimos Medicos, & medicamenta fruſtra expertus eſſet, meo tandem conſilio huiuſce fontis Aqua ter, quaterque ritè perhauſta, reſtitutus fuit, & diſtulit fata. De quo fonte, quoniam alibi egimus, & carmine luſimus, vires, vtendique modum mythica dialecto indicātes, non eſt, cur in præſentia longum faciamus.

AD IOANNEM BAPTISTAM ROTAM e Diuo Caſſiano

Cur partus octauo menſe non ſit Vitalis.

NOn minus vtilē, quàm curioſam fore diſſertionem, quare fœtus ſeptimo, nono, & decimo menſe optimam viuant vitam, octauo autem minimè, ſemper equidem animo duxi. (Qui verò partus vltra decimum Menſe eduntur, vtrum legitimi, ac veri exiſtant, quærere miſſum faciamus. Et diuino Hipp. fidem noſtram religiosè adhibeamus.) Ad rem ergo noſtrā oratio reuertatur. Valeant imprimis cum ſuis numeris Mathematici, qui omnem penitus efficaciam attribuunt quantitatibus contra Ariſtotelicum tantopere probatum dogma. Explodantur itaque Mathematicæ rationes, quæ in hac re nullam certè optinent præcipuam rationem.

Audiamus parumper Aſtrologos, qui probabiliùs ſanè cauſſa acceptam referunt Saturno: Etenim ſeptem ſunt Planetæ, qui dominantur iſtis inferioribus, duo maligni, Saturnus, & Mars, totidem benigni Iupiter, & Venus. Reliqui mediæ, & ancipitis naturæ. Ponunt autem, non demonſtrant, primo menſe Saturnum dominari. Iouem 2. Martem 3. Solem 4. Venerem 5. Mercurium 6. Lunam 7. hæc fauet partui, quia principijs vitæ eſt conſentanea, cum ſit calida, & humida, atque partum facilitat propter humiditatem meatus, ac vaſa relaxantem, & viam partui proſternentem; & propterea hac menſe fœtus exitum ſibi quæritat. Octauo menſe circa redeunt Saturno, qui cum ſit frigidus ſiccus, proinde principijs vitæ contrarius, claditur os vteri, nec ſine moleſtia prodire poteſt infans in lucem. Hæc ſunt, quæ in medium adferūt Aſtrologi.

Hipp. verò duas affert cauſas, prima eſt, quòd infans affectet exitum ſeptimo menſe, extatque fœtus, ſi robuſtus fuerit, alioquin opus habet, ait vnius menſis quiete, vt uires recreet, ac roboret, quia nouum laborem tam citò ferre non poteſt.

Secunda, quòd fœtus incidat octauo menſe in quartum quadragenarium, qui eſt infelix, partus enim eſt quædam criſis, iudicaturque non ſecus, ac morbus, atqui vt morbi acuti iudicantur malè octauo die, ſic longi octauo menſe, ergo partus cum longis morbis reſpondeat, octimeſtris eſt ſymptomaticus potius, quàm criticus. Noxius tamen partus celebratur tanquam per adagio, qui fit octauo menſe. Tu uideris uir doctiſſime, & me dilige, ut facis. In Ægypto tamen mulieres etiam octauo menſe partus uitales edunt.

AD IOANNEM BAPTISTAM ROTAM

Quod facultates principes in cerebro, non in corde reſideant.

HOdierna die multis, iiſq; ualidiſſimis rationum momentis perſuadebas, ut crederem, animam eſſe in corde, non in cerebro, quibus tamen, ni fallor, appoſitè reſpondi, & dilui. Aſſerebam autem cum Platone, & Galeno ratiocinantis, & ſentientis animæ ſedem haudquaquam eſſe cor, ſed cerebrum, his argumentis, & rationibus fretus. Imperat cerebrum, cor obſequitur, ergo præſtat cordi, & ſi ad uitam ſit magis neceſſarium: Atqui in parte principe conſentaneum eſt partem animæ principem habitare. Item ſomnus fit ſopito ſenſu. Sopitur autem cerebro uaporum copia ueluti uinculo prepedito, & ligato, qui ſi præter naturam cō-

tingat,

tingat, ut in lethargo, aut læditur ratio, ut in phrenitide, quis tam iners Medicus malè affectum cerebrum non suspicatur, illique, non cordi, admouet remedia?

Ad hæc natura ibi posuit sedem facultatis, unde exoriri uoluit proprium illius instrumentum, atqui nerui sensus, & motus instrumenta, à cerebro manifestè ortum ducunt, ergo sensus sedes cerebrum est. Porrò ea est ratiocinantis, & sentientis animæ sedes, qua læsa functio læditur, aut præditur, atqui læso cerebro sensus, & rationis deficiunt munia, ergo uerisimile est, non cor, sed cerebrum esse sedem animæ.

Qui iurarunt in uerba, & mentem Arist. negant eius doctrinam superioribus argumentis conuelli. Quæstionis enim ueritatem, ratione, inquiunt, non sensu æstimauit, sensus autem neruos oriri à cerebro, uenas à iecore, arterias à corde indicat fidem, sed, ut illi loquuntur, materialiter. Ratio autem primum, & formalem principium esse in corde manifestè demonstrat.

PRAECEPTA AD MEMORIAM
Nicolao Filio.

1 *Studium sit vnius rei simplicis.*
2 *Non sit admodum prolixum.*
3 *Maxima adhibeatur diligentia, & attentio rei, cui incumbis.*
4 *Ad illud, cui studuistis, sæpenumero cogitationem, mentemque conuertas.*
5 *Frequens meditatio aliquando intermittenda est, & somno indulgendum moderato, nam post meditationes ualet somnus.*
6 *In studijs seruetur ordo.*
7 *Obseruentur conditiones quædam indiuiduales, quibus res facilè in memoriam possit reuocari.*
8 *Rebus, quibus incumbis, ad breuitatem redigantur.*

Hæc de memoria, aut ad memoriam tradidit præcepta Saxonia, qui vno nomine tantùm reprehendendus venit, quòd Dei misericordis, & omnipotentis, nullam fecerit mentionem, cum tamen nos Plato adhortetur, vt à Deo rerum omniũ nostrarum initium sumamus omnium bonorum largitore. In primis itaque Deus opt. max. supplicitèr exorandus, vt quæ nos deficit memoria, benignè concedatur; Deinde regula Saxoniæ obseruandam erunt. Quibus adijcerem Vvecheri præcepta, ni me suspensionis suspicio retraheret. Adde Schenchilij detecti regulas quæ sanè admirabilis sunt, nulli tamen sunt adiumento ni subsit naturalis bonitas memoriæ.

COSMETICES PARTICVLA
obiter adiecta
A IOANNE STEPHANO *Iatrophysico Veneto.*

Ad Caniciem retardandam.

SI quis mithridatica antidoto, aut cõditis myrobalanis post φλεγμαγώγων vsurpationem frequẽs vtatur, subinde oleo caryoph. chymico ablutum caput sæpiùs oblinat ammixto nardino, canitiem seriùs accedentem experietur, mirum enim in modum huiusce olei lentor insitum capillorum calorem tuetur, caneſcunt enim ex situ quodam, & pituitatis prouentu.

Magnum in hanc rem momentum conferre lac caniculæ, testantur quidam, si inde crebrò capillitium colatur.

Ad tollendam canitudinem ex metu, mœrore, curis ocyùs occupantem.

Septembri mense virentis Nucis latentem in terra radicem crassiusculam cæsim secato, tum sublata particula secta in obtruncatam radicem figulinum vitreum vas oleo plenum aptè intrudito, adeò vt totus caudex oleo madescat. Subinde vasis osculum ita obturandum, vt nihil expiret, aut intro subeat. Quo facto totum vas panno inuoluẽdum, & terra leniter aggeranda, vt omninò obtegatur vasculum, quod ita relinquendum est, donec iterum Nux virescat, tunc vas sensim, molliterque subducendum. Detecto ore inuenitur oleum aterrimum succo nucis perpetuos nouem menses in illud emanante.

Ex hoc scrotum studiosè, vbi homo in balneo sudare cœperit, inungendum, & continenter testes in idipsum immergendi, nam ad vniuersos pilos vniuersim denigrandos istud apprimè facit, sufficitque si quis quotannis semel hoc auxilio vtatur, nam vim testium in totum corpus transferri, pilorumque causam esse, argumento sunt Eunuchi, qui nec calueſcunt, nec barbam emittunt.

Skenchij.

Huc facit puluisculus ficulneus ol. camæmell. subactus, & comæ inductus.

Vel

℞. Gallarum omphacitidum vnc. 4. Coquantur in sartagine ex comm. ol. tandiù, donec vniuersæ gallæ tabefactæ dissoluantur, tum lineo occlusæ ita disponantur, vt incumbant fiscellis noctem integram, postea in cupreo vase contusæ rediganturin polli-

pollinem,& ficcétur. Queis dein adijciantur squāmæ æris vnc. 1. Alcannæ,fol. Liguſtri pulu. ana vnc. 2. pulu. Caryoph. drach. 2. Puluis proijciatur in figulinum vas montano repletum vino, quibus poſtremò addantur Aluminis rochæ vnc. 2. corticis granatorum, nucum viridium ana drach. 1. Roriſmarini, ſaluiæ ana m. ſſ. omnia miſceantur, & coquantur ad dimidias. Hoc vino cæſaries abluenda, ſubinde oleo caryophyllorum chymico ſublinenda. *Capiuaccei.*

Ad Alopecias,& Capillorum defluuium.

℞. Murium domeſticorum vſtorum, panniculi ampellini,ideſt linei vſti,adipis vrſini, ceruinæ medullæ, cort. calami aromat. parem modum. Arida omnia læuigentur,& melle ſufficienti permixto,ad melliginis normam redigantur, ſubinde adeps, & medulla liquata adijciantur,& pharmacum in ærea pyxide ſeruetur. Ex eo Alopecia, donec capilli renaſcantur,ſedulò fricetur,aut profluæ comæ radix illita vueſcat. *Galeni.*

Vel

Coquantur grana iuniperi,ladanum,abſynthiū, adianthon ex vino,& ol. myrthino, ſimul mixta, madeſcant integram hebdomadam,tum recoquātur ad vini conſumptionem,& percolentur, validèque exprimantur. Colatura ſeruetur in vſus,qua detonſa coma obungitur.

Vel

℞. Amygd. amar. cum ſuis cort. crematarum, Rad. arund. vſtarum partes æquales,ſubtiliter pulueriz entur,& vrſino adipe excipiantur, & aſperiore lineo confrictum caput oblinatur. *Amati.*

Vel

Succus Nicotianæ capiti illitus mirandum in modum Alopecias ſubmouet. *Zacuti.*

Plinius lib. 28. c. 11. ait cinere genitalis aſinini ſpiſſari capillum, & à canicie vindicari, ſi raſis illinatur plumbo tritus cum oleo. Eod. c. tradit Plin. caprini, vel hircini cornu ſcrobibus, uel cinere addito nitro, & tamaricis ſemine, butyro, oleoque, priùs capite raſo, mirè fluentem capillum contineri, ſicuti ex carnis cinere ex oleo illito ſupercilia nigreſcere.

Ad Alopeciam ex lue Venerea.

℞. Pulu. corticis Guaiaci,abrotoni vſti ana vnc. ſſ. Decoct. primæ Guaiaci vnc. 4. ol. amygd. amar. ana vnc. 2. bulliāt horis 12. in duplici vaſe,ſeruetur pro litu,interim D. ligni ſancti vtendum.

Ad barbam ſeguiùs erumpentem.

℞. Combuſtarum apum cineris,ſtercoris foricis quantumlibet,his addas auellanæ,caſtaneæ, dactylorum cinerem; hæc omnia commiſcentur cum vng. roſato,& concinnatur linimentum.

Io. Bapt. Portæ.

Huc faciunt ol. ouorum, Ladanum oleo roſato, aut maſtichino permixtum: ficcatarum apum puluis,oleo,vel melle ammixtus: Aqua ex fauo mellis deſtillata: Puluis cap. leporini vſti cum vrſino adipe. Mucerda trita cum oleo nucum. Hyppocampi cinis commendatur ex oleo illitus. *Dioſcoridi.*

Vel

℞. Euphorbij,Thapſiæ, Baccarum lauri an. vnc. ſſ. Ellebori nigri,& albi,Sulphuris viui an. drach. 2. excipiantur ol. lauri,& cera; fiat vng. *Serapionis.*

Ad lentigines.

Bulbi cum vino, & cymin. cocti delent lentiginem ex Plin. Idem præſtat Erucæ ſemen ex aceto tritum. Huc facit ol. myrobalan. veſperi illitum ori, quod mane furfurum decoctione abluendum. Nec minùs ſuccus bryoniæ cum melle alitus.

Vel

℞. Farinæ erui L. 1. ſemin. erucæ, amygd. amar. rad. cucum. agreſt. an. L. ſſ. læuigata mulſo liniantur. Huc facit & leporis pinguedo allita, & vinum, in quo ſit ſuffocatus ſtellio.

Ad vniuerſas faciei maculas delendas, & decorem conciliandum.

Mirandum in modum confert Aqua ex duratis ouorum albuminibus, exemptis vitellis, chymico more ſtillata. *Foreſti.*

Ad varos, ſeu Ionthos.

℞. Amygd. amararum. ſem. melonum ana drach. 6. Contundantur in mortario, dein affundatur ſuccus limonum, & addito combuſto alumine fiat linim.

Vel

℞. Cochleas marinas, quas Myrobrechij ad perpolienda carbaſa exponunt venales,immitte in limonum ſuccum, & ſine, donec teſta abſumatur in limum redacta, hoc vari collinantur.

Vel

℞. Sublimati præpar. loti vnc. 1. olei amygd. dulc. vnc. 1. M. in vitreo vaſe ſuper calidos cineres; dein ℞. Olei amygd. dulc. vnc. ſſ. remiſce cum illo oleo ſublimato,ſubinde adde ſucci limonum, plantaginis,acetoſę,aquę roſ. an. vnc. ſſ. omnia commiſceantur cum album. oui agitato, donec ritè concorporentur. Hoc litu nil præſtantiùs. *Falloppij.*

Ad faciem flammeam, ficis conſperſam.

Confert lac virginale,vnguentum de lythargiro, de ceruſſa addito hydrargiro ea proportione, vt ſingulis vngu,vncijs addatur argenti viui ſaliua,aut ſucco citri extincti drachma vna.

Vel

℞. Tartari calcinati L. 1. maſtiches drach. 2. pinſantur cum albuminibus ouorum, & reponantur in vaporario, hinc deſtillatus liquor ſeruetur in vſus. *Riolani.*

Ad rubram vitiliginem.

℞. Albuminum ouorum num. 100. vitrioli albi Rom. puluerizati vnc. 1. mandentur vaporario, & ſtillatitia aqua adhibeatur. *Foreſti.*

Vel

Vel

℞. Sulphuris vnc. 1. ceruſſæ lotæ dr. 2. ſucci limonum quartarium, applica veſperi, & mane ex furfurum decoctione faciem abluc.

Vel

℞. Ol. de tartaro, roſarum an vnc. 3. ſucci oxyacanthi, laur, ſerpentariæ an. vnc. 4. ceruſſæ vnc. 1. ſſ. lythargiri auri vnc. 2. argenti viui extincti vnc. 1. ſſ. radic. aſphodeli vſtarum ſub cineribus vnc. 2. miſce fiat linimentum in plumbeo mortario. *Foreſti.*

Ad faciei rubedinem.

Nuclei pinei recentes pinſantur, & ex lacte percoquantur, & aq; roſacea. Hanc ſupernatans pinguedo colligatur poſt refrigerationem, quæ cum tepente lacte commiſceatur, & ex eo facies abluatur; certò enim curat.

Vel

℞. Camphoræ drac. 1. boracis drac. 2. farinæ cicerum rubeorum drach. 4. confice cum ſucco citrangulorum, & melle, faciem inunge, & mane abluc ex lacte Aſellæ. Huc facit aquæ fumariæ. *Bayri.*

Ad Ephelidas.

Confert aqua ex floribus fabarum, nymphææ, liliorum alborum diſtillata addendo melonum ſemina, item fragorum aquæ, acetum ſtillatum, vngu. citrinum. Lapis Pyrites accuratiſſimè tritus ſuper porphyritem, & cum aceto illitus deterget morpheas, albaras, lentigines, ac reliquas faciei maculas.

Vel

℞. Ceruſſæ, Camphoræ an. drac. 1. elaterij drac. 2. agita in mortario plumbeo piſtillo plumbeo addito aceto, dodec rediganturin vngu. formam, tum ſerup per 12. dies in vitreo vaſe, iterumque in vaſe plumbeo addito aceto ſubige. Hoc delet omnes oris ſcabritates. *Bayri.*

Huc facit oleum de Been cum aceto conquaſſatum maculis illitum, aut etiam ulcerum veſtigijs, ea enim mirè obliterat.

Ad Vitiligines.

℞. Farinæ lupinorum, ſem. melonis deglubitorum ana dr. 3. farinæ fabarum, orobi, ciceruum horum an. dr. 2. farinæ lentium ex cort. hordei ana drac. 1. ſem. raphani, amyli, tragacanthi an. dr. ſſ. croci gr. 4. terantur, & cum lacte confecta ori inducantur veſperi, oriente Sole facies abluatur decoct. ſem. melonum, & uiolarum. *Bayri.*

Huc facit farina lupinorum oxymelle excepta, cort. rad. capparum aceto permixtus. Gordonius maculam folio ficus, aut lineo aſperiore perfricat, ſubinde ol. de tartaro oblinit.

Ad Puſtulas.

℞. Pulu. muris combuſti, & illinè unà cum oleo.

Vel

℞. Aquæ liliorum alborum, ſambuci, nenupharis an. l. 1. oſſis Sepiæ. lythargiri argenti, lapidis calaminaris an. unc. ſſ. ſalis ammoniaci an. drac. 2. caphuræ ſcrup. 1. M. & tribus elapſis diebus colentur, & ſeruentur in uſus. *Foreſti.*

Ad Impetiginem ſiue Lichena.

Confert oleum è uitellis ouorum, de tritico, de tartaro, ſulphue, aut alumen dilutum tepente roſ. aqua.

Vel

℞. Spumæ argenti unc. 1. teratur cum oxyrodino, uel atriores impetigines, & pſoras ſanat.

Ad feram impetiginem.

℞. Sulphuris uiui, auripigmenti rubri an. unc. 1. rediganturin pollinem, & cribro traijciantur, ſucco fumariæ puluis excipiatur, & fiant trochiſci, quorum unus, quoties uſus poſtulabit, miſceatur ung. citrino. *Gordonij.*

Ad Verrucas.

Verruæ oburuntur ſarmento ignito, & ſubinde circumlinuntur ſucco chelidoniæ, aut tithimali; certo experimento tolluntur.

Ad Ambuſtos.

Linimentum ex ceruſſæ, & olei roſ. æquis partibus mirandum in modum confert. *Riolani.*

Vel

℞. Mucag. ſem. cydon. tragacanthæ an. unc. ſſ. olei odorum, nenupharis an. unc. 1. m. f. linimentum. *Fernelij.*

Vel

Albumina ouorum agita cum oleo roſac. & line. Huc facit oleum è uitellis ouorum in mortario plumbeo diu agitatum plumbeo pilo. Populeum recens nec minus ualet. *Riolani.*

Vel

Pinguedo ſuilla exuritur, ardentes, & deciduæ guttulæ pelui ſuppoſita excipiuntur, in qua lauri folia ſint diſpoſita, exuſta folia tandem cinereſcũt, & ex hoc cinere, & unguine refrigeratõ conficitur linimẽtũ certo periculo mirabile. *Amati Luſitani.*

Ad deleuda variolarum veſtig.

℞. Lythargiri auri ſubtiliter puluerizati L. 5. ponantur in ſartagine, relinquanturque donec igneſcant, non intermiſſa agitatione, cùm uerò ignem conceperit lythargiron, ſubiice aceti albi acerrimi L. 7. ſubagitentur modicùm, & colata ſeruentur. Accipe huiuſce aquæ quantum vis, & miſce cum ſucco limonum modico, & ſubline particulam, exactaq; hora mica panis unà cum farina amygd. amararum perfrica oblitam partem, & ſubinde abluc. *Epiphanij Ferdinandi.*

Vel

℞. Ol. Liliorum L. 2. pingued. unc. 4. ol. roſ. unc. 1. lauentur diligenter ex aqu. roſ. & liliorum, deinquatuor ouorum albumina recentium cum teſtis paren-

parentur, vt ad ignem obdurescant, tum m. in mortario cum reliquis, quibus adde amygd. dulc. & amar. ana unc. 1. una omnia concorporentur, & fiat linimentum. *Foresti.*

Ad Cicatrices delendas, & dealbandas.

Cicatrices delet adeps anatis, aselli cum ol. amyg. am. mixtus, sudor resolutus ab assato ouo recenti, caseus salitus cum melle superpositus, myrrha dissoluta in ol. lini. Huc spectat humana pinguedo, & oleum cerae cautopere a chymicis commendatum. *Vel*

℞. Aquae-vitae quater ad minus destillatae partes tres, summitatum flor. anthos partes binas, reponantur in amphora per diem naturalem ore bene obturato, mox aquae, & flores ex arte vaporario commissa stillentur. *Foresti.*

Ad Obesitatem tollendam.

Nihil peraeque profuerit, atque scyllinum acetum ieiuno quotidie deorandum.

Ad labiorum asperitatem, & fissuram.

Tolluntur pinguedine gallinae, aut recenti butyro.

Ad palpebrarum rubedinem.

Oblinantur palpebrae aqua ros. vel plantaginis, in qua ferrum candens, vel olibanum fuerit sepius extinctū, vel isdem aquis infunde aluminis scrup. 2. vel duo, vel tria vitrioli grana in aquae plantag. unc. 1.

Ad palpebrarum inflationem.

Tollitur fotu ex decoctione florum chamaemelli, maioranae, cuphrasiae, semin. fenugraeci, cymini.

Ad Salicium.

Valet litus ex cinere apum, vel murcrda, exceptis melle. Vel auellanae urantur, puluis pinguedine ursi, aut capra misceatur.

Ad vngues male coloratos, aut ex contusione lluentes.

Resoluatur humor concretus, farina lupinorum erui oxymelite excepta, aut pinguedine caprae cū sulphure mixta. Quo remedio ni dispareat foedus color, ut humori pateat exitus, perforetur unguis in medio, cauendo, ne caro attingatur, quia excrescceret, pterygionque excitaret, ut autem per foramen humor corruptus, expiret emplastrum metasyncriticum superponendum, confectum ex fermento, & aristolochia, aut ex pice, & dictamno.

Ad vngues lepros.

Hac methodo leprosi ungues curantur. Primò emolliuntur ung. dialthaea, uel Agryppae; dein cultello, uel uitro sensim abraduntur, quod superest, curandum, ut cadat emplastro ex fermento, & cantharidibus apposito, cum abscesserit, pars foueatur uino decoctionis gallarum, malicorij, nucum cupressi, ut roboretur, tandem, ut nouus generetur, apponendum emplastrum diachalciteos.

Ad dentes dealbandos.

℞. Testae ostraeorum ustae unc. 1. corallij, cornu C. usti, salis gemmei ana unc. ss. pumicis, & ossis sepiae an. dr. 2. nucis mosch. scrup. 1. moschi gr. 3. m. f. puluis. *Riolani.*

Ad dentes mobiles.

Dentium mobilitati confert acetum scyllinum collutum, item asininum lac, decoctum corticis ulmi. Quod si mobilitas accidat ex uenerea lue, conducet oleum chalcanthi una cum oxymel. & aqua plantaginis collutum. *Hollerij.*

Ad dentium corrosionem.

Dentium corrosioni prodest ex Graecorum, & Arabum consensu, praemissis generalibus, quae peccantem humorem, ut salsam pituitam purgent, uel utramque bilem, nigella Romana ex aceto trita, & denti immissa. *Hollerij.*

Vel

Camphora in perforatum dentem indatur, uel cyperus una cum masticke intrudatur. *Auicennae.*

Atque nos haec hactenus. Qui plura cupit, adeat Rondeletium, & Alex. Pedemontanum, qui accuratè hoc argumentum tractarunt.

HIP-

HIPPOCRATIS COI THEOLOGIA,

IN QVA PLATONIS, Aristotelis, & Galeni Placita Christianæ Religioni Consentanea exponuntur.

AVCTORE
IOANNE STEPHANO
IATROPHISICO VENETO.

PRÆFATIO.

QVam sum pollicitus Hippocratis Theologiam, nunc qualemcumque prodo. Parcere decreueram iudiciorum aciem veritus, sed adeò me sibi deuinxit Hippocrates, vt nominis iacturam facere maluerim edendo, quàm ingratitudinis notam premendo subire.

Nihil acharistia fœdius, nihil frequentius; Vt vel discipuli mulorum instar Præceptoribus pedes impingant. Nefas execrandum, quod tamen deterioris notæ homines inuadit, quique humi serpunt: Humaniores, & sciti non patiuntur tale nefas ad fores accedere: Instructas præmittunt Charites, vt malè accipiant: Duplo pensatur gratia, nec quicquam tam exile ædes subit, quod antipelargia non rependatur. At verò me extra cancellos egit animus iratior, ita aduersatur flagitiosum scelus; valeat, vbi pro Perca Scorpium χαπτικὸν χρύσεον. Redeo ad rem. Hipp. Metaphysicam in pauca contraxi, tum quia in paucis consistit veritas, tum quia temporis angustijs pressus vberiorem non potui promere doctrinæ succum, qui hûc tamen vel primoribus labijs libatit, non diffitebitur diuinam senis erga Deum pietatem, atque recognitionem. Genus autem scribendi medium adhibui, ne si elegantiores voculas vsurpassem, obscurior fierem. Frequentior inter disputandum Platonicorum incidit mentio, quòd expressiùs, & præclarius diuina tractarint. Interim etiam interseuisse quædam è Christiana Theologia prompta non dubitaui, & analytica despexi præcepta, vt pia, diaque senis sapientia magis extaret. Nec minus de Prouidentia Dei crebra intercidit dissertatio, vt etiam tautologias vitium commiserim, quòd sine eius præfatione proposita disputatio probari satis non posset. Quin altiùs quædam repetere opus fuit, nam quêadmodum qui feram capturi longa indagine saltus circundant, & pernadunt, vt in casses conijciant animal, ita accliuem perihegesin incurrere mihi necessum fuit, vt Hipp. sententiam assequerer, quæ in hoc argumento perinde se habet, atque in composito pharmaco basis, quæ plerumque virtute modò cæteris præponderat, nam quæcunque circumscribuntur, illius ergo, & hac de causa Hippocraticam appellauimus Theologiam.

Res faciat, non verba fidem, procul ite { *Loquaces. Maligni. Prophani.*

Quòd Deus humanæ princeps sit causa Naturæ. Caput Primum.

Isaias cap. lxiv. Domine Pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos, &c.

Esdra cap. 8. lib. 4. Solus enim tu es, & vna plasmatio nos sumus manuum tuarum, sicut locutus es. Vacate, & videte quoniam ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.

IGregiè magnus ille Alexander, cũ in Iouis Ammonis templo à Vate dictus esset Iouis filius, nihil mirum, inquit, nam Iuppiter omniũ quidem natura Pater est, at ex ijs optimos quosq; peculiariter suos facit. Nec inscitè Parmenides, vnum esse id, quod est, constanter asseruit, si quidem testante Simplicio, quod verè per se, & maximè est, vnum, nempe Deus est, cætera, quæ sunt, haud simpliciter, sed aliquid sunt, quum deriuatam habeant substantiam. Et sanè quidquid in hac rerum immensitate consistit, triplici ordine distribui, compertum est; Quædam enim duntaxat existunt, vt elementa, & inanimatorum genus omne, quædam vita, motuque fruuntur, quædam præterea intelligendi sublimitate perficiuntur. Vniuersa hæc natura quodam ordine continetur, ordo autem ad vnum primum aspirat, quare singula ad vnum primum referri necessum est: Primum autem in aliquo genere reliquorum, quæ sub illo genere coercentur, causa est; hæc verò cum sui similitudinem, & characterem imprimat, par est, vt primo, maximèque sit, viuat, & intelligat: Atqui huiusmodi Deus est, quum sua sit Vsia, Vita, Intelligentia. Quamobrem ad Deũ, vtpotè ad primum τὸ ὄν, primum quod est, primã vitam, primam Intelligentiam referuntur singula, ab eodemque pendent. Cui quidem sententiæ ne Arist. quidem renititur, nec Author libri de causis. Homo, inquit, generat hominem, præter hunc autem id quod est omnium primum, omnia mouens.

Deus Moysi scisciitanti quale esset nomen eius, respondit. Ego sum, qui sum.

Lib xij Metaph.

Hoc autem interesse videtur, quòd vti Deus singula creando suam cuique naturam communicat, ita vitam, intelligentiamque formæ perficientis instar; quod sanè manifestè constat, siquidem suam singulis substantiam nullo supposito impartitut, vitam autem, intelligentiamque præiacenti iam substantiæ insinuat, inseritque, quæ ideò actus, perfectionisque sunt instar, quòd substratam instruunt, exornantque substantiam.

At peripateticus aliquis ab Alexandræo Auditorio possit objicere: Deum hyperusium Mundum mouere, & regere vti finem; (æquum enim est, vt nobilioris causæ nomine dignetur) quare à mundano

hoc opere facilè vindicatur. Cui reſponſum volumus; dum cœlorum motrices Intelligẽtiæ in ſuum Creatorem intuentur, monentque ſingulæ ſuos orbes diuinitatis radio colluſtratæ, vt illius imperio obſequantur, ſuaſque actiones referunt ad primæ cauſſæ gloriam, mouere quidem Deum, ceu finem, vt efficientem verò, quia illis vim mouendi ſuos orbes, & motu vniuerſitatem gubernandi conceſſit. Id quod Simplicius planè aſſeruit, immo alios perſtrinxit, qui aliter ſenſiſſe Alexandrum arbitrati ſunt. Qua enim tenus, inquit, Deus mouet cœleſte corpus, omnium, quæ ſub Luna ſunt, effectiua cauſſa exiſtit, quatenus verò Intelligentias vt appetibile, & deſiderabile mouet, finis eſt. Cæterùm licèt hæc mundi concinnitas, & ſpectata in ſingulis pulchritudo Authoris ſui immenſitatem, & ſapientiã præclarè demonſtrent, (ſcitè enim Triſmegiſtus in Pimandro, inquit, cum ſtatuam, & imaginem abſque Fabro, & Pictore fieri, nullus audeat aſſeuerare, Miram Mundi huius conſtitutionem ſine cõditore conſtitiſſe putabimus?) Vnum tamen hominem Galenus contemplatus, eiuſque ſtructuram, mirari primùm, tum exclamare cœpit, à natura mortali tam admirabile opificium effingi non potuiſſe, ſed à Deo, aut ſapientiſſima Intelligentia, cum enim tam incredibili artificio omnia concinnata, atque connexa videret, non potuit non erigere oculos in cœlum, & diuinius ſapere. Propterea ſcripſit, ſe Commentarios de humani corporis natura, ceu hymnos quoſdam conditori ſuo compoſuiſſe, propterea quod ex his appareret, quænam ipſius Creatoris ſit ſapientia, quæ bonitas, quæ virtus, ignoratio quorum ſumma eſt impietas. Quod enim, inquit ille, cultu conuenienti exornarit omnia, nullique bona inuiderit, id perfectiſſimæ bonitatis ſpecimen eſſe ſtatuo; Inueniſſe autem quo pacto omnia adornarentur, ſummæ ſapientiæ eſt: At effeciſſe omnia, quæ voluit, virtutis eſt inuictæ.

Cap. 5.

Lib. 3. de vſu Partium.

Poſſitne Moſes de Deo præſtantius quicquam effarri? Poſſitne Theologus? Ecce ut ex viſibilibus inuiſibilia Dei cognoſcit. Vt per creaturam Creatorem colligit, & colit? Potuitne Plato ab Ægyptijs diuinius quippiam ediſcere? Ille Moſes Atticus perhibetur, quòd ſcripſerit, per Idæam Deum effeciſſe Mũdum, uerùm materiam fingit Deo ſyncronam, & contemporaneam, quaſi ſine materia non potuerit Mundum procreare: Materiæ adiungit Idæam, ſiue ſapientiam, ut in pondere, numero, & menſura opus tam perfectum conderetur; quam tametſi expungere conatur Ariſt. quòd ſapientia tota in contemplatione ſit poſita, contemplatio in ſe, & intra ſe uertatur, efficiens extra, & in alio, defendi tamen poteſt, & certa ratione ſtabiliri; Nã ſi ſublunaria omnia ad cœleſtia referuntur, hæc autem ad primum Motorem, quum in habentibus ordinem ad unum primum ſit perueniendum, neceſſum eſt, ut quidquid ortum ſubit, naturam ſuã induat deriuata à primo motore uirtute, qui omnium Author eſt, quum uerò unumquodque agat iuxtà naturæ ſuæ modum, & ingenium. Deus autẽ naturæ ſummæ intellectualis ſit, intelligendo agit, ſicut ignis, qui igneæ eſt naturæ, agit urendo, atqui non poſſet Opifex rerum omnium productionem moliri, ni ſingulorum formas, & Ideas in ſe ſe contineret . . . . . *Pulchrum pulcherrimus ipſe Mundũ mente gerens, ſimilique in imagine formans.* Quamobrem connatum exemplar eorum, quæ fiunt, Deum circumferre mente, non eſt abſurdum, connatum, inquam, non ſeparatum, quale Xenocrates finxiſſe creditur, quod ſibi Deus ob oculos ponat aliquid in noſtrate hoc Mundo creaturus.

Sed ad Galenum reuertamur, qui ſummi Opificis prouidentiam in humano corpore condendo concluſit earum rerum ſimilitudine, quæ ab hominibus fiunt. Nam, inquit, ſi fines ad quos fabrica hæc (loquitur de humano corpore) conſtituta eſt, connumeraueris, eoſque omnes aſſecutum eſſe Opificem deprehenderis, quid aliud quàm euidentem eius magnitudinem, potentiamque cognoſces? Quocirca (paulò poſt infert) temerariam, ac fortuitam, neque artificialem cauſſam fabricæ noſtri corporis exiſtimare abſurdum eſt. Lib. 3. & 5. de Hipp. Plat. Placitis.

Quibus ſanè veteres quoſdam Phyſicos perſtringit vt puta Democritum, qui omnia temeratio quodam Atomorum congreſſu conflari credidit, carpit & Hippocratem, qui naturam noſtræ creationis opificem facit, non aſſurgit ad Deum. Sed vt liberè dicam, negligenter admodum in hac re, alioquin oculatiſſimus, connixit, Hipp. enim tam præclarè de Deo, quàm quiuis alius. Ita enim ille, *De fœminea verò natura hæc dico, ſentioque, maximam quidem cauſſam, & potiſſimum quid in hominibus eſſe diuinum Numen, &c. Vnde ſcitiſſimè colligit Galenus, Deum eſſe potiſſimum Authorem, & præcipuam cauſſam rerum humanarum. Lib. vero de morbo ſacro ait. Hic verò morbus nullare diuinior reliquis mihi eſſe videtur, ſed naturam habet, quam & reliqui morbi, & cauſſam, vnde ſinguli gignũtur. Naturam autem, & cauſſam ab eodem Deo fieri, à quo etiam alia omnia &c. Cæterùm lib. primo de victus ratione Deum tam conceptis verbis vniuerſæ naturæ conditorem efficit, vt nihil clarius. Naturam, inquit, omnium Dij ornauerunt, quæ verò homines fecerunt, nunquàm ſimiliter ſemper rectè, & non rectè ſe habent, ſed quæ Dij, ſemper eodem modo, & ritè habent, &c.* Lib. de Muliebri Natura.

Proh Deum immortalem, & adhuc erit aliquis, qui ſenem inſimulet? Quis hinc vel ſingularem Dei prouidentiam non conijcit? Palam enim Deum ſingula iuxta naturæ ſuæ meritum exornare, & perficere, quin in vniuerſo ordinis, & conſtantiæ, atque adeò naturæ authorem eſſe profitetur, vt niſi Cæcus non inſpiciat piam, præclaramque Hippoc. mentem erga Deum. Hinc Plato, Deus, inquit, omnium rerum gignendarum ideas continens, eaſdem menti confert, mens ex præſcripto Dei animam Mundi docet, anima Mundi ſemina, vegetalemque vim cum idoneis ſpiritibus parit, & condit, quam naturæ committit, per quam in materiem concinnè paratam inſinuantur, atque infunduntur.

Deum enim inſtar centri eſſe, credidit Plato, circà quod circuli quatuor, Mens quippe, Anima Mundi, Natura, Materia. Ad hanc ſententiam collineauit & Pergamenus, vbi ſcripſit, Deum ſcilicet inſtar ſummi Artificis rerum ſeminibus agendi principium largitum fuiſſe, vt ex illius Mandato, atque præſcripto propria obeant munera. Auicen. autem Galeni Aſſecla, ait, virili ſemini plus ineſſe formæ iuſſu Dei, quòd hinc hominis formatio inchoa- Lib. de formatione fœt. c. 6. Lib. 3. F. 19. cap. 2.

choatur. Formatricem verò vocat vnum ex Dei arcanis. Rhasis lib. de aggregat. & iuuamentis membr. cap. 1. Creator omnium Deus ossa condidit, inquit, &c. & eodem cap. cerebrum fecit Deus, vt sensuum origo esset.

At verò naturam, dicet quispiam, passim inculcat Hippocr. Ita sit sanè. At qui naturam dicit, Dei prouidentiam insinuat, natura enim primum, & commune motus principium definitur, at quale hoc esse possit nisi primus Motor? Arist. Natura modò ordo, modò ordinis causa dicitur in vniuerso, sed quæ potest esse ordinis causa præter ordinatorem Deum? Huc respexisse videtur etiam, quando scripsit rectè fecisse naturam, quæ cœleste corpus ortus, atque interitus futurum expers exemit à contrarijs: Item, naturam id semper omnibus velle, quod est melius.

Lib. 1 de Cœlo tex. 20. Lib. 2. de ortu tex. 59. Quidam.

Vnde Vates ingeniosus.

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.

Quibus locis natura sumitur pro Deo.

Lactantius Firmianus, Natura, inquit, remota prouidentia, & potestate diuina prorsus nihil est, quia cum Natura nascentiam quandam dicere videatur, necesse est mentem esse diuinam, quæ rebus omnibus sua prouidentia nascendi principium præbeat.

Huc accessere Mercurius ille ter maximus, Pythagoras Plato, quos scimus naturam fecisse vniuersale principium, vimque à prima causa per Cœli motum in alia corpora omnia diffusam, quæ etsi varia sit, pro corporum tamen varietate suscepta fiat diuersa.

Lib. 4. de Benef. c. 7. Plin. li. 2. c. 7. Scaliger exercit. aduersus Cardanum 1. 7. 17. 20. 278. 323. 339

Huc etiam Seneca, Plinius, Sextus Empiricus, & è recentioribus Scaliger concessere, naturam scilicet esse Deum ipsum, diuinamque rationem toti Mundo, & singulis partibus insitam omnesque recto ordine gubernantem. Et me hercle cum vniuersa hæc mundi natura omnia continens, & per cuncta rerum meabilis Solis, & Lunæ, cæterorumque syderum cursum, temporumque vices, & oceani reciprocos temperans æstus, hancque rerum immensitatem rato ordine regens tam sapienter omnia gubernet, atque moderetur, fateri necessum est, diuina quadam mente architectatrice, & protectrice vti, quæ omnia recta ratione administret, & prouidenter tueatur; Hæc verò ipsius ratio lex est naturæ è summa mente, Deique numine profecta. Hinc Plato. Cum Deorum Sator, inquit, mundum, naturamque conderet, huic simul leges fatales indixit.

Boetius li. 3. de cons. Philosph.

O qui perpetua Mundum ratione gubernas
Terrarum Cœlique Sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

Absit tamen, vt cum Stoicis naturam cum Deo confundam, qui perinde differre scio, ac seruus à Domino: Natura enim addicta, & veluti iugata materiæ; non potest, quin eius in agendo imploret auxilium: At Deus immaterialis omnino, vt est supra fatum, ita supra naturam, quia extra motum, locum, & tempus (quibus affectionibus rebus causa materiæ inhærentibus continetur fatum, & natura) quare cum liberrimus sit, nec materiæ insitus, alius à natura esse videtur. Accedit, naturam patiendi potius, quàm agendi principium ab Aphrodisæo appellari, cui post Simplicium applausit D. Thomas hoc vel in Cœlo verum esse asseuerans, quod sine piaculo de Deo dici non potest, cum sit purissimus actus. Ad hæc naturæ est finita, & ad vnum determinata potentia, vtpote humanæ semini ad hominem, at Dei indefinita, & infinita, agit enim liberrima non impedita, aut coacta voluntate. Denique Arist. ipse prodidit, naturam ipsam semper, quod melius est, quantum potest, efficere, hæc autem limitatio impotentiam quandam arguit, quam in Deo concipere sit nefas.

Ita tamen Stoicos reijcio, qui Iouem sui fati compedibus alligant, vt vniuersalem illam potestatem per singula meabilem, quam communem appellant naturam h. e. effectricem, & directricem singularis naturæ summam Dei rationem esse concedam.

Etenim vbi multa conspicamur in vnum finem disposita, atque coordinata, & in eum per sua Munera absque cognitione, & cogitatione tendentia, aliquam necesse est cogitare Intelligentiam, quæ & finem cognoscat, & ordinet omnia, siquidem ordinatè disponere intelligentis, & Sapientis est. Hinc Auenthois, atque Themistius non errantis Intelligentiæ, opera Naturæ nuncupabant. Quare & Plato de diuinis agens ad naturalia descendit, vicissimque naturalia percurrens ad diuina perrexit, quum hæc naturalium sint principia: sed tempus est, vt huic disputationi colophonem imponamus, & concludamus cum Orpheo.

Lib. 12. Metaph. lib. 1. de Anima c. 23. In Parmenide. In Timæo

Omnium genitor Deus principiumq; & finis.

Quòd spiritus omnia replet. Caput II.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. In Actib. Apost.

AB vniuersali quadam natura in proprios fines singulorum opera dirigi, apud Philosophos in cõfesso est: Illam Stoici spiritũ nominatim appellarunt toti mundo infusum, qui varias sortitur appellationes pro varietate materiæ, cui se se iusinuat, de quo in præsentiarum paulò diligentiùs nobis est edisserendum, vt Hippocratis nostri sententia, & quantum cum sacris litteris conueniat, constet.

Age ergo corpus cum Platonicis in solidum, & spiritale diuidamus, hoc, quidquid oculorum aciem effugit, appellant, cuius quidem plures extant differentiæ: Nonnunquam pro anhelitu accipitur, vt apud Hipp. spiritus frequentior dolorem, & accensionem significat in his, quæ sunt supra diaphragma; Nonnunquam significat Animam. Vnde Epicuræus Vates.

Lib. Primo Prognostic.

Spiritus eque feris humana in corpora transit
Inque feras noster:

Medici pro suo vsu spiritum vocant substantiam ætheream minimè conspicuam caloris, & facultatis sedem, animæque cum corpore vinculum, primumque obeundæ functionis instrumentum.

Spiritum hunc transmundanum Philosophi multifariam, dum illud Geneseos. (*Spiritus Domini fere-*

Tertullian' aduersus Hermog. e-nem cui applaudit Theodoretus q. 8. in Genesim.

batur super aquas)interpretantur.Quidam enim arbitrantur, eo Mosem aeris elementum indicasse, aut ventum,cuius flatus,atque reflatus admirabilis est reciprocatio, cuius est ingenium super aquas efferri, quod quidem verbum (ferebatur) indicat. Appellari autem Spiritum Domini volunt, vel quòd à Deo immissus esset, tunc enim naturales caussæ, quæ flatus cierent, præsto nihil erant, seu quòd ventus ille præpotens nimis, ac uehemens esset,Mosis enim Mos est, ubi quippiam eximium significare uult,Dei nomen adijcere,ut cum Cedrus Dei,Ciuitas Dei dicitur.

Chrysostomus Hom. 3

Quidam haud uentum,aut aerem,at uim quandam uitalem, & energiam, impressamque aquis fœcunditatem intelligunt: Nec enim infrequenter mysticæ paginæ,cum subitam quandam vim,& efficaciam ad aliquid insigne patrandum significare volunt,Domini spiritu vtuntur,vt cum dicitur,spiritum Domini in Pansonem irruisse,& discerpsisse Leonem. Quo spectat & illud,spiritum Domini sustulisse Eliam, & rapuisse Philippum. Idem verò Moses dicere voluit, in principio Deum vim indidisse aquis,vt intelligeretur, quæcunque postea facta fuissent,aliunde virtutem,nimirum à Deo suscepisse.

Caietanus.

Nec desunt, qui per spiritus Angelos notari autument, qui Cœlos, maximè primum mobile pernici celeritate cient.Quo significatu apud Regium Vatem scribitur. *Qui facit Angelos suos spiritus*. Aquarum autem nomine significari Cœlum, non est nouum, nec insolens, si quidem Cœlum hebraicè appellatur scamain ab aquis deducto vocabulo. Quare Cœlum Christallinum, quod primum mobile credunt,quum sit pellucidum,& perquam diaphanum, aquæ nomine ritè donari poterit.

Andreas Alpagus Bellunensis cõm. in lib. de Anima Auic.

Auicennæ Interpres Intelligentiam quandam comminiscitur secundùm Deum nobilissimam, quæ singulis assistit, nostraque potissimùm dirigit munera.

Ab vno, inquit, (hoc ceu protritum axioma apud Poenos est)prout vnum est,non prouenit nisi vnum, atqui vni Deo maximè congruit vnum esse, quatenus vnum,quum omnium Deus sit simplicissimus,atque purissimus actus, quare à Deo non prouenit nisi vnum.Hoc autem non est nisi vniuersalis Intelligentia cæteris Intelligentijs secundùm Deum abstractior, puriorque, quarum essentia, & energia non modò à Deo pendet, sed etiam ab hac superiore Intelligentia,quæ Deum proximè est,atque adeò nobilissima. Huic sententiæ Sacræ Geneseos verba accommodat (*& spiritus Domini ferebatur super aquas*) vnde confici putat, atque concludi,spiritum hunc, quem Intelligentiam indigitat, ante terram,& aquam procreatum fuisse.Quod igitur à Deo,inquit,primum procreatum fuit,spiritus est,nempe spiritualis illa substantia à corpore abstracta, quam Arabes Philosophi à Deo primùm emanasse,certò credunt,Peripatetici verò, qui mundum semper fuisse,& permansurum arbitrantur,Intelligentiam hanc proximè à Deo pendere dictitarent. Auic. autem hanc simplicem Intelligentiam à Deo productam plurium effectricem agnoscit, à qua cæteræ Intelligentiæ,mundanaque cuncta vim inspirante Deo fiunt,& gubernantur. Præterea hominis fœliciratem,supremamque beatitudinem cõtingere ex animæ copulatione cum vniuersali hac Intelligentia,quæ dum hic agimus humanæ assistit animæ, ceu lumen solis visui, existimat. Quæ & si ingeniosè proferuntur, digna tamen sunt, in quæ fiat acrior animaduersio,neque enim Philosophus, aut Theologus admitteret; sed nobis, qui alio pergimus, parcere,temperareque visum est.

Augustinus.

Sunt denique, qui per spiritum tria intelligi volunt,nempe Spiritum sanctum,ventum,siue aerem, aut vitalem quandam creaturam,qua vniuersus orbis visibilis commouetur,& continetur.

Platonici verò spiritum hunc animam Mundi nuncupant,queis adscripsit Maro.

Virg. 6. Aeneid.

Principio cœlum, & terram,campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ,Titaniaque Astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Hinc hominum,pecudúque genus, vitaque volãtũ,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.

Boetius verò eandem sententiam his modis eleganter expressit.

Lib 3. Metro 9.

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam per consona membra vesoluis,
Quæ cum secta duos motum glomeranit in orbes,
In semet reditura meat,mentemque profundam
Circuit,& simili conuertit imagine Cœlum.

Animam Mundi mediam appellat, quòd inter Deum & hominem media est;triplicis verò naturæ dicitur ob triplicem operationem, qua Deum, & semet ipsam cognoscit, & orbem conuertit.

Siue igitur spiritus iste Deus sit; tertia scilicet persona Trinitatis,quemadmodum Græcorum, & Latinorum Patrum pars maxima credit,siue vis, & potestas illius per totum orbem diffusa,Hippocrates Platonicis,& Christianis Theologis appositè,& accommodatè locutus est, scribens ab hoc repleri omnia,temporumque vices,& discrimina peti, Solemque,& Lunam perpetua vertigine circumferri.

Lib. de Flatib.

Quid autem,inquit,sine hoc sit tandem? Aut cui rei non adest? Omne enim quod inter Cœlum, & terram est, spiritu repletum est, hic & hyemis, & æstatis caussa est. Quin & Solis, & Lunæ, & astrorum omnium cursus per spiritum procedunt. Quare Solis perpetuum cursum Spiritus, & æther perennis,& tenuis esse facit,&c. Hæc Hippocrates, quibus certè non aerem; qui nos ambit, & quem inspiramus,non flatum ex terrina exhalatione manantem intellexit, sed latentem præterea energiam per singula meabilem,quæ vt cœlorum motus moderatur,perpetuatq;ita tẽporũ vicissitudines parit.

Valleriola cõm. in lib. de Flatibus. Theod. Zuingerus cõm in lib. de Flatibus.

Non defuere,qui difficili hac sententia impliciti tamquam Dædali labirintho, librum hunc Hipp. esse negarunt. At cum liber iste multis alijs, vt de Arte,de Veteri Medicina,de semine,de Natura humana,de Pueri natura ἀξφὸ similis sit,neque quoad τάξιμ Hipp. indignus, omninò pro genuino agnoscendus, Spiritum hic tandem vultuosi, & indignabundi aerem interpretantur, verùm e tanta difficultate tuti priùs non enatant, quàm multigenis atoporum fluctibus obruantur. Qui enim aer omnia replet?Ignis enim sub Luna subest,qui cœlorum motu agitatus huc demittitur, vt cum cæteris elementis mixtus misceat,& generationis fiat parens.

Qui

Qui Solem, & Lunam perpetua vertigine motet? Nemo, nisi infantissimus, & qui dedita opera rerum ordinem turbet, aerem tantum habere virij, vt agat in cælestia, admittet. Scitum est, cœlestia peregrinis impressionibus nō esse opportuna, quòd materia communicent, quæ vicissim mutua pugna confligunt. Nefas sit igitur, scitissimum senem tam supinæ ignorationis insimulare, qui optimè norit, aeri supereſſe ignem, vt docet lib. de Principijs, inferioremque hanc naturam supernis esse subditam lationibus. Impossibile est, ait Arist. Cœlum moueri ab aliquo in terra existente. At verò Plato non decere, dixit, rem antiquiorem à postgenita regi. Audenter igitur asserendum hic pro spiritu diuinum Numen per totum orbem diffusum intelligi, quo tum fiunt, tum fouentur omnia. Subest enim homonymia, ad quam non collimantes alij in scopulos offenderunt.

Lib. de Animal. motis. In Timæo.

Ecce Iuppiter, qui Cœlum, terramque replet, cuius omnia plena: In quo sumus, viuimus, mouemur. Iure igitur scripsit senex, sine eo nihil fieri, & rebus omnibus adesse. Quia enim quidquid est, primæ causſæ est participatio, quæ vniuersa disponit, & reliquis vim tribuit, rectissimè Theologi Deum vbique esse per essentiam, præsentiam, & potētiam pronunciarunt. Quid quæris?

Deus ipse apud Hieremiam; *Numquid*, inquit, *non Cælum, & terram ego impleo?* Ad hæc, spiritum Domini replesse orbem terrarum, sacræ paginæ tonant. Scire tamen licèt generalem, hanc causſam rebus hisce, quæ mouentur, externam esse, neque veluti partem intimam earum essentiam constituere, tametsi alio quodam intellectu dicatur Deum per essentiam in singulis esse, quatenus immensitate sua omnia replet, conservat, datque, vt operentur. Deus est omnia, inquit Parmenides, quia omnia continet. Definăt Platonici posthac Præceptorem suum diuinum appellare, suspiciant, & admirentur Hippocratem Platone vt antiquiorem, ita diuiniorem. Vnde putas, animatum esse mundum, didicisse Platonem, nisi ab Hippocrate, quē sæpe citat.

Deus meus, & omnia. D. Franciscus sæpe dicebat: Deus omnia est in omnibus, 1. Cor. xv. ad Corinthi. D. Paulus. cap. verò xij. ait. Diuisiones operationū sunt idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Cap. 4.

Sic enim libro primo de Diæta. Ego tamen hæc secundùm rationem exponam: Animalia enim sunt & illa, & hæc, & neque Animal mori potest seorsum ab omnibus (totum enim moreretur. nempe mundus) neque quod non est generari, quum non sit, vnde generetur. Sed augentur omnia, & minuuntur ad summum, ad minimum quantum eius fieri potest.

Quo loco Hipp. non modò animatum esse Mundum, verùm etiam nullum omnino corpus interire, neque fieri, quod priùs non erat, probat, cæterùm permixta, & discreta affici, atque permoueri.

Lucretius.

Nec perit in toto quicquam, mihi credite, Mundo,
Sed variat, faciemque mutat.

Quæ sentētia à Philosopho subinde conuellitur.

Galenus Hippocratis applausor, mundum ab hoc spiritu gubernari habuit pro confesso.

Propterea, quis, inquit, tam demens audeat negare esse quandam mentem, cuius vis sit admirabilis, omnes terras permeantem, & in omnes partes diffusam? Sed nulla est pars mundi terra ignobilior, igitur per vniuersum diffusum esse spiritum illum viuificum, ratum sit, & constans.

Non me præterit, spiritum hunc, quem Zeno ignem, Hesiodus Amorem mundi totius opificem appellat, Peripateticos inuitos audire, quia si natura sit vis genitrix, & genitorum conseruatrix quæ quotidie noua cœlitus influit Astrorum potissimu solis motu excitata, quid opus est substantia permanente genitrice, & conseruatrice? Vnā posita tollitur altera. At sensus quotidie nouam influere demonstrat. Quare non est, quòd spiritus iste feriatus introducatur. At nos ex ordine, & immutabili cōstantia vnā cum Hippocrate hunc spiritū agnoscimus, atque admittimus, quo vniuersum ritè gubernatur, & singula in proprios fines, quos ipsa nō cognoscunt, diriguntur. Nec tamen cum Platonicis Animam Mundi, aut cum Auicen. Colcodæam appellamus. Sanè Aristoteles ob eam potissimùm causſam Thaletis opinionem reiecit, omnia Dijs plena esse asserentis, quòd crediderit, voluisse eum, Deum rebus omnibus esse permixtum, ceu animam, & formam quandam, quod sanè foret absurdissimum, siquidem diuina natura parte aliqua mutilari nequit, neque vllius rei forma, & pars euadere, quòd imperfectæ, & dimidiatæ essentiæ proprium hoc sit. Eius tamen Numen, atque potestatem per vniuersum diffusam non negauit, dum Heraclyti retulit verba. Heraclytus enim in furnaria casa caloris causſa sedens, ad illos, qui illuc accesserant sui gratia, & ingredi temperabant, scitè proclamauit; Accedite huc, inquit, cōfidenter, nam ne huic quidem loco Dij desunt immortales. Qua de re præclarè pronunciauit Simplicius. omnia, inquit, Deo plena sunt, vt Creatore, benefactore, & omnia continente. Cuius quidem sententia ijs perpendenda est, qui Deum effectricem Mundi causſam, & sublunarium curam, prouidentiamque gerere iuxtà Peripateticos inficiantur.

Lib. 1. de Anima tex 46

Diogenes Mulierem conspicatus ad Deorum aras tam incuruato corpore incumbentem, vt obscæna quædam apparerent, non vereris, inquit, mulier, ne stante post terga Deo (cuncta enim plena Deorum sunt) inhonestè habeas.

Dæmonax autem quum ab amico admoneretur, vt secum in Æsculapij templum iret, Dominumque pro salute filij oraret; adeòne, inquit, surdastrum existimas Deum, vt nos nisi in templo sit auditurus.

Sanè hanc Dei præsentiam in omnibus rebus sacri Doctores ex diuinæ essentiæ immensitate, atque infinitate colligunt, & argumentantur. Nam si aliquid esset extra Deum, infinitus non esset, sed finē haberet, & limitem præfixum. Sed & necessaria ostendit ratio, Deum in omnibus agere non modò creando, sed & conseruando, & cooperando, nihilque agere, aut perfungi posse officio, vbi non est. Rectè proin Trismegistus in Æsclepio, Mentem, nempe Deum, seipsa stare conseruatricem omnū rerum, in eaque vniuersa viuere, & consistere. Item Author libri de secretiore sapientia secundùm Ægyptios, sicut centrum circuli in se ipso est, inquit, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, ipseque ambitus cum punctis in eodem centro existunt, sic quoque naturæ omnes in Primo Agente consistūt, & ab eo conseruantur, id appetunt, & ad id reuocantur. Hinc Durandi error deprehenditur affirmantis,

Lib. 11. c. 19.

2. Sent. d. 1. q. 5.

mantis, cauſſas ſecundas ita munera ſua obire, vt nulla ſuperiore cauſsa, ne quidem Deo indigent adiuuante. Quadrifariam enim Deus in his inferioribus ſuam exercet efficientiam, primò quia cęteris cauſſis vim indit agendi, inſitamque conſeruat virtutem, dein quia ſingula mouet. Poſtremùm quia vt Artifex per inſtrumenta ſuos promit effectus, & pro organorum diuerſitate varia effingunt operata, ita Deus per minores cauſsas agit. Hoc autem intereſt, quòd Deus, cuius infinita eſt ſubſtantia, nihilo penitus intercedente attingit effectum, Artifex autem non niſi machinamento: Præterea inſtrumentum nullam ſe ipſo edit actionem, niſi aliunde moueatur: At inferiores cauſsæ à Deo profectò vim ſuſcepere ingenitam, qua verè operantur, & ſibi congeneres proferunt effectus, homo hominem, Leo Leonem. Vnde etiam Fracaſtorij erroneus lapſus eluceſcit, negantis Deum cum ſecundis cauſſis immediatè cooperari.

Lib. 2. de intell.

Lib de Mũdo.

Sed reuertamur ad Ariſt. qui de Mundo diſſerẽs, ſpiritum hunc diuinum planè inuexit. Spiritus, inquit, dicitur quædam tum in Plantis, atque animalibus, tum per omnia commeans, animata, fœcundaque ſubſtantia. Hic ergo longè, latèque diffuſus omnia continet, omnia lætificat vitalem mundi animam, ipſamque haturam ſecum afferens, quæcunque ſubierit vitalia faciens.

Paparella Comment. in lib Hipp. de Nat. Hum.

Quidam melioris notæ Philoſophi mundi animam interpretati ſunt cœleſtium orbium motrices Intelligentias, præcipuè verò Solis, quæ omnes mente, intellectuque ſummo bono, idealique menti incumbunt; circulari autem ſphærarum motu perpetuo elaborant ad corruptibilem hunc mundum perficiendum, ſeminariam, vitalemque virtutem materiæ infundendo. Platonis opinionem de Anima Mundi difficillimam vocat D. Thomas, & modicæ vtilitatis; propterea & ipſe dixit, animam Mũdi eſſe Intelligẽtiam orbis motricem, quæ per motum virtutem ſuam influit inferioribus.

Comm. in Metrum 9. lib. 1.

Lib de Hiſtor. Phil.

At verò de hac ipſa re Galenus ita planè refert. *Reliqui omnes, animam habere, prouidentiaque regi mundum arbitrantur: Democritus, Epicurus, & quotquot atomos, & caſum introducunt, neque animam habere ipſum, neque prouidentia regi inquiunt; ſed bruta quadam natura. Ariſt. non anima, non ratione, non mente, non prouidentia præditum mundum omnibus ſuis partibus exiſtimat, ſed cœlum tantummodò, cœleſtes enim orbes ſingulos, & animam, & vitam habere. Reliqua verò infra cœlum poſita omnibus his carere. Quod ſi aliquo ordine frui videantur, non ex ſe illa ipſum habere, ſed incidenter, quatenus à cœleſtibus corporibus reguntur.* Hæc Galenus. An verò prorſus ea fuerit mens Philoſophi, quam hic recitat Galenus, non contendo.

Illud certè affirmare non dubitarim, quod Cicero rerum ordinem, & conſtantiam ſuſpiciens, hæc fieri inter ſe mundi partibus continentibus non poſſe, ni ea vnò continuatoque ſpiritu continerentur. Hinc Mercur. Triſm. in Pimandro. Nihil eſt in omni natura quod ille ipſe non ſit. Eſt ille ſiquidem, quæ ſunt, eſt ea etiam quæ minimè ſunt. Quæ quidem ſunt deluxit in lucem quę non ſunt oculis Vir, in ſe ipſo. Faceſſant igitur, qui Hippocrati abſurdas opiniones adſcribere maluerunt, quàm veritati ſubſcribere; faceſſant, & poſthac Apollinis Oraculum conſulant, vt moniti meliora ſequantur.

Iuppiter eſt, quodcunque vides quocunque moueris.
Quò fugis Incelade? Ad quæſcunque acceſſeris oras
Sub Ioue ſemper eris.

Quòd Humana Anima cœlitus infundatur In corpus. Caput III.

Eccleſiaſtes Reuertatur pulluis in terram & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum.

IAnta eſt non modò inter Philoſophos, verùm & inter Chriſtianos de humanę Animę origine diſſenſio, vt quicquam decernere non opis eſſet noſtræ, ni iamdiu veritatem ipſam præmoniſtraſsent Concilia ſacra. Nam, vt mittam Auenrhois futilitatem, qui Intelligentem Animam, in omnibus vnam, & ab omni æternitate exiſtentem ſtatuit, neque Pythagoræ, neque Platonis fabellæ vnquam mihi ſunt probatæ, qui certum animarum numerum ante corpora exiſtentium, eaſundemque in alia, atque alia corpora migrationem poſuere.

Carpocrates Gnoſtici, Manichæi. Manilius Oridius. Hermias. Seleucus. Galatę. Origenes. Geneſis c. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in ęternum, quia caro eſt. erũtq; dies illius centum & viginti annorum.

Inter Chriſtianos verò eorum maximè improbanda opinio, qui intelligentem animam ex Dei ſubſtantia eſse contenderunt, inter quos & Ciceronem cenſere licet.

An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro?
Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo.

Neque illi ſunt admittendi, qui humanas animas ab Angelis factas eſſe putarunt, quod credidit & Auic.

Præterea humanas omnes animas vnà cum cęteris beatis mentibus creatas fuiſſe, præter veritatem eſt, & Peripateticæ Philoſophiæ dogmata, quę docent, formas id non anteire, cuius ſunt.

At Tertullianus, & Apollinaris ex traduce Animam procedere exiſtimarunt, quibus applaudunt quotquot ſingulis mundi partibus à prima origine ab Opifice inditas eſſe uires, & veluti digito Dei in re quaque inſculptas, ſecundùm quas omnia naturę ſuæ conuenienter agunt, mordicus tuentur. Naturam qui ſequitur ducem, non errat, inquiunt, quia character eſt Dei, impreſſum diuinitatis veſtigium.

Sed heus ò boni ſiccine feriantem Deum fingitis, & mundi cura vindicatis? Siccine vel inuiti Aſtrorum inutiles motus conceditis? Sed quorſum vitalis ille calor vectore ſpiritu tot ſtirpium, & animalculorum opifex huc cœlitus influit? Si poteſtas illa primis parentibus infita ſatis ſit; Si primo Leoni vis procreandi ſimile ſucceſſione in ſubolem propagata per ſe ſola generat Leonem, cur Sol, & Leo generant Leonem? At Solis circumactu excitatus calor continenter ex quatuor elementis veluti ex communi materia vel ipſo ſenſuum teſtimonio mixta progignit minimè mixtus (neque enim cœleſtia elementaribus miſceri poſſunt, cum ſint aſymbleta, differantque phyſico genere (Apage ergo tam veſanum commentum vel Philoſopho, nedum Chriſticola indignum.

Diuinum hunc calorem tanti fecit Hipp. præcipuum naturæ machinamentum, vt animam non-

Lib. 6. Epid.

nun-

nunquam ausus sit appellare, quam propterea vsq; ad mortem produci tradidit, quod omne calidum moderato frigido iugiter opus habeat, quo veluti enutriatur. Neque defuerunt apud antiquos, qui ignem nutritionis, & accretionis causſam dixere, quos redarguens Arist. animam præcipuam causſam appellauit. Cæterùm scire licet Hippocrati fuisse in more positum, instrumentariam causſam non rarò pro efficiente primario vsurpare. Cum enim in medendo ad id primò sit respiciendum, à quo perfecta editur actio, id autem sit animati organi recta constitutio, quæ potissimùm in certa calidi innati mensura consistit, factum est hinc, vt senex, calorem vnicum animæ ministrum pro anima vsurparit, quum medico in sensibilibus causſis sit permanendum. Hinc libro de carnibus calorem hunc immortalem facit, omnia sentire, audire, intelligere. Quæ verba sic interpretatur Victorius Angelutius in cons. Med. Fuit sensus Hipp. naturam in singulis operibus vti instrumento caloris, vnde posteriores suum axioma sumpserunt, frigus non ingreditur opera naturæ; hoc est calorem, audire, intelligere, scire, esse immortalem, idest, per calorem perpetuari speciem in individuis, & individua suas functiones obire, etiam eas, quæ ab anima proueniunt, &c. Enim verò si aliqua lædatur actio, non licèt animam causſari, sed in intemperiem, aut caloris imbecillitatem causſa reijcienda est. Proin Galenus, parum refert, inquit, medico inter medendum nosse, quæ, aut qualis sit animæ substantia.

lib. 2. de Anima.

Ne quis tamen posthac nostrum Senem arguat, quòd animam nescierit esse materia multò præstantiorem formam, substantialemque actum munerum nobilium Authorem; quæ sanè accidentiũ nullũ primò obeat, audiat, quæ alibi ab ipso Hipp. ex Calui interpretatione scribuntur.

Lib. de Principio.

De cœlestibus autem rebus, & sublimibus mihi nunc scribendum videtur, nisi quatenus homines, cęteraque animalia, quæ in terris degunt, & gignũtur, natauę sunt, principium, & originem inde habere demonstrabo, quòdque anima de Cœlo est, quòdque dolere languere, & quidquid boni, aut mali in homine est, de cœlo proficiscitur. &c.

1. de Abd. rerum causſis.

Quam igitur in nos mentem extrinsecùs aduenire dixit Arist. de Cœlo expressiùs deriuat Hipp. teste Fernelio, non quòd priùs extiterit Platonicorum more alicui accommodata syderi, sed quòd eius Author cœlestis sit, qui eo momento in corpus aptè dispositum, organisque instructum infundit, quo eam creat.

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Atqui nulla Intelligentia creata potest aliquid de nihilo producere, quia vis desideratur infinita, solus autem Deus inexhaustas possidet vires, quare singulas animas à Deo emanare existimasse Hipp. consentaneum est.

Lib. de occultis rerum operibus.

Formæ, inquit D. Th., rerum tamquam in altiora principia in corporum cœlestium virtutes referuntur, & adhuc altiùs in Substantias Separatas, ex talibus enim principijs deriuantur formæ inferiorum corporum excepta sola rationali anima, quæ ita ab immateriali causſa procedit, nempè à Deo, vt nullo modo fiat à virtute corporum cœlestium, alioquin functionem colere non posset à corpore prorsus absolutam.

Quòd spectat ad Arist. ea de re nihil testatum; prorsusque promptum habemus, eius tamen mẽs è tribus potissimùm locis elicitur: E Metaphys. scilicet libro 12. vbi probat nullam formam coniuncto priorem esse, ne intelligẽtem quidem animam. E lib. primo de Anima, quo loco asserit, Intellectũ nobis innasci, substantiam quandam existentem, & non corrumpi: Innasci. 1. in nobis nasci, & denuo produci. Denique e lib. de Animal. ortu, vbi Philosophus confessus est, mentem extrinsecùs accedere, eamque solam diuinam esse, quòd cum eius actione nihil commune habeat actio corporea. Text. 17. Text. 65. Cap. 3.

Sed eò reuertamur, vnde digressa est oratio. Hippocrates cùm bona tum mala hominibus de cœlo proficiscì apertè prodidit, id quod ab Aristotele, vt cætera ferè cuncta, suscipitur, profitetur enim propter obliqui circuli reciprocationem hæc inferiora nasci, atque denasci, quod vel sensus testimonio probamus, dum enim Sol ingressus Arietem ad nos redit, Lib. 2. de ortu.

Prata virore nouo rident, iniussaque crescunt
Gramina, & arborei fœtus, vigor omnia firmat.

Ingressus autem Libram, dum abscedit:

Quæque effœta vigent, viduantur frondibus orni,
Squallida pallentes repetũt animalcula cryptas.

Hinc tempus omne, hinc vita omnis durationis sumit initia, omnium enim sublunarium ordo ex superiorum ordine pendet, omnisque vita certa definitur periodo. Propterea primo Meteωρῶν optabat Philosophus, vt mundus hic inferior supernis lationibus esset contiguus, vt inde melius regeretur.

Constans igitur sit, & ratum vniuersam hanc inferiorem naturam à Cœlo gubernari, vt singula nil possint, ni Cœli virtute promota vigescant: Hanc autem virtutem nobis largiuntur cęlestia corpora motu, & lumine intercedente. Propterea scripsit Plato protinus Vniuersum ruiturum, si Sol momẽto consisteret, scitè enim ab Homero Sol cor mundi vocitatur, nam quemadmodum in nobis si cor momento pondere suo fidat, nec moueatur necessum est interire hominem, ita in Megacosmo vsu veniat, oportet, cum vniuersa vim, vitalemque fœcunditatem à Sole mutuentur vt est melioris causſæ instrumentum. In Theæteto.

Verùm ad pensum redeamus Hipp. ad priorem sententiam alludens lib. 1. de Dięta scripsit, Animam in hominem irrepere ignis, & aquæ temperamento habentem humani corporis partem: quod vt clariùs euadat, sciendum ex Platonicis Capricornum, & Cancrum à Physicis dici Solis portas, quia in vtraque obuiante Solstitio, vlteriùs Solis inhibetur accessus, per has item portas animas de Cœlo meare in terras, rursum de terris cœlestia repetere, proin hominum vnam dici, alteram Deorum: Hominibus dicari Cancrum, quia per hunc fiat ad ima defluxus: Dijs verò Capricornum, quia illac postliminio cęlestibus animæ restituantur sedibus. Ex quo inter Pythagoræ placita censetur & illud à lacteo circulo initia sumere Ditis imperiũ, quia inde delabuntur animæ in mortalitatis naturam. Zodiacum verò lacteus circulus duobus intersecat

terſecat locis, qua Cancer, quaque Capricornus eſt, propterea & primam naſcentibus lactis offerri alimoniam. Cæterùm quod ex intimo doctrinæ penu Author eruit Macrobius, acri dignũ eſt perpenſione, quippe Plutonis, quod aiunt, galea opertum quadantenus ab impolitioribus, opinor, minùs percipi valet. Quare falli nemo ita debet, ut aſcenſum, & deſcenſum hic accipiat ſecundùm ſitum, ſed quia Luna Cancri domina generationi proxima eſt, Saturnus uerò Capricorni dominus remotiſſimus, ideò per Cancrum, ideſt, per lunarẽ, vegetalemque inſtinctum deſcendere animas dicunt; per Capricornum verò, ideſt, per Saturnum, intellectualemq; inſtinctum aſcendere, Saturnum enim priſci mentem uocarunt, qua ſola petuntur ſuperiora.

Hinc patet ſapienter, ſi quid aliud, ab Hippocrate dictum, animam in hominem repere ignis, & aquæ temperamento, quia generatio, & humana uita ut calido, humidoque ſuſtentatur, ita ab eodem initia ducit. Hoc innatum calidum tertium eſt Platonicorum uehiculũ, per quod animæ corporibus inngũtur, calor enim animæ cum corpore nexus ritè perhibetur. Propterea Zeno naturam uocauit ignem artificioſum ad gignendum progredientem. Hinc Eſdra cap. 8. lib. 4. inquit, conſeruatur in igne, & aqua tua creatio. Ad Hipp. uerba collineans Petrus Vega ſcripſit ſemen eſſe animatum, Georgius autem Bertinus eodem ſpectãs credit animam eſſe priorẽ corpore. Sed hactenus.

Nos Patrum decretis ſancitam coquimus ſententiam humanam animam à Deo creari. At Hipp. ſola naturæ bonitate tam ſapuit altè, vt Chriſtianam veritatem peruadere potuerit, & nobis catholicum dogma relinquere.

Iacobus, & Greg. Horſtius. li. 2. de Natur.

Pudeat Chriſtianos Aſclepiadas, qui nodum in ſcirpo quærunt, & intelligendo næ faciunt, vt nihil intelligant. Pudeat, & ab Ethnico ſe doceri patiantur. Aſſerunt ij humanam animam nec per generationem ſimplicem fieri, quòd perniciei, & internecioni eſſet obnoxia, nec per creationem occipere, quòd homo non produceret hominem, quum corpus ſit ignobilior hominis pars. Malunt ab anima Matris diuina intercedente operatione (ita enim loquuntur, quaſi verò ab ipſa veritate coacti diuinum opus confiteantur) inſtar ſurculi ex trunco traduci in embrij corpuſculum modo inconſpicuo vectore vitali ſpiritu, qui conformatis particulis à matris corde per peculiarem ductum diſtribuitur, eoque modo deriuari, communicarique animam, quo ſpiritus ipſe, quum ſeorſum abſque anima vitalis ſpiritus conſiſtere non poſſit, eſt enim eius indiuiduus comes. Aſſumptum cõfirmant morũ exemplo, quibus filij matres referunt. Addunt, fœtum in vtero viuere ceu matris particulam, cui per venas, & arterias arctiſſimè copulatur, atque adeò communi fruitur vita. Atqui cum anima peræquè ſit in qualibet parte tota, atque in toto, conficiunt, vt tota quoque præſto ſit infantulo. Hoc luminis argumento declarant, quod vti vſtilem materiam ſibi admotam accendit, ita ſibi ſolidis ligamentis vinctum fœtus corpuſculum obanimat Matris animula. Metuunt ſibi, ſi aliter fiat, meticuloſiſſimi viri, ne Deus ſit Author originalis culpæ, quæ animæ, ceu proprio inhæret ſubiecto, quod vel dictu nefas eſt.

At ſi vrgeantur, quòd ſceleris labes Protoplaſtarum quidem animam primò fœdauit, ſed in ſocietatem ruinæ corpus quoque prolapſum fuit, à quo peccati fomes in ſingulos proſeminatur, propagaturque, nihil habent præterea, cui innitantur, præterquam Diuo Auguſtino, cui durum, violentumque eſt viſum hominum animas ex nihilo creari, quum doceant ſacræ litteræ, Deum creaſſe ſimul omnia, ſeptima die ceſſaſſe, quo conficitur, vt omnium hominum animæ in primi hominis anima ſint concreatæ. Quæ fuit etiam Nemeſij opinio, cui conſentiunt quotquot animas dixerunt ſimul eſſe conditas, inque corpora illabi non à Deo infuſas, ſed ſponte corporum deſiderio illectas. At canenti palinodiam Auguſtino fidem adhibeamus. I). Hieronymus huic teſtimonio ſcitè illud oppoſuit Ioannis. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Quod verò adijciunt fore, vt homo hominem non gigneret, quum corpus ſit ignobilior corporis pars, facilè diluitur. Homo cõcurſum facit, dum enim vim ſuam ſemini indit, quę id concinnè præparatum, & ad formam recipiendam idoneum reddit, ſimul efficit, vt illi forma cõcilietur, & in ſubiectum ita præparatum incurrat, qui incurſus, & cum ſubiecta materia formæ concentus quoniam eſt ipſius rei conſtitutio, eſt ortus; quiſquis hanc effecit ſocietatem, & connexum, is vtique procreationem fecit. Norit porrò neque materiam, neque formam fieri, ſed compoſitum, ſphęra ęrea fit, non ęs, non ſphęra. Meminiſſe oportuerat quod Ariſt. Lib. xv. de Anim. dixit, corpus Animalis eſt ex femina. Anima verò ex mare.

In Epiſtola ad Marcellinum.

Ariſt. in Metaph.

Tu cauſſis animas paribus, vitaſque minores
Prouehis, & leuibus ſublimes curribus aptas,
In cælum, terramque ferís, quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igue reuerti.

Boetius.

D. Thomas hic annotat, Philoſophiam ex noſtrarum animarum creatione Dei commendare ſapientiam.

Com. in lib. 3. de conſ. Phil.

Sed quæret hic ſolertior aliquis, quandonam affundi animam cenſeamus? Cui reſponſum volumus, affundi conformato, inſtructoque organis corpore, ſiue fœmina quadraginta duobus diebus, ſiue mas trigiota formetur, neque enim certò definiri poſſe tempus credo. Quare inſcitè quidam ſcriptis mandarunt, poſteaquam ſemen intra formandi corporis monetam locatum eſt, quod à toto viri corpore defluere cum Hippocr. Platonici quoque decernunt, traxitque ſecum à viri anima formatricem vim, eius potentia diebus ferè quinque & quadraginta ſic affici, vt ſex primis diebus lac euadat folliculo genitino circumiecto ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriori cluditur teſta, quod à Phyſicis deprehenſum eſt, nec tacuit in libro de Natura Pueri Hipp. Nouem ſequentibus ſanguis; Duodecim alijs caro: Decem & octo alijs figuratum euadit, & tunc anima creatur, & infunditur iuxta Ægidij Carmen.

Iniectum ſemen ſex primis quippe diebus.
Eſt quaſi lac, reliquiſq; nouem fit ſanguis, at inde
Conſolidat duodena dies, bis nonaq; demum
Effigiat, tempuſq; ſequens producit in ortum.

Verùm

Verùm me iudice talis fuerit procreationis modus. Comprehensi seminis spirituosæ, & efficaces particulæ se se in centrum colligunt, crassiores, lentioresque in superficie consistunt, quibus reficcatis fiunt membranæ, Partes igneas, & aereas collectus spiritus in substantiam suæ similem conuertit, vnde enascuntur enormonta, h.e. impellentia, quorũ ministerio vis formatrix ex semine crassiori partes spermaticas, ex sanguine menstruo sanguineas efformat. spiritus iste genitor per totum semen commeat, atque peruadit, vt agat contagione. An verò maneat spiritus absoluto opere meliori formę manciparus, an disparcat, non est huius loci curiosiùs disquirere.

Hæc sanè est totius procreationis ratio nullis figmentis obruta. Falsum est enim, quod à Cælio asseritur, semen primò in lacteam naturam, facescere, deinde in sanguinem, postremò in carnem conuertiex fœtifico enim lectore solæ spermaticæ partes, eæ prima totius operis lineamenta ducuntur, quibus subinde circumfusus sanguis paulatim in carneam concrescit naturam. Iampridem enim Medicorum euidens ratio Aristotelis opinionẽ conuincit asserentis seminis corporaturam euanescere, nec generationis opus ingredi, quemadmodũ nec coagulum casei substantiam constituit, sed cogit modò, & format, cum materia, & efficiens nunquã coincidant. Sed medici duplicem in semine substantiam agnoscunt, spiritalem, & lentorem, illi efficiendi vim concedunt, hanc in partium solidarũ substantiam conuerti solidè contendunt.

Quòd naturalia media non sint abdicanda Ægrotantibus. Caput IV.

Nolite tentare Dominum Deum vestrum, sed manete in officio.

DVobus modis vniuersi opificem nobis consulere, atq; prouidere, constãs est, & in confesso apud Platonicos, vno rato, & immutabili, quem appellant Adrastiam, quòd utraq; firmamenti reuolutione, lẽta scilicet, à qua magnus annus Platonicorũ procedit, altera verò celerrima, qua quotidie ab ortu ad occidentem secũ diripit subditos orbes, mundo, mundanisque omnibus sortem distribuit suam. Adrastiam appellant fatum, & immutabilem Dei uoluntatem, cuius ministra natura, à qua ordinarii procedunt euentus, est enim natura ordinis causa, imò ordo ipse in uniuerso. Cæterum naturam hic appello uim genitricem, & conseruatricem per uniuersum diffusam, que procedit à primo illo motu, qui rebus omnibus est ueluti uita, quædã, quum hinc uiuificus calor suscitetur rerum Author omnium. Ideóq; Deus natura communi mundo prospicere dicitur, quia cælorum motu singulis uitæ, & durationis suæ periodum definit, illius ministerio perficit, conseruatque omnia. Hanc solam generalem prouidẽtiam Aristotelem agnouisse nonnulli crediderunt, per quam mundus consistit, & singulæ species perpetua successione singulorum seruantur. Iuppiter omnibus idem: quia unicuique iuxta naturæ suæ meritum retribuit.

Esse lapis, sentire Leo, vegetare Cupressus,
Solus at ingenio viuere gaudet Homo.

At nos non possumus, qui in meliore schola sumus instituti, quin præter communem illam singularem quoque prouidentiam agnoscamus, quæ ad singulos homines perueniat, quam Platonici fortunæ nomine appellarunt, cuius effectus indefiniti, perobscurique videntur latente causa, propterea sapientiorum suspendunt iudicia, eosque cogunt admirabile Dei consilium ælmirari simul & venerari. Huc spectant euentus omnes, quos Arist. appellat præter opinionem, & incõstantes. Quis enim non admiretur ancipiti morbo implicitum nulla naturæ, nulla artis ope aduitum augescente morbo, & furentibus symptomatis repentè reualescere, ac si nullis laborasset languoribus? Hæc me hercle non nisi perraro, & secreto Dei consilio boni gratia contingunt, quæ ideò nos in admirationem rapiunt, quòd præter naturæ ordinem, & cautiarum seriem eueniunt. 1. Phys.

Cuncta hæc Superùm demissa suprema Seneca.
Mente fluunt.

Hac de cassa Hipp. in ordinarijs cauſſis subsistendum esse docet, illuditque Scythis, qui protinus ad Deum recurrunt naturalia negligentes. Lib. de Aere, locis, & Aquis.

Plurimi, inquit, in Scythia castrantur, muliebriaque exercent, loquunturque muliebriter, qui eunuchi dicuntur. Cauſſam verò huius rei incolæ Deo tribuunt, hosque homines colunt sibi cauentes, ne talia patiantur, sibique eueniant. Mihi verò hæc, & talia mala omnia diuina esse videntur, nec vllum esse diuinum magis, aut humanũ quàm aliud, sed omnia peræq; diuina, nam horum vnumquodque suam habet naturam, nec quicquam sine natura gignitur, &c.

Cur verò plurimi sterilescant, Hipp. cauſſam reijcit non in Deum, sed in vitæ desidiam, iugem equitationem, crapulam, ischiadicos dolores, quibus erãt obnoxij, quòd equitarẽt sine stapedibus. (Hinc quæsiuit Aristot. cur ischiadici steriles) deniq; reijcit in largam sanguinis missionem cæsa pone aures vena, & in ignauissimum somni torporem. Si à Deo hæc mala proficiscantur, inquit cur non pereque omnibus accidunt? Cur potentissimis potiùs generosissimisque Scytharum, qui Deos colunt, sacrificia faciunt, quam pauperculis, & ex infima plebecula homuncionibus, qui Deos temnunt, blasphemique execrantur, hæc incommoda euemunt? Nec. Dij, inquit, sunt inculandi, nec naturalia abdicanda præsidia. Hortatur igitur, vt crapulas, & inertiã declinent, vt frugalẽ vitam, & labores strenuè ineant, sic enim futurum, vt prolẽ, & quidẽ masculam suscipiant, & morbis defungantur. At verò libello de Virginum morbis sacrificulos arguit, quòd credulas mulierculas deciperent iubentes, quàm mox donaria Dianę offerri, vt morbis expedirentur: Arguit iure maximo, quasi verò Dij optimi naturalia media non instituerint, per quæ efficaces esse volunt. Hinc senex ipse mãdat, vt miserę Virgunculæ, quæ ab vtero vt plurimũ ęgrotãt, aut sibi sanguinem mitti patiãtur, aut certè virum experiantur, Maritus enim non eneruis muliebrium malorum non infreqũenter esse solet curatio suauissima. Cæterùm vniuersa naturæ opera Hippoc. 4. Sect. Problem. 20.

vocat diuina, quòd Deus cum quouis naturali Agente cooperatur proximè (Philosophi dicunt virtutis, & suppositi immediatione) quod sanè ex eo facile probatur, quoniam diuina virtus nō est aliūde mutuata, quin potiùs omnis creatæ rei virtus à Deo effluxit, adeò vt creaturæ, sit quoque Dei virtus. Dein, quòd nihil intercedit inter Deum, & creatæ rei effectum, cum Deus similiter, atque ignis V.G. dum calorem producunt, manui, dum calescit, proximus sit. Verumtamen causſæ primæ actio ab actione causſæ secundæ ad certam speciem deducitur, atque definitur, quia cum prima causſa indiscriminatim quemcumque edere possit effectum, vtpotè hominem, aut equum, hominem verò definitè producit, quòd hominis congressu concursus eius distinguitur, atque definitur. Distincta tamen causſæ secundæ quoad gradum actio à Deo coercetur, & limitatur, etenim, exempli loco, Ignis ad certam numero calfactionem non est affectus, præfinituſue, quin plures potis est elicere, quum natura ad singulare non collimet, vt docet Auic. Quare vt hanc definitè calfactionem edat, aliunde limitari, determinarique debet, atqui in secūdarum causſarum sphæra nihil est, à quo terminari queat; quare ad primam causſam confugiendum est, quæ virtutis suæ efficacitate eam definiat, cuius certè est ordinaria, & stata lege hunc quasi defectum supplere, neque enim cœlestis influxus, cæteræue causſæ effectrices hoc præstare valent.

Nyphus in Phyl. Sed quispiam ex Peripatetico Lyceo nobis obijciat. Actiones esse singularium, Intelligentias esse causſas vniuersales, neque causſas esse, quòd ab illis nouum quippiam proficisceretur, quod est absonū. Denique particulares causſas sufficere, nec necessarias ideò esse vniuersales. Verumtamen ijs sic obuiam ire volumus. Ad actionem aliquid bipartitò dicitur concurrere, nempe vt agendi ratio, & vt illud quod agit, vniuersales causſæ confluunt in effecta vti rationes agendi, minùs vt agentes. Et sanè Aristotelei ab vniuersali causſa nullam actionem obiri arbitrantur, nisi singularis, & determinatæ causſæ congressu definiatur. Sunt, qui afferant, causſam vniuersalem, & particularem ad eundem effectum conuenire secundùm diuersos gradus, vt homo hic ad hominem hunc, at vniuersalis causſa ad hominem vt ens, siquidem effectus vniuersalis in causſam vniuersalem referendus. Vniuersalis igitur causſa concurrit ad plures effectus, & ad eundem secundùm vniuersalem rationem, sicque concedunt, Deum concurrere ad huius hominis productionem secundùm gradum Entis, quoniam vniuersalis causſa non concurrit ad effectum secundū omnem gradum, sed secundùm vniuersalem rationem, particularis verò concurrit secundùm gradum particularem. Sunt, qui secius sentiant asserentes, particularem causſam, & vniuersalem, scilicet Deum ad eundem effectum confluere secundùm eandem rationem, & gradum, sed non secundùm eumdem ordinem, quoniam altera vt particularis, altera vt vniuersalis conuenit, neque interim altera supernacua est, quum ambæ non conueniant eodem ordine.

Gregor. Arim.

Quidquid sit tandem, Deum in omnem effectum confluere constans est, & ratum, hinc etiam à Deo omnem medelam emanare, dicitur, atque eius instrumentum esse naturam, vtriusque Ministrum, Medicum. Quæ media instituit Deus, vt in illis efficax esse videatur, propterea Sacræ paginæ in infirmitate adhibendum esse Medicum sedulò iubēt.

Eccl. 38.

Ne credat tamen aliquis, Deum naturalibus medijs ita esse alligatum, vt sine illis nihil queat efficere, quod putarunt Stoici, cum idem supra, & contra naturam efficaciter agere possit. Sic Moses xl. dies absque alimento diuinitùs vixit, & quinque panibus, duobusque piscibus Christo theantropo distribuente tot hominum millia expleta recessere. Posthac tamen non nisi temerè quispiam hanc mirabilem, ominosamque custodiam expectarit quin in officio se contineat, & manum cum Minerua, quod aiunt, moueat; Scriptum est enim, in sudore vultus tui vescēris pane tuo.

Quare si quis morboso corporis languore corripiatur præ naturæ imbecillitate, Dei in primis opem imploret, eumque ardentibus inuocet votis, vt remedijs opportunis, & congruentibus intercedente diuina benedictione excupitum largiatur euentum. Vt enim sanitas benedicente Domino quotidiano cibo seruatur, ita præsidiorum beneficio laborantibus, & morbo oppressis succurritur.

Non absimile symbolum in æternæ salutis mysterio est cernere, vbi Deus Opt. Max. mādat, vt Christi verbis auscultemus, & instituta adhibeamus Sacramenta, quibus in nobis efficaciā suā pollicetur, vbi non crepera, sed firma fide seruatoris Iehouæh meritum comprehendimus, nobisq; corrogamus.

Suam itaque Omnipotentiam Deus tentari minimè patiens ad media, naturalesque causſas nos ablegat, quibus dextrè nos vti iubet cū ad sanitatē seruandā, tum ad profligandos morbos. *Medijs, quæ vocant*, inquit Oseas, *legitimis vtentes adiuuat Deus.*

Meritò igitur Hipp. vecordes insimulat Scythas, quòd mediis despicatis naturalibus ad Numen recurrant, illudque causſentur, siue agnoscenda sit morbi causſa, siue morbus curandus sit. In natura, ait scitissimè, nihil sine natura, nempe sine naturali causſa gignitur. Vnde etiam ad Democritum scribens inuehitur in impostores.

Artis Medicæ recta facta ò Democrite, inquit, plerique è vulgo hominum non omnino laudant, verùm Diis sæpè attribuunt, si verò natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, medicos reprehendunt Numen prætereuntes, &c.

Quòd in profligandis morbis diuinum Auxilium sit inuocandum. Caput V.

Puer in infirmitate tua ne derelinquas te, sed inuoca Deum, & ipse te sanabit. Eccl.



Picurus, vt seruaret hominis libertatem negauit Dei prudentia mūdum gubernari, sed quàm iniquè, palam est, Deus enim non tantùm communi, sed etiam singulari prouidentia mundo, mundanisque omnibus prospicit, curat non tantùm vt sint, sed & benè sint omnia, cognoscit individua non tantùm sub ratione speciei, sed etiam secundùm individuas proprietates. Cum

enim

enim ea fecerit, possitne illi esse ignota? Cum abiectissimus Artifex opus suum cognoscat, est ne uerisimile, Deum ignorare, quid agat? Nec refert, si singula sint infinita, & caduca, quia sub ratione finita cognoscit. Deus esset Animal miserrimum, ait Sophus, ni singula cognosceret: Nec est, quod obijciat Auenthois, fore, ut uilesceret, si hæc noſset inferiora. Non est, inquam, nam cognitio omnis perficit, atque illud de uoluntate potiùs, quam de intellectu diceretur, siquidem uoluntate ad optata trahimur, illisque similes audimus, at intellecta in intelligentem transferuntur, & ei similia redduntur. Itaque si ullum sit argumentum, Deum conficeret non cognoscere ex rebus ipsis accipiendo mortalium more cognitionem, sed seipsum intelligendo omnia eminenter continentem. Illud tamè alta mente tenendum, res singulas à Deo quidem cognosci, at per essentiam suam efficientem, aut conseruantem, adiecto scilicet diuinæ uoluntatis actu. Quoniam enim res singulæ præter essentiam obtinent existentiam, qua singulares euadunt, & extra causam subsistunt, si cognitæ essentiæ accedat uoluntatis actus, quo Deus producere, aut cõseruare decernat, cognoscuntur exemplo singularia omnia, quæ sub illa continentur essentia: Ad singularia namque productio illa terminatur.

Primùm igitur essentiarum pluriũ plures Ideæ coniunguntur tùm substantiæ, tum accidentium, quæ simul in rebus singulis continentur, tum accedente illa uoluntatis determinatione singula cognoscuntur. Hinc D. Thomas opusc. de Angelis cap. 13. inquit, sicut causa est quodammodo in effectu, ita omnis effectus eminentiore modo secundùm ipsius uirtutem est in causa: In causa igitur omnium prima, quæ est ipse Deus, oportet omnia eminentius existere ex natura, quàm etiam in se ipsis, quod autem est in aliquo oportet, quòd in eo sit secundùm modum eius substantiæ, substantia autem Dei est ipsum intelligere eius, oportet igitur omnia quocumque modo sunt in rebus, in Deo intelligibiliter existere secundum eminentiam substantiæ eius. Necesse est igitur, Deum perfectissimè omnia cognoscere. Alibi verò. Primum mouens immobile, quod est Deus omnium motionum principium est, sicut & primum ens est omnis esse principium, in causis autem per se ordinatis tantò magis aliquid est causa, quantò in ordine causarum prior est, quum ipsa alijs conferat, quòd causæ sint. Deus igitur secundũ hoc omnium motionum vehementius causa est, quàm etiam singulares causæ mouentes: Non est autem alicuius causa Deus, nisi sit intelligens, cùm sua substantia sit suum intelligere, vnumquodq; autem agit per modum substantiæ. Deus igitur per suum intellectum omnia mouet ad proprios fines, hoc autem prouidere est. Omnia igitur diuinæ prouidentiæ subsunt.

Hæc autem tam multa in vnum effudimus Themistium, ne cõnuentibus hominis auctoritas imponeret, quum maximè ei Philoponus applaudat, qui mala à Deo non cognosci, arbitrati sunt, eo planè argumento, quòniam, si cognosceret ea, etiã faceret, quod enim nouit, id efficit, siquidem, vt intelliguntur res à Deo, ita sunt. Quasi verò innumerabilia possibilia noſt cognoscat, quæ efficiet nunquam. Cognitio quippe ad intellectum spectat, effectio ad voluntatem. Sed nos nimis longum fecimus, qui ad probandam singularem Dei prouidentiam Peripateticorum Principis patrocinio vti poteramus; sic enim Arist. At verò, inquit, qui mente operatur, & eam colit, disponitur optimè, is & amantissimus Dijs immortalibus est, nam si Dij curam rerum humanarum, vt existimatur, aliquam habent, rationi sanè consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere, quod est optimum, sibique maximè cognatum, hoc autem fuerit ipsa mens, & in eos, qui maximè hoc amant, & honorant, beneficia vicissim conferre, tamquam curam ijs, quæ sibi sunt chara, & diligentiam adhibentes, & rectè, benèque agentes. At constat hæc omnia sapienti inesse maximè, amicissimus igitur sapiens Dijs immortalibus est, eundem autem conueniens est, & fœlicissimum esse, &c. Lib. 10. Eth.

Ex quo loco D. Th. Deum rerum humanarum peculiarem curam gerere demonstrat. Id quod etiã certa colligi potest apodixi ex Peripatetica Schola decerpta: Siquidem omne agens certo fine dirigitur, tantùmque in finem itio, atque directio, quantùm agentis efficientia se collatat, explicatque. At Dei efficientia ad vniuersam rerum naturam pertinet, quare & vnumquodque à Deo in finem suum dirigitur. Hæcque expressa est, & peculiaris prouidentiæ ratio, quam egregiè nobis sacerrimus ille Iacob per Scalam è terra in Cœlum vsque assurgentem significauit, ad quam Dauid etiam respexit *Quis sicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra.* Quin & Homerus huc collineasse videtur, quando à Ioue auream catenam è Cœlo in terram demitti omnia comprehendentem, vincientemque, hecnon ad Iouem ipsum retrahentem, scriptis tradidit. Psalmo 112. Iliad.

Potrò varij gradus Scalæ multiplices, & multiformes rationes, & modos significant, quibus res à se conditas Deus regit pro varietate. s. rerum ipsarum. Quippe rationis expertia per formas, & qualitates ab origine illis insitas, atque per naturales propensiones, & brutos, irrationalesque quosdam instinctus, qui tamen rationis, & prudentiæ iuſtar illis sunt, Deus gubernat, & ad suum quæque finem dirigit.

At verò hominem proprio arbitrio vtentem, non vno modo, sed multifariam gubernat, & moderatur. Hunc pœnæ formidine, illum præmiorum spe ad frugem reuocat, illum per cruciatus, & calamitates ad commoda deducit, hunc è fœlici deijcit statu, & in pauperiem deprimit, quò vexatio det intellectum. Adhæc per hortatus, per monita, per exempla allicit, incitat, attrahit.

Cæterùm si omnia sunt Dei sapientissimi, potentissimi, atque optimi subiecta prouidentiæ, vnde tot in rebus vitia, defectus, flagitia cum in humanis, tum in naturalibus? Hoc vel maximè, inquit Boetius, est admirationis, & querimoniæ causa, quòd cum rerum omnium bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Etenim imperant, florentque nequitia virtus non solùm præmijs carer, verùm etiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur, & in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in Regno scientis omnia, Lib. 4. de Cons. Phil.

potentis omnia, sed bona tantummodò volentis Dei nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Verùm hanc obiectiunculam præclarè diluit D. Th. Corruptiones, inquit, & defectus, qui sunt in rebus, dicuntur esse contra naturam particularem, sint tamen secundùm intentionem naturæ vniuersalis, quia scilicet tenus defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi, siquidem corruptio vnius est generatio alterius, per quam species conseruantur. Cum igitur Deus sit vniuersalis prouisor totius naturæ, ad ipsius prouidentiã spectat, vt permittat quosdam defectus esse in quibusdam, ne vniuersum absolutum bonum præpediatur, si enim omnia mala impedirentur, plurima desiderarentur bona, neque enim esset vita Leonis, nisi rabido dente laniata aliqua animalia cæsa fuissent, nec esset Martyrum patientia, ni tyrannica, & immanis persecutio præesset. Hinc D. Aug. Deus omnipotens nullo modo sineret, ait, aliquid mali esse in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens, & bonus, vt benè faceret etiam de malo. Propterea Boetius, sola est, inquit, diuina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis conuenienter vtendo alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in aliud, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.

P.P. Q. 22. art. 2.

In Ench. ca. 11.

Galenus de decreto Hipp. & Plat. c. 7. Non enim inquit, quemadmodum quæstio illa Mundus factus sit, an minimè sit, inutilis est, ita quoque de prouidentia Dei indagare non confert, sed vtilis omnibus est, vt vim quandam esse in mundo hominibus, & potentia, & sapientia meliorem cognoscamus, &c. Quidquid sit tandem, Hippocrates noster satis diuinam prouidentiam in cõfesto habuit, qui suadet, vt preces Dijs effundamus, & diuinam imploremus opem.

Lib. de Insomnijs.

Ita enim senex. Cum quid purum de Deo puro quis capere videtur, quoad sanitatem optimum est, nam significat, quæ corpus intrant, pura esse. Si quid autem contra, non bonum est, morbum enim in corpus venisse significat. Paullo autem post infert. In morbis Deos inuocare conducibile est in primis, & oportet ijs inuocatis manũ insuper operi admonere, in quo opere numen est. Adhæc ait. Atq; hi nondocent, quomodo cauere oporteat, verum Dijs supplicare iubent, & supplicare quidem decorum, & valde bonum est, oportet igitur, ipsum opitulari, & Deos inuocare, & infra. Sed & vocis exercitijs vtatur, & Dijs supplicet, & curbatio ipsi sedabitur, &c.

Hinc quoque lib. de Muliebri natura præcipit, vt in tractandis mulierum morbis ab ipso numine auspicium ducamus. Cæterùm libello de Elegantia tam piè de Deo loquitur, vt nullus Theologorum in hac re Hippocrati sit præferendus.

Scientia, inquit, de Dijs Medici animo penitissimè implexa est, cum alijs affectibus, & symptomatis medicina erga Deos valde reuerenter se habere comperitur, tum verò Medici Dijs locum dant, numen enim omnia regens in medicina minimè ociosum esse animaduertunt, & in ijs morbis, quos ipsimet aggrediuntur, & in ijs, quos per se absque sua opera superari vident. Quot quot enim medicina vincit, Deorum opem vincit, nam & Medicinæ via secundùm sapientiam Deorum munus est, & remediorum efficacia ab ijsdem pendet.

Numina ni faueant, nil Panacea potest.

Lib. de Veteri Medicina. Epist. ad Alexander. Comm. in lib. Hipp. de Insomnijs.

Mitto volens, quæ in hanc rem alibi, ab Hippoc. scribuntur. Ecce vt non minùs piè, quàm verè, christianæque religioni congruenter medicinam esse donum Deorum, omnemque vim; & efficaciam ab eisdem pharmaca suscipere, luculenter optimus senex profitetur.

Quid mirum igitur, si Zimarellus, testante Ioanne Colle, Hippocratẽ Naturæ, & Christianæ Theologiæ genium appellabat?

Huius pium sanctumque institutum secuti sunt Arabes; Quare Mesueus Regis Damasceni nepos suos ita exorditur Canones. *In nomine Dei misericordis, cuius nutu sermo recipit gratiam.*

Affectum verò curationem his aggreditur præfatis. *Sanat languores Deus, qui de frugalitatis folio produxit in largitate sua medicinam benedictus, gloriosus, & excelsus.*

Infirmatur quis in vobis? Ait D. Iacobus, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non pluueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex, & rursum orauit, & Cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum, &c. & lib. Sapientiæ cap. xvj. Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Hinc Plato x. de legibus: Nunquam à Deo negligeris, nec si ita parunlus sis, vt in terræ profundum ingrediaris, nec si adeò sublimis fias, vt pennis elevatus in Cœlum voles. Neque ab hac pietate recessit Galenus dum scripsit comm. super lib. Hipp. de Victus ratione in morbis acutis cap. 3. Si tempestiuitatem in medendo obseruaueris, fiet, vt Arti numen quoque diuinum cooperetur.

Quis hanc in Deum pietatem, & cultum non admiretur? Quis non æmuletur veritatis lumine excitatus? Deo igitur supplices preces feramus; scriptum est enim. *In tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*, &c. Nec magnum quicquam aggrediamur non inuocato Numine. Sapienter enim Heraclytus sacrificia, & preces medicamenta appellare solebat, quod præpotentis pharmaci vice a morbis purgent.

Sed hic se ingerit quæstio Theologumena, an scilicet res diuinas obeuntibus nobis Deo contingat affectio. Porphirius suspicabatur, non modò Dæmones, sed etiam Deum afflci, quoniam inuocationibus moueantur.

Victa Hominum precibus cælestia Numina terras
Cogantur petere, & casus aperire futuros.

Auic. Aphor. 47. Non est, inquit, verum, quòd Creator altissimus patiatur à deprecationibus. Immo res, quæ postulatur deprecationibus ab eo, fuerit in præcogitione sua, vel fuerit in numero rerum ab ipso cognitarum, tunc deprecationes exaudiuntur. Fortasse enim fuit in præcognitione ipsius Dei, quòd causa illius rei sit deprecatio.

Iamblichus arbitratur, Deos, non quia inuocentur, moueri ad communicanda hominibus bona, sed

na, sed sponte nos ad bonum prouocare, nobisque inuocando conuersis accurrere vltrò quippiam monstrantes, largientesue. Supplicationes porrò animam diuino aptam influxui reddere, qui tum vltrò, tum facilè perueniat propter diuinam amicitiam omnia continentem. Quod si à benefica Deorum cura, ceu à clarissimo Solis lumine abeamus longiùs, densioribus nos statim tenebris circumfundit, tuncque iratior nobis dicitur Deus, quem tunc demum credimus remollire, si suppliciter ad eundem conuertamur. Lenimentum id genus affectionem Deo infert nullam, ait Cælius, immò à perturbationibus sequestrat animam.

Porrò Platonici mundanis Dijs sacra obeunt corporea, superioribus Dijs segregatam putant dicandam esse sanctimoniam. Principi verò segregatissimam.

Verùm age quando in hæc incidimus, cur supplicationes quædam exaudiuntur quædam obturatis despectantur auribus? Respondeat doctus iuxtà, ac pius Auicennas. Causa, inquit, propter quam exaudiuntur preces, est conuenientia, seu aggregatio causarum simul cum Sapiẽtia Diuina. & est, quòd conueniant, siue aggregentur hominis deprecantis causa? Verbi gratia in eo, quod ipse deprecatur, est causa, cur res illa sit ex Creatore. Quod si quispiã dicat, verum fieri possit, vt citra Litanias illud euadat. Vtique inficiabimur, quoniam euentus vnica est causa, nempe altissimus opifex, qui interpositas preces seu proximas, & peculiares causas disponit, quemadmodum sanitatis alicuius laborantis pharmaci haustus causa perhibetur, quum verò medicamentum respuit, sanitatem quoque negligit.

Lib. de Anima Aph. 45.

Pari modo preces ad vota obtinenda veluti accommodata media desiderantur. Quamobrem duabus de causis, quæ simul conueniunt, rogatus necessarij videntur, atque adeo ipsarum exauditio. Enim verò si ad supplicandum promouemur, à Deo est, propterea deprecatio, cur exaudiamur, causa est. Cur verò incongruum, & decens adspiret supplicatio, vnde optata cadunt ex voto, ab eodem repetendum, quare ambo ab vna producuntur origine. Nonnunquam verò alterius causa est altera. Propterea quidam à terrenis cœlestia affici, in animum induxerunt, quare preces nostræ necessariò exaudiuntur. Nos ijs sic iri obuiam volumus; Naturalia nimirum hæc cœlestium, & diuinorum effectus quosdam esse, qui, ni peruertatur ordo, in suas causas nullatenus queũt efficere, hinc etiam ad orandum excitamur. Cur verò preces non exaudiantur, ea potissimum est causa, quòd finis, cuius gratia obsecras, vel non conducit iuxta Vniuersi ordinem, vel ratione deprecantis. At verò vitis sanctimonia debitus inter precandum Prima causa vim infundit per quam mirum in modum aliena mouent, quare & elementa eorum voluntati confestim parent, quùm maximè elem. subi ecta sint animæ energiæ, nosque ipsi non semel fecimus periculum. Vbi enim res vehementius imaginari contigit, quam mox corpora nostra alliosim, & affectionum subeunt pro animi varia dispositione. Ad hæc neque absonum, aut à veritate abhorrens est, quempiam imaginationis vi alienũ ciere, & percellere posse corpus, id quod Indiæ inquilini sæpius experiuntur. Itaque Deus omnium conditor exaudit deprecantem animam, si finis, ad quem preces diriguntur, in vniuersi ordinem, & vtilitatem relabatur.

Hæc est ipsissima Auicennæ sententia, qua duo potissimum constituuntur veluti cardines, super quibus impetrati voti ratio conuertitur; diuina scilicet afflatio, qua ad rogatus, & obtestationes excitamur, iusta denique, & honesta singulis, aut vniuersæ naturæ conducens inter implorandum petitio. Et hæc est congressio, coitioque causarum, quę diuinam mouent sapientiam ad efficiendum, quod efflagitatur precibus, quibus planè nulla afficiuntur passione Numina, sed tantùm in illis veluti symbolis volunt esse efficacia. Vt autem preces omnibus sint absolutæ numeris, quinque stipari oportet prærogatiuis: Securę enim, rectę, ordinatę, deuotæ, humilesque esse debent. Sed quando hæc altioris sunt operis, mittimus, & ad Auic. reuertimur, cujus cõmendamus sententiam, Deum Sanctis viris præsto esse, virtutemque communicare, per quam elementa, & quidquid ex elementis est concretum, illis audiunt, & protinus obtemperant. Mirabilis est enim Deus in Sãctis suis. Verùm quod de Imaginatione subijcitur, est falsissimum, imaginatio namque immanens actus est, nec quicquam in nostro corpore obire potis est, nisi alterius causæ, quæ eius subsit imperio, intercessione, congressuque, multò minùs in alieno corpore.

Precum cõditiones ex D. Thoma.

Hinc non inelegans quidam perperam plurimos, eosque admirabiles euentus in imaginationem reijcit, vt pote quæ reuera spiritus, & humores ciet morborum parentes. Nam si rogetur, cur appositis amuletis cum susurro, aut sesquipedalibus verbis effatitis quispiam morbo defungatur? Respondet effectum esse ab imaginatione. Vbi namque certa spes salutis concipitur, calor, spiritusque quo quo versum effusi ad functionum munera acriores, aptioresque redduntur. Sic epileptici, dum ex Alcæa vngula concinnatum gestant annulum, quia Periaptis certò credunt, & maximè fidunt, non corripiuntur, quòd confidentiam spirituum quies, & tranquillitas excipiat: At submoto annulo, quia inuadit timor, turbantur spiritus, atque consternantur, à quibus exciti humores cerebri obstruunt ventriculos, membranulasque vellicant, hinc sacer ingruit morbus. Atque perinde illis accidit, ac qui demisso, humilique loco angustam trabem recti perambulant, at si paulò eminentiore loco ponatur, vnde periculum impendeat, ingressi quam mox præcipites delabuntur, quòd præmeto spiritus in fontes recurrunt, & lacertos deserunt. Qua causa etiam somnambuli auia loca petunt, repetuntque, at experrecti, si discrimen agnoscant, proni decidunt. Eodem modo & Quartanam fieri, & admoto Araneo propulsari credidit. Sed norit in primis affectus ex præmotione Phantasiæ, quæ vel læta, vel molesta obijciat, suboriri quidem; circa cor tamẽ sanguinis, spirituumque tumultuariam fieri commotionem, quare cordis potiùs, quàm cerebri affectus ex phantasiæ delitamentis emergere consentaneum foret. Nam etsi affectus vniuersum corpus moueant, in ipso enim corde aut caloris, aut frigoris, vt

Alex. de Vicentinis.

ris, vt ait Arist. facta alteratio, etsi in exigua, & non sensili particula, plurimam sanè in toto corpore parit differentiam cum ruboribus, & palloribus, cũ horroribus, & tremoribus, aliisque huiusmodi; vt temone paululum translato magna fit proræ transpositio: Nihilominus tanti non sunt, vt excitis spiritibus continenter aut morbos pariant, aut propellant (ni summus subsit apparatus.) Equidem multum conducere fidentiam scio, vnde Auic. dicebat, Medicum plures curare, cui plures fidunt, pluriſque esse bonam, firmamque animi confisionem, quàm omnia Medicorum pharmaca. Propterea etiam Vallesius Medicos dehortatur, ne eorum curam suscipiant, à quibus non æstimarentur plurimi. Cuius rei causſam adijciũt quidam, quòd confidens animus non percellitur, sed adquiescit, quocum spiritus etiam consistunt. Accedit, firmam erga Medicum fiduciam id agere, vt malorum obliuiscantur, & dolorẽs conuerso in Medicum animo aut non sentiant, aut mitiùs ferãt, necessario enim animaduersio desideratur ad percipiendum dolorem. Vnde Hipp. Qui dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat. Scio inquam ea de causſa plurimum prodesse fiduciam, sed eam esse, quæ comitialem morbum admota Pæoniæ radice, aut annulo ex Alcẽo vngue arceat, haud credo. Ecquis enim ea pernicie semel correptus fidenti, ratoque animo non sperat, fore, vt de integro non inuadat, cum interim credulis, & benè sperantibus medio de fonte leporum superueniat, & inceſſat? Cornelius Agryppa Magiæ Ceremonialis vnum principium statuit credulitatem firmam, qui non crediderit, inquit, non experietur, sed tãm futilem sententiam iure Philosophi reijciunt. Existimandum igitur cum tota elegãtiorum Aſclepiadarum Schola vngulam syluestris Aſelli cum cerebro epileptico habere schesim, & quandam analogam rationem, adeò vt annulo apportato per occultum efluuium ita roboretur cerebrũ, vt non possit à quauis morbifica causſa concuti. Araneolum uerò frigidum, siccumque animal aut negarim ea ui pollere, aut certè non alia ratione, quàm scheticos, & mutuo consensu. Et, ne me quis credulitatis arguat, qui omnia ad temperationem uelit reducere, Alex. Aphrodisæum quærentem patienter audiat, cur quos dipsas momorderit, sitique sunt intolerabili affecti, eis epota theriaca, quę calida, siccaque est, sitim sedat, non autem magis incendit? Respondet non qualitatis ratione sitim sedare, sed mutuo quodam consensu, & ratione naturali. Id est huiusmodi Antidotum, quod plurimis ex herbis componitur; quæ consensum aliquem cum singulis corporis partibus habent, uelut dictamnum proprietatem quandam erga cor habet, ipsumque confirmat, & seruat, eupatorium uerò cum Iecore, scolopendrium cum Liene, petroselinum cum uentris orificio, hyssopus uerò cum septo, & pulmone, Helenium uerò cum Renibus, ruta cum collo, gentiana cum cerebro, seseli autem cum vesica vrinaria. Vnumquodque igitur horum mellis dulcedine illectum trahit quod sibi propriũ ad tutelam est. Inter quæ omnia sunt & viperarum immixtæ carnes, quæ naturalem quendam mutuũ affectum habẽt, quam antipathiam vocant, aduersùs quod vis venenosum animal, corruptibilemque virtutem. In singulas igitur partes distributa affectum illum, qui corruptionem minetur, agere non sinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidam milites, qui pro sua ipsorum patria arma ceperint. Hactenus Alex. qui tametsi sententiam meam confirmat, & causſam elegantissimè exprimit, in eo tamen falli videtur, quòd singula simplicia in theriace permanere putarit integra, quum tamen post fermentationem corrumpantur, & ex corrupta singulorum specie quinta quædam prodeat essentia virtute omnium vim continens. Nam quemadmodum in Mixtis corporibus virtutes subsunt, quæ in elementis desiderantur, ita in theriacę vitus ea inest, quam in singulis non est inuenire. Propterea Auic. theriacam non humano ingenio, sed potiùs diuina inspiratione concinnatam esse ratus est. Et vtinam multa non deessent, quorum causſa suis priuatur viribus.

Vegia Mercurialis.

Sed ne parergon opus ipsum superet, receptui canamus, & adhibitis opportunè morbo remedijs ad implorandum diuinum auxilium fideiter accedamus, quia & efficaciam Deus pharmacis ingerit, & quia mirandum in modum ipse sanitatem conferre potest: Quidquid enim Deus vnà cum secunda causſa potest efficere, se solo potest, in genere in quam. efficientis causſæ natura non de industria agentis. Argumento sit Paralyticus ille, qui iubente Christo theantropo sustulit grabatum suum, & ambulauit. Similiter quod ad vmbram Petri Apostoli sanarentur infirmi, vel Sancti alicuius attactis Reliquiis aliqua vrgẽtur ægritudo, non fit per formam aliquam his corporibus inditam, sed solùm per diuinam energiam, quæ ad huiusmodi effectus his corporibus vtitur.

D. Tho. opusculo de occultis rerũ operibus.

Hinc Auctor lib. de causſis. Causſa prima adiuuat causſam secundam super operationem suam, quoniam omnem operationem, quam efficit secũda, efficit & prima, verumtamen prima cum efficit per modum altiorem, & sublimiorem, quia efficit eam principaliter, & vi quadam eminenti, quam explicare non possumus; causſa verò secũda, & propinqua efficit operationem in vigore primæ, & quodammodo instrumentaliter.

Quòd quidam morbi diuinitùs immittuntur.

Caput VI.

Et percussit eos Deus in posteriora.

DEum olim inflixisse morbos, Sacræ testantur paginæ, & argumento est flagitiosus ille Pharao, qui Sarę captus pulchritudine eius violare tentauit pudicitiam, & adulterium committere, vnde tentati sceleris in pœnam perpetua laborauit gonorrhœa, vsoresque cum Regis, tum aulicorum vulua conclusionem perpessæ sunt, vt deinceps parere non possent. Sed accedat Iudæorum lepra, quæ non putrem, atramque bilem agnouit, sed causſam longè superiorem, Dei nimirum iusti vindicis iram. Quæ quidem lepra antiquitùs sæuiebat pro patrati sceleris conditione, quare si peccatum mitius esset, in

parie-

parietibus domus maculæ pullularent, si grauius in vestibus labes sese proderet: si grauissimum, corpora ipsa fœdata temerarentur: qua sanè contage, pernicieque infecti xiiij. diebus à Protomyste iudicabantur, num extra hominum consortia, & Ciuitatis pomœria essent ablegandi, non enim ad eam profligandam humana satis erat manus, sed diuina potiùs opus erat, cum nulla remedia illis adhibita conferrent, sed sola Dei Optimi Maximi voluntas. Quidam vitiliginis, aut lichenis speciem extitisse, sunt arbitrati, vestibusque, & domibus accidisse duntaxat per analogiam, cum inanimata quoque similem putrilaginem nanciscì possint. Nos tamen Theologis, & veritati congruentiùs dici existimamus, si diuinitùs lepram illam immissam fuisse demus pro singulari supplicio ad plectendam Iudæorum achariſtiam. Nam Deus, quemadmodum Israeliticum Populum singularibus cumulauit priuilegijs, ita quoque turpem ingratitudinem insolentibus, & valde atrocibus plexuit supplicijs.

Alleſius li. 1. Sacra Phi l. c. 19.

Triſte ſpectaculum graſſantem, populantemque in humano corpore Lepram ſpectaſſe; Portento ſimile domum eadem colluuie fœdam, quæ Herum cum familia, & ſupellectile pellat. Diuorum plurimi portentoſum hoc morbi genus ſunt litteris teſtati, quibus reniti non dubitauit Galenus, eo fretus argumento, quòd Hipp. nuſquam ægritudinis cauſſam reiecerit in Deos, quòd omnes per æquè diuinos profiteatur, quia à natura, hæc autem Dei miniſtra, quin eos ſugillat, & vellicat, qui in Deos morborum cauſſas referunt. Verumtamen depoſita diſcipuli perſona neceſſum eſt refragari Pergameno, qui, vt ait Otho Brunfelſius, à ſola corporis, & humorum temperie morborum cauſſam trahens nullos à Deo infligi, aut curari impiè fabulatur: Nec eſt, quòd ſuæ culpæ Hippocrarem prætendat, ille enim cum Homero, & Heſiodo nonnunquam morborum eſſe cauſſam diuinum Numen, ideoque ab eodem exordiendam eſſe curationem liquidò profitetur, cum Deum in medicina minimè ocioſum eſſe cognouerit. Celſus in Proœmio loquens de Homero, ſic ait: eodemque Auctore dici poteſt morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam &c. Quid verò dilucidius, quàm quod primo Prognoſticon? Conceptis ille verbis præcipit, vt ſedulo inſpiciamus, numquid aliquid diuinum in morbis ſubſit. Quid per Deum τὸ θεῖον illud, ni diuinum ſupplicium, quod Deus morbis affligendo in ſcelerum vindictam ſumit? Hoc vt euitaret Galenus, diuinũ Aerem eſt interpretatus, eoſque perſtrinxit, qui ob iuſtam Dei vindicis iram morbos emergere animo duxerunt (Moſem autem, & Euangeliographos audit, qui nulla ſuppoſita ratione hiſtorias ſcripſitarunt, quos alibi etiam ſine demonſtratione loquentes refellit.) Præterea eos quoque reijcit, qui decretorios dies in diuinam regerunt cauſſam, quia incognita eſt, & inopinabilis. Iure autem hoc arguitur, quia non omnia, quæ arcanas, abditaſque cauſſas habent, diuina ſunt nuncupanda, ſed quæ prorſus admiranda. Accedit, diiudicantium dierum cauſſas non latuiſſe ſenem. Quare propriam ſubijcit ſententiam, intelligendam eſſe aeris conditionem, ſed quia praua hæc aeris conditio à Cælo fit, & declinari non poteſt, diuina dicenda eſt. Atque licèt hęc ſententia Hip. accommodari poſſit, quia phraſi Latinis, Græcis, & Hebræis conſueta aer Cœlum dicitur, vnde Diogenes aerem Deum appellabat, à veritate tamen abhorret, quoniam Galenus ipſe eorum opinionem de diebus criticis vellicans, qui ad diuina recurrebant, non vtique, ait, diuinæ cauſſæ, quia nec incognitæ, nec inopinabiles, nec admirandæ, licèt ex Cœli motu, maximè verò Lunæ deriuentur. Præterea ſi propter Cœlum diuina appellanda forent, quæ ab eo pendent, vniuerſum naturę opificium eſſet diuinum.

Lib. de morbo ſacro. Li. de Virg. morbis. Lib. de Aere. L. A. Lib. Pharmacorum ſimplicium in Præfatione ad lect. Lib. de Muliebri Nat. Lib. de Elegantia.

Gręg. Horſt. Epiſt. ad Hericum Petræum diuinam interpretatur aliquid ſingulare præter conſuetudinem: nec com

Sed mittamus iam Galenum, qui in hoc inferiori mundo nil immottale cognouit, nec diuinum, quin ne animam quidem rationalem aliud eſſe putauit, quàm temperamentum, aut innatum calidum, nec aliter à ſuo Plat. doceri potuit. Faceſſat igitur parumper, quando nec à diſcipulis eius fouetur opinio, Sunt, qui pro aere occultam, & deleteriam qualitatem è Cœlo deriuatam ſufficiunt: Quæ ſententia nec rei naturæ, nec Hipp. conſentanea videtur, Cœlum enim Catholica cauſſa eſt, & propter vniuerſi conſeruationem mouetur, non ad demolitionem. Verùm cedo, cur à Cœlo maligna, & ſontica qualitas potiùs, quàm benigna, & manifeſta dici diuina debet? Hercules ſiqua diuina appellanda fouina, ſit, quod ſuæ naturæ, hæc autem Dei miniſtra, quin eos ſugillat, & vellicat, qui in Deos morborum cauſſas referunt. Verumtamen depoſita diſcipuli perſona neceſſum eſt refragari Pergameno, qui, vt ait Otho Brunfelſius, à ſola corporis, & humorum temperie morborum cauſſam trahens nullos à Deo infligi, aut curari impiè fabulatur: Nec eſt, quòd ſuæ culpæ Hippocrarem prætendat, ille enim cum Homero, & Heſiodo nonnunquam morborum eſſe cauſſam diuinum Numen, ideoque ab eodem exordiendam eſſe curationem liquidò profitetur, cum Deum in medicina minimè ocioſum eſſe cognouerit. Celſus in Proœmio loquens de Homero, ſic ait: eodemque Auctore dici poteſt morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam &c. Quid verò dilucidius, quàm quod primo Prognoſticon? Conceptis ille verbis præcipit, vt ſedulo inſpiciamus, numquid aliquid diuinum in morbis ſubſit. Quid per Deum τὸ θεῖον illud, ni diuinum ſupplicium, quod Deus morbis affligendo in ſcelerum vindictam ſumit? Hoc vt euitaret Galenus, diuinũ Aerem eſt interpretatus, eoſque perſtrinxit, qui ob iuſtam Dei vindicis iram morbos emergere animo duxerunt (Moſem autem, & Euangeliographos audit, qui nulla ſuppoſita ratione hiſtorias ſcripſitarunt, quos alibi etiam ſine demonſtratione loquentes refellit.) Præterea eos quoque reijcit, qui decretorios dies in diuinam regerunt cauſſam, quia incognita eſt, & inopinabilis. Iure autem hoc arguitur, quia non omnia, quæ arcanas, abditaſque cauſſas habent, diuina ſunt nuncupanda, ſed quæ prorſus admiranda. Accedit, diiudicantium dierum cauſſas non latuiſſe ſenem. Quare propriam ſubijcit ſententiam, intelligendam eſſe aeris conditionem, ſed quia praua hæc aeris conditio à Cælo fit, & de-

Lib. quòd Animi mores. &c. Marſilius Ficinus Mercurialis Valetiola.

Fernelius. In Phyſ.

Neoterici. Quid ſit diuinum in morbis.

Mulcò minùs cuiuſdam boni arridet opinio, qui diuinum cauſſarum ſyndromen, atque concurſum intelligit. Homo pluſculum philautos putat cauſſarum colligantiam, & implexum eſſe illud diuinũ, de quo Prognoſticon primo fit mentio, quaſi dixeris fatale. Vtpotè ſi quis miſellus iter faciens magna repętè tempeſtatum, imbriumque vi obrutus tecta requirat, quæ plurimo diſtent interuallo, cogatur madida ſub veſte pernoctare. Tandem redeunte die poſt longos viæ errores in diuerſorium ſecedat omni copia vacans, vbi nec lecti, nec ignis, nec mẽſæ facultas fiat. Cogatur cedere fame, & frigore pulſus. Interim præſtegnoſi febribus corripiatur validis, deſiderentur Hoſpitia, Medici, pharmaca, ſoteria cuncta, fato moriatur.

Hoc putat ille diuinum in morbis. Siccine per ambages diuina procedunt? Emoriar, ſi quicquam audierim inconſultius. Fato enim morimur multa conſumpti ſenectute, & naturaliter, vnde ignis vrit fato. Quare meritò queritur ſoror Anna de Didone, quòd intempeſtiuè mortem oppeteret.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.
Sed miſera ante diem.

Cum Perſæ Græcorum templa incendiis abſumpſiſſent, & ſolo adæquaſſent, Iones inſtaurari vetuerunt, vt eorum ſpurca barbaries à ſingulis videretur. Ita mihi nefas, imaginoſam hanc ſolertiam deſtruere, qui cupio ab omnibus videri.

Riolanus Euchetarum arrogantiam proſcindẽs.

qui

qui primarum cauſſarum intelligentia, ſe tandem æquare poſſe Deum gloriabantur, modeſtiùs inquit, Socrates cum diu, multùmque in rerum humanarum, diuinarumque cognitione deſudaſſet, hoc vnum ſe ſcire confeſsus eſt, quòd nil ſciret. Eadem modeſtia Hipp. in morbis diuinum quiddam ineſſe affirmabat, quod ſiue occultum, ſiue inexplicabile, ſiue cæleſte, & à Deo profectum interpreteris, vt puta ſceleratorum flagellum, fortaſſis ad Authoris mentem, haud dubiè ad rei ipſius veritatem aptè, & accommodatè diceris.

Et quamuis perinde aceidat in Hipp. ſententijs, atque in Thimantis opeliis, in quibus pluſculum ſemper aliquid intelligebatur, quàm pingeretur, à nobis tamen, qui Catholicam fidem, atque adeò veritatem ipſam profitemur, ſine ambagibus diuinum hocce, Dei eſſe voluntatem, credendum, quæ in ſcelerum vindictam, & alicuius ergo boni morbos incutit, Ac, vt priuato vtamur exemplo, mors Regis Ioram, qui per immane nefas Populum à lege Dei auerterat, & fratres ſæua morte neeauerat, ita deſcribitur. Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alui languore inſanabili, cumque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia volurentur duorum annorum expletus eſt circulus, & ſic longa conſumptus tabe, ita vt egereret etiam viſcera ſua, languore pariter, & vita earuit. Accedat exemplum Antiochi Regis machabæorum cap. ix. Cum veniſſet ecbactanam (Taurim nunc vocant. Perſidis metropolim) recognouit, quæ erga Nicanorem, & Timotheum geſta ſunt, elatus autem ira arbitrabatur ſe iniuriam illorum, qui ſe fugauerant, poſſe in Iudæos relinquere, ideoq; iuſſit agitari currum ſuũ ſine intermiſſione agens iter cœleſti eum iudicio perurgente, eo quòd ita ſuperbe locutus eſt, ſe venturũ Hieroſolymam, & cõgeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum, ſed qui vniuerſa conſpicit Dominus Deus Iſrael percuſſit eum inſanabili, & inuiſibili plaga, &c.

In hiſce affectibus tota medendi Ars nihil poteſt, quòd Dei ope deſtituatur: Id quod etiam Aſæ Regis euentus comprobat, qui podagra mortuus eſt intra triennium, neque exceſſit quadrageſimum primum ætatis annum, quia in infirmitate ſua Deũ non quæſiuit, ſed magis Medicorum confidit peritiæ. Contra verò Ezechias cum ad mortem ægrotaret Deo iubente leuiſſimo medicamento, admota ſcilicet ficuum maſſa, ab Eſaia ſanatus eſt. Quare iſtorum maximè habenda prouidentia eſt cũ Medico, tum ægroto Chriſtiano, qui primo quoque tempore, quæ ad morituros pertinent, ſanctè compoſitis, ita Arti fidere debet, vt Dei opem enixè imploret, atque ita Deum obſecrare, vt Artem neceſſariam vſquequaque ludibrio non habeat, quandoquidem & Sancti viri pharmacis vtebantur, vt & media adhiberent legitima ad ſanitatem, & Medicinam ſacerrimum Dei donum apud Homines commendarent.

Quòd Deus ſeruat, & purificat Homines. Caput VII.

Ego enim Dominus Sanator tuus.
Exod. Cap. XV.

SApienter Proclus, ſi quid aliud, ſcripſit, omne diuinum prouidere ſecundis, & ereptum eſſe ab ijs, queis prouidetur; ſi quidem corporea ſubſtantia, quæ ſecunda eſt, ſpiritali, quæ prima meritò dicitur, ſubiecta eſt; Hinc Ariſt. non ſemel à Deo Cælum, & naturam pendere palam eſt confeſſus, in quam ſententiam vniuerſi Ariſt. interpretes incidentes à Deo conſeruante, non producente pendere reſtantur, quòd putarit Philoſophus Mundum Deo fuiſſe coæternum (ni fortè dicendũ videatur, negaſſe quidem Ariſt. per generationem cœpiſſe, per ſimplicem verò emanationem, naturalemue proceſſum, non iſſe inficias.) Quid quid ſenſerit tandem Stagirita, res profectò poſtulat, vt dicamus, res vniuerſas à prima illa cauſſa dependere ſubſtantiuè, producente, & ad ipſam, ceu vltimum finem referri. Deus enim eſt A, & ω, ſeu principium, & finis. Hinc Academicæ Scholæ proceres. Quæ ſunt omnia ſunt, & ab vno, & in vno, & ad vnum. Cuncta etenim in Deo ſunt vt in mouente, gubernante, & conſeruante, (neque tamen ab eo vt ſubſtentante materia, aut conſtituente forma pendent) Cæterùm quemadmodum res vniuerſæ in Deo ſunt, ita Deus viciſſim in omnibus, non ſanè ſecundùm inhærentem eſſentiam, vt ait Albertus, ſed per illapſum, influentiam, & poteſtatem. Deus, inquiunt ſapientiæ amatores, nulli mobili eſt extrinſecus per abſentiam, verùm per inhærentiam, cum enim Deus vbique ſit, non poteſt non eſſe præſto. Qua de re quia præclarè ſcripſit Author Libri de Mundo age in medium eius uerba feramus.

Vetus ſermo eſt, inquit, à maioribuſque proditus inter omnes homines uniuerſa tum à Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata, nullamque naturam ſatis ad ſalutem inſtructam eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſuæ ipſa demum tutelæ permiſſa ſit. Quocirca ueterum nonnulli eouſque p[illegible]uecti ſunt, ut hæc omnia dictitarent, Deorum eſſe plena omnia hauirique eorum ſpectra ab hominibus oculis, & auribus, reliquiſque ſenſibus. Sententiæ illi quidem fundamenta iacientes diuinæ fortaſſe potentiæ, non item diuinæ naturæ congruentis; Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum ſeruator eſt Deus, tum uerò quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem eſt genitor.

Non ſic tamen ipſe, ut opificis in morem, animaliſque laſſitudinem ſentientis labore affici poſſit, ut qui ea facultate utatur, quæ nulli cedat difficultati, cuius ipſe ui facultatis omnia in poteſtate continet. Nec minùs etiam, quæ longiùs ab eo uidentur eſſe ſubmota. Summam igitur, & primam ſedem ſortitus ea de cauſſa ὕπατος, quaſi ſupremus appellatus eſt, & (ut inquit Poeta) in ſummo culmine uniuerſi Cœli ſuum ipſe habet domicilium ſitum, & collocatum. Maximè uerò uim eius ſentit, numi-

neque

neque eius fruitur ante omnia id corpus, quod proximè eum situm est. Tum quod secundum ab hoc situm habet, & vnumquodque deinceps, prout situum ordo ad nostrum vsque locum natura constitutus est: Quo fit, vt terra, & terrena omnia, quum longissimè ab diuinitatis adminiculatione abscedant, tam infirmitate summa sint ipsa, concinnitatisque sibi consentaneæ maximè expertia, atque ideo multo tumultu exagitata. Atqui cum ita sit diuinum Numen natura comparatum, quoquo vt versùs permeet, non mirum ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proin id præstabilius esse censemus, Deoque tum decentius; tum magis consentaneum, ita de Deo opinari, vt dicamus potestatem illam in Cœlo sedes habentem suas incolumitatis causas rebus vniuersis præstare, ijs quoq; quæ ab eo longiùs remota sunt. Paulo autem inferiùs addit. Quare augustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, Numinis vt tamen vis eius per vniuersum mundum pertinens tum Solem, Lunamque moueat, tum cœlum omne circumagat, simulque causam præbeat eorum, quæ in terris sunt, salutis, atque incolumitatis.

Musset pudore suffusus Rhois filius, qui à Deo singula individua regi denegauit, metuens ne bonitati diuinæ derogetur. Existimauit enim diuinum regimen cognationem habere cum humano in quo media adhibentur, per quæ rector rebus se se aptat regendis, hinc in plura diducitur virtus, hinc exhauritur, hinc vilet eorum, quæ gubernat, contagione. At prima causa sine virium detrimento suæ bonitatis influxu cuncta temperat, & moderatur, quem Solis instar radios emittentis in vniuersum effundit, à quo singula pro naturæ suæ meritis perficiuntur. Nec rebus admiscetur Deus agendis, quòd eius actio sit intelligentia, hæc autem substantia, quæ supra vniuersam est naturam, quare nec eius detrahitur virtuti nec decori, quod putauit Auerrhois, quemadmodum neque solaris radius, quia quoquo peruadit versùs, & diuersa permeat corpora extenuatur, aut hebetescit. Hinc Auic. diuina inquit, manatio fit sine auaritia, & diminutione.

Vsb. de Viribus Cordis.

Puro clarum lumine Phœbum
Melli flui canit oris Homerus.
Qui tamen intima viscera terræ,
Non valet aut pelagi radiorum
Infirma peruadere luce:
Haud sic magni conditor orbis.
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt,
Nec nox atris nubibus obstat.
Quæ sint, quæ fuerint, venientque
Vno mentis cernit in ictu
Quem quia respicit omnia solus
Verum possis dicere Solem.

Boetius.

Lib. 3. Philos. conf.

Hæc graphicè Boetius, qui ad concludendum Diuinum regimen his progreditur. Mundus hic ex tam diuersis contrarijs partibus in vnam formam minimè conueniisset, nisi vnus esset, qui tàm diuersa coniungeret, coniuncta verò naturarum ipsa diuersitas mutuum discors dissociaret, atque diuelleret, nisi esset vnus, qui quod nexuit, contineret. Non tam verò naturæ ordo certò procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatijs, qualitatibus explicaret, nisi vnus esset, qui has mutationum varietates manens ipse, disponeret. Hoc quid quid est, quo condita manent, atque agitantur vsitato cunctis vocabulo Deum nomino.

Deus licèt res omnes conseruet immediatè suamet actione eas attingendo, quasdam tamen per se duntaxat, alias concurrentibus causis secundis in suo esse tuetur.

Diuinum hoc imperium ante omnes soter ille Hipp. agnouit ad singula pertinens. Proin lib. de Elegantia apertè fatetur, Numen esse cuncta gubernans, terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum. Sed quod libro de morbo sacro scribitur, non ab Ethnico, verùm à Christiano Theologo diuino spiritu afflato expressum videtur. Vbi enim senex vlios eorum, qui à Deo morbum sacrum proficisci arbitrabantur (vnde sacrum dici putabant) reiecit opinionem, subijcit.

Non tamen ego puto hominis corpus à Deo inquinari, sordidissimum scilicet à purissimo: Verùm si contingat ab alio inquinari, aut quid perpeti, cupierit vtique à Deo purgari, ac purificari magis, quàm inquinari. Deus itaque est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsique teretinos templorum, ac delubrum Dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat, & ingressi respergimur, non veluti qui inquinemur, sed si quod etiam scelus priùs habemus, purificemur.

Proh Hominum, Deumque fidem, potuitne mortalis, & caduca natura altiùs mentis aciem erigere, sanctiora potuitne excogitare? Vt Deum boni, pulchrique fontem, vt eum mala committere non posse, vt malorum curam gerere, & scelere temeratos expiare protestatur? Vt ab eo sospitatis nostræ originem deriuat? Quis Hippocratem vel entheasticum non deieret? Miramur Platonicos diuinè de Deo loquentes, atqui maxima, & sceleratissima peccata à Deo dilui, nemo Gentilium præter Hippocratem cum Israeliticis Vatibus cognouit. Si enim, inquit Paulus ad Rom. vnius delicto multi mortui sunt multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Ad hæc Christianas ceremonias, & ritus Ecclesiæ prorsus inuit, dum lustralibus aquis respergi homines antequam templa subeant, vt purificentur. Quid? Nonne in Baptismate aquis abluimur? Non ne prope valuas expositi manent lacies, vt his veluti piati à Dijs gratiam ineamus immortalibus? O Hippocratem maximum, o sacerrimum senem, qui non modò Artis Medicæ paragelmata nobis tradidit, verum & diuinæ pietatis semina iecit, quibus

imbuti admiramur, simul & ueneramur manes diuinos.

Cæterùm, antequam huic disputationi colophonem imponam, sciendum summum illum Plasmatorem, Vniuersique opificem præordinasse quidem omnia in proprios fines, mediaque præfinisse, quibus vnaquæque res ad finem suum commodè perueniat, Mundi tamen gubernacula ad absoluenda munera medijs caussis commisisse. Inferiora enim corpora à superioribus reguntur; hæc autem à separatis Mentibus, Idque non ob diuinæ virtutis imbecillitatem, sed ob bonitatis immensitatem, cum rebus à se creatis efficientiæ dignitatem impartiri voluerit. Hinc Platonicorum deprehenditur error, qui putarunt prouidentiam triplicem esse, quarum prima est summi Dei præcipuè spiritualibus, & cælestibus subsistantijs prouidentis, atque adeò toti Mundo solùm tamen quoad genera, & species, & vniuersales caussas. Secunda prouidetur rebus singularibus generabilibus, & corruptibilibus intra Lunæ orbem positis, quam sanè curam demandant secundis Dijs, qui cœlestia corpora cient. Tertia humanis consulitur rebus, cui Dæmones præficiunt, quos medios inter Deos, & homines constituunt.

Quòd Fortuna magnam partem conferat ad bene, feliciterque medendum.

Brutus. Philaletes. Euthymius.

Caput VIII.

Mortalium negotia Fortuna versat
Vall. Max. lib. 4.

BR. Quid hoc est tandem, quod fortunam tonatis, cui maximè Syri templa, arasque dicarunt? Itane sine mente sonus? Memini me legisse omnium primum Bupalum eius simulachrum effinxisse polũ in capite gestans, & manuum altera Amaltheæ sustinens cornu. Sed eadem pictoribus, quæ Phantasiæ libertas, humano capiti ceruicem iungere equinam, & varias inducere plumas vt possint. Eandem audio, (ita adoleuit fingendi licentia) Sortem, Nemesin, Tychen, Norciamue appellari, contrario semper fluibundam fluxu, & leuitate pernicem desultoria. Equidem ita tenuiter eam assequi mihi videor, vt verear prorsus, ne nomini quicquam subsit. *Phil.* Caue inanis phantasiæ figmentum credas. Fortuna, quòd temerè, & sine ratione feratur dicta est, etenim accidentium rerum subitus, & inopinatus est euentus. Quis enim Histaspis filium Darium Pheretrophorum ad regiam dignitatem euectum conspicatus, fortunam non profiteatur? Pone tibi ob oculos Archelaum Regem Simache Ancilla natum, Persæum Argiuum quidem, sed è vulgo, Antigonum, Polyparchum raponem, Phocionem, Cleonem, quid aliud, putas, quàm fortuna eluxescet? Rectè Agatocles apud Ausonium.

Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Non possumus Brute, non possumus, quin fortunæ manus demus, & quod aiunt, herbam porrigamus, magnum habet imperium. *Br.* Non ego rerum inficias ex libera loquendi libidine, quid quid præter ordinem, & opinionem accidit, id fortunæ acceptum ferri. At sanè cum vniuersa ex certa caussa fiant, iure videntur mihi antiquorum quidam fortunam exterminasse, vtpote quæ duntaxat verbo tenus existit. Verùm seriò, si aliquid esse putas, in quo rerum genere collocas?

An ad actionem reuocare placet, cum circa practica versari dicatur? Arist. quippe eandem propè esse, quæ fœlicitas, opinatus est, hæc autem eupraxia, siue bona actio. *Phil.* Profectò Arist. inter efficientes caussas recenset, (Pulchrè enim demonstrauit Alexander in alias caussas non esse deriuandã) uerùm quæ per accidens cum uerò accidentiam hanc alicui inhærescere substantię fit necessum, utique fortuna ad efficientem per se caussam reducenda est. Atqui cum efficientium tria sint genera, Mens quippe, Ars, Natura, siue facultas (quod enim in Physicis Philosophus naturam, in Metaphysicis facultatem appellat) horum alicui innitatur, oportet. Videtur autem practico intellectui, à quo non nisi rationis discerniculo distinguitur. Verùm vt planiùs constet eius vis, atque natura, à finitione sumam initia. Plato fortunam definit caussam, quæ sectetur, & incidat rebus, quas facere elegimus. Aristot. verò, caussam, quę hisce rebus interueniat, quas alicuius gratia, & volentes facimus, obscuram tamen, & instabilem, Viden' vt fortuna electionem excipiat, hæc autem intellectum sequatur. *Br.* Putas igitur fortunam à mente, & à consilio non separari. *Phil.* Cum circa ea duntaxat, quæ à nobis agi, gerique possunt, versetur, à voluntate, & consilio dirimi, diuellique vix possit. Hocque interest inter alias caussas intercidentes, & fortunam, quòd illæ singulæ caussis per se accidunt, in fortuna verò vna, eademque actio alterius certa, & definita per se, alterius caussa per accidens euadit. *Br.* Qui fit igitur, vt fortuna minima sit, vbi mens, & ratio multa? *Phil.* Quòd præter agentis consilium accidit, atqui maximè intelligenti, & sapienti, qui sagacitate plurima præuidet, perpauca præter opinionem eueniunt. *Br.* Videris profectò fortunæ aliquam obiecisse imaginem, vt deinceps ad credendum inducar, nullo negotio. Cæterùm si consilium, & actiones nostras sequitur fortuna, vnde vnusquisque suę fortunæ faber dicitur, cur non omnes peræquè obsecundat, sed illum opprimit, pessundatque hunc erigit, & extollit? Si peritia, vt ait Plato, efficit, vt vita nostra per artes incedat, imperitia, vt temerè circumuagetur, cur alogos, & inertes aliquot Medicos videas fortunatissimos? Si circa practica versatur fortuna, quó quis agit consultiùs, eò esse debet fortunatior. Non sine tamen admiratione identidem contrarium est cernere. Qui fit hoc? *Phil.* grandem profectò mihi injicis scrupulum, quem ego nisi re maturè expensa non eximam. Est sanè dignus vindice nodus, cui suppar ego. Sed ecce properantem video Euthymium illum iatronicum, ipse satis bellè faciet. Te saluere iubemus, & opportunè, ita viuam, ades nobis Euthymi doctissime.

me. *Euth.* Huius dici exortum vobis quoque fœliciſſimum peropto elegantiſſimi iuuenes. Sed quæ vos tenet ſollicitos anxietas? Exprimite, ſi quid eſt, quod conſilium, aut operam meam deſideret. *Phil.* Eſt profectò, &, ni quàm primùm huc concedebas, me exercebat impenſiùs, quæ & Claudianum pœnè tranſuerſum egit, ambiguitas, Cur improborum (miſcitia enim comitem ſemper habet malitiam) potiùs, quàm meliorum fortuna rationem habeat?

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Claudianus. *Vexarique pios, rurſùs labefacta cadebat*
Religio, cauſſaque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ ſemina currere motu
Aſſirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi.

Io. Huartes lib. 1. Scrut. ingeniorũ. Cur ſcilicet impij inſipientes, ſuper bonos, & ſapientes efferantur? Non me præterit, quid afferant ex Peripatetico Auditorio nonnulli, ſed neque rectè difficultatem diluunt, neque probantur mihi. *Euth.* Ad magna me euocatis myſteria, quę ſacrum potiùs deſiderent Philoſophum, quàm Apollinis Diſcipulum. Dicam tamen miſſo tantiſper Ariſtotele, vt vobis morem geram, à Platonicis fortunam à ſingulari Dei prouidentia non diſtingui: Quare cum eius obtutum nihil poſſit effugere, eorum quoque curam gerit, qui nauci ſint faciendi, vt vel bonorum omnium perfuſi delitijs Authorem ſuum agnoſcant, & ad frugem redeant, vel certè ſtudioſa eorum aliqua actio prætereunte, & euanido rependatur commodo: Nullum enim bonum irremuneratum relinquit Deus. Sed video vos aliquid amplius deſiderare; Sciendum itaque fortunam interdum voluntatem, & intellectum ſignificare, qui præcipua, & proxima perhibetur cauſſa fortunæ inopinati euentus ratione, hinc Ariſt. fortunam & caſum dixit Intellectum, & naturam. Dein fortuna accipitur pro diſpoſitione, & illice, quo agens ad agendum proritatur, vnde ſuccedit actioni non intenta effectio, & hoc pacto deſiderium, illicium, cognitio dici poſſunt fortuna, quæ à Proclo ita finitur, vt ſit vis dæmoniaca cauſſas inordinatas inuicem connectens.

Nonnunquam fortuna de Cœlo dicitur, quod cuſortunij, aut infortunij his mortalibus ſit cauſſa, propterea à globo inſidens effingitur. Accipitur, denique pro influentia, vt apud Albertum Magnum, Fortuna, inquit, eſt qualitas à Cœlo profecta iuxta natiuitatis periodum, à qua quiſpiam aptus, aut ineptus ad fœlices ſucceſſus redditur.

Hinc D. Thomas Aſtra, inquit, vim animis noſtris imprimunt, per quam operamur, quod melius eſt, qua vi dicimur fortunati, vt Medicus medendo, Imperator pugnando: Hanc Ariſt. in Rhet. vocat nobilitatem diuinæ potentiæ. &c. Partim Theologica, partim Phyſica nobis obtrudens dubij attulit ſolutionem. Sed non vides quàm refractarium tuum habeas Hipp. qui lib. de locis in homine. Si morborum certa ſunt medicamenta, inquit, vt ſũt, quorſum fortuna opus eſt? Aut ſi in exhibitione medicamentorum fortuna aliquid confert, non magis perfectè medicamenta, quàm non medicamenta cum fortuna exhibita morbis proderunt. Quare concludit; Qui medicinam perfectè calleat, minimè fortunam reſpicit, aut expectat.

Hæc Hipp. & rectè ædepol, vbi namque ratio viget, nullum fortuna videtur habere poſſe locum, Ars verò mentis habitus eſt recta cum ratione effectiuus. *Euth.* Itane obijcis Hipp. ab Arte Medica fortunam amandantem? Ego verò tibi inducam palam admittentem.

Ita enim ille libro de Arte. At neque ego fortunam ab operibus vllis excludo. Quin potiùs exiſtimo morbis, qui malè curantur, vt plurimum infortunium accidere; Qui benè, eos bonam fortunam nanciſci. Paullo autem poſt ſubdit. Cæterùm dicet hic aduerſarius, multos iam ægros citra Medicorum vſum ſanatos fuiſſe, & ego id dicentibus credo. Videtur autem mihi omnino fieri poſſe, vt qui medicis non vtuntur, in medicinam incidant, non quidem vt ſciant, quid in ipſa rectum ſit, quid non ſit, ſed quia fortuitò genus illud curationis offertur, quo vſi fuiſſent, ſi Medicos adhibuiſſent. Hęc Hipp. qui alibi ſic ſcriptum reliquit Quicumq; tamen fortunam medica Arte, vel quauis alia re penitus abdicat, eos, qui benè ſciunt, & faciunt fortuna non vt mihi non rectè ſentire uidentur, nam ij ſoli mihi videntur, vel bonam, vel malam fortunam nanciſci, qui benè, vel malè quid ſciunt, vel faciunt. Et lib. de Præceptionibus. Nam cum ij Medici non ſint non redarguti ſuperbiunt, caſuq; & fortuna egentes quædam rectè peragunt quare fidentes in peius decidunt. &c. Celſus verò lib. 3. Cap. 1. in nullo morbo quidem fortuna minus ſibi vendicare quam Ars poteſt, vtpote cum repugnãte fortuna nihil medicina proficiat. &c.

Videtur ne tibi fortunam agnouiſſe Hippocr.? Certè non potes ire inficias, quum tam explicatè mentem prodiderit ſuam. Verùm, vt hoc amplius conſtet, repetendum, curationem vniuerſam per contrarium fieri, (quamquam hoc temerè auſus eſt infringere petnicioſiſſimus Paracelſus) hoc autem duplex eſt, intrinſecum vnum, alterum extrarium; illud natura ipſa eſt, virtus quippe rectrix omnium naturalium virium aggregatione coagmentata, vt docuit Galenus, quæ functionum omnium opifex eſt: Hinc Hippocr. naturam morborum omnium medicatricem nuncupauit. Quò reſpexit & Meſuæus, animaduertens actionem ſoluentis medicamenti fieri diſcernente, & limitante natura, humorumque expulſionem ipſius eſſe naturæ opus, pharmacum verò eiuſdem machinamentum, operatur verò natura, ceu per inteſtina inſtrumenta, per calorem, ſpiritum, & temperamentum. Extrarium verò contrarium eſt præſidium à Diæta, Chirurgia & Pharmacia petitum, quod ſanè per fortunam, Medicum, & Aſſiſtentes adhiberi debet, tamquam per ſanitatis efficientes cauſſas. Propterea Galenus ipſe prodidit, fortunam quidem, Artem, & Artificem materierum interuentu agere. Eſt 6. In Principio ſuorum Canonum.

Ex hoc conficitur, vt fortuna non minimam partem conferat ad benè medendum.

Vnde Galenus, At verò, ait, cum cauſſæ ſanitatis ſint omnia, quæ ſanitatem efficiunt, vna certè earũ eſt, quod auxilium vocatur, quod pro varijs notionibus & vltima, & prima ſanitatis cauſſa rectè dicitur. Quippe tempore vltima erit, propterea quòd Meth. 11. c. 1.

tempore Natura,& Ars, & Fortuna priores sanitatis causſæ ſunt.

5. de Loc. affec.7. Alibi uerò idem Galenus, ait. Sæpe fortuna non contemnendam adipiſcendæ laudis anſam Medico ſuggerit, ea tamen uulgus Medicorum ob imperitiam uti neſcit.

5.de I. Aff. De Præcognitione. Comm. in Auic. lib.1. Hinc etiam fortunam uiam præbuiſſe Galeno, legere eſt, & bonam fortunam ſecutam eſſe Galenum. Deſinat poſthac igitur Bettus ille deblaterare,& Medicos uulgares, & ſuperficiales uocitare, qui Medicum oportere eſſe fortunatum dictitant. Perquam neceſſaria uidetur mihi fortuna.

Cappiuaceus lib. de Method. Doctrin.c.9. Verùm ſunt, qui in contraria Hippocr. loca incidentes ex parte ægri, & ex parte medentis fortunam admittunt in arte. Ex parte quidem ægri, ſi peritum, & fidelem Medicum nanciſcatur,propterea Galenus languentes illos fortunatos appellabat,qui in præſtantem Medicum inciderent, infortunatos; qui in prauos & inſcitos. Ex parte verò medentis,ſi curatu faciles,& ſalubres morbi occurrant,egrique,& aſſidentes opportuna facientes.Br. Li. de leg. Platonis in mentem uenit, qui à Deo, & fortuna humana omnia gubernari aſſeruit. *Euth.* Profectò Hippocr. fortunam ab arte Medica non excludit, utpote qui alibi Numen in Medicina minimè ociosum eſſe dixit,pharmacaque, & omnes Medici conatus inde agendi vim ſuſcipere. Propterea hanc fortunam nonnulli interpretati ſunt Diuinam benedictionem, qua medendi ſcientia delibuta fœliciſſimos gerit effectus, cum uniuerſa à Deo pendeant,qui omnia in omnibus,ut ait Paulus, operatur. Mentis igitur,& Moris bonitatem quærat, qui fortunæ ſtudio profrui concupiſcit: Rectè,enim, & prudenter agendo Dijs gratum facimus, à quibus bona fortuna. Propterea antiquitùs infortunati declinabantur tamquam Dijs inuiſi.

Sennertus. Lib. Inſtitutionum, Medic.

Nullum Numen abeſt,ſi ſit prudentia,ſed nos
Te facimus fortuna Deum,cœloque locamus.

Quod uulgò fortunæ tribuitur, ſacræ paginæ in Deum referunt Exod.21.14. Fortuitò nihil accidit Exod.21.13.Deut.19.1.

Hæc ſunt eruditiſſimi Iuuenes,quę mihi ex tempore inter ambulandum in mentem uenere,quibus ſcio, me non feciſſe ſatis, quòd maior ſit difficultas,quàm ut à me protinus enodari, atque reſolui queat? Æqui igitur,bonique faciatis, dum meliora ſuccurrant.

Quod unica ſit uera Religio, nempe Chriſtiana catholica aduersùs Themiſtium.

Oratione xij. ad Imper. Iouianum. Caput IX.

QVm nihil antiquius ſit ueritate, quæ una eſt filia temporis, hanc ſanè ſartam, tectamque habere oportet, ne deinceps fallacia in foueam calamitatis miſeros mortales impellat, qua verſutus vtitur Themiſtius. Homo alioquin doctus, ſed de Chriſtiana Religione peſſimè ſentiens,dum Iouianum Imperatorem hortatur,vt liberam vnicuique Religionis,cultuſq; diuini optionem relinquat, quòd Deus vario cultu delectetur, nec adhuc compertum ſit, quali potius gaudeat. Vt verò Themiſtij impietas magis pateat age in medium feramus hominis verba. *Non ita (diuiniſſime Imp.) feciſti, ſed cum in cæt. Imp. & eſſes, & perpetuò ſis futurus, quòd ad Religionem cultus Numinis attinet, in cuiuſq; eſſe arbitrio tua lege conſtituiſti,hac & in parte Deum imitatus, qui cum naturalem quandam ad religionem propenſionem communem omnium hominum feciſſet,rationem tamen, modumque colendi Numinis in vniuſcuiuſq; voluntate, ac libertati ſitum eſſe voluit. Quiſquis verò vim,& neceſſitatem infert, is à Deo conceſſam poteſtatem eripit.Propterea Cheopis, & Cambiſis leges vix cum illorum, qui conſtituerant, vitæ tempore adæquatæ ſunt. Dei autem, & tua ſanctio immobilis, & ſempiterna manet, vt cuiuſque animo liberè permittatur, quodcumque iudicauerit, iter pietatis arripere: Hanc verò ipſam legem neque opum,neque facultatum ereptio, neque cruces, neque ignis vnquam perumpere potuerunt, verùm quidem corpus,ſi ita contigerit,abduces, atque interficies, animas autem liberam vnà cum lege mentem circumferens,auolabit,quamuis extortum ab lingua aliquid fortaſſe fuerit, &c. Quemadmodum autem ſub eodem certaminum, moderatore ferantur quidem curſores omnes, nec eodem tamen omnes curriculo, ſed hac iſti, alia illi parte, ita tamen, vt vbique qui vincitur nullum præmium reportet,ſic vnàm tu maximum certaminum Præſidem eſſe arbitraris, ad eum tamen non vna tantùm via peruenire, ſed aliam difficiliorem,aliâ rectiorem,aſperâ aliam, aliam æquabilem, ac planam eſſe: Cæterum omnes ad illud diuerſorium pertinere, nec aliunde certamen hos nobis,ac concitationem oriri, quàm quòd non eadem omnes via progrediantur. Quòd ſi vna diuitaxat relicta cæteras obſtruxeris, certaminis campum,ac ſpatium obſepies. Vetus hæc omnium natura eſt,& hoc dictum. Sacra alius Diuorum alij facit. Homero antiquius eſt, ac neſcio, an minimè Deo gratum ſit, iſtiuſmodi inter homines conſenſum reperiri. Natura quippe, ait Heraclytus, occultari amat, & ante naturam naturæ opifex Deus, quem ob id vnà maximè veneramur, atque obſtupeſcimus, quòd non proclinis ſit eius cognitio, nec in ſuperficie poſita, aut ante pedes obiecta,nec aut ſine ſudore, aut altera tantùm manu apprehendere poſſimus, &c. Patere vndecunque ad cœlum pro Imperio tuo vota, preceſq; pertingere. Neque tibi exercitus(Imperator)vllus ex vna, eademq; hominum ſpecie conſtatur, ſed alij grauioris armaturæ ſunt,equites alij, alij funditores, ac nonnulli ad tutelam corporis tui, ac præſidium diſpoſiti ſunt, alij his ipſis proximi, alij longiſſimè remoti, alij verò vel hoc ipſo contenti ſunt, ſi à ſtipatoribus tuis cognoſcantur, alij deniq; nec hoc quidem aſſequuntur. Nihilominus tamen omnes à te animo, & voluntate pendent, non milites modò, ſed etiam cæteri omnes homines, & inermes ſubditi, velut agricolæ, oratores, qui orationibus aures præbent,Philoſophi. Hac quoq; varietate totius Vniuerſi Auctorem, ac Principem delectari puta. Alijs inſtitutis, ac ritibus uti Syros, alijs Græcos, alijs Ægyptios cupit, nec Chriſtianos audit. Syros adeò,ipſos vſidem omnes legibus cenſeri, ſed adhuc bifariam illius inſtituti ratio diſtribuitur. Nullus enim penitus eadem cum uicino ſuo ſentit, ſed aliud uni,aliud alteri uidetur.Quid nos igitur,quæ fieri nullo modo poſſunt, violenter efficimus? Atq; cùm cæteros omnes

omnes diuinum Imperatorem nostrum amare de ea lege plurimum oporteat, tùm eos potissimùm, quibus non modo libertatem tribuit, sed & iura eorum explicat nihilo sanè Empedocle deterius (non Veterem illum Empedoclem intelligo.)

Hactenus Themistius, qui impudentissimè subdidit, Iouianum, qui simul atque Imperium subijt, fidei catholicæ professionem edidit, hæreticosque repressit, christianorum iura, ritusque tueri nihilò sanè Empedocle deterius, non veteri, sed nouo, Christum seruatorem nostrum audiens, vt monet Petauius, quem palam proferre non est ausus, ne pium Imperatorem offenderet. Scitum enim est, veterem illum Empedoclem clanculum se se in Æthnę voraginem præcipite sponte dedisse, referēte Laertio, vt vulgus se inter Deos ereptum putaret. Siccine Religionum myriades commendat. Siccine Empedoclem Christò, hominem Deo impudentissimè confers? Aut tibi Christi miracula constabant, aut certè nondum ad aures peruenerant, si constabant, aut bardus es, & insipiens, aut tibi credenda diuinitas, neq; enim purus homo cæcis repentè visum, Paralyticis motum mortuis vitam rependit. Quod si suspecta tibi fides erat, poteras vtique Gregorium Nazianzenum, nec minùs Augustinum consulere, qui tuo tempore floruerunt. Sed rem ad lydium lapidem probemus.

Vnam esse Ecclesiam in symbolo fidei credendum esse præcipitur, quod D. Thomas ita probat. Efficitur autem vnitas Ecclesiæ ex tribus primò ex vnitate fidei, omnes enim Christiani, qui sunt de corpore Ecclesiæ idem credunt 1. ad Corinth. *Id ipsũ dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et ad Ephes. *Vnus Deus, una fides, unum baptisma.* Secundò ex vnitate spei, quia omnes fitmati sunt in vna spe perueniendi ad vitam æternam, & ideò dicit Apostolus, ad Ephes. 4. *Vnum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis nestræ.* Tertio ex vnitate charitatis, quia omnes connectuntur in amore Dei, & ad inuicem in amore mutuo. Ioannes xvij. *Charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Manifestatur autem huiusmodi amor, si verus est, quando membra pro se inuicem sunt sollicita, & pro se inuicem patiuntur, vt ait Paulus ad Ephes. *In charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnes iuncturas subministrationis secundum operationem in mensura vnius cuiusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.* Quia quilibet de gratia collata Deo debet seruire, nec pati ab illa Ecclesia abijci, & expelli, quia non est nisi vna Ecclesia in qua Homines saluentur, sicut extra Arcam Noe nullus saluari potuit. Hinc 6. Cant. *Vna est Columba mea, perfecta mea.* Hactenus D. Thomas graphicè, quę quia fortassis impius homo negliget, & aspernabitur, age in medium rationum momenta feramus, quibus manus det.

Media debent respondere fini, atqui Gentium omnium vnicus est finis, nempe æterna beatitudo, reliquum est igitur, vnicum sit medium, per quod hanc consequi licèt, quod est Christus theanthropos, cui quisquis fidem derogat, reus est sempiternę mortis. Nec est, quod Themistius obijciat Imperatorem varijs stipatum subditis; Ad hanc metam pet varia itinera perueniri; concessamq; à Deo libertatem de medio tolli; Nam si quædam viæ sunt planæ, quædam asperæ, & inaccessæ. Cur Iuppiter non omnibus idem? Cur illos blandiens admittit illos sæuiens exercet? Voluntatem quidem liberam vnicuiq; concessit Deus, sed actus volendi, nolendi noster est, pendetq; ex libero arbitrio, quare cum Deus vnus sit simplicissimus simplici vnitate gaudet, vnitas enim perfectionem nempè formam sequitur, diuisio imperfectionem nempe materiam, quæ opponitur Deo, vt malum bono. Apage ergo, cum

Nil agat exemplum litem, quod lite resoluit.

Ad hæc Christiana Religio vera est ergo vna, illud sanè probatur ex myraculorum myriadibus, & ex morum, rituumq; honestate, & sanctitate, hoc autem ex eo, quòd verum non est multiplex: Res vna veritas vna. Porrò ea est vera Religio, atq; adeò vna, quæ maiorem erga Deum includit pietatem omni superstitione secluſa, atqui huiusmodi est Christiana, quæ in Amore Dei, & proximi consistit, Deumq; colit trinum, & vnum, nam etsi Auenrhois scripsit in Phyticis hoc esse adynaton, is, quemadmodum dixit Beda, non tenetur, quia fuit Paganus, nulliq; sectæ addictus

Matto è, chi spera, che nostra ragione Dantes Cāt. 3. Purg.
Possa trascorrer la infinita via,
Che tiene vna sostanza in tre persone.

Per diuinam reuelationem Ecclesia tantum sapuit, id quod Nicolaus Taurellus physico epicheremate probare conatur.

In rebus omnibus duo considerantur, substantia, & eiusdem actiones. Substantia suis perficitur actionibus, quo fit, vt quies rerum imperfectionem denotet. Deum fatentur Philosophi substantiam esse perfectissimam, quod si non concederent, multis faceremus notum rationibus, nullam ergo quietis rationem admittit, sed actione perficitur perfectissima: Hæ autem sunt actionis perfectissimæ proprietates, vt ea finem suum in se habeat, vt finis ille sit perfectissimus h. e. vt summus existat non alij subiectus, & opus exponat absolutissimum. Substantiæ perfectissimæ proprietates hæ sunt, vt nec ipsa quietem admittat, & perpetuo vigore subsistat, & actione sua perfectissime perficiatur, h. e. sola, & semper, vt nec prius extiterit, quàm perfecta esset, semperque perfectissima sit futura, nec perfectio hæc alterius sit cuiuspiam. Hæ tria in Deo, quòd non quiescens, vt reliqua sit substantia, sed perpetuo vigore subsistat, patent apertissimè. Tria quidem sunt hæc propriis distincta rationibus, (quas idiomata vocant Theologi) non autem tres numero separatas constituimus substantias, sed vnum esse infinitum, non enim vno plura esse possunt infinita. Huius rei aliud habemus argumētum; Si quod fit ab eo, quod agit, separatum est, vt duæ, non vna sint substantiæ, tum quod fit, prima causa dici non poterit, non enim prima causa quicquam dici poterit, quod causam sui extra se habet, at si primæ causa non sit, finitum quidam est extra Dei substantiam subsistens, non poterit ergo eius actionis effectus esse, qua Deum esse diximus, hæc enim agit Deus sibi ipsi, non alij cuipiam, quo fit, vt actio, qua Deus est, in Dei substantia contineatur, non extra eamgetur. Hanc internam Dei actionem, veterum nullus philosophando ani-

do animaduertit, vt de suo Platone glorientur Platonici. Quid nostræ fidei magis potest esse consonum, qua Deum substantia vnum, & personis trinum colimus, & veneramur. Deus agens Patrem refert, eiusdem effectus filium, actio id, quod agit cum eo, quod sit coniungens inseparabiliter pie Spiritus sanctus dicitur. Si quæratur, ergo, quid ab æterno egerit: Se ipsum fecisse dicendum est, tum quòd præter eundem nihil ab æterno fuerit, quod fecisse dici possit, tum quod sibi ipsi non alij cupiam Deus ab æterno fuerit. Hæc graphicè Taurellus.

Præterea veræ Religionis finis est salus, præsertim animarum, atqui solus Deus est, qui nos saluat, & purificat, quod norunt & Ethnici, sic enim Hermes in Asclepio.

Gratias tibi agimus ò summe, & experantissime tua enim gratia tantùm sumus cognationis tuæ lumen consecuti, nomen sanctum, & honorandum: nomen vnum, quo solus Deus est benedicendus religione paterna, quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, & amorem, & quæcunque est melior efficacia, præbere dignaris, cum donas nos sensu, ratione, intelligentia, sensu, vt te cognoscamus, ratione vt te suscitiombus indagemus. Intelligentia, vt te cognitione cognoscentes gaudeamus, ac numine saluati tuo gaudeamus, quòd nobis te ostenderis totum gaudeamus, quod nos in corporibus sitos æternitati fueris consecrare dignatus. Hæc enim est sola humana gratulatio cognitio maiestatis tuæ.

Mesues autem. *Gyrum Cœli fecit Deus, & terram posuit in puncto, concordias nutrit ipse solus, & discordias arcet, sanum similiter, & morbidum sanat ipse solus, salutem itaque ab ipso solo dari creditur.*

Ac verò Arist. lib. 3. cap. 4. de mystica Philosophia secundùm Ægyptios. *Et tale ens, inquit* (loquitur de Deo) *agit contemplans essentiam suam solam, quia nihil existit aliud ab eo, quod non processerit ab illo. Hoc autem existit per se, ac producit omnia alia, ac dirigit producta, seruatq; solus permanentia, sed & mouet à se eadem, ad seq. &c.*

At verò Hipp. lib. de morbo sacro. Deus est qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, ac liberatio nostra existit, ipsique terminos templorum, ac delubrorum Dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat, & ingressi respergimur, non veluti qui inquinemur, sed si quod etiam priùs scelus habemus, purificemur.

Quare si Religionis finis est salus, salutis autem Deus est Author, salutem autem sine expiatione indipisci non licet (nihil enim impurum admittit Cœlum, vt ait Plato) expiationem verò is solus impertire potest, qui etiam saluare (sunt enim eadem dispositionis, & perfectionis principia) reliquum est, vt mediator, Dei, & hominum sit Theantropos, qualis Christus est, quem nos colimus, & summa veneratione adoramus Hominem-Deumque verum. Hic est, cuius sacræ paginæ meminere.

Perditio tua ex te, à me auxilium. Oseæ 13.

Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, vt sine timore seruiamus illi. Hic est, quem Iacob capulo proximus, sed Spiritu sancto repletus præuidit, prædixitque futurum, quo tempore Iudæorum sceptra peribunt. Hic tam desideratus gentibus, quem uenturum prædixit Propheta, quem uidit Simeon ante fata, ut sibi ab oraculo promissum fuerat, quem Ioannes Baptista digito demonstrauit mundi Saluatorem.

Desinant igitur perfidi Iudæi Messiam præstolari, qui exactis iam, sexcentis & lij. super annorum millia in hunc mundum uenit, & triginta tres annos inter suos conuersatus est, & miraculorum myriades patrauit, sed sui eum non receperunt, sed potiùs Christum suum ex Maria semper Virgine natum, quæ de Spiritu sancto conceperat, crucifigendum curarunt Satrapæ; sed in nostram salutem, & prout à Deo præordinatum erat.

Desinant insani Turcæ Mahometem, ceu Piacularem pseudoprophetam colere, qui rebellis est, tantùm abest, ut gratiam à Deo inire ualeat, & intercedere.

Fuit ille uaferrimus homo comitiali morbo obnoxius, qui dum paroxysmo corripiebatur, simulabat se rapi, & tunc ab Angelo de Religione commoneri. Nugæ. Hæc Religio armorum uiolentia, prima suscepit initia, tam uerò latè diffusa est ob futiles, ridiculasq; promissiones, quibus ignarum uulgus deceptum fuit, sunt enim enormia, imò impossibilia, quę fatua Mahometis lex pollicetur post mortem futura.

Solus Christus summus Sacerdos est ueniæ largitor (à quo Pontifex Vicarius claues accepit, soluendiq; & ligandi potestatem) solus est Saluator, solus gratiæ, & gloriæ Dominus: Per Christum modò licet Cœlum petere, & uitam æternam possidere, ille enim est Via, Veritas, & Vita. Via quidem, quia præcepta tradidit seruanda, quæ ad optatum dirigunt finem: Veritas, quia Verbum Dei est id, quod est, nec fallere potest. Vita, quia ut anima corporis actus est, ita Deus est Vita animæ per gratiam, ut ait Augustinus, est enim uel Diuo Paulo teste, in quo sumus, uiuimus, & mouemur. Sed colophonem huic disputationi imponamus memorabili Platonis sententia in Critia. *Tantisper, inquit, meis acquiescendum documentis, commonitionibusque, donec homine augustior quispiam, sacratiorq; se se in terrarum orbe ostentet, veritatis adyta, fonteſq; recluſurus arcanos, quem veluti Ducem inexhaustabilem insequentur omnes.* His Christum Seruatorem audiuisse uaticinio, conceptis uerbis testatur Cœlius Rhodiginus.

Perillustri, atque admodum R., & celebri Concionatori Patri Grotulæ.

An Fides sine operibus sufficiat.

EA est rerum uicissitudo, atque inconstantia, ut uerè tandem cum Heraclyto nihil solidè sciri possit, si modò scientia sit eorum, quæ sunt æterna, & necessaria. Quam calamitatem Salomon quoque sapientissimus deplorauit, putans, ijs, quibus humanitùs scientia conceditur, multum adijci afflictionum, quod nimirum creperus scientiæ habitus sæpe fallat, & contraria rerum uicissitudo animis illudat. Id quod prorsus mihi contigit Ecclesię Proceres, Regiumque Prophetam legenti. Et ne te diutiùs logomachia morer. Vide, qui me D. Paulus in difficultatum scopulos impegerit, ut naufragij pertimescamni, saltè tabella porrigatur.

Cum

Ad Titum cap. 3. , Cum autem benignitas, inquit D. Paulus, & humanitas apparuerit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum.

cap. 2. , Præterea ad Ephesios. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, &c.

cap. 1. , Et D. Petrus. Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.

Psalmo 129. Hæc faciunt, quæ à Regio Propheta dicuntur, Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

Hisce Deo per Christum abundè esse factum etiamnum pro omnibus nobis videtur, si viua, solaq; fides vigeat citra operum admissuram.

cap. 2. Epist. Quibus acriter renititur D. Iacobus. Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est. Abraham Pater noster nonnè ex operibus iustificatus est offerens filium suum super altare. Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura dicens. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videte, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm, &c.

Psalmo. *Da mihi intellectum, & viuam.*

Quem hic è triplici intellectu audit? Non certè primum, quem Philosophi vocant in potentia, cuius omnes Homines sunt compotes. Non secundum, qui dicitur in habitu, quoniam hic comparatur dormitanti Astronomo, qui callet quidem theoremata, sed non promit. Reliquum est, vt sibi velit tertium, qui dicitur in actu, quòd sit in officio, à quo merita, aut demerita proficiscuntur. Sed cum hic multò magis ad malum propendeat, quã ad bonum, iuxta illud.

Video meliora, proboq;
Deteriora sequor.

Cur vota non circumscripsit bono? Ad hæc cur infertur (vt viuam? Vita, si credimus scaligero, est actus animæ, si viui, conseruatis instrumentorum animæ, si Aristoteli, permansio nativæ caliditatis in huiusmodi. Nos eam finimus viuentis constantiam ob Alentis animæ in naturali calore præsentiam, viuere enim viuentibus est esse. Vide igitur, qui vita ab Alente Anima, non ab intelligente pendet. An vitæ nomen homonymon? Quare ficuti qui voluptati vacant, voluptuosam, qui regendis ciuitatibus ciuilem, qui contemplationi contemplatiuam vitam agere dicuntur vita, qui Deum speculantur, æternam obtinent vitam iuxta illud Ioannis xvij. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.

Psalmo 142. *Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.*

Deus cum nulli mobili sit extrinsecus, vt est philosophicum proloquium, imò sit vnicuique rei intimus, (neutiquam tamen vt putabat Thales, quẽ meritò refellit Arist.) & nobiscum proximè agat, est enim, vel D. Paulo teste, in quo sumus, viuimus, & mouemur: Nihil est, inquit Hermes, in omni natura, quod ille ipse non sit, est ille siquidem quæ sunt, est ea etiam, quæ non sunt, quæ quidem sunt, deduxit in lucem, quæ non sunt, occulit in se ipso. Qui faciem suam auertat? Simul enim atq; se subtrahit Deus, res esse definit, argumento sit ignis Babylonicæ fornacis, cui quoniam Deus suam denegauit præsentiam, pueros comburere non potuit, quia ignis erat homonymos. Quò spectat & illud Virgilianum

Ascanius curuo direxit spicula cornu,
Nec dextræ erranti Deus abfuit.

Non abfuit, quia cum dextra Ascanij vis quoq; diuina præsto fuit quæ vegetat omnia.

Quare mirum, atque iterum mirum, cur Dauid tam efflictim peteret, ne Deus faciem suam, hoc est præsentiam auerteret. Scio enim hic aliter faciem accipi, quàm apud Mosem, qui postulabat, vt sibi Deus faciem ostenderet, cui respõsum fuit, faciem meam non videbis, posteriora videbis, quæ aut diuinitatis effecta sunt, aut Christus Theanthrõpos. An faciem hic audit pro singulari Dei prouidentia, qua suis Amicis prospicit, quos propterea fortunatos vocant Platonici? Sed quæ similitudo? Si Deus respiciat, & illuminet, fore vt sit similis descendẽtibus in lacum. Sicine? Apud Ecclesiæ proceres semper lacus deteriore modo accipitur, & propterea lacus leonum dicitur, & precamur etiã Deum, vt de profundo lacu nos liberet, id quod accidit, vbi nos respicit Deus. An per lacu intelligitur Purgatorium, vbi piantur Animæ. Quare perinde est, si respiciat Deus, ac si miserando peccata deleat omnia.

Responsio.

VT tuo desiderio Excell. Domine satisfaciam, cum proprium vt homini sciendi desiderium vt Philosophus in Meth. initio testatur, quod Axioma in fidei supernaturalis rebus locum habet etiã iuxtà Angelici Doctoris in tractatu de Dei Visione dictum; Vnde proposita dubia soluere incipiã.

Quantum igitur ad primum desumptum ex Paulo ad Titum c. 3. Vnde habetur. Cum autem benignitas, & humanitas apparuerit Saluatoris nostri Dei non ex operibus Iustitiæ, quæ fecimus nos. Ex his verbis non colligitur nos salutem acquirere sine operibus nostris, sed solùm Diuinam Incarnationem fuisse à Deo factam non ex nostris præcedẽtibus operationibus, sed ex sola diuina misericordia. Vnde in hoc loco ostendit Paulus primo causam salutis, dicens, benignitas, & humanitas. 2. Rationem saluandi non ex operibus Iustitiæ. 3. Modum salutis per lauacrum, & 4. Finẽ, vt iustificati.

Quoad secundum. Dico quod Apostolus hic excludit errorem in quem aliquis incidere posset. Gratia enim inquit, estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei .n. donum est, non ex Operibus, ne quis glorietur. Excludit inquam errorem, quia quis credere posset quod fides daretur nobis à Deo merito operum præcedentium, vnde ad excludendum hoc subdit, non ex operibus. s. præcedentibus, hoc donum meruimus, quia hoc ex gratia,

secun-

secundum illud Rom.11. Si autem gratia iam non ex Operibus alioquin gratia non est gratia. Hinc etiam dicit. Dei enim donum est, ne quis glorietur in se ipso. Ad manifestandam ipsius gratiæ infusionem, & ad declarandum gratiæ prædestinationem per subsequentia verba, quæ in terra habentur, & primo. Infusionem gratiæ per hæc verba. Ipsius enim sumus factura creati, ideſt, quicquid boni nos habemus non est ex nobis ipsis, sed ex Deo faciente, vt Psalm.99. Ipse fecit nos, non ipsi nos. Subdit creati, est enim creare aliquid ex nihilo facere; vnde quando aliquis iustificatur sine meritis præcedentibus dici potest creatus, quasi ex nihilo factus. Hęc autem creatio iustitiæ fit virtute Christi, Spiritum sanctum dantis, propter quod subdit. In Christo. Psalm.103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Declarat prædestinationem subdens in operibus bonis, quæ præparauit Deus. Nihil enim aliud est prædestinatio, quam præparatio beneficiorũ Dei, inter quæ computantur bona opera nostra. Subdit denique vt in illis ambulemus. Quasi dicat. Nobis ea præparauit, vt ea nos ipsi per liberum arbitrium impleremus, vt dicitur prima Cor.3. Dei enim adiutores sumus. & 15. Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboraui, signanter autem dixit, ambulemus, vt designet boni operis profectum, secundum illud Io.12. Ambulate dum lucem habetis. Ex hoc 9. discursu videtur Apostolus non asserere salutem esse ex fide sola, excludente bona opera, vt optimè ipse ad prædicta respondet auctoritate Iacobi, quod loquitur de fide viua, ideſt conuincta cum operibus, quia sine illis fides mortua est.

Ex illis verbis Dauid. Da mihi intellectum & viuam. Mihi tale proponit quæsitum. A quo merita, & demerita proficiscuntur.

Ad quod breuiter respondeo. Merita primo ortum habent à Deo gratis dante gratiam suam, secundò à propria voluntate hominis cooperante. Demerita verò positiuè solummodo à libero arbitrio nostro deficiente iuxta illud Io.1. sine ipso factum est nihil, id est sine Deo factum est peccatum, sic exponente Augustino.

Ad id de Votis quærit vestra Excell. Dominatio cur vota non circunscripserit bono.

Ad quod respondeo, quod non circumscripsit bono de præcepto, & absolutè necessario, benè tamen circonscripsit bono de Consilio, quod ex vi voluntatis vouentis se habet vt de præcepto. Causa enim cur non circonscripsit bono de præcepto est, ne reddatur Lex Dei nimis onerosa.

Ad id de Vita. Dico quod vita vel vt naturalis, vel in ordine gratiæ, vel in ordine gloriæ. Quicquid sit de vita naturali, loquendo igitur in ordine supernaturali, dico gratiam gratum facientem esse vitam Animæ, vel ipsum met Deum, vt ait Augustinus. Sicut Anima est vita Corporis, ita Deus est vita animæ. Denique vita æterna consistit formaliter in cognitione Dei per essentiam, completiuè in fruitione.

Ad illud denique Psal. Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum. Suprà quæ verba talem proponit difficultatem. Deus cũ sit intimè præsens omnibus, & subtrahendo se à rebus, illæ desinunt, cur Dauid postulauit ne Deus faciem suam, hoc est, præsentiam auerteret?

Respondeo Deum esse præsentem intime rebus stat primo. secundum præsentiam, essentiam, & potentiam in ordine naturali, & hoc modo non intelligitur. 2. secundum esse amantis, & Amati per gratiam sanctificantem, & hoc modo locutus est.

Ad vltimum in quo quærit an per lacum intelligatur Purgatorium.

Respondeo negatiuè cum Vgone hoc in loco. Benè tamen per lacum intelligitur Peccatum desperationis, & sensus verborum Dauid est, non auertas faciem tuam à me humili, sicut superbo auertisti, & similis ero descendentibus in Lacum, id est in profundum peccati. Tunc enim aliquis dicitur descendere in profundum, quando fiſlit in peccatis sine spe veniæ. Auersio verò prædicta fit per subtractionem gratiæ diuinæ.

IOANNI BAPTISTÆ DOLEONIO Medico, & Philosopho Bellun.

Non minùs vtraque virtute, quàm genere nobilissimo.

Dubitatur, an Animæ ab obitu corpora eadem numero resumere possint.

HVmanas Animas ruente mundo ad ecpyrωsim, conflagrationem summoque Iudice ad supremum accedente iudicium sua quasque corpora non Pythagorica Metempsycωsi. i. Anim. trãsmigratione, sed christiana palyngenesia Regeneratione resumpturas, non modò apud transmundanos Philosophos, uerùm etiam apud omnes orthodoxæ fidei cultores certius est, quàm quod ad Sagram. Huic sententiæ (quamquam ab ipsa ueritate, nempe Christo Theantropo Homine Deo proficiscatur) eam rationem subijciunt, quòd humana natura corporis, & animæ copulatione perficiatur, quare si alterutra sui parte destituatur, mancus mutilusque homo est. Intereunt verò corpora, vt quid quid euanidum, corruptibileque, est, se ponatur, hæc enim corpora ob plurimas imbecillitates perpetuo constare nequeunt. Sed, dices. Nonne poterat caducum, morticinumque dirimere, diluereque Deus superstite opificio, & hoc animæ domicilio? Poterat utique, at mortem elegit in peccati supplicium, cui ferendo haud satis sunt Animulæ: Homo enim peracto uitæ curriculo aut perenni felicitate beandus, aut calamitosa clade cruciandus est; beatitudinem qui assequatur, ni labis puriſſimus omnis, at si uitæ integerrimus, par est, & iustũ, ut scelerum quoque pœna recedat, pariterque qui iugi excruciandus est gehenna, corpus resumat oportet, ut quemadmodum uoluptatis peccando particeps fuit, ita doloris consors euadat. Hi sunt cardines, super quos Christianæ religionis constantia uertitur. Quibus reclamant Philosophi, & hanc corporum regenerationem non modò incongruam statuunt, uerum & ἀδύνατον. Incongruam sanè, quia *laboriosum est*, inquit Arist. *coniunctum esse cum corpore, neque ab-*

Impossibile. 1. de Anima cap. 3.

solui

solui ab eo posse, & insuper maximopere fugiendum, quippe cum melius sit intellectui non esse cum corpore, quemadmodum & dici solet, & plurimi etiam consentiunt. Cui me hercle elegantissimus Themistius planè adscribie. *Rectè igitur*, inquit, *Platoni visum est, qui obtusiorem humanæ mentis aciem huic (quid nempe intellectio sine quantitate exerceri nequeat) attribuit. Imaginatio, inquit, iuncta unexaque animo actiones eius turbidat, nec lucidas, & puras reddi patitur.* Ecce ergo Philosophorũ decreto, quòd animę melius, addecentiùsque foret, si à corpore absolueretur, quò intellectio coli posset luculentiùs.

lib. de mem. & rem. c. 7.

Proximum est, vt probemus adynamiam impossibilitatem. Agens naturale suum molitur opus ex suppositâ, idoneâque materia, atqui aptitudinem sortitur ex potestate ad formam, at nulla potestas in præteritum respicit, aut remigrat. Dicam facilius. Generatio Physica est præcurrentis alterationis terminus, atqui intercepta alterationis non potest esse vna numero, siquidem motus vnitas numeralis hoc præcipuè quærit, vt tempus non sit interpole, atque intercisum, vt testatur Arist. vbi itaque binæ præuenerint affectiones, alterationesque, & generatio geminetur oportet, at vbi geminata genesis est, ibi duo germina adesse necessum est, quæ sint soboles duplicis illius geneseos, ac veluti bases, quibus innituntur, & terminantur actiones illæ.

5. Phys. tex. 41.

Scio naturalem effectorem abijcies, & diuinum obijcies, qui res producit citra motum, & alterationem sed simplici emanatione, cuius actio est substantia, nec in præteritum meat, queadmodum nec eius substantia, quare vt eius actio non intercipitur tempore naturalium more, ita non est mirum, si idem numero diuina potestas iterum producere potest, eius enim actio est vna numero, nec mensu temporis coercetur, aut intercipitur, sed solida, indiuiduaque æternitate gaudet. Scio, inquam mihi obtrudes diuinitatem, cuius nutu hæc fiunt omnia. Sed diuinitati quoque quædam impossibilia sunt. Renuis? Quæso te, vt Genio meo te præbeas morigerum, & auscultes. Quemadmodum summus ille rerum opifex Lęliam ex Licyda iam constantem, atque existentem recreare non valet, ita nec corruptam, sublatamque restituere: illud planè constat, quia dum res extat, ingenerabilis est, hoc autem sic conficitur. Quod gignitur haud præfuit (alioqui generatio non procederet à negatione ad habitum, nempe à non esse ad esse) atqui Lælia extincta præfuit, quare regigni non potest. Neque adduci potest, cur Deus potiùs extinctam iam, & corruptam Læliam regenerando præpolleat quàm constanti geminare constantiam.

Ad hæc nescis, hoc solo posse priuari Deum, vt ait Seneca, vt in præterita ius non habeat. Postremò si Deus ageret ex naturæ necessitate non minorem haberet potentiam, quàm nunc habet agens liberè, sed tunc non posset idem corruptum reparare, ergo neque modo potest, illud sanè patet, nam quidquid potest Deus per potentiam potest, nec voluntas minuit, augetue potentiam, seu liberè, seu necessariò operetur; hoc verò ita suadetur quia Deus non ageret nisi per causas secundas accomodando suâ potentiam earum imbecillitati, alioquin si absque ea moderatione totam suam vim effunderet, necessariò produceret infinitum: Cum ergo causæ secundæ nequeant corruptum reparare, atque idem numero restituere fatendum est, id neque in diuinam potentiam vllo modo cadere. Vale. M. DC. XXXVI.

Scholion.

In Superiorem Epistolam.

QVod nullam repugnantiam inuoluit à Deo fieri potest, nulla verò inuoluitur, si res permanens, siue corrupta omnino fuerit, siue in nihilum reciderit, eadẽ numero reparetur. Adhæc ideo vi naturalium causarum, nequit permanens, quod extinctum est, idẽm numero redire, quia idem non nisi per eandem actionem produci potest, atqui Dei potentia cum nullis certis limitibus contenta sit, omnesque gradus rerum tam specificos, quàm singulares in se eminenter contineat, non limitatur ad certa instrumenta, certum ve modum agendi, nec ex se aliunde determinatur, potest igitur eandem actionem rursus edere, atque adeo nihil impediet, quò minùs idem numero, postquam esse desijt, reproducat. DD. Comm b.

Pacius carnis resurrectionem philosophicè demonstrari posse contendit, primò quia in Anima separata manent potentiæ, quæ in æternum frustra esse non debent, id quod accideret, si spoliata corpore vsque permaneret. Quòd forma essentialem respectum teneat ad suam materiam. Quòd nullum violentum sit perpetuum, anima verò violenter extra corpus detineatur. Quòd animæ melius sit esse cum corpore. Huc spectat Athanagoras Athenienſis Philosophus, qui demonstrat corporum resurrectionem ex prudentia diuina, quia aliàs corpus, vt fuit animæ socium in actionibus, passionibusque virtutum, & vitiorum, non posset habere in præmijs, & pœnis æternis cõsortium. Quid quid tamen sit, cum firma sit Philosophorum assertio semel corruptum non posse redire, tutius esse iudicamus sentire cum D. Thoma contra Gentes, Caietano, Goclenio lib. 6. Disput. Physic. quòd resurrectio sit vnum ex ijs, quæ fide potiùs, quàm ratione apprehenduntur. Quamquam enim ratio respiciendo ad solam animam aliquid de παλιγγενεσια somniet, numquam tamen sibi imperare potest, vt credat hoc ipsum, quia modus totam naturam superare videtur.

Cum Anima, inquit D. Thomas, corpori vniatur vt forma, vnicuiq; autem formæ propria materia respondeat, necesse est, vt corpus, cui iterum anima vnietur, sit eiusdem rationis, & speciei cum corpore, quod deponit per mortem. Non enim resumet anima in resurrectione corpus cœleste, uel aereum, uel corpus alicuius alterius animalis, ut quidam fabulantur, sed corpus humanum ex carnibus, & ossibus compositum, organicum ijsdem organis, ex quibus nunc constat. Rursus sicuti eidem formæ secundùm speciem debetur eadem materia secundum speciem, ita eidem formæ secundum numerum debetur eadem materia secundùm numerum. Sicut enim Anima Bouis non potest esse ani-

tna corporis equi, ita anima huius Bouis non potest esse anima alterius Bouis. Oportet igitur, quòd cum eadem numero anima rationalis remaneat, quod corpori eidem numero in resurrectione rursus vniatur.

Aristoteli igitur & Themistio responsum tale reponatur, melius quidem esse mentem absolui ab hoc mortali, caducoque ergastulo, quòd synceram intellectionem magis impediat, quum nil citra phantasma intelligere queat, quod est hic, & nunc, atque adeò sine magnitudine, quæ intelligenti incommodat, sed in corpore per resurrectionem reparato, nō item vsu venit, nam penitus animæ obediet, & actioni nihil resistet, erunt enim corpora per diuinam voluntatem, subtilia, clara, passionis expertia, & agilia. Reparatorum autem corporeæ actiones nō erunt amplius vsui, sed modò spirituales, in quibus vltimum hominis finem consistere iustum est. Non autem in quibuscunque spiritualibus actibus vltimus finis hominis consistit, sed in hoc, quòd Deus per essentiam videatur, ait D. Th. Deus autem æternus est, vnde oportet, vt intellectus æternitati coniungatur. Sicut igitur qui voluptati vacant voluptuosam, qui contemplationi contemplatiuam, qui regendis Ciuitatibus ciuilem vitam agere dicuntur, ita qui diuina potiuntur visione, æternam obtinent vitam iuxtà illud Ioannis xvii. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum æternum &c.*

Responsio ad superiora argumenta.

AD primum igitur vbi dicitur *generatio physica est præuiæ alterationis terminus &c.* patet responsio ex superioribus, vbi sola diuina potestate fieri innuimus &c.

Ast vbi dicitur. *Quemadmodum summus ille rerum opifex Læliam ex Lydia iam existentem iterum generare non valet, ita nec corruptam restituere &c.* Responsum tale repono. Apud diuinam potentiam hæc duo non repugnant, aliquid fuit, & tamen illud idem de integro generatur. Sed ne deceptio interueniat, animaduertendum, aliquid fuisse bifariam intelligi potest. Primò quod toto tempore præcedente secundam generationem fuerit, & sic est ingenerabile per diuinam potentiā, quia quod generatur pro illo tempore saltem præcedente generationis momentum non est. Secundò, quòd pro aliquo tempore fuerit, dein esse desierit per corruptionem, & hoc pacto per Dei potestatem potest iterum idem numero reproduci, nam licèt antea fuerit, haud tamen continuè, sed interruptè. Vbi uerò dicitur, *Neque adduci potest, cur Deus extinctam potiùs Læliam regenerando præpolleat, quam cōstanti geminare constantiam*, & Respondetur quòd hoc non est ex parte Dei, nam res ut existens non habet rationem generabilis, ut autem non existens habet rationem generabilis, quoniam generatio est deductio rei à non esse ad esse. &c.

Reliquis argumentis patet responsio, siquidem quæ non implicant contradictionem per Dei potestatis plenitudinem fieri possunt, atq; adeò in præterita ius habet. Non potest quidem efficere Deus, inquit Albertus Magnus, ut virgo uitiata non fuerit uitiata, quia hoc repugnat, potest benè inducere obliuionem &c.

Anastaseos Paraphrasis.

Sex Veterum de corporum resurrectione opiniones damnantur.

A *Valentinus negauit corporũ resurrectionem quem multi Hæretici sunt secuti, contra quem disputat D. Paulus.*

B *Hymenaũ, & Philetum arguit D. Paulus 2. ad Thimoth. quod à veritate recesserint dicentes, resurrectionem esse iam factam.*

C *Quidam putarunt animas non esse resumpturas eadẽ corpora, sed cælestia, contra quos D. Paulus ad Corynth.*

D *Quidam putarunt quod corpora humana in resurrectione verterentur in spiritus, cõtra quos Lucas vlt.*

E *Error Cherinthi cõuellitur à Matth. 20. dicentis mille annos post resurrectionẽ in terreno regno futuros, in quibus homines carnales ventris, ac libidinis voluptates exercebunt.*

F *Euthicius Patriarcha Byzantinus, existimauit corpora nostra in resurrectione aeri, vel vento assimilari, quod Greg. in moral. narrat, sed aduersùs Euthicium est Lucas vlt.* palpate, & videte, *cum tamen dicat D. Paulus 4. Phil. 2. quod reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

A Fœda Valentini valeat vesania, Pauli
Explosa eloquio, tot reprobata modis;

B Philetum pudeat, pariterq; Hymenęus Alumnus
Symbola concilij quærat Apostolici.

C Fallitur & qui animas cœlestia corpora tandem
Esse resumpturas post noua fata putat.

D Nec minùs ingenti fallax errore tenetur,
Corpora qui credit spirituosa fore.

E Cherintique error damnetur mille per annos:
Membra cupidinibus prona futura super.

F Labitur euasura leues malè sanus in auras,
Qui recreata simul corpora nostra putat.

G Corpus idem numero mẽs induet ipsa superstes,
Quo sine nequaquam ritè beata foret.

H Surget inexhausto nutu, & virtute Iehouæ:
Perfecta gaudens integritate sui.

I Namq; opifex summus mutilis, aut turpibus ipse
Integra sufficiet, pulchraq; membra struet.

K Nec tamen integra remeabunt mole priori
Corpora, sed speciem nata referre suam.

Qui potuisset enim tantam cõprendere molẽ
Orbis, & immensos condere Cælicolas?

L Ad quid opus machinis tantis, vbi degitur æuũ,
Non epulo, ast sola mente vidente Deum?

M Vsia visa Dei perfectè quemq; beabit,
Vt nil mens extra dia queat cupere.

Mens etenim iã fœta bonis haud deuia poscit,
Ast immobiliter gaudet adesse Deo.

A *D. Paulus 1. ad Corinth. 15. Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis quomodo quidam dicunt in vobis quòd resurrectio mortuorum non est?*

B *Vel quia nõ credebant nisi resurrectionẽ spiritualem, inquit Paulus, vel quia non credebãt alios resurrecturos, nisi illos, qui cum Christo resurrexerunt.*

C *Oportet incorruptibile hoc induere incorrptibilitatem & mortale hoc immortalitatem.*

D *Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

E *Matth. in resurrectione neque nubent, neque nubentur.*

Interpretamentum ex D. Thoma.

G Quæ secundùm substantiam corrumpuntur, natura non reparantur eadem numero, sed specie: Non enim eadem numero nubes est, quæ pluuiam peperit, & quæ ex pluuia iterum euaporante conflatur. Cum igitur corpus humanum per mortem secundum substantiam corrumpitur, naturę viribus amplius reparari nequit (quamquam non defuere, qui post multa annorum curricula redeuntibus cęlestibus corporibus ad eundem situm, rursus eosdē homines regeneratum iri prodiderunt) sola enim diuina vi carnis eiusdem resurrectio fieri potest. Cæterùm cum manifestò constet, vniuersa vel etiā minima sub Dei prouidentia contineri, materies huius humani corporis, quamcunque tandem formam à morte susceperit, non præterit cognitionem, & virtutem diuinam, quæ quidem materia eadem numero manet, quatenus intelligitur sub dimensionibus existens, propter quas hæc materiata dici potest, & est individuationis principium. Hac igitur materia eadem manente, & ex ea per diuinam potestatem humano corpore reparato, nec non ex anima rationali, quæ cum sit incorruptibilis, eadem obmanet, eidem corpori coniugata, consociataq; par est, & iustum, vt idem numero Homo resurgat.

H Addecens est, vt in reparatione resurgentis hominis, quæ à Deo fit, & cuius perfectissima sunt opera, natura absolutissimè, & numeris omnibus perficiatur. Erunt igitur in resurgentibus omnia membra ad naturæ integritatem seruandam, non in eos actus, & vsus destinata, in quos modò dirigūtur, necessum enim est, vt quod meriti, aut demeriti particeps fuit, in alio sæculo supplicij, aut præmij quoque consors euadat.

I Quamquam mutili, & blæsi, & deformes plurimi in hac vita sint, resurgentes tamen erunt absolutissimi, vt nihil queat desiderari, siue molem, & mēbra spectes, siue formam, & figuram.

K In resurrectione totum, quod naturaliter prę fuit, resumetur non solùm penes organicas partes, sed etiam penes similares, vt caro neruus ex quibus organicæ conflantur, minimè tamen, quod sub his partibus fuit totum resumetur, sed quantum sat erit ad speciem partium integrandam, neque tamē propter hoc homo idem numero, aut integer non erit, etiamsi totum, quod naturaliter præfuit, non resurgat, constat enim quod homo à principio vitæ vsque in finem idem numero permanet, id tamen, quod in eo est materiale sub specie partium non idem manet, sed continenter fluit, refluitque more fluentis aquæ.

L Vsus cibi, & potus à resurrectione non erit necessarius, quia epulæ instituuntur ad illud reparandum, quod à calore absumitur, & exhauritur, atqui in redempto corpore nihil amplius dissoluetur, proin frustra accederet nutrimentum. Pariter Veneris vsum aboleri, obsolescereque necessum est, cum ad Animalium procreationem dirigatur, generatio uerò mortali uitæ inseruit, ut quod secundùm individuum seruari non potest, saltem secundum speciem reponatur, & conseruetur; ubi igitur homines in perpetuum manebunt, generatio amplius non erit vsui, neque adeo Veneris usus erit necessarius.

M Beati uidebunt Deum per essentiam, non per similitudinem, & hæc est summa beatitas, in qua rationalis creatura quiescit omni expleto desiderio. Ipsa enim Dei essentia intellectui creato coniungitur quodammodo, ut per essentiam uideri possit. Hoc dici solet comprehensio iuxta illud D. Pauli. *Sequor autem si quo modo comprehendam.* Porrò Deum ipsissimum videre summa est perfectio, & delectatio. Nam Deus hoc ipsum, quod est, veritas est, quare necessum est, ut intellectus Deum uidens summè delectetur. Adhæc Deus sūma bonitas est, quæ est ratio dilectionis, quare necessum est diligi ab uniuersis comprehendentibus ipsum.

EVDÆMON,
SIVE
DE HVMANÆ MENTIS IMMORTALITATE
IOANN. STEPH.
DIALOGVS.

Philaletes, Eudæmon, Leucephus.

PHIL. Eò conuenimus porrò Leucephe, ubi noster Eudæmon absolura ambulatio ne inquiescere consueuit, &, ni me fallunt omnia, vix potest multum intermittere temporis, quin nobis continuò præsto sit plurima ex more stipatus pube. *Leuc.* Profectò usque adeò uidendi, & alloquendi hominem desiderio ardet animus, ut nil mihi uideatur longius, tuus autem sermo hoc me perculit affectu: *Phil.* Tui est ingenij Leucephe, ut quàm primùm à bonis uiris gratiam, & consuetudinem inire studeas: Sed ecce tibi hominem sub illa porticu nescioquò propetantem, arcessere, & appellare libet, ut si non appellat, saltem oculos ad nos conuertat. Ehus? Eudæmon; Ehus? Nihilo magis: Ehus? Quò tam celeri pede te nobis proripis? *Eud.* Hem, Quis me uult? mi Philaletes. *Phil.* Rogo te per Platonis, aut Aristotelis genium (neque enim habeo quo te arctiùs uinciam) ut nobis opperiri libeat. *Eud.* Cum dicto gradum fisto: *Phil.* Vt te cursu præuerterem, penè mihi spiritum intercepi: At amictus ille, & ingressus abitum indicant, ni me fallit animus, an ad pulchros, & cultos tuos agros? *Eud.* Eò profectò, & otij potiùs, quàm negotij gratia. Sed quæ uos huc impulit necessitas? *Phil.* Optimus hic uir tui desiderio flagrat, & non iniuria. *Eud.* Ain? En protinus facta mei potestas. *Leuc.* Equidem ubij præstantissimas animi tui dotes intellexi doctissime Eudæmon ueluti quodam oestro percitus impuli nostrum hunc Philaletem, ut te mihi indicaret, uti præsens colerem, & me tibi

ex

ex animo coram exhiberem; agnoscas igitur bonam mentem, & si cursum remorati sumus, pro tua humanitate ignoscas: *End.* Planè ignosco, at tam scitam laudem minimè agnosco: Quidquid tamen sit, habeo gratiam: *Phil.* Quando mi Eudæmon non vltra progredi tibi certum est, nos, si pateris, comites præbemus. *End.* Imò pergratum erit iter vestro auspicio vel ad extremos Indos. *Phil.* Agis semper pro summa animi tui lepiditate, & vrbanitate; Nos igitur ò Leucephe: pallia apud proximum hunc Pharmacopolam, ne abs te sint oneri, deponamus, atque vnà (non enim procul absunt eius prædia) pergamus: Profectò liquescet animus tuus præ voluptate, vbi Elysios illos campos aspiciet tanta herbarum, & florum vbertate, & varietate refertos, vbi suauem illam auram etesijs susurrantibus, & murmurante Anasso inspirabit, vbi fritinnientem Cicadam, &

Flexanimo volucres mulcentes æthera cantu,
Percipiet.

Leuc. Nullis opus est hortatibus, Ecquis ab hac societate abhorreat? *Phil.* Tu verò Eudæmon, vbi ingressi erimus illud Popnletum, quod perplacidis obstrepit auris, ab Eleaticis, aut Academicis Scholis aliquid afferes in medium, quo viarum difficultas fallatur. *End.* Probatur vtique, at vestra hæc est prouincia, cum recens e scholis cesseritis, vbi inauditæ quæstiones quotidie exoriuntur, agite ergo, ne pigeat palam facere, quod audistis. *Phil.* Versantur oppidò, sed nulla mihi peræquè difficilis visa est, ac quæ de animi immortalitate tanta philosophantium contentione circumfertur, istis quidem fatentibus, illis diffitentibus: *End.* Nimirum difficillima est, si spectes Aristotelem, eiusque interpretes Præceptorem in varias, & contrarias sententias discerpentes: Nos tamẽ in meliori, nempe Christi Schola instituti animæ humanæ æternitatem, seu æuiternitatem, quia fine destituta per creationem cœpit, (*Neque enim auscultandum est ijs, qui humanam animam à Deo creari, penitus inficiantur, sed per traducem propagari, & e seminis potestate cæterarum formarum more educi asseuerant, nam præterquàm quòd huic opinioni iam pridem damnatæ Patrum decreta, & Ecclesiæ consensus reclamant, vel hoc vno argumento sanè extreptico reuinci possunt, Quòd formæ e potentia materiæ erutæ colere non possunt functionem à corpore prorsus absolutam, teste D. Thoma, humana verò mens nulli organo addicta intellectionem obit, quod semel, atque iterum inculcauit Aristoteles; Quare Valeant, qui de se, & de veritate malè sentire malunt, quàm de suscepta sententia deturbari, vt cerebrosi videantur, & nouarum opinionum Authores.*) certò habemus, quam tamen grauibus rationum momẽtis adstruendam, & ostendendam, si animo sedet, accipio. * *Phil.* Nihil sanè mihi optabilius, aut iucundius, qui in hac mensa tandiu esuriui. *End.* Sic igitur habeo; Totius controuersiæ super hoc verti cardinem: *Numquid intellectus suam obire functionem citra corporis adminiculum potis sit.* Quod si constiterit, manifestò effectum erit. (*alioquin otiosum aliquid natura creauerit, quod defendi non potest.*) Quorum enim operationes à corpore possunt esse separatæ, hęc etiam à corpore seorsum esse possunt, & sic è contra: si enim esset operatio à corpore separata, substantia verò nequaquam, cum operatio à potentijs, potentiæ ex substantia effluant, sequeretur hoc incommodum, operationes aliquas sine potentia, aut substantia esse.

Principio humanas animas ex ipsis elementis, ac rerum omnium initijs vnà cum Mundo à Deo Deorum creatas fuisse existimauit Plato secutus Pythagoricum dogma similia non nisi à similibus suis comprehendi, quod etiam Empedocles sentiens cecinit.

Tellurem terra comprendimus, æthera flammis,
Humorem liquido, nostro spiratile flatu;
Pacem tranquillo, litem quoque litigioso.

Nam ex his ille rerum principijs cùm cętera omnia, tum animæ substantiam constare censebat, propterea penes eam rerum omnium esse plenam scientiã simili suo similitudinem habentia comprehendentem (constare autem humanam mentem ex perfectionibus rerum omnium posse quidam in bonam partem accipi contendit, si talis virtute, & excellentia quadam censeatur, non quòd ex rerum mixtione consletur, cum Intell. omnia cognoscat, cognitio autem fiat per quandam cognoscentis, & cogniti similitudinem, videtur Plato benè sentire.) Plato igitur eas trium generum fecit, Mundi primam vniuersi (nam Animal intelligibile mundum esse asseuerat) deim sphætarum, astrorumque omniũ, quibus singulis constituit animas: Postremò terrestrium omnium: Et hę trium item generum, Dęmonum aeriorum, qui inter Deos, & homines intercedunt: Secundæ hominum, quę sunt inter Dęmones, & belluas, Tertiæ belluarum citra rationem. Itaque hominum animas ab initio creatas Deus æthereis inuoluit corporibus alias alijs astris accommodãs, dein per aerium inuolucrum in corpora demersit, quorum grauitate sopitæ, & obrutæ, omnium, quæ tenebant, obliuiscuntur, nouo tamen rerum intuitu memoriam refricari, & reminisci ex vestigio intus relicto, arbitratus est. Tres verò in humano corpore animas non modò substantijs, verùm etiam subiectis differentes posuit, rationalem in capite, irascibilem in corde, vt vitia rationis formula emendet, concupiscibilem in hepate procul à mente, ne concoctionum strepitu, & ebullitione impedimento sit contemplationi, hæc enim rationi minùs obtemperat, quam propterea, Paternianus ab Antitheo creatam fuisse existimauit. Quam sententiam subolfaciens Aristoteles subsannauit, & passim conuulsit: Ipse enim Intellectum nostrum à Deo creatum (neque enim simplicium, & æternorum creatio refellitur à Philosopho. * *Non est, ait Cardinalis Contarenus lib. de immortalitate Animæ, apud Philosophos inconueniens, aliquid à Deo emanare citra generationem, modò nos in ipsa anima humana dicimus, quòd est à Deo per creationem, vel per simplicem emanationem, quod idem est, mutationibus præcedentibus à Sole, & homine, quæ mutationes disponant, hocque modo animæ productio quodammodo media videtur inter veram genesim, & creationem.*

Frustraque conatur Apollinaris persuadere, non opus esse noua Intellectuum creatione, sed à parentibus in sobolem transmitti, & successione propagari, quod vlcus quidam nouo, sed futili argumentandi genere refricat.)* In corpus à secundis causlis ritè præparatum

Fracast. dialog. de Animmort.

* Idem Nyphus ait 3. de An. in calce lib. 1. de Cęlo. sec. 30. Prob. 4.

Cõtarenus.

* Ostendi posse animi immortalitatem probat Cardinalis Contarenus aduersus Pomponatium, idẽ Niphus, probabiliter astrui contẽdit Fracast. rem minimẽ mõstrari.

* li. 2. de gen. An. & de proœl. & li. de bona Fort. lib. 2.

tum immitti, nosquè comprehendere, & complecti iudicauit nullo virtutis, aut vitij habitu, sed ad vtrumque habitudine præditum: * scientias comparari ex præcedenti sensuum cognitione, & experientia, quam ideo principium scientiæ appellauit; *Hinc Them. l. 2. de mem. & reminisc. Doctrina omnis, & peritia ex aliqua prænotione, anticipationeque gignitur.* Denique symbolis quibusdam, & verisimilitudinibus animo insitis potiùs, quàm insertis, quibus summus rerum opifex, vt in Magia cecinit Zoroaster,

Iosperſit nobis labia arescente palato.

* Scientia rerum inquit D. Tho. non efficitur in intellectu p participationem, aut efluxum aliquarum formarum actu intelligibilium per se subsistentiũ sicut Plat. voluit, sed intellectus eã acquirit à rebus sensibilibus medijs sensibus. Auic. carpitur.

* Quæ opinio reliquis Philosophis, ac Theologis verior, ac potior visa est, quam nos assequamur, addecet. Cæterùm eò hæc spectant, vt inspiciamus quanto sit opere necessarium sensuum ministeriũ ad rerum cognitionem, quam intellectus phantasmatum intuitu, inspectuque conquirit, à quibus re minùs abiunguntur intellectibilia, propterea eorũ quoque, quorum tenemus, callemusque habitum, nisi spectrum occurrat, & idolum, intelligimus nihil, argumento sunt Phrenitici ob læsum imaginatricis organum: *Quamquam non præterit, quosdã esse, quibus visa duntaxat ad comparandam rerum scientiam desiderari probetur, partis iam, & habitis non esse vsui; Quos manifesto errore detineri constat. Hoc autem ideò accidere arbitrãdum est, quòd functionem analogicòs potestati respondere par sit, atqui *intellectiuum* (vtor Diui Thomæ verbis) *est in sensitiuo:* Quare Philosophus sæpe scriptum reliquit, nos sine continuo, & tempore minùs intelligere, quia phantasma est rei similitudo temporis & loci circũstantijs delinita. Hinc Them. lib. de mem. imaginatio intelligentiæ semper cohæret, vt Comes, assectaque eius individua, quæ incommodat visenti, & tractanti diuina, Alibi verò; Omnia, è quibus mens vniuersale suum molitur imaginatione contineri videntur; Eòdem hæc spectant. Siue intelligere imaginari est, siue non potest sine imaginatione contingere, fieri nequit, vt hoc quoque officium sine officio, & vsu corporis obeatur, cum nisi via, procurationeque sensuum visa, & imagines insculpantur animis. A qua sanè intelligendi necessitate, quidam animi fragilitatem argui mordicus contendunt, cum manifestò obliterentur, aboleanturque sensus dissoluta organi harmonia. * Quibus ita respondemus volumus, Intellectum, dum hic hospes agit, egere obiecto, non organo, nempe necessariam esse ad intellectionem phantasmatum præsentiam, & obtutum, quibus subsunt intellectibilia, at solutum corporis tyrannide, vt cum Platone loquar, & è carcere missum nullis ad functiones obeundas egere phantasmatis, quia naturæ ipsius habitu euadit Metaphysica forma, alioque modò intelligit, nimirum sine discursu primo intuitu in causis videt effectus, ceu colores oculus. Est igitur substantia, non officio, & actione separabilis, quod Theodorus Metochites innuit, dum intellectum esse immortalem, partimque separabilem, & partim inseparabilem confessus est. *Phil.* Qui ergo propriam exercet functionem, si citrà uisum, & ὄρατον haud intelligitè *End.* Argutè mi

* Ita enim 3. de An ita se habet phantasma ad intellectum vt colores ad visum.

Philalethes, scito tamen simulachrum desideratum ad intellectionem nequaquam id agere, ne intellectio peculiaris, & propria sit functio, nam quemadmodum illa est communis, quæ animi & corporis concursu, coituque editur, ita illa peculiaris est, quę citra congressum, & adminiculum organi obitur, licet præsentia spectri desideretur, id quod hercules ne Aristoteles quidem renuit Philopono teste, Mens enim nostra utitur corpore ad rationandum non ut instrumento, sed ueluti domicilio rite constituto, Artificis instar. Quod melioris notæ Phil. Fernelius scripserat, tametsi epicuri quidam de grege porci sugillare nõ dubitarunt. Duobus enim modis aliquid potest dici proprium, inquit Philoponus; altero quidem modo, ut pars totius est, cõparatione scilicet partium, quomodo oculo proprium est uidere, quia in toto hoc illi tantummodo parti conueniat, non tamen quòd etiam toto non egeat; altero uerò, quod alio non eget, ut persistat, ut in hydromelle dulcedo melli est propria, & non est aquæ communis, quia seorsum ab aqua mel etiam dulce permanet: Hoc significatu postremo intelligunt Peripatetici operationes Animæ proprias. Præterea certò scias humanæ animæ eas esse proprietates, ut sibi nequeant inferiora conferri, formet, perficitque caducum corpus, stabilis ipsa, cum stirpibus, cumbrutis, cum superis mentibus aliquid commune habet, quam ideò quidam superæ, inferæque naturæ uinculum nuncuparunt, *Leu.* Præclarè tu optime Eudæmon, at quod adiecisti in calce minimè capio. Secus, ais, humanam animam intelligere, ac cum mortales induit artus. Qui fit hoc? Nonne eodem modo intelligit anima, quo est, * *si modò res vti est, ita suas obit functiones*, quare si eadem sit anima, eodem prorsus modo intelligere, & ratiocinari necessum est, qui operam, & naturam destruit, & demolitur. *End.* Hic tuus æstus modico Fauonij reflatu extinguetur, & delitescet; quare aures præbe, & totum te mihi da. * Munus est ueluti finis, & perfectio formarum, proin unicuique formæ inest certa, & peculiaris operatio, quam si demas, frustra sit necesse est, sublato enim fine, quod ad eum dirigitur, frustratur, atqui nihil in rerum natura otiosum, nihil feriatum, quæ cum ita sint, fit, ut pro suæ naturæ modo unaquæque functio peragatur. At cum nos separatam mẽtem secius intelligere, ac cum humanos perficit artus, sciuimus, sanciuimusque, illud duntaxat colligi, cõficique uolebamus, ut quemadmodum intellectus in corpore ad spectra conuersus intelligit, ita exutus corpore, directus, & relatus ad superiora suo fungatur munere; * id quod nequaquam te sollicitum, aut transuersum agere debet. Quia enim humana mens in corpore spectata, & suppositis, subordinatisque allita potestatibus naturæ ipsius habitu per phantasmata, & uisa sua munera tractat, at exuta, orbataque corpore, ut Metaphysicarum formarum naturam participat agnitione, & comprehensione suæ substantiæ patria, & similia; cætera ad superiora conuersa intelligit non sanè per specierum effluuium, quòd nefas esse putent Peripatetici æternam substantiam subijci, substernique accidentibus, cæterùm ea intellectione, qua res ipsa est, quæ intellectui obijcitur: Huiusmodi autem

Quo sacra litteræ alludunt spiritũ & Ambrosius primi dicam Deo nostro Iesu in Apocalipsi: spiritũ vocat substantiam animi nostri à corpore exuti, animam etiam tum in corpore existentem, quod peculiariter informat.

* Li. 2. de An. Communè interpretatur Philop. ad quã corpus vel vt efficiens, vel vt subiectum operationis confert.

* Sic Fernel. li. 2. de Abd. rerum caus. c. 11 11.

* Modus agendi essentiæ modum sequitur. 3. Phy. text. xvj.

* Vnũquodque enim eorum naturalium determinatur quadam operatione propria, in quã cum potest dicitur tale, & in quam cum non potest non dicitur tale. nisi æquiuocè, vt oculus mortuus. Arist. 4. meteo. tex. 54.

* Rationalis anima, inquit Philop. dum extra corpus est, & ab eo nexu, cogi respectu, quę erga ipsum gerit, est libera ratione non vtitur, nam neque quærit, neq; inuenit, neq; per propositiones discurrit ad conclusionem, sed tum mẽs pu

inspe-

ra fit absque vlla inquisitione res intuetur, vepote cuiæ rerū omnium rationes in se ipsa habeat, nec à corpore turbatur ipsa cum liberit, contemplatur hinc tempore, nā corpus est ei ignorantiæ causa. & ob id etiam inquisitionis, & inuentionis, & ea de causa intelligentiam, seu rationē, quæ mēs est imperfecta esse veritas: non ipsius animæ per se dixit Aristot.

inspectiua perhibetur intellectio, & hæc de re fit, vt superior Intelligentia sit sibi, & inferiori intellectio obiecta, sibi quidem per essentiam, inferioribus verò per coniugationem, haud reapse, cæterùm intentionis. *In diuinis intelligens, intellectio, & res intellecta idem.* Quare proprium mentis est cum phantasmate intelligere, vt Animi munere fungitur, sine phantasmate, vt est intelligens substantia. *Diuersitas operationum (ait Card. Contarenus) accidentalis in rebus præsertim non eodem modo se habentibus non arguit diuersitatem essentiæ, intellectus enim semper intelligit per formam apprehensam rei intellectæ, neque in hoc sibi diuersus est, verùm, quandoque perfectiùs, quandoque imperfectiùs, h.e. antequam perfectionem suam attigerit, dum est in corpore, indiget phantasmate, à quo hauriat intellectionem, postquam verò perfectus est ex comparatis thesauris, sibi ipsi sufficiens est ad intelligendum, imò ad altiorem intellectionem eleuatur, neque indiget phantasmate. In argumentum illud inducantur animalia; quæ antequam perfecta habeant membra, nutriuntur ex sanguine menstruo digesto, & præparato à matre, atque adeò opus habent matre inhærente, vbi verò perfectus est fœtus in lucem editur, sibique ipse satis est ad nutritionem capessendam sic in proposito, intellectus donec imbecillis est, & ad supremam lucem recipiendam ineptus intellectionem veluti cibum digestum priùs in phantasia recipit, vbi verò perfectus est, ipse per se sibi sufficit, nec indiget phantasmate.* Placetne hunc mentis nostræ binum agendi modum, quem & præstantissimi quidam Arabes palam constituerunt, ignis exemplo explicem? Ignem suspice; qui vt simplex elementum est, sursum pergit, verum vt cælestium naturam mutuatur

Perpetua cœli gaudet vertigine ferri.

*2. Phys. Anima igitur nostra, vt est particeps diuinorum (est enim inter metaphysicas formas infima, cuius summitate superiorum infimum attingitur) communem sortitur operam. *Leu.* Pollicem, quod aiūt, stringam, si ita fit. *Eud.* Profectò ita est, & verius quā quod ad Sagram, vt nemini sit dubitandum. *Phil.* Æstuat Eudæmon mihi pectus multis difficultatum fluctibus, quos ni coercueris, & compresseris ingenij tui robore, & firmitudine, ceu ancora naufragium mihi pertimesco. *Eud.* Ad hanc cœli clementiam æstuat tibi pectus? Tuam oppidò arguis infirmitatem; Sed age expectora iam, & prome, quod irritat, ego enim pro ingenij mei quantulacunque facultate diluam, & te in veritatis vado fistam. *Phil.* Sic habeas igitur: An nefas esse ducis, facultates aliquas perpetuò feriari? *Eud.* omninò: *Phil.* At fac, animam nostram esse immortalem, continuò colliges, quod absurdum, & indecens esse fateris, nam Alens, & sentiens facultas non sine *3. de Anim. corporeo agit organo: *Eud.* Acutè Philaletes, at nos superesse imus inficias, quia sola mens superstes corrupto cuadit corpore. Quod si non acquiescis, scias, satis esse, ne dicantur frustra, & feriatæ, aliquando in officio fuisse, quomodo Auctrix se se in nobis habet à trigesimoquinto ætatis anno. *Phil.* * Non repugnabo, si ita tibi prorsus uidetur. *Eud.* Prorsus. *Phil.* Effundā aliud. Si Anima est forma naturalis, non nisi miraculo sine corpore stare potest. Cedo bona fide Eudæmon, nónne quod simpliciter, & syncerè vnum, magis indiuiduum est, quā n quod ex euentu? *Eud.* Planè ita est. *Phil.* Atqui ex Anima & corpore vnum fit physica, non mathematica vnitate, ex subiecto verò corpore, & accidenti fortuitò, & obiter vnum conflatur, constituiturque, ergo prodigiosius erit, Animam seorsum stare, quàm accidens. *Eud.* Non eò euadunt, quò speras, tuæ argutiolæ, enim verò τὸ ἐνυπόνον, connexum refellimus, Anima enim licèt sit naturalis forma, & arctiori vinculo vinciatur, quàm accidens cum subiecto, subditoque corpore, attamen qua parte intelligit, & sapit, immateriata est, & in corporea substantia nullius egens columinis,* atque adeò separatim subsistens, nequaquam tamen accidens epigenematicum: bipartitò enim spectari potest Mens animalis, vt cum Lydo loquar, absolutè, aut comparatè, quā simplex substantia intelligens, vel qua corpori conciliata, consociataque est. Si Mauis, Anima, si spectes substantiam, & naturam, separabilis est, at si qualdam operationes, quas obit vt forma, nequaquam, quomodo Nauta per officium indissolubilis est à naui. Hoc itaque maximè peculiare est humanæ animæ, in corporis societatem coire, non tamen immergi more cæterarum formarum: Quo circa falluntur, qui ex caducarum formarum proprietate, & natura exploratas humanæ formæ se habere putant vires. *Phil.* Profectò Eudæmon moues Camarinam, sed in te asper esse nolo, & refractarius, cum eo studio congrediar, vt auscultem tibi. Sed quæso te per sacras Musas, cur tanta inter corpus, & animam intercedit consensio, si mens à corpore non pendet? Arist. quippe præter Galenum sæpè inculcauit, Animi affectiones sequi varias corporis dispositiones, & temperamenta. * Ad hæc si non interit anima pereunte homine, neque ortus, neque interitus veri sunt, neque habitus, & priuatio sunt termini generatim transmutationis, vt statuit Philosophus. Quid enim per Deum, si anima non deficit, denascitur? Quid nascitur, si homo speciem non indit? *Eud.* Modestius mihi homo, & depositio hoc studio palam facias, quod intus geris noxium. *Phil.* Vix credas Eudæmon, quanto turgeat æstu sanguis: *Eud.* Satis vsus es tuo dæmone, compesce iam ferocientem appetitum rationis camo, &, si vis, nodum, quem feciti, mecum ipse expedias. Eo prius explicato, mutuum consensum Animæ ex euentu, & obiter conuenire, naturæ viribus imperium, quod sanè animus liber, & minimè corpori per prauas assuetudines mancipatus exercet, exemplo sit Socrates, qui maluit mori, quàm, peccare, hoc est permittere, vt animus incorporis contagionem labatur. Dein Cæmentarius e fidelia parietem gypso, aut calce liniens nonne meritò dealbare dicitur? *Phil.* Meritò sanè. *Eud.* Tum struitne parietem, aut albedinem conficit? *Phil.* neutrum: *Eud.* Quid ergo præter albedinis cum pariete coniunctionem, & connexionem molitur? *Phil.* Nihil. *Eud.* Sic propemodum in cæteris rem se habere puta: * Homo enim verè hominem gignere dicitur, etiamsi neque materiem, neque intelligentem procreet animam, (vtraque enim à Deo proficiscitur) quoniam dum materiam præparat, ac disponit

* An separata non habeat in se formaliter sensitiuas potestates, sed virtualiter Cap. prædictas.

*2. & 3 de Anim.

* 2. de Anim. mel'is carne apti ingenio.

* Posita forma subst. potentur, & illud cuius est forma subst. 5. Metaph. Intelligitur de forma actuali, non autem sic se habet Anima separata, quæ non est corporis actualis forma.

* Fernel lib. 1. de Abd. rerum causis c. vij Homo concurrum, inquit, facit, dum enim vim suam semini indit, quæ id carnē præparatum, & ad formam recipiendam aptum reddit, simul efficit, vt illi forma concilietur, &

in subiecta materia formæ concretas, quoniam est ipsa rei constitutio, & ortus, qui-quis hanc effecerat concretionem facit.

*Id quod fecit D. Th. in opusculo de occultis naturæ operib. in rebus naturalibus nõ est forma, sed compositũ ex materia & forma ad hoc enim aliquid sit, vt sit propriè autem dicitur esse compositum subsistens. forma autẽ dicitur esse, vt quo aliquid est, non igitur forma propriè est id, quod fit, sed compositum. Id circo fit quod res naturales essentiã est formatã tum sed compositum.

sponit, eam vnicè iungit, ac sociat cum Anima, quam physicam, & intimam societatem compositum excipit, quod homo appellatur: Quare reuera homo est terminus humanæ generationis, & homo vere hominem gignit, compositum verò est, quod planè consit, & deficit. *Leuc.* * Strenuè me hercle doctissime Eudæmon, ictus omnes, quos noster Philaletes ex Peripatetica decerpsit officina, exijsti, vt planè (si cum Platone loqui licet) te igneum aliquem dæmonem, qualis eius opinione obtigit Socrati, habere putem, at quæ paraui, vt in te conijciam, tela, nescio, an facilè euades. *Eud.* Siccine? Proh Dij immotales ab Vrbe cesseram animi, & otij gratia, & vos tantum exhibetis negotij? Quousque perget isthæc vestra petulantia? An iurati accessistis, vt eluctemini, & supplantetis? *Phil.* Caue Eudæmon hoc tibi persuadeas, nam vnius ergo veritatis dubia promouimus minimè refractarij, aut iniurioſi. Porrò hoc tibi laudi esse debet, cum veluti Epeum Titillinus, Entellus Daretem, Lasthænes, vel Milo Tidæum luctando viceris, & eluctatus sis. Non est victoria sine pugna, nec virtus sine hoste: Ecquis enim insigni præconio vel in Olympijs oleâ, in Pythijs Pinum, in Nemæis Apium, in pugillatu Lemniscos cuncritus est vnquam, qui solus decertauit secum? Cum in antiquis Reb. pub. multa sese offerant laudabilia, præ cæteris in Romana, Athenien-si, Lacedæmonia, & Cretensi, illud mihi commendatione dignissimum succurrit, quod Romani cursum, discum, saltum, luctam, & pugillatum: Athenienses Panathenæa, Schirrophoria, Haloa, & Apaturia: Lacedæmonij Hyacinthia, Choros, & Gymnopodia: Cretenses in venationibus, & montanis itineribus iaculandi, currendique præmia exercendæ iuuentutis gratia instituerunt. Quorum exemplo Virgilianus Æneas.

Si quisquam voluit rapido contendere cursu,
Aut iaculo incedit melior, leuibusque sagittis.
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu,
Inuitat pretijs animos, & præmia ponit.
Dat palmæ pretium victoribus, armaque, & ostro,
Perfusas vestes, argenti, aurique talenta.

Quare agesis Eudæmon, in hanc ne pigeat arenam descẽdere, scio enim, quod ferunt, herbam tibi porriget, & doctrinam, & bonitatem tuam ampliùs efferet præconio: An nescis Palladem ea ratione armis instructam effingi, quòd scientia concertationibus paretur? *Eud.* Profectò ais Philaletes, sed plus, quàm mihi sumam, tribuis, more, aut amore potiùs, quàm veritate ductus. Tu igitur optime vir, si quid habes, paucis expedias; nam me, ita viuam, defatigatio cepit. *Leuc.* Mandatis stabo.

Si intelligendi principium seperatim stare posset, haud esset hominis forma, quia seorsum subsistere, & esse in alio sunt asistata, & repugnantia, omnis verò forma eo, cuius est, eius per modum vincitur, & obligatur: * *Eud.* Scitè me hercle, sed noris quemadmodum in Deo duplex est ratio, prior absoluta, qua intelligit se, & in se omnia, est enim quod est primum, eius autem potentia quidquid est continetur, vt inferiores causæ in suprema, posterior comparata, qua prospicit nobis, & mundum gubernat, ita animæ duplicem esse habitudinem, & rationem, vnam, qua corpus mouet, regit, & informat, alteram, qua per se suo lumine primas causas, primaque principia, necnon semetipsam contemplatur. * Tota posterior ratio separabilis est, tãtum enim abest, vt animus perficiatur corpore, cum illius grauitate à proprijs actionibus auocetur: * Accedat intelligentem animam nec propriè formę officio fungi, entelechiæ enim, & actus proprium est, illud, à quo habetur, perficere, atqui intellectus perficit quidem corpus, ab eo autem minus habetur, quia energias citra corporis adminiculum exercet, quare penes vnam saltem partem, quâ scilicet corpus perficit, & exornat, actus, formaque est: Hinc quidam actum pendentem à corpore, & non pendentem instituerunt. *Leu.* Simplicij in mentem venit ædepol, à quo asseritur ea ratio. Cæterùm *si actum & potestatem mutua proportione sibi respondere* iustum est, quomodo fit, vt ea sit corporea, & caduca, actus verò incorporeus, & immortalis? Cæleste corpus mihi planè dignius videtur, quàm humanum hac forma, cum maximè *quid quid recipitur ex recipientis natura recipiatur*. *Eud.* Per ambitionem arguis ô Leucephe, non ex animi sententia, vt vt tamen sit, noris analogiam, & proportionem non peti ab actus, & potestatis natura, verùm in eo desiderari vt, ambo sint apta ad vnum constituendum, & vt ritè in vnum possint conuenire finem, ita verò prorsus se se habent corpus, & anima nostra, quæ licèt sit spiritualis, opus tamen habet, dum hic agit, sensibus inseruientibus, qui cum in corpore sint, fit, vt ex huiusmodi corpore, & anima confletur vnum compositum intellectus, sensus, & vitalium operum præpotens. Quare in eo comparatio, & proportio esse debet, vt corpus aptissimum sit ad functiones Animi obeundas, quale non esset Cœlum teste D. Thoma. Intellectus porrò non verè recipitur, sed coniungitur potiùs, cum sit totius altera pars seorsum æstimanda, cum compositum non sit sua extrema, quod litteræ, A. & B. exemplo patefecit Arist. hoc autem est humanæ animæ proprium & singulare, vt fragile corpus ipsa inconcussa formet, & exornet. *Leu.* Suspicor quid velis, & si mihi difficile captu, res vsque adeò dissimiles spirituale corporeo, immortale caduco physicè, & vniter arctari posse: Attamen ex pacto mussirandum mihi, & deuoranda hæc difficultas. *Eud.* Peruicacis sit huic rationi resistere, aut oppedere, tu tamen perge. *Leuc.* Caue Eudæmon, ne nos aliquo tyrannico vincias opinionis decreto. Verùm si pergam quomodo illud euades Aristotelis proclamantis, *intelligere, amare, reminisci, odio habere non esse passiones animæ proprias, sed coniuncti, quare dissoluto corpore non reminisci amplius, aut amare.* Quod sanè manifestò extet, si quidem intellectio, quæ maximè propria videtur, per species fit, species autem in spiritus, vel ipsum in cerebrum, vel certè in eius mæningas admitti, recipique constat, & hinc omnis proficiscitur cognitio: Habitus porrò in memoria locari perspicuum est, hanc verò per cerebri dispositiones & fieri, & conseruari, & deficere, quin & ipsum vniuersale, non quâ refert, sed quâ exuit, eandem esse speciem, quæ sensui præfuit, quocirca nullam sine corpore exercere posse energiam patet, id quod confirmat definitio, nullus enim actus, & perfectio diuelli, diuidique

* potest

*Anima nostra inquit Vallesius lib. 4. cont. c. 6. nõ est tantũ forma, sed habet præterea propriã subsist. quam spoliata à mole tamen retinet.

rim dum vnumus scala illa & materna constamus illa inquam eadẽ via diuersis facultatib. Hæc dicimus 1. An. operatio quam sine corpore obit. Cõstat duplex genus formarum ex Peripatetica dari, quod ex Zimara in tab. colligitur authoritate Auer. & Themistij, super tex. 11. 2. de anima, datum scilicet esse per inhærentiam, & dantium solũ operan. Vide Zim. pagina 79. asterisco notata.

*Greg. Horstius lib. 2. exer. 9. qu. 5. non iniqui potest, ait, quã partem occupet intellectus, quia per se incorporeus est respectu operationis, quo ad informationem verò peculiarem informandi rationem obtinet.

*Aristot. inquit Niphus 2. de An. cap. 11. scripsit videri aliud animę genus, & dictus entelechia, qua si æquiuocè, quia perficiens corpus ab eo nõ dependet, nec habetur. In Metaph. lib. 6. 1. de Anim.

potest ab eo, quod perficitur. Præterea quo modo
11. Metaph. ab infinito præsenti te explicabis, quod ratio declinant opere Philosophi? Nõne ille ipse Philosophorũ coryphæus Deo perpetuam fælicitatem, nobis temporariã, & fluxilẽ cõuenire fassus est? Qualia multa
7. Metaph. possem ex ipso afferre, at molestus esse nolo. Vnum dissimulare nequeo, quòd Aristoteles asseruit, *formas à materia seiunctas eademque consociatas vicissim specie distingui*, quod si ita est, multò minùs vna, eadẽq; numero forma modò cum corpore; modò sine eodem esse poterit: Huic mi Eudæmon rationi (ni omnem respuis rationem) manus dabis, quemadmodum Nylenus, multique alij argumenti præstantia victi: *End.* Non est, cur gestias, & te mirum in modum petulanter geras, nihil enim est, quo vrgeamur, nihil quod timorem incutiat, aut nos à recto defiectat tramite, proin, qua serie, veritatem implicasti, eadem prorsus ab implexo explicandam curabo. Arist. Igitur, vbi intelligere, & reminisci cõiuncti, suppositoque actum scriptitat, dubitanti potiùs, quam docenti, vt loquitur Themistius, assimilatur, nondum enim opinionem destruxerat dicentium intellectum, & sensum non differre: Quare toto illo capite de intellectu perinde, ac de sensu verba facit. Quòd si quis mordicus resistat, nõrit nondum tamen tollile palmã, quòd intellectio ex euentu, & obiter suppositi dici potest actio, Prout quod obijcitur visum, in organo locatur corporeo, hinc tamen non conficitur intellectionem exerceri per organum, id quod tu colligebas, & Animæ ipsius definitione firmabas, quam sanè finitam scimus mutua, non absoluta ratione, vt refertur ad hominem. Quod ad infinitum data etiamnum falsa hypothesi mundum principio, & fine destitui, nequaquam tamen præsens instaret, aut infestaret, *infinito enim nihil addi potest*, atqui animarum numerus quotidie augetur: Acceda p æclaros quosdam Arabes, quin & D. Thomam in æternis, & incorporeis infinitatem permittere. Hinc Arist. lib. 3. phys. capude infinito secludit à perscrutatione sua entia abstracta, & immaterialia. Quòd si quis etiam teneat mũdum æternum, & æternitatem continere totum tẽpus quantumuis infinitum, necesse est, fateatur, vt quæ à finito tempore continentur, sint finita, in indiuisibili tamen æternitate necesse est illa actu infinita contingi, si actu, simulque totum tempus infinitum, & omnia, quæ sunt in tempore in æternitatis illa abysso; ad quam intellectus noster minimè attingit, cõmentur, quid ergo vetabit animas, quæ sunt super tempus, & locum, esse infinitas? De humana porrò fælicitate, scias Philosophum in Metaphysicis sermonem habuisse, quæ nobis, dùm hic agimus, cõtigit, & conuenit, haud quaquam eam, quæ seiunctam manet animam, adiuuisse. Denique Animæ aliter natura insitum esse corpori conciliari, coniugarique affero, id quod ex accideti præpediri tamen potest, non animæ quidem ratiocinatricis causa, sed corporis vitio, quod è medio tollitur, quemadmodum simpliciter leui sursum esse
8. Physic. insitum & naturale est, vt Aristot. ait, vsu tamen venit, vt ob impedimentum aliquod haud sit, quare sicut id, quod natura sursum esse, aut super cætera ferri, quodque oppositio se habet modo, specie differre, & dispesci, ita idem numero, & specie concludi, quod insitam vim habet, vt sit sursum, exteriscq; superfit, licèt interdum sit, interdum nequaquam ob impeditionem, par est, & dignum: Idem prorsus de Anima humana sensum volo. Quocirca & citra corpus subsistet non otiatura, sed Deum * contemplatura; in corpora tamen (quod per fidem credimus) remigrabit non Pythagorica Metempsycosi, sed Christiana palingenesia. *Anima* (inquit Iacobus *Brutus Clurien sis lib. de immort. Animæ*) *post mortem tribus modis intelligit, vno modo per species, quas recepit in corpore, alio modo per species in sua à corpore separatione diuinitùs sibi infusas, tertio modo videndo substantias separatas, & in eis species rerum intuendo, sed hoc vltimum non subiacet eius arbitrio, sed magis arbitrio substantiæ separatæ, quæ suam intelligentiam aperit loquendo, & claudit tacendo: Qualiter autem aliquid possit animæ proponi cognoscendum ab ipsa per analogiam exprimi potest ad humanum locutionem, si quidem in homine est aliquid, quod alius potens est percipere, vt ea, quæ exterioribus subiacẽt sensibus, aliquid verò, quod videri non potest, sicut interiores mentis conceptus. Species ergo intus conceptæ secundùm quòd ordinantur ab intelligente vt manifestandæ alteri, habent rationem verbi, quod dicitur cordis verbum, siue verbum mentis, secundùm autem quod aptãtur, & ordinantur signis exterius apparentibus, si sint signa ad visum, dicuntur nutus, si verò ad auditum, dicitur proprie vocalis locutio; similiter in animabus interior conceptus mentis libero arbitrio subiacens ab alio videri non potest. Quando ergo speciem conceptã ordinat, vt manifestandam alteri, dicitur verbum cordis, quando verò eam coordinat alicui animæ per aliquod signum, quod naturaliter sit expressiuum interioris conceptus, talis expressio dicitur locutio, & nixus exprimendi dicitur lingua eorum. Vnde patet, quod sicut in nobis, ita in animabus duplex inest locutio, scilicet exterior, & interior, sed exterior in nobis est per signa sensibilia, in animabus verò alio modo, quia ipsa ordinatio cogitationis ad alterum exterior locutio in separatis mentibus dicitur, &c. Ex.* Ar. At. Phil. S. T. satis superque factum, ò Leucephe, nec est quod sis morosior.

Nos verò Eudæmon opinione citiùs peruenimus ad amœna vireta. *End.* Profectò isthæc disputatio mihi imposuit, vt non viderim loca, quæ sum prætergressus, nec animaduerterim temporis durationem: *Phil.* Hoc ex delectatione, & intentione factum putat. * Hinc quæsiuit Aristoteles, cur ignorantes alicuius viæ longitudinem, quò contendunt, nunquam se peruenire posse arbitrentur, cuius rei causam interpretatis Conciliator, accidere iudicat ob iugem tùm anni aduersionem, tùm ob ignorationem, quæ semper indefiniti, & infiniti rationem subit. *End.* Nil ædepol peræquè mihi permulcet animum, ac philosophica disceptatio, nullo enim modo Deo similiores euadimus, quàm philosophando, propterea Atanagoras, *si vite philosopheris, euades in vlterum Deum*, inquit. *Phil.* Nimirum ita est, quia cum Deus sit ipsa sapientia, qui plus sapit, * Deo proximus est. Nos autem hactenus satis decertauimus, reliquũ mihi videtur Eudæmõ, vt si quid intus geris amplius, promas, nos interim agemus Pythagoræ discipulos. *End.* Equidẽ habeo, sed quies paululum intermitteuda ibi hac quercu.

Ddd Ad

Formæ, inquit b. Sapiẽtiæ similes sunt similitudi, vt enim similitudo nullo definitur, ita formæ physicę proprio subiecto, q informant.

Cardinalis Cõtarenus.

* Ea quæ ad immortalitatem intellectiuæ conferuntur, scil. quid & quomodo operetur post mortem, an fuerit ante corpus necne, nequaquam ratio naturalis attingit, nisi quibusdam persuationibus probabilibus. Card. Cont.

* Arist. lib. 1. de cœlo c. 9 art. Quæ sunt perexima sunt dispositæ conuertibile. h. e. Dij optimam in vniuersi æternitate vitam degunt, & sufficientissimam, via autem optima illorum via est contemplatio, qua alibi existimant mihi esse nec incundius nec melius hic de part. Autor

* In Probl.

* Senera. Hæc mihi maximè pollicetur Philosophia, vt me Deo parem efficiat. Hic vna homo contra hitus liber.

* Et Themistius ait vt corporis medicina, ita animæ Philosophiæ perfectio est.

Philosophis studium inquit Zimara ergò Deum obseruantiâ, pietatemq; multùm adauget, & vetusti concalfacit.

Ad zephyri murmur suaue, & labentis Anassi.

Phil. Sessio mihi quidem cordi, sed non video, quâ parte sedendum, adeò præterfluunt omnes frondes radij solis: *Eud.* Vetustissima quercus isthæc, quam de Cælo tactam semel fuisse viderunt Priores, ac cum omnes iam penitus exaruisse crederent, iterũ Augusto frondescere cœpit, propterea captato bono omine, semper, dum turi dego, sub hac quietem ago, & sæpe numero

Dilabor facilis cultos Helicouis in Hortos.

Phil. Profectò locus inuitat, & nos felices, si tanti simus, quibus te modulantem audire datum sit: *Eud.* si dum meditor, vos quies occuper, vel oculos huic amœnitati adijciatis facili negotio voti compotes fieri poteritis. *Phil.* Per me quidem omnis tibi facta potestas, & copia. *Leuc.* Ego verò palans longè secedã inspecturus quædã, quæ me alliciunt.

Equidem nescio, oculos ne cum Argo, an nasum cum Catullo mihi votis expetam, adeò vterque sensus mihi permulcetur, & titillatur. Vah quàm pulchræ Areolæ: Quanta florum vbertas: Hesperidum, & Alcinoi hortos loquuntur: Nugæ: Campi Elysij non sunt Elysij ad hunc Paradisum.

Eud. Nescio viri optimi, an ex voto cadet, quod expetitis: nam conanti mihi huiusce loci laudes, aliud fato in mentem venit, rogo igitur, vt fauentes linguis æqui, bonique consulatis,

Animi Psyche vocatã affirmat Them. quo tropo notatur, quòd ad vitam animalem tuendam cuncta tendant, & refrigeratione sit opus.

Huc Amor pergas celeri volatu,
Te tua exquirit speciosa Psyche,
Et Deum poscit Puerum Puella
Diua, cupitque.
Si tui tantùm similis Cupido
Te cupit, non ne & cupies vicissim?
Patria est nobis eadem, Paterque
Iuppiter idem.
Nos solo, & Cælo pariter locamur,
Sedibus planè officioquè iunctis,
Nam bonum, & pulchrum fero, tu Cupido
Suggeris ignes.
Proh nefas in me propriùs abutor
Artibus, pulchro nimis apta flecti,
Te Puer fulgens simul atque vidi,
Ignibus arsi.
At iuuat, si te pietas calore
Vrit æquali: Tenuem resolue
Tæniam, in Psychen oculosque fige
Tactus amore,
Ipsa, queis frontem retegas; laboro
(Magnum opus) vittas, vbi flat Meander
Atque Narcissus soboles Cephisi
Pulcher oberrat,
Ipsa te zonas; nebulasque pennis
Fingo tranantem, pelagusque vastum,
Cuncta subdentem, volucres, ferasque
Protinus omneis.
Dij tibi parent, Ionis ipsa virtus
Vincitur trimis religata nodis;
Et tuos Psyche sequitur superbos
Mœsta triumphos.

Leuc. Tanta voluptate perculerunt animum meum tua carmina Eudæmon, vt etiamnum mihi obmurmurent aures. *Phil.* Mihi verò. Venusini venit in mentem: præclarè adeò permisces *vtile dulci*: *Eud.* Me sanè viri probi in ruborem datis, sed scio, hoc vobis ioco dictum: susceptam verò prouinciã prosequi modò, si videtur, mihi certum est. *Phil.* Hoc vnum, non solum expectamus, sed expetimus etiam. *Eud.* Pergam igitur. *Leuc.* Placetne Eudæmon, quando hucusque conuenit inter nos, ex sacris paginis aliquot auctoritates priùs ipse adducam, vt hæc sancta sit veritas. *Eud.* Et si huc ea non spectãt, attamen abs re non feceris, vt illi, qui ex animi sententia desipiunt, & malè olent, veritatis suauitate perfusi resipiant e vestigio. *Leuc.* absoluam igitur, & quàm breuissimè.

Non derelinques, inquit Psalmographus ille sanctissimo spiritu afflatus, *in inferno animam meam*. Psal. 15. At Ecclesiastes. *Reuertatur puluis in terram, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Sapientię verò secundo scribitur. *Nescierunt sacramenta Dei, neque mercedes sperauerunt iustitiæ, & honorem animarum sanctarum nesciuerunt.* & paulo post subditur. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori.* Denique fatetur in æternum viuere iustos. Præterea Moses animæ immortalitatem significauit nobis, quando scripsit hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum esse, quæ sanè similitudo in quatuor consistit. Primò in quadam infinita capacitate mentis, quæ omnium est capax. Secundò in appetitu voluntatis infinito, vt nil eum expleat præter Deum. Tertiò in libertate voluntatis. Quartò in quadam cupiditate æternitatis. Et hoc sanè argumentum ex similitudine hominis cum Deo maximè fecit Plato in Alcibiade, & Phœdone. Alter locus vbi Moses animæ immortalitatem signat, est, vbi ait, hominem Principem, & Dominum cunctorum animalium à Deo constitutum, quo declaratur hominem esse superioris gradus, & naturæ. Tertius locus est, vbi ait Deum inspirasse in corpus hominis animam rationalem. Quartus locus est in c. 4. lib. Gen. quo loco dixit Deus, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, quo ostenditur libertas humanæ voluntatis, atque adeò perennitas eiusdem. Quintus locus est c. 37. Gen. Descendam ad filium meum lugens in infernum, vbi Iacob propriè significat infernum, vbi animæ mortuorum quiescebant vsque ad Christi aduentum. Sextus locus: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, quod Dominus noster in Euangelio commemorans dixit, non est Deus mortuorum, sed viuentium. Septimus locus est in c. 4. Deuteronomij, quo loco dicitur, Solem, & Lunam, & omnia cœli astra esse facta, & destinata ministerio cunctarum gentium, ex quo significatur hominem esse cælo nobiliorem; cum ipsi homini moueatur. Placet ne idem comprobem ex nouo Testamento? *Nolite*, inquit Matthæus, *eos timere, qui occidunt corpus; animam enim non possunt occidere.* Paulum verò audite. *Is licèt, qui foris est, noster homo corrumpatur, is tamen, qui intus est, renouatur in dies*, internum autem hominem vocat animam. Ex Decreto Concilij Lateranẽsis idem apertiùs colligitur. *Damnamus*, inquit, *& reprobamus sacro approbante Concilio omnes asserentes animam intellectiuam esse mortalem.* Idẽ Sexta Synodus Constantinopolitana, Idem concilium Vienense sub Clemente Quinto. In eandem omnino sententiam concesserunt vniuersi Doctores Sacri D. Ad Rom.

In Io. Trac. 23. & 47. Hom. 4. de Prouid. c.6. Fato. Lib. de fum. bono c.14. Lib. 2. de mem. & Rem. c.1.

cri D. Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Isidorus. *End.* Admirari licet Leucephe tuam memoriam, non æmulari. *Leuc.* Blandè mi Eudæmon, attamen malim ipse tuum ingenium, & solertiam: Nescio quo malo factum sit vt ijs frequenter desideretur ingenium, qui memoria pollent. *End.* Quãquam hoc statuat Aristoteles, non est tamen vsquequaque verum. At seriò Leucephe rem omnem paucis confecisti. *Phil.* Cum res vna sit, veritas vna, veritatis spiritui prorsus credendum; qui secus faxit, vt ferius est moribus, ita è coetu hominum ablegandus. Verùm ipse obmutescam ne vobis differentibus, an mihi etiam per vos integrum est aliquot Veterum afferre authoritates, quibus concordem sententiam vinciam, & confirmem? *End.* Per me quidem licet, sed hoc vnum admirari subit, vos pridem mihi adeò obstrepuisse, & obstrigillasse, nunc autem vndique munitos à me esse. *Phil.* Æquum est, vt palinodiam canamus, & in tuam resiliamus sententiam, quam tamen antea (testor Deum) concoquebamus, & certò habebamus. Facta igitur copia recolam, si potero, quæ olim memoriæ commendaueram.

Lib 3. divin.

Literis tradidit Lactantius, animam nostram esse immortalem ita compertum fuisse, vt plures alterius vitæ appetitu, & immortalitatis amore semet ipsos interfecerint. lib. de cõtem. morte. Tullius testatur, penes, vniuersas gentes communi conspiratione, & consensione sancitum, confirmatumq; esse, animos defunctorum esse liberos ab interitu, apud quem Socrates, duæ, inquit, sunt viæ, dupliceſq; cursus e corpore exeuntium, nam qui se vitijs humanis contaminarunt, & se totos libidinibus tradiderunt, ijs iter seclusum à Concilio Deorum, qui autem se integros, castosq; seruarunt, quibusq; minima fuit cum corpore contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, ijs ad illos, à quibus sunt profecti, facilè patet aditus. Pythagoras verò, si depositò, inquit, corpore liberum ascenderis æthera, immortalis eris, cui veritati adscripsit vetustissimus Vates Eoscides.

Lib. de Sent. & in Tuscul.

Lib. Top.

Vita brevis nobis, ad tempus viuimus omnes,
Ast Animus mortem, seniumque ignorat, & arcet.

Samius autem senex hæc discipulo moriens tradidisse fertur

Corpore deposito cum liber ad æthera perges,
Euades hominem factus Deus ætheris almi.

At Epicuræus etiamnum ipse vates.

Prodit idem retro de terra, quod fuit ante,
Sed quod ab æthereis demissum sedibus istuc,
Id rursum Cæli fulgentia templa receptant.

Brachmanes apud Phylostratum metepsycosin asseruerunt. P. P. Hist.

In ea sententia fuerunt Brachmanes, vt Dydimus eorum Rex per litteras ad magnum Alex. missas inuulgauit, quas D. Anton. refert. Idem Persi, & Medi prorsus crediderunt, si Cyro maiori eorum Regi fidem habemus. Idem Chaldæi, & Indorum Magi, vt tradit Pausanias. Adhæc Circes fabula veteres animi immortalitatem significabant, Circe. n. dicta est à miscendo, quo animalium, & plantarum generationem signarent, quòd necesse sit, humorem à calore misceri, quare mixtio hæc Solis, & humoris fingebatur filia, cum uero perpetua sit hæc generandi ratio, Circem immortalem esse dixerunt, Vlisses ab illa non mutatur, cum anima ab omni corruptione immunis sit. Sed enim præceteris D. Thom. hanc ueritatem demonstrauit, & fere tractabilem obiecit. Facultas, inquit, in corpus immersa, hoc ipso ad certam cognobilis naturam definitur, at mens nostra ad omnia peræquè, quæ cognosci possunt, est affecta, proin incorporea, & separabilis est: cum enim materiatas omnes formas concipere possit, reliquum est, vt materiæ sit expers, quum id, quod suscipit, susceptæ re cassum, vacuumque sit, oporteat; Quò aurea Anaxagoræ sententia tantopere ab Aristotele commendata spectat: * *Oportere mentem esse seiunctam, & seorsum, vt dominetur, hoc autem vt cognoscat.* Sophonus verò. Corrumpitur aliquid, aut quia constat ex materia, & forma, aut quia incorporeum cum sit, in corpore existit, ceu in cera figura, & character, neutro autem modo intellectus, qui & à materie liber, & incorporeus, nec in subiecto, sed in se ipso firmatus est. * Quid memorem Theophrastum Aristotelis discipulum, & consanguineum, qui perambulationum myriades cum eo de Animæ immortalitate differente confecit, quique tam acriter mentis nostræ æternitatem tuetur, vt sit obtusus, qui sentiat aliter? Quid memorem Themistium, Priscianum Lydum, Plutarchum, Simplicium, Philoponum, Theodorum Metochitem, Hammonium, Porphyrium, Psellum, Olimpiodorum, qui concordi, vnanimique sententia intelligentem animam immortalem solidè sanciunt? Plura in medium afferre possem, at ne nimis longum faciam, & molestior sim, mitto, reliqua abste Eudemon, auditurus, quem scio grauiùs & dilucidiùs rem confecturum.

In Metsem.

Perperã Zabarella putat hoc intelligi tantùm de obiecto intelligibili Augustinus. Nisus tres demonstrationes ex ipsa Peripato decerptas cõfecit, primã desumpt ex voluntate, in arbitrio, quæ actum elicit contra corporis inclinationem. secundam ex ipso intelligendi nomine, quod nullo corporeo absoluitur machinamẽto, tertiam ex obiecto, nempe ex vniuersali, qui nullibi habet esse perpetuum præterquam in intellectu, q ipsum separat à materia, loco, & tẽpore, quare vniuersalis participatione ab intellectu est perpetuum, hoc autem sit, quòd intellectus per essentiam sit perpetuus.

End. Hercle uiri probi per uos me magno fasce leuatum sentio, ut possim, quod reliquum est, prosequi promptiùs. Videtur autem à moralibus conclusionibus auspicandum.

Dic sodes Philaletes, nonne quidquid in hac rerum uniuersitate consistit, ad suum finem refertur, quo acquisito quiescit? *Phil.* Maximè. *End.* Tum quem potissimum esse hominis finem putas? *Phil.* Fœlicitatem. *End.* Vbi nam porrò hanc fœlicitatem ponis? *Phil.* In perfecta rerum maximè abstractarum intellectione. *End.* An eam in hoc mundi Theatro consequi te posse speras? *Phil.* Nequaquam mihi tantum sumo, qui scio unicum duntaxat in hoc terratum orbe extitisse, cui per hypostasin iunctus erat Deus. * *End.* Alterutrum igitur fatearis, sit necesse, aut frustra nos ad nostrum finẽ collimare, aut certè meliori uita donandos, in qua finem nostrum adipiscamur. Ad hæc putas ne toti speciei inditum esse rationalem aliquem appetitum, qui nunquam explendus sit? *Phil.* Minimè, cum cætera omnia id appetant, quod sibi consentaneum, & consequantur etiam. * Id esse à natura dicitur quod omnes uel plerique appetunt, & assequuntur. *End.* Atqui omnes in familiari uoto habemus immortalitatem, & summè expetimus. Porrò si Deus iustus est, animam nostram superesse oportet: Nec absurdum tibi videatur connexum, nam si iustitiæ munus est, & officium, pœnas delinquentibus, præmia merentibus statuere, hic autem diuina iustitia, (vt est videre) neutrum efficiat, reliquum est, vt præmia differat in futuram vitam. * Quò spectant Philosophus, cum quæsiuit, *cur homi-*

* Sic Philosoph. 1. Ethicõn.
* & 10. Ethicõn. Phil. 8. Metaphys. tex. 10.
* Christus Theantropos.
* 4. de Gen. Animal. Anst.
* 30. sec. Pro. 5.

mini maximè sit credendum, cui respondit *quod inter cætera, Deum nouit, & colit, colit autem vt præmia recipiat.* Quam in rem mirificè scripsit Moses ille Atticus. *Iustum est, inquit, scelestos post obitum suorum criminum pœnas dare, bonos autem præmia recipere*, qui & appositè, & accõmodatè in Philebo, & Phædone notauit, Animam viri probi ad Dei similitudinem factam esse, quæ verò in terris sensuum perturbationes vicerint, ad stellam suam reuolare, quæ verò ferinis perturbationibus superantur à morte in alia transire corpora pro criminum qualitate susceptà, & ambitu quodam quasi bruta pererrare, donec mente perturbationes exuperante piatæ reuertantur ad stellam suam: Ille idem apud Inferos purgari manes in Styge, Phlegetonte, Cocyto, asseruit, magna verò scelera perpetrantes, ac Tyrannos ad tartara funditùs demitti, vbi perpetuo crucientur æuo. Deniq; ad probandam Animæ immortalitatem Alcmæonis potissimùm ratione ex perenni motu collecta vtitur, quam Philoponus solidæ demonstrationis loco admiratur. Quidquid enim per sese ita mouetur, vt non quiescat (quæ enim mouétur, vt quiescant, vim passa videntur huiusmodi verò interitui obnoxia sũt) semper mouetur, at quod semper mouetur, æternum esse putandum est, verũ ea nostra mens est; quam sententiam, quia fortassis non cepit, carpsit Aristoteles, tuentur tamen quidã acriter, motum, sine corpore energiam, non localem motionem interpretantes. Rationes Arist. inquit Philoponus, efficaces sunt contra eos tantummodò, qui omnem animam irrationalem etiam seipsam mouere per se contenderint, sed cõtra Platonem, qui hoc solùm de rationali anima asseuerabat, nullam penitus vim habent, eam enim moueri à sensibus negabat, sed veluti expergefieri, veluti si Geometra peritus ex somno excitetur statim speculatur theoremata, non quæ fuerint ab eo, qui excitauerit, ei impressa, sed quorum Idæa inanimo seruabantur: Ait etiam hos motus animales esse, anima verò cum secundùm seipsam agit, intellectiuè agit, nec sensibus eget. Hinc scitè Xenocrates commendatur, qui animam numerum se mouentem appellarit, est enim, inquit, Philoponus, formarum plenitudo, & ratio quædam ex rationibus cõstans. Hinc etiam. Simplicius animalibus, inquit, & intellectualibus motionibus cietur. At hoc vnum vel est maximum argumentum, Aristotelem vnà cum Platone de Intellectus nostri immortalitate benè sensisse, quòd Præceptorem ea de re toties edisserentem nunquam insimularit erroris, quod sanè liberè, & ingenuè fecisset, si iudicasset secius. Ecquis est per immortalem Deum adeò obtusamentis acie, qui in aperta luce identidem patefactam Aristotelis mentem penitus non inspiciat? Cedo mi Philaletes, nõ ne mens nostra, si caduca, & mortalis foret, potissimùm ob eam, quæ in senectute contingit, imbecillitatem effœtis deficeret viribus? *Phil.* Omnino. *End.* Atqui id vsu venire minimè experimur, cum corporis quantum decrescunt vires, mentis tantundem succrescant, ideo quæsiuit Philosophus, cur, *seniores amplius mente valeamus, iuniores oculis discamus*: Hoc autem, quod mẽs nostra innata quædam, & existens substantia interiri quidẽ nu mum animæ autem intellectum.

Lib. de leg. in Phædro.

Entelechia enim significat perenne agitationem, vt Cicer. lib. 1. Tusc. & Dn. Melanth. in prime. lib. de Anim. Lib. 1. de Anim Alb. M. Themistius, Pereius.

necioni nequaquam obnoxia. Ad hæc nonne quid quid diuinam subit conditionem, immortale esse rato animo ducendum est? *Phil.* Ducendum sane. *End.* At Intellectus noster sic se habet. Quæ omnia professus est Arist. libro primo de Anima, vbi etiam melius intellectui, ait, esse sine corpore. Quin redarguens Veteres dicentes animam motu cieri, inquit, Quòd si id, fieri quoque potest, vt egressa rursus corpus ingrediatur, ex quo fiet, vt animalium ea, quæ mortem obierunt, resurgant. Quo argumento superstitem quoquo pacto animam à corpore confecit. Verùm secundo quid putas eum dixisse? Nil prohibere, quin aliqua nostræ animæ particula separetur, *quoniam nullius corporis est actus*. Profectò non est mens nostra reliquarum formarum more actus corporis nisi per analogiam quandam, vt perficit, & constituit in certa quadam specie, non vt vicissim immersa à corpore obtinetur, & circumsepitur, quum non sit in organico corpore nisi intermedijs alijs animæ particulis, à quibus diuelli, dissociarique voluit, *ceu perpetuum à corruptibili*. Quid quæris? Vis gradum faciamus ad tertium, vbi præcipuè *de ea Animæ parte, quæ sapit, & iudicat*, verba fiunt? An putas Philaletes, eam formam, quæ ita à materie secreta est, quemadmodum Anaxagoræ mens, immortalem esse. *Phil.* Equidem, puto, & paulo ante innueram. *End.* Atqui mens humana tanti æstimatur ab Aristotele, qui subdit ideò immixtam synceramq; esse oportere, vt vincat, & cognoscat. *Phil.* Ita prorsus. *End.* Itaque nescio quò se se recipere possint homines isti lucifugi, qui secus sentiũt, vt rationis euadant efficacem perspicuitatem. Pergamus. Diffiterine potes, eam formam quæ nulla percellitur primarum qualitatum affectione esse stabilem.* *Phil.* Non possum cum generatio omnis, & corruptio per has fiat qualitates. *End.* At mens nostra neque calore æstuat, neque frigore perstringitur, quare necessum est, vt perpetua firmitudine consistat sui semper similis, cum quę vltrò, citròque afficiuntur communi materia participent, proin primo de ortu scribitur, *formam à materia solutam nulla percelli qualitate*.* Quin secundùm Hippocrat. quoque ipsum, si vnum esset homo, minimè sanè doleret, vnde enim pateretur, non haberet; spiritus intellectualis, & incorporeus quomodo quæsò interitum subeat, cui quidem nihil sit, quod illi passionem inferat? Passiones, inquit Porphirius, circa id sunt omnes, circa quod accidit & interitus. Tria enim ad interitum est admissio passionis, atque huius est interire, cuius est pati. Interit autem incorporeum nullum. *Phil.* Necessariò. *End.* Porrò quidquid nullum ad agendum adhibet corporeum instrumentum, se supra omnem corpoream naturam sustineat, oportet. *Phil.* Prorsus, nam *functio naturam arguit*, quare si à corpore quo quomodo penderet, eodem quoque ad obeundas functiones uteretur. *End.* At quo organo ad intellectus, aut uoluntatis energias utitur? *Phil.* Nullo. Hippoc. 6. Epid. Mentis intelligentia ipsa per se ipsam citra instrumenta, ac negotia tristatur, lætatur, timet, confidit, sperat, desperat. *End.* concluſum igitur sit, mentem esse immortalem: *Phil.* At Aphrodisæus etiam nulli addictum organo nostrum intellectum facit, & nihilominus mortalem. *End.* Perperam uir ille bonus, qui & in quæstionibus naturalibus sibi

Lib. 2. tex. 11.

Tex. 11.

* Malè concludebat Arist. intellectum si foret organicus qualem cernimus nõ iudicabile: tale autem est incorporeum, non potest esse quale, maximè si spectemus sensibiles qualitates hoc autẽ videre est apud Iandunũ in quæst. Phys. lib. 1.

* Act. lib. 1. de spetie Animali c. 3.

In Probl. 4. xxx. sect. vbi ait Deũ nobis duo instrumẽta dedisse corpo-

minùs

minùs constans ueluti ipsa ueritate coactus intellectum nostrum immortalem confessus est. *Phil.* Memini, sed perge. *End.* Faciam obiter, quod tempus me deficiat, si uelim singula minutiùs prosequi. Affirmat igitur intellectum esse *locum, ac receptaculum specierum.* Et per eum à materia secerni, ac dirimi, secus longè esse ab affectibus immunem, ac sensus, etenim uehementioris sensibilis obiectu ferè læditur sensus, non item mens, quin præstantissimorum intellectibilium perficitur, & exornatur intellectione, ut cætera humiliora deinceps nullo percipiat negotio, ea uerò est discriminis ratio, quòd sensus organo implexus, mens uerò secreta, & abstracta. Pergit; Mentem, ubi singula facta, se se intelligere posse, illud autem fieri, quod per instrumentum ad certum cognobilis genus haud sit definita, hoc uerò, quòd nullum agnoscens contrariũ in se conuertitur, & intendit, hoc autem quia libera est, & ab implexu materiæ soluta, materiatæ n. facultati nequaquam se se reciproca actione concipere datum est. Caussam deinde afferens, cur se intellectu comprehendat, subnexuit, quia materiei commercio illibata, huiusmodi uero intelligens, & intellectibile. Hactenus de capaci intellectu. Eadẽ uerò natura, & ornatu comit Agentem, quare ni subsit homonymia, & fallacia, perpetua firmitudine constare animam intelligentem, fatendum est; cum Agentem, perennem esse, sit inconfesso. Scio, obtrudent Alexandræi quendam intellectum Agẽtem substantia distinctum à capaci, quem impudenter non Dei delibationem, sed Deum ipsum uocant.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Auerroistæ diffusum, & singulis hominibus adsistentem perinde, ac cœlesti orbi Intellectum appellabunt. Quorum hi futilè, & præter Stagiritæ mentem, nam si unica omnium hominum esset mens, illa uel per uniuersi partes commearet omnes, uel certis locorum regionibus concluderetur, si firmare primum ausis, sponte in Platonicorum dogma te conijcis, & ultrò Mundi animam introducis, quam tanto explodunt opere Peripatetici; Si reliquum admittas, illud des, oportet, non ubique homines intellectus compotes esse, quum eorum uisa haud collustrentur ab adstante illo intellectui, quem possis uerè cum Arabico Archiatro Colchodæam appellare. Ad hæc plurium numero non potest esse una, eademque numero essentia. Intellectus ille assistens unicus (ait Card. Contarenus) uel est forma dãs esse subtantiale singulis hominibus, uel non, si dicitur quòd non, cum intellectio sit actio immanens in intellectu, intellectus uerò non sit in nobis, utique nec intellectio, neque adeò aliæ operationes, ut uoluntas, & electio ad nos spectabunt, nec licet recurrere ad phantasmata, nam in phantasmatis non est intellectus: Si uerò dicatur, quòd intellectus ille unicus sit forma dans esse Homini sequitur, quòd omnium hominum sit unum esse secundum numerum, imò quod Socrates sit idem, qui Plato, quod est absonum. Rhois filium præterea manet hoc fœdissimum absurdum, Intellectum omnium scelerũ admissorum pœnas daturum, & benefactorum simul præmia recepturum, nam quemadmodum uoluntas, quæ ab unica illa mente manat, uirtutis principium est, sic etiam peccati. Quis autem hoc admiserit? Iure igitur hoc uidetur quibusdam monstrum, hominem quippe per aliquid intelligere, quod non sit intima pars eius. *Quasi verò, inquit Scaliger. Deus cum fabricaret intellectum, nequiuerit ei quantum satis est lucis insinuare, sed ipse coactus sit assistere præsens ministerio, tanquam Præfectus quidam Prætorio.* Adhęc homo haud quaquam perfectus esset, quis enim eum reputarit perfectum, & omnes uirtutis numeros continentem, qui per intima, & insita principia suum munus exercere nequeat, sed aliundè precariam opem implorare cogatur? At hominis proprium munus intellectio, quam sanè & Agentis, & potentis, ut uocant, intellectus concursione, & opera absolui palam est, quẽadmodum uerò intellectibilium susceptio & conceptus homini adscribitur, quod patientis, & recipientis intellectus pensum esse dicitur, ita intelligibilium abstractio, & discretio, quæ agentis intellectus officio perficitur, homini accepta fertur hoc autem nequaquam fieri posset, nisi huius actionis principium forma, & substantia coniunctum esset. Accedat ipsius Aristotelis testimonium e uestibulo dicentis, se de intellectu, qui pars animæ est, orationem habere. Hinc Themistius (in Phys. cap. de diuisione totius Philosophiæ) ex sensibus, inquit, & imaginationibus, atque illo ipso intellectu potentiæ multum inesse materiæ colligunt, ex intellectu verò Agente, quem caput esse animi Arist. demonstrauit, aiunt esse animam ab omni materia prorsus abiunctam, quamuis non idem Alex. uideatur. Huc prętetea referri posset, quod superius innueram, Deum fore peccati authorem, ipsum, puniendum. Dices, cur tam conceptis uerbis mentem agentem æternitati destinat, passiuam uerò fatis, & occasui obnoxiam sancit? Sciendum, passiuam mentem ab Arist. passim pro phantasia usurpari, hæc autem est passiua, quòd affectionum omnium, quas alij pathemata nuncupãt, est origo, & initium, & ueluti reliqui sensus, mortis imperio subdita. Id quod scribendi modus declarat, nam sine passiua mente intelligere nihil posse, præcipuum, & genuinum aliquod arguit principium, quod ad intelligendum, & contemplandum passiuæ huius mentis, nempe Phantasiæ ministerio utatur. Si secus senserit, aut Agentem mentem esse Deum, magna stoliditate correptum Aristotelem ausim proferre cum Themistio, qui quæsiuerit sententiæ dubius, cur post fata parcarum scientiarum haud recordemur; Tum aduersùs migrationem animæ humanæ à Peripateticis obijci solet corpora belluarum excipiendæ tam nobili formæ non esse idonea, non enim quæuis forma cuiuis materiæ immiscetur, sed proutusus postulat temperatæ, atque conformatæ, ut enim magno pedi non conuenit paruus calceus, sic Anima pulicis non posset regere Elephantem, uiolaretur alioquin agentis cum patiente proportio, nec omnia in pondere, numero mensura facta fuissent: Si Animam humanam nefas sit belluinum corpus informare, nonne intolerabilius, Deum in nobis ipsis consistere? Contra Alex. Niphus. Vel Deus est intellectus Agens ut concurrit ad productionem intellectionis, uel intelligibilium, uel ut concurrit ad illuminandum materialem intellectum:

Non

Fracastoria.

Exerc. 307.

Vnumquodque proprio munere definitur quod cum obire potest tale est. cum non potest, non est tale nisi omonimòs. Arist. 4. Meteorum. uide D. Th. in opusc. super primo Theolog. c. xxvij.

Lib. 3. de Anim.
Lib. 2. T. 155
Lib. 3. T. 48. & 120.
Mercenarij, & Picol. eodem spectãt DD. Conimbricenses Petrus Apponus super problemata. Auic. lib. Almahad. Illud uero an. ꝙ tribuitur ꝙ Animæ distinctæ corrumpantur cum corruptione corporis nõ est res uera, neque ex opinione Aristotelis. 3. de Anim. cap. 5.

9. Metaph. c. 4.

Non ad productionem intellectionis, uel intelligibilium, quia uel concurrit per uniuersalem causalitatem, qua concurrit ad omnem actionem, & tunc oportet ponere Agens particulare, quo actio uniuoca fiat, alioqui per hanc uniuersalem causandi rationem non magis erit intellectus agens, quàm sensus Agens, uel quoduis aliud agens, uel concurrit per particularem influentiam, & singularem causandi rationem, & hoc dici non potest secundùm Philosophos, quia secundùm eos Deus particulariter, & immediatè nihil agit, &c. Deus igitur non potest esse intellectus Agens, nisi ut uniuersale Agens, & ut Sol. ergo oportet dare aliud particulare Agens, &c. Nobis singulis Angelos assidere, & assistere cum Platonicis, & Ecclesiæ Proceribus non diffitemur, quorum susurratione, & suasione ad uirtutem excitamur, quin & à Deo, qui lux uera ab Euangelista perhibetur lumen nobis cœlitùs demitti, per quod Intellectus noster collustratus cœlestia cognoscit, & quærit, profitemur, quod fortassis à Theologis illuminantis gratiæ nomine dignatur, qua perfusus sacer ille Psalmystes canebat. *Notas mihi fecisti vias tuas.* Quod subolfecisse, & quidam Philosophi videntur: *Phil.* Præclarè tu optimè Eudemon, sed quomodo Agentem, & receptricem mentem eandem esse capis? Nonne illa vt actu est ad intelligibilia, hæc vt potestate refertur, & comparatur? At fieri non potest, vt *idem eiusdem ratione actu, & potestate sit.* Ergo ea in eandem animæ substantiam conuenire, & coire nequeunt. *End.* Non abs te quidem addubitasti Philalethes. Noris tamè mentem receptricem, seu patientem potestate dici sicuti indefinitum ad definitum, & determinatum; Possibilis enim intellectus est, perquè affectum esse ad omnia intelligibilia, nulli addictum, omnibus patentem, quem propterea, scripsit Philosophus ad ea, quæ cognosci per intellectum possunt, ita comparari, & conferri, sicuti nuda tabula ad certas definitasque picturas, & icones. Quare eo modo intellectus Agens in actu non est, enim verò si omniù intelligibilium definitè naturas in se haberet, haud quaquam patienti opus esset phantasmatis, vt potè qui posset per agentem in omnium intellectibiliù actum deduci, Sic verò non conferretur ad intelligibilia, vt faciens ad factum, vt Philosophus ait, verùm vt intelligibilia complectens, & fouens. Itaque confertur, comparaturque vt actus, quatenus quædam est immateriata virtus energitica, & efficax, quæ vniuersa alia sibi similia reddere potest, & eo pacto, quæ intelligi possunt, actu intelliguntur, quemadmodum lumen colores veluti in actum promit, non sanè quod definitè colorum omnium naturas in se contineat, sed quia vim promouet quandam, & impedimenta summouet. Nihil impedit in rebus incorporeis unum, & idem agentis & patientis officium sustinere; Differunt operationis ratione, non essentia, & natura. Verùm pergamus. Potes ne ire inficias o Philaletes, à Philosopho in Metaphys. humanam mentem immortalem prolatam, & promulgatam fuisse, ubi scisciatans, an quèadmodum uniuersæ formę unà cooriuntur, ita sit necesse, interire cum composito, statuit, non esse absurdum quasdam superesse, quia humana, quæ energiam habet separabilem, sit superstes, & sospes. Hinc 2. metaph. anima, inquit, quæ est intellectus, manet post suum conceptum. *Phil.* Memini, Alexandrum quemdam adeptum Intellectum appellasse, sed eum iam satis ex pupugisti. *End.* Præterea quid aliud innuit, lib. 1. de Part. Anim. *Ad Physicum non spectare de humana mente agere, quoniam separata, & seiugata existit,* quam secundo de Gen. Anim. *extrinsecùs accedere,* & nullo modo energiam cum corpore coniunctam, & communem habere, testatur, quòd intellectio sine corpore obiri possit. *Phil.* Parce Eudæmon, si remeligo tibi sum, & interpellator, nam video te tuo gladio percussum.

Et passum manibus vulnera facta tuis.

Quomodo ergo egit Arist. in Phys. de humana mente, si Metaphysici est muneris? Videtur mihi quidem Arist. aliud in ore, aliud in corde fouisse cũ scripserit, *in disciplinis omnia syngenea sunto.* Præterea quomodo mens extrinsecùs immigret in nos, haud rectè capio, si enim ita fiat, priùs existat oportet, quã formet, & perficiat corpus, at negat Arist. formam id anteire, cuius est. Videtur mihi benè sentire Cardanus, mentem extrinsecùs accedentem notiones interpretans. Similiter quidam, mentem scilicet formationem ipsius intellectus nostri in disciplinis, experientia, sapientia, uirtutibus. *End.* Pegratum feciſti Philaletes, cum mihi hunc scrupulum inieceris, quem tamen nullo eximo negotio. Scias igitur, quidpiam sub considerationem bipartitò cadere, uel absoluta quadam ratione, uel relata, & aliò comparata, absolutè id ad scientiam aliquã spectare dicimus cuius natura, & usia simpliciter discutitur, & sub examen inducitur, quo modo Cælestium orbium motores ad Metaphysicum attinent, cum tamen relata quadam ratione ad Physicum negotium trahi etiam possint, ut patet in octauo Phys. Ad hæc inter Physicum, & Metaphysicum tanta intercedit affinitas, ut obiter permitti possit egressus ab una scientia ad aliam. Quare demirari desinas Philaletes, si & de humana mẽte, quæ Metaphysici e pẽsi (absolutè spectata substantia) Physicus egit, nam ut particula est animæ, & mortalium quarundam operationum initium, naturæ conditionem subire uidetur, & Physicæ subiici contemplationi, quare in Phys. quod est mentis nostræ proprium, & singulare declaratur, & in apertum profertur, at quod commune cum ceteris separatis mentibus obtinet, absoluta speculationis ratione monstratur, & patefit in Metaphys. Quod verò ad reliquam dubitationem, hoc feras responsum, mentem, quo tempore creata est, eodem formare, & perficere corpus, cuius forma perhibetur (si velis priùs natura actum visa, quàm formationis concipere.) Dicitur uerò extrinsecùs aduenire mens, quam expressiùs e cœlo deriuat Hippocrates, quia non aliarum formarum instar e materiei gremio elicitur, sed quia à Deo Deorum simul creatur, ac à secundis caussis dispositum, & præparatũ est corpus. Cardani uero opinio tàm futilis est, ut non digner refutatione.

Quid quæris? Vis mentem Arist. expressiùs promptam? Arrectis auribus ceu inauditum audi.

Secretum secretorum de Animæ Rationalis immortalitate, ac pœna eius post mortem. Ad Alex. Magnum Aristoteles.

Alex.

Auer. 1. Phys. Nõ vox, non littera docet, sed verus est doctor, qui mẽtem illuminat.

Aristot. 3. Rhet. intellectus est, ait, lumen, quod Deo infunditur. D. Th. com. in 3. de An.

Vide D. Th. super comp. Theolog. c. lxxxvj.

in Met. tex. 17.

Cap. 2.

Cap. 3.

Themist. text. 70. 1. Phys. Neq; ait, illud etiã adhuc est declaratũ, quo pacto forma principium sit, & an incorruptibilis aliqua, aliqua verò corruptibilis habeatur quemodo quælibet nihilominus principium sit. Verùm si per ea liceat mihi hoc loco huiusmodi quæstionibus quippe ad partem alterquam instituti nobis operis adiungi non possint, sed ad curam superioris Philosophi pertinere maximè videantur, 12. Metaph. tex. 17.

Carpeden. in Theolog. Arist. Lib. de eam. teste Fernel.

Alex. in Epist. tua petebas me tria, ego verò tibi ex animo morem gerere discupiens, de humanæ mentis æuiternitate primùm edisseram, reliqua deinceps prompturus. Socrates sæpè cum de animi statu sermonem adhibebat, acriter discipulos conuellebat, qui animas vnà cum corpore dissolui opinabantur, quòd boni, & nequissimi homines pariter post mortem haberent, & omnis viuendi norma de medio tolleretur. Cur comparandis scientiis insidamus, cur virtutibus per labores inhiamus? Quare animæ mortalitatis opinio pessimorum euentuum origo esse potest. In Phædr. dictum est, quòd Socrates conquerebatur, animam scilicet esse in corpore sepultam, ibique ceu in carcere detineri, & illud vetus eulogium afferebat. In carcere quodam fuimus, postquam venimus. Ideo corpus spleum appellabat, & Emped. autrum, & animæ hinc profectionem nexuum solutionem, & splei fugam, dicebat. Et Axiocho laboranti suasit Socrates, ne timeret mortem propter animæ immortalitatem, quæ post exitum ab hoc mortali corpore præmia iuxta merita suscipit, adeò vt Axiochus ex vi verborum priùs formidans mortem, ac deplorans se hisce bonis priuari, iam iam mortem exoptaret, vt sua anima ex hoc carcere liberaretur. Neque est verum, vt in Timæo dictum est, animas reuerti in noua corpora ad luenda supplitia; Nam quid oportet animas corporeis vinculis eripi, si rursus in aliud corpus detrudendæ sunt? Nam otiosa esset mors. Nam oportebat malorum hominum eatenus proferri vitam, quoad illorum propagandi essent cruciatus. Pater Socrates priùs docuit animæ rationalis immortalitatem, ac postea separationem à corpore, & illæ quæ virtutibus erant præditæ, gaudebant iucunditate, & harmonia cœlesti: Eterant gratæ primo rerum opifici. At illæ quæ obscuris actibus, & belluinis voluptatibus erant deditæ, deprimuntur in orbem tristem, & ad tartara, vbi tenebris, tristitia, ac perpetuò igne eruciantur. Dixit aliquando Plato Animas à corpore exsolutas ad compares stellas ascendere, ibique beari, ac tristari secundùm merita, ac demerita. Diximus nos in his, quæ de Anima, intellectum hominis esse immixtum ac impassibilem, & incorruptibilem, & in Libro de Natura Deorum docuimus, eum semanere post separationem à corpore cum illis affectionibus, quas in corpore acquisiuit. Idcirco malorum animæ cum resteut cum passionibus gulæ, luxuriæ, ambitionis, & auaritiæ, appetunt iterum exercere illos actus, & eum desint eis corpora, & organa proportionata ad illa, detinentur hac exercendi libidine perpetuò, & ita habent hanc perpetuam miseriam. Bonorum verò animæ, quæ virtutem, & scientias speculatiuas habuere, & virtute heroica elatæ, post mortem remanent capaces beatitudinis, & sic beantur per hoc, quòd Deus, & Intelligentiæ hærent, vti formæ illis, & sunt Deo amantissimæ. (nempe per intentionalem coniunctionem.) Locus beatitudinis est stella Compar, Domina signi horoscopantis, per quod anima descendit, siquidem cum per illam descendat, par est, vt ad illam redeat, vt beatificetur. Quare Alex. te toto pectore ad virtutem, & scientias capessendas accingas reijciens vitia, ne post mortem animæ tua tristetur æterno tempore. Hactenus Aristi.

Lib. 12. Metaphys. tex. xvij.

Cæterùm cur in his moramur, quasi verò sola Aristotelis authoritas, qui in hoc rerum sublunarium multiplici, sinuatoque magis duodecies, quã ille apud Pindarum, perambulauit hippodromo, nobis rationis loco esse debeat? Voluntas nostra est libera, quæ & appetitui remittitur, legesque imponit, actusque pro arbitrio aduersùs corporis propensionem elicit, quod sanè non fieret, nisi mens supra corpoream, elementaremque naturam se sustineret. Quare meritò Plato illud maximum immortalitatis argumentum fassus est, quòd tum præcipuè lætatur animus, cum à sensibus diuellitur, & in se se recolligitur, & desertum ire finit corpus; quod & Arist. scripsit, nos summa perfundi voluptate in diuinorum contemplatione. Hinc Themist. in Proœmio phys. ait: Quòd si separatam illam animi sublimitatem ad ea cognoscenda traduxeris, quæ à corpore sunt, & corporeis remota, tunc penitus cupieris vita dissolui. Sed Cedo Philaletes, Non ne quod Deo, diuinisque omnibus similiter operatur, diuinum esse credendum est. *Phil.* Mihi videtur, operis enim similitudo sequitur naturam rei. *End.* At Mens nostra tum per intellectionem, tum per præsensiones, & vaticinia Deum, diuinaque cuncta imitatur, ergo supra elementarem, & caducam naturam efferri censendum est. Et hoc est fortassis, quod Hippocrates in morbis volebat diuinum, quum scilicet corpori per ægritudinis vehementiam ad commune obeundum munus inepto minùs vacans Animus, seque suo robore sustinens, & veluti in libertatem assertus miranda edictat, cuius exemplum dedit facer ille Iacob, qui animum agens conuocatorum liberorum vitia, ac virtutes liberè enunciauit, & singulis quid euenturum esset, præmonstrauit, quam vim imitantur Melancholici, quorum animi multijuga rerum varietate occupantur, cuiusmodi olim erant vates, & sybillæ, quibus & diuinus spiritus præsto erat, vtpote corporis contagione minus delibutis affulgens. Quare non iniuria videtur negasse, Aristoteles, Deum Idiotis, & ignaris per insomnia se se potiùs communicare, quàm doctis, & sui similibus, quibus certè se communicat, & identidem sub ænigmate videndum præbet, ijs potissimùm, qui spiritus vitam viuunt, hoc est virtutes sectantur, non eas quidem, quæ sibi gloriam, aut commodum proponunt, sed heroicas, & constantes, quæ proprium virtutum finem habent, vt prosint, per quas corpus suum mactantes quasi extra corpus cum Deo viuunt, & semper sint, & loquuntur, & vnà operantur, omnia Deo tribuũt nihil sibi sumentes, in paupertate diuites, in diuitijs, & affluentia egeni, propter Deum rerum omnium, ac vitæ etiam prodigi, in simplicitate prudentes, iustitiam, pietatem, & veritatem colentes, propter quæ meruere multi indigetum nomine donari, tum quòd futura vaticinando prædicerent, tum quòd cacodæmones ejicerent, morbos pellerent cum dicto, & stupenda prodigia patrarent. Hanc vitam omnium hominum perfectissimus Christus theantropos duxit, & quot ab ipso hanc spiritus vitam inire potuerunt, in qua nullam ferè societatem, & commercium habent spiritus, & caro, quin in contraria prorsus propendent. Quare, (ne deerrare videatur sermo) peritingam, se se sustinere posse animum sua constantia, ne in corporis cõtagem labatur. Sed agendum alio argumento probemus. Magna fortunæ temeritate factum videretur

Lib. 1. de Part. Anim.

Melancholici quidam ait Ruelan* ἐνθουσιαστικοὶ animalis vehiculi, quam naturales, qua traditi τρίτον γένος nominantur, hoc enim se ipsa Plato vocat in Ione Vates. Prophetas, Sybillas, fortunorum interpretes melancolicos. Lib. de Insomn. Phanorinus vocat heroũ Pathos. *Quidã hæc falsò soli imaginationis excellui heri putarũt vt Auic. Algazel, quæ ἐκπεράματι singulari præstantia, vt Petrus Aponensis.

* ἐκνυσις ἐνθουσιαστικὸν τῆς ψύχης motus naturam de statu monet: Nos fumus quodammodo finis omniũ ait Philoto. 2. Phys. tex. 24.

tur mihi, res vsque adeò præstantes, Cælos ipsos (non enim sibi moventur, ne cogamur, ipsos imperfectos fateri, sed nobis) in hominum gratiam conditos esse, si dignitate cæteris non præstarent, *id enim cuius caussa sunt, & fiunt omnia, præstantius esse*, putandum est; Quomodo verò præstantius, si à morte superstes non viuit animus? Nam si corpus spectes, nil eo abiectius, nil calamitosius; Hinc ille vituperationes: *Nihil homine tellus alit infœlicius, Hominis vita mors, finisque ab origine pendet, cui præstat non nasci, aut quàm ocyssimè aboleri*; Hinc illa despectissimæ naturæ Epitheta, quibus Poetarũ Principes eius sortem deplorant. *Vmbra, vmbræ somnium, bulla*: Hinc illæ querimoniæ, nouercam naturam belluis plus fauisse, quam hominibus, cum eas accommodatis suæ naturæ instrumentis armarit, hominem inermem produxerit, tum quòd eas viuaciores fecerit, & vegetiores, hominem temperamenti, & cutis mollioris, assiduis affectionibus tam animæ, quam corporis obiecerit. Hinc denique tot sacræ paginæ loci, quibus vsq; adeò deprimitur nostra natura, vt vermibus posthaberi videatur. Reliquũ est igitur, vt animi immortalitate præstet, *qua paulùm minutus ab Angelis*, à spiritu dicitur veritatis. Mitto, Animum se ipsum perficere, substantiam esse simplicissimam, omni contrarietate carentem, proinde immortalem, ita enim statuit Aristoteles, *si qua*, inquit, *est substantia, cui nihil sit contrarium, ea perpetua firmitudine constat.* Nec est, quod quispiam dicat verum esse per se, non per accidens dicit enim Arist. in fine 10. Metaph. nil esse corruptibile per accidẽs, enimuerò cuicunq; simpliciter unũ oppositorum per se inest, eidem simul nõ inest alterũ per accidens. Ad hęc tẽpus est mensura motus, proin mobilium omniũ, atqui mẽs immobilis, dicam facilius. Ea duntaxat occasui sunt opportuna, & morticina, quæ temporis mensione comprehenduntur, at mens immensa tempus metitur, ipsumque distinguit in horas, ergo trans tempus est, neque illius sentit iniurias. *Nam (ait Arist.) si anima, haudquaquam natura subsistat, sed vt scientia in anima, sic & anima in corpore sit, erit nimirum ipsius, etiam quædam alia corruptio præter eam, qua cum corpus interit, corrumpi solet, quare cum nulla talis esse videatur, alio sanè pacto cum corpore inijt societatem.* His uiri optimi, si satis uidetur factum uobis, reliquis parcam, rogaturus in primis, vt de me, qui rem adeò difficilem inter ambulandum explanandam susceperim, æquo animo cogitetis, & bõni faciatis, nam si *sedendo, & quiescendo anima sit prudentior*, sedato fortassis corporis motu, quo nunc æstuat, vos manet quidpiam excellentius. *Phil.* Videris mihi Eudæmon tam euidenter rem numeris omnibus comprobasse, vt nõ nisi peruicax, damnatique iudicij homo secus sentire possit, sed iam monet tempus, vt eò reuertamur, vnde digressi sumus. Aduersus Obtrectatorem, qui quod non cepit carpere non dubitauit.

* Sic enim D. Th. opus. 2. cap xlviij. ait. Cum autem ostensũ sit, quòd natura intellectualis sit superior corporali, consequens est, vt tota natura corporalis ordinetur ad intellectualẽ, inter naturas autem intellectuales, ǀ maximè corpori est vicina est anima rationalis, quæ est hominis forma, igitur quodã modo propter hominẽ, inquãtum est rationabile animal tota natura corporalis esse videtur.

* Landanus q. 1. Phys. Lib. de lõg. & breu. vit. cap. 1.

Reijcitur calumnia Nebulonis.

EMersit nuperrimè ex Euchetarum grege egregius Philosophus, qui Aristarchum agens, (vtinam Pythagoræ discipulum) dentatos sales in quẽdam Lynceum immeritò iecit, qui aculeorum acrimonia conuulsus è Cynicorum ludis parmam petens ictus excipit, & eludit, elisumq; dimittit Antagonistam, qui malè sentiendo mauult sapere, quàm sapienter benè sentire. Norit itaq; veritatem Philosophiæ, si non Philosophantis, finem esse, quæ cum sit adæquatio mentis cum re, in intellectu veluti in subiecto residet, in re verò veluti in relato, quum igitur conceptiones intellectuum sint rerum intellectarum similitudines, si conceptus aptus sit rei, paritur veritas, quam cum meliorum, & plurium (quibus credendum esse nos docet Arist.) nempe Ecclesiæ consensus nobis apposuerit, & exposuerit,

Cur passim sequimur Cornos testaq; lutoq;

Cur tricis, & teretismatis rem ipsam offundimus, & offendimus? Cur Platonicam ἀντιῤῥησιν, seu Pythagoricam dualitatem sectamur potius, quàm conspiremus in vnum? Si res vna, veritas vna, cur secamus in xysmata.

Lynceus comminus, eminusq; cernens, discernensq; mentis humanæ æternitatem vnà cum Ecclesiæ Proceribus tuetur, eamque ex Peripateticæ Philosophię paragelmatis adstruit, quemadmodum Amantes tenui similitudine earum rerum, quas depereunt, facilè lacessuntur, inquit Themistius, ita immortalitatis amans Lynceus qua liber Philosophi sententias, quę speciem referunt, trahit libentissimè in similitudinem suæ opinionis Calumniator, qui Peripatetica auctoritate sancitum vidit sentẽtiam cum caput non posset, calcaneum per eucæriam carpsit, cumq; reliquisset carceres, calcem dẽte subdoli serpentis instar petijt, sed Palæstrita subducto paulum pede oppedit, palenq; dimisit inanẽ.

Accede igitur, & vide, quàm breui differtur calumniæ nubecula. Arist. in libello de longitudine, & breuitate vitæ cap. 7. vniuersim quærens causssas longioris, aut breuioris vitæ, & vtrum eadem sint vitæ, & sanitatis primordia, illud in primis assertum vult, ea scilicet viuentia ocyus deficere, fatisq; opportuniora esse, quæ promptiorem subeunt alicosim, & corruptionem, ea verò, inquit, sunt, quæ contrarijs sunt obnoxia, magisq; incessuntur. Sed vbi peculiares quosdam, scientiæ, & sanitatis exemplo, in medium attulit corruptionum modos, qui & per contraria fiunt, & de medio sublatis susceptiuis, addubitat, an idem sensum oporteat de Anima. Hæc verò sunt ipsissima Philosophi verba Francisco Vitablo interprete.

» Quocirca & de anima per hæc ratiocinati quis-
» piam profectò potest. Nam si Anima haudqua-
» quam natura subsistat, sed vt scientia in Anima,
» sic & Anima in corpore sit: Erit nimirum ipsius
» quædam etiam alia corruptio præter eam, qua
» cum corpus interit, corrumpi solet. Quare cum
» nulla talis esse videatur, alio sanè pacto cum cor-
» pore inijt societatem. Hactenus.

Quum igitur dixit. *Si Anima haudquaquam natura subsistat, sed vt scientia in Anima, sic & Anima in corpore sit.* Humanam præcipuè Animam innuit, vbi enim sola ponitur antonomasticῶς humana, intelligitur, quæ sola natura subsistit, hoc est, separatim vt substantia quædam corrupto corpore obmanet, hoc enim propriè, prælèque sonat subsistere, vt docet Philoponus primo de Anima.

Vbi

Vbi verò subdidit. *Quare cũ nulla talis esse videatur, alio sanè pacto cum corpore iniit societatem.* Innuit humanam Animam neutro, nulloq; modo deficere, nempe neq; per vim contrarij, neque per interitum susceptiui, quum non sit in subiecto, ceu scientia in Anima, sed in se ipsa firmata sit, vt ait Sophonius. Non est igitur Arist. mortifera positio, sed expositio: Neq; Lynceus tam lippis oculis conniuet, vt, quæ non sunt, viderit, aut captarit inania. Libenter quidem, & liberaliter humanæ mentis immortalitatem agnoscit, sed non tam Pythagoreus, aut Epicureus est, vt brutas animas hucasserat cum dicit Lucretio; morte carent animæ, semperque priore relicta, sede petunt alias, &c.

Hæc nerò sunt antidota, quę Lynceus remittit, si probentur, erit, quod lętetur, sin minùs huius habet.

In causſa facili cuius licet esse disertum.
Calumniatoris verba.

Quare quidam Lyncei, qui non solùm res procul valdè existentes, sed nullatenus existentes, vt existentes, & subsistentes lucidissimè vident, qui ex oppositio oppositia facilè eliciunt, qui ex mortifera illa Arist. positione feliciter immortalitatem nanciscuntur, sicut sunt summo ingenij acumine donati, ita magna animi liberalitate sunt insigniti, vt non animas hominum tantùm, verùm, & Leonum, Equorum, Murium, Ranarum, serpẽtium, vermium, Culicumq; &c. hac eadem immortalitate decorent, & beent. Sic namque positio Arist. sonat. Quæ vt à studiosis integra possideretur, ponatur hic integra ad litteram. Quapropter & de Anima ratiocinabitur quis vtique ex his. Si enim est non natura, sed quemadmodum scientia in Anima, sic & Anima in corpore, erit vtique ipsius & alia corruptio præter corruptionẽ, qua corrumpitur corrupto corpore. Quare quoniam non videtur esse talis, aliter vtique habebit ad corporis communionem &c.

TOBIÆ LIBER AD CLARISSIMVM MEDICVM Ioannem Dominicum Maresium.

AD LECTOREM.

SCISCITABITVR fortasse quispiã naturalium rerum minimè negligens, an stercus hirundininum insita facultate, an potiùs veluti melioris causæ machinamentum, & ἔργανον Tobiam excæcauerit; nemo enim est, qui nesciat, Asclepiadarum, caput, atque adeò totum hirundineum corpus exustione in cinerem redactum, si vnà cum Attico melle oculis illinatur, visioni maximoperè conferre, & vitia quæque (cum proprietate prosit, & proficiat) eximere, quin stercori adnotante Aldouranda, summam subesse deterendi, & delendi albugines facultatem, Magnus affirmauit Albertus, tantùm abest, vt pariat: Quod si ob feruorem id contigerit, accersita è cerebri anfractibus pituitate quum stercus illud cæteris acrius, & detergentius sit, quod propterea recensuit inter vitia Celsus, nondum tamen constare video, an sic fato, an potius temerè vsu venerit. Standum est tamen Theologorum sententiæ, Deum secundarum causarum interiectu, quæ Platonicis dicuntur primarum instrumenta, Tobiæ cæcitatem induxisse ad patientiæ probationem. Cæterùm si quærat, qui Angelus Raphael, qui Dei mendela interpretatur Iudæis, mortales induit artus, & vnde erant? Num veluti forma, an motor tantùm agitarit assumptum corpus? Quod si vti Motor, qui sese mouere potuit? Scitum enim est Philosophis, nil à seipso moueri, sed in partem delatam, & deferentem dirimi quidquid motione cietur, ne fateri cogantur, aliquid simul actu, & potestate esse, ἄγγελοι verò puri sunt actus immateriati, simplices, si non immensi, saltem indimensi. Ad hæc quomodo sine vocis instrumentis sermones edebat, & vicissim sine auribus captabat. An renera, vt videbatur, nutritu frueretur? Sin minùs, quorsum commeabat cibus ille præmansus, & deuoratus? Profectò nos in maximas difficultatum vrgeat angustias, si physicè agendum sit: At verò quoniam hic diuinitùs sapere datum est, paucis respondemus, corpoream naturam (quum ita desideret rerum ordo) spiritali quodammodo supponi, vt per localem motionem, (quando secius non decet) ei protinus obtemperet, & auscultet, quocirca Angelos, & Cacodæmones, qui amissa gratia pristinam retinent naturæ bonitatem, aeris addensatione, & extenuatione, atque adeò opacitate, & diaphano accedente quæuis effingere, & exprimere posse corpora colore, & figura prædita decenti. Induunt se verò potissimùm Angeli in humana corpora, quòd in hominum vsus huc maximè ferantur, aquum verò est, vt media fini inseruiant, cui destinatur actio. *Quod ad reliquas* spectat difficultates, duplex esse mouens statuo, machinale, & organicum, & instrumento vacans, & cassum, illud in partem motam, & mouentem dispesci, seiungique oportet, hoc non oportet, nec vllum succrescit ἄτοπον si dicamus, idem (vtor philosophicæ militiæ castrensibus vocabulis) virtutis actu, & potestate formali esse posse, non item actu, & potestate virtutis, habet enim actu virtutem mouendi Angelus, qua per intellectus, & voluntatis imperium applicita alicui loco se se præsentem statuere potis est, neque tamen in loco esse volo, nisi definitè, vt posthac faceſſant Themistij argutiolæ, quibus obstitur. Macrobius in his quæ aliunde motum non suscipiunt, mouere, & moueri, non nisi vocaliter differre arbitratur; qua de re alij viderint. Associatur porrò corporibus mens nostra duntaxat, vt forma, sine quibus haud quaquam perfectum est in specie humanum genus, vipotè quod cõmunicatim suas obit functiones, propterea non ab re Christiani Theologi mordicus tuentur palyngenesiam, & nouam corporum resurrectionem: Angeli verò perfectissimi sunt sua specie, neque corporibus inunguntur, nisi vt motores, & agitatores, quibus humanum nobis præstent auxilium: Duplex enim vis Intelligentijs (quod statuunt Theologi) contemplans, & ministra, illa Deum spectant, qua inenergia sola satis est ἐνεργείᾳ, & simplex natura, hac verò ad nos vertuntur, vt opem ferant precariam, quo in opere assumunt corpora melioris studio. Neque verè,

Mollet. lib. 1. ca. de catarracta affirmat stercus hirũdineum esse ad reliẽdas suffusiones remediũ

Nic. de Lyra com. in Tob.

D. Thom. in Ethic.

Intelligentiæ vt physicis neutiquã subiiciuntur, ita nec physico feruntur motu.

Ant. Casimirius dist. 2. quæst. 8. Quidam malunt moueri ab aurea illa mundi catena, quæ omnia colligat, & vincit. In somnio Scipionis. Primo de An. cap. 36. Nic. Taurellius.

Hieronymus Menghius.

& planè sermocinantur Angeli, cum multa desiderentur compactis illis corporibus, sed inclusum in assumpto corpore aerem sic elidunt, vt humanam prorsus afformet, & æmulentur vocem, quam rectissimè percipiunt sine auribus per schesim sola mentis copulatione, quo munere nobis quoq; frui integrum erit, quum Diuorum consortes scriptas in alterius animo notiones momento intuebimur. Porrò nequaquam verè præmanso, & denorato cibo vescebatur, & alescebat Raphael, ecquid enim de impartili substantia decedere poterat, quo fieret vacuati repletio? Enimuerò nec aliud est nutritio, quàm absumptæ substantiæ reparatio per alimenti cõuersionem in nutriti naturam. Corpora duntaxat nutriuntur, alens anima nutrit, calor, & naturale temperamentum machinamenta sunt altricis: Quare Angeli, vt retrò fati sumus, cum citra corporeæ molis complexum, & coniugium numeris sint omnibus absolutissimi, manet, vt ingestu epularum, quæ subinde insita Angeli virtute in præiacentem vertebantur materiam, vniuersos Raphael falsos haberet conuiuas. Duo supersunt scrupi, An scilicet suffitus ex visceribus Piscis, quem Vranoscopum fuisse testantur quidam, insita facultate Asmodæum cupidinum illectorem fugarit, an potiùs ceu symbolum præstantioris virtutis per preces ad vota properantis adhibitus sit. Etenim

Aeterna non indiget cibo Philo. 3. Metaph. text. 15

Nic. de Lyra. Hieronym. Mengh.

Aldouradus.

Victa hominum precibus cœlestia numina terras
Coguntur petere, & casus aperire futuros.

Deinde num fel oculis illitum propria vi albugines delerit, visionemque redintegrarit, vel potiùs externa, & excellentiori adiutum ope id præstiterit? Sunt, qui primum diluunt vno verbo, materiatis quibusdam affectionibus percelli Dæmones, quod ex mysticis paginis testatum habent: Hebræorum sapientissimus Salomon radicem quandam reperiri tradidit, quæ Dæmoniacis naribus admota Dæmonium compressorit: Harmonia apud Saulem debacchantem coercitum fuisse Dæmonem, legere est. Ad hæc nisi in atrabilarios insilire, constans est meliorum opinio, propterea Athanagoras, si cui appareat Dæmon, κἂν, inquit, illius mentem priùs peruertit, quod genus Dæmonij arceri volunt elleborismo: Hinc apud Auic. melancholiam morbum à Diabolo commoueri traditur, sed nigri humoris intercessione, & consentu. Nos tamen, qui scimus, nil supra, quam ferat rei ingenium, & vis, agere, negamus effici, vt incorporea substantia, quæ prima est, & præstantior, quæq; nil habet commune, cuius causæ motionibus sit opportuna, materiatis qualitatibus afficiatur: Quare credibile est, Dei authoritate, & Raphaelis ministerio in suprema Ægypti loca ablegatum fuisse, quæ nebulæ, & malus iuppiter vrget, (vi enim perfectionis gradibus distinguuntur Intelligentiæ, ita viribus, & energia:) per preces verò illapsa Dei vis, coniugataq; precanti, nec aliò pertinebat thymiama, nisi in symbolum, seu mauis in probrum, & contumeliam calumniatoris, vt enim preces, & cultus libenter agnoscunt, & admittunt nugiuenduli spiritus, ità promptè reformidant, & auersantur despicatus, & ludibria, vt D. Francisci experientia compertum est. Postremi ea est solutio, potuisse allitum Callionymi fel, seu alterius piscis insita virtute albugines delere, cum tempus intercesserit idoneum, quo naturæ absolui potuit actio, apud enim elegantiores Medicos in confesso est fel singulari præstantia maximè quorundam piscium, & volucrum rapacium aduersùs huiuscemodi vitia, eam tergeat, & deijciat vehementer, pollere. Quòd si repentè visio reprenditur, fato. Atq; hæc sunt benigne Lector, quæ ex vltramundanis Philosophis prõpta tibi apposui, ne nostri senis historiã curiosiùs percurrens pedem aliquando offenderes. Vale.

Theodor.

Nic. de Lyra.

TOBIÆ LIBER

ODE PRIMA.

ARGVMENTVM.

Dum sepeliendis cæsis corporibus operam dat Tobias, graui sopore premitur, dormiens hirundinum stercore obcæcatur, quæritur, coquiturq; dolore. Vxor impatiens ærumnarum religionem exprobrat, & cultum, hinc Tobiæ probatur patientia, qui sibi mortem auspicatur.

Ictus vetustæ gentis, & inclytæ,
Nouo futuris carmine sæculis
Referre visum est, & beati
Gesta Senis Superos timentis.
Magnum laboris conor opus, meis
Imparq; neruis: Tu Polyhymnia
Numen pium succurre Vati
Plectra mouens fidibus canoris.
At me secundùm barbita temperat
MARESIANÆ grata benignitas
Virtutis exemplo probatæ,
Igniculosq; ciet latentes.
Quin flexuosi me rapit ad sinus
Euphratis, & quà Tigris Achæmenus
Præterfluit, monstratq; Nili
Delitias, Arabumq; gazas.
Fauete quot quot Ierusalemia
Iuuat vetustas, priscaq; sanctitas,
Fauete, queis affulsit amplo
Lumine religio vetenda.
Captiuus olim Rege sub impio
Salmanasar, sed gratus amabili
Virtute libertatis vsu
Nephthalius fruitur Tobias.
Nulliſq; falsis religionibus
Addictus vnum Numen odoribus
Fusis adorat, nec minaces
Ieroboam metuit susurros.
Hic à tenellis vnguibus orbitam
Premens iniquæ sortis, & asperæ
Curauit in primis colendam
Iustitiam illecebris abactis.
Ætate grandis nupsit, & vnicum

Suscepit

Suscepit Anna ex coniuge filium
Planè paternis institutum
Moribus; adsimilemq; vultu.
Inter scelestum vulgus aculeos
Mortis profanæ vix fugit, & manus
Diras Tyranni sæuientis
Hospitijs, opibusq; pulsus.
Sed restitutum deinde penatibus
Iustum, & tenacem propositi virum
Vis nulla ab incepto retulit
Officio, & pietate culta.
Quare acrius dum perdius æstuat,
Pernoxq; morum semina conserens,
Passimq; cæsorum misertus
Iusta facit, tumulatq; terra;
Pessundata vt ne diripiant canes,
Quæ Regis acri lege cadauera
Sennacherib gentem perosi
Protinus occubuere letho.
Irrepsit altus somnus, & insolens,
Qui conuocato ad viscera sanguine
Artus soporauit cubantes
Marcidus, & fine labe sensus.
Ast fors larygna sub trabe durius
Fulcrum iacenti præbuit, imminens
Cui nidus instabat volucris
Bistoniæ fabrefactus arte.
Non absq; certo Numine condidit
Vultus, veterno pressaq; lumina,
Quò feruidum, impeosèq; fœtus
Sterens hirundineum cadebat.
Quapropter alui lubrica fœditas
Caduca crebris ictibus occupat
Vtrunq; lumen, perspicaces
Et vitiat cataclysmus hirquos.
Somno excitatus lumina fundere
Conatur incassum: organa polluit
Illapsus humor, funditusq;
Munia præripuit ruendi.
Albugo frictu nescia discuti
Exasperatur, hinc cruciatibus
Torquetur infelix Tobias
Immeritis violatus imbris.
Exemplar auctæ fit patientiæ
Contentus & pro crimine noctibus
Cæcis perennare, & libenter
Fortuitos tolerare casus.
Assueta telas texere, singulas
Victum vt decentem quæreret in dies,
Anna vxor infelix dolore
Frangitur, ingeminatq; fletus.
Nequicquam amicis quærit ab accolis
Cæco medelam, frustra Anagallidis
Ministrat humorem, opticosq;
Consulit in triuijs Magistros.
Solamen vnum tristia pectora
Mulcet Parentum gnatus, & insili
Decepta presso pernicacem
Tristitiem procul vrget vxor.
Tandem reposto pectine ab aridis
Quum se abdicasset fessa laboribus,
Artus relaxatura coram
Se exposuit feriante turba.
Curas voraces inter, & otia.
Latum lacertis vidit agrestibus
Venale pignus, nempè fœtum
Setigeræ tenerum capellæ.
Laboris autem in præmia præbitum
Præclara textrix sumit, & hinnulum
Defert in ædes, & resoluit
Vincula, restituitq; vires.
Verùm ille Matris fortè cupidine
Caulæue tactus protinus edidit
Præsente balatum Tobia,
Et vacuæ sonuere sedes.
Tunc luminum, non mentis acumine
Cassus, molestis punctus aculeis
Sumptus reformidat proteruos
Impatiens genialis escæ.
Quare modestis vocibus increpat,
Quantiq; fiat fœda rapacitas
Morte expianda vsquam perenni,
Edocet, & minitatur iras.
Si fortè coniux dapsile cogitas
Conuiuium, inquit, fructibus obsitum
Parare furtiuis, caueto,
Et Domino malè porta reddas.
Ast passa crines anguineos ferox
Erinnys irarum exacuens faces
Throno relicto Ditis Annam
Tartareo aggreditur veneno.
Hinc dira coniux sanguineos agens
Orbes, & imo corde fouens nefas
Lymphata bacchatim vagatur
Nescia stare loco, atque mussat.
Ter orsa fari constitit impetu
Deiecta, ter se se abdidit indidem,
Manus ter ori appressa, demum
Euomit furiale virus.
Quæ te libido turpis, & insolens
Adegit audax, criminis vt ream
Tam perditi me me impudenter
Insimules malè criminosus?
Attrita quæ te cura misèrrimum
Dementat, aut spes nutrit inutilis?
Nunc surge age, occisos humato,
Aera dato fatuus petenti.
Fructus laborum, nempe domesticam
Mendicitatem sæpius obijcit,
Et cæcitatem destitutam
Auxilijs furiosa coniux.
Prospectat excelso è solio Deus,
Et sempiterno quæ ordine sanxerat,
Soluit misertus iam laborum,
Præteritis meliora condens.
Sic per salebras strauit iter bonæ
Ad culmen aulæ, pax vbi vernat, &
Felicitas stipata prole
Multiplici intrepidos coronat.
At cæcus auras osus, & inuidæ
Suppar minanti dira molestiæ
Magno Athropon clamore surdam
Inuocat, inferiasq; poscit.
Conuersa verò turpis in alitem
Tollit se in auras Emmenidum soror,
Fusura discordes rhinas,
Tectaque adit laqueata Saræ.

Ode Secunda.

ARGVMENTVM.

Sara iurgijs ab Ancilla lacessitur, molestè fert, ieiunio corpus macerat, Deum rogat, vt calumnias detegat, prospiciatque sibi.

FLorebat inter tunc Babylonicas
Valente præstans indole fœminas,
Experta septenos maritos
Sara genus Raguelis æqui.
Haud pulchriorem multa tulit dies,
Aut aptiorem dentibus inuidis,
Cui nec genus seruum pepercit,
Æmula gens neque temperauit.
Instructa technis sed phlegetontica
Volucris ancillam insilit, vdaq;
Præcordijs fudit venena,
Et rabie madefecit atra.
Hinc illa turbis acta latentibus,
Oestroque sæui percita Numinis
Scrutatur irarum per omne
Illic tum studiosa causas.
Cerita vultum virginis exuens
Mores ferinos assimulat, scelus
Immane quoduis ausa, quoduis
Turpe mouens animo minaci.
Demum monentem plura furentibus
Saram lacessit perfida iurgijs,
Eructat infandasque voces,
Et veteres renouat dolores.
Quid? me misellam perdere prurijunt
Tibine, dixit, sacrilegæ manus,
Suetæ nefas patrare quoduis,
Et Thalami temerare fœdus?
Sacro deinceps igne cremaberis
Expes futuræ prolis, & inuido
Roderis intus dente coram
Tot scelerum specie relata.
Rixarum abundè Numen vbi impium,
Atri & furoris semina protulit,
Sedes reuisit destinatas,
Atq; Erebi loca senta tabo.
At Sara curis saucia turbidis
Se se tenebris abdidit horridis
Fusura fletus, & precum vim, vt
Respiciat Deus innocentem.
Ter Phœbus orbi luxerat, & suum
Globum ter errans Cynthia verterat,
Ieiuna quum libare, vultu
Probraq; dissimulare cœpit.
Lætatur istis firma Diespiter
Probare iustis pectora legibus,
Ridetque si mortalis vltrà
Fas trepidat, popliteſque vertit.
Quare è supernis sedibus Aliger
Nutu supremi Numinis æthera
Transuerberat pennis relata
Lege modos positurus ægris.

Ode Tertia.

ARGVMENTVM.

Mira Dei prouidentia Angelus mittitur ad Tobiam, vt se comitem præbeat Tobiæ filio iter meditanti ex præscripto Patris, Ales ingreditur, Tobiæ dicit salutem, solatur, sed nequicquam, neque enim cæcus ab Angelo potuit suscipere leuamen. Filius committitur comiti, absentia deploratur senibus relictis.

IAm Niniuitarum ardua Mœnia
Lustrabat Ales cœlicola, & vices
Cæco parabat lætiores,
Et viduæ benè grata Saræ.
Verùm latebris orbus ab inferis
Sperans sorores tramite regio
Præsto futuras perpetrare
Triste ministerium paratas.
Natum fidelem nomine præditum,
More & paterno, pluribus edocet,
Ducenda quænam vita, quæque
Officia obmaneant relictum.
Iustis parentem gratus honoribus
Donabis, inquit, pondus egentibus
Liboue, promptaue alleuare
Exhibita satages moneta.
Domanda prorsus mens tibi grandior,
Mercesque promptis reddita pauperum
Laboribus tollat fidele
Promeritis super astra nomen.
Rerum satorem sed super omnia
Coles, nec vnquam recta minacibus
Subdenda nugis est voluntas,
Siue manus maculanda noxis.
Hæc ore dulci fatus, & intimo
E corde duxit blandiloquus senex,
Porròque Rhasen ad Gabelum,
Imperat, vt struat ille plantas.
Audite si vos tanta peculij
Remordet atro dente cupiditas:
Olim Gabelo mutuaram
Aurea dena inopi talenta.
Tu mi secundùm Numen, & vnicè
Dilecte sanguis hanc cape syngraphum,
Rhasenque iter versùs capesse
Exhibiti repetitor auri.
Cui blanda proles. Quî ipse negotium
Tantum viarum nescius, ac viri
Decenter absoluam misellus?
Cui bonus, & senior Tobias,
Vade, inquit, & per compita diligens
Inquire iustis non sine præmijs
Fidum viatorem, qui ad vrbem
Numine te comitante ducat.
Est moribus vir præditus integris,
Bonaque prorsus mente, nec immemor,
Vel agnita soluet papyro,
Hospitis introitu liquescens.
Quærenti Ephebus se ilicet obtulit,
Decore splendens, & venerabilis,
Præcinctus, & ritu peregrè

Cor-

Conficientis iter paratus.
In corpus auras finxerat organis
Instructum opacis, atque coloribus,
Queis Israelitam Azariam
Sydereus referebat Heros.
Diuina mens sub cortice nescia
Latere magnum spirat inania
Nitore perfundens nivali,
Atque habitu speciosa membra.
Olli Tobias pulcher it obniam,
Pedesque confert proximè, & eloqui
Iam præparanti, pluteus claudit
Ora timor, cupidumque lusit.
Quare rigescens ceu cataplecticus
Vestigio stat fixus, & irritos
Agnoscit ausus, atque in almum
Versam aciem Puerum fatigat.
Stupore misso denique poberem
Orditur affari, & obnè muto
Sermone gaudet, sed Viator
Aduena per veniam rogatus,
Quorsum pedes tunc ferret, ad vbores
Medos Gabeli ergo, inquit, & amplius,
Cuias foret, se ex Israele
Esse oriundum, ait ore blando.
At his beatus Nephthalius Puer,
Ne præstolari tædeat, impiger
Dum nuncium percepta Patri, &
Lætitijs cumulem gementes.
Mora impetrata sic pede prodijt
Domum recepit, cunctaque rettulit
Audita Patri, quæ probantur,
Ac iuuenem iubet inuocari.
Pulcher reuincta veste iuuenculus
Accitus intrat gaudia nuncians,
Claris lacessiti renident
Luminibus vacui recessus.
Saluete, proles optima, luctibus
Iam tempus instat lætius anxijs.
Lugubre cedat quidquid ægros
Turbidat, ac animos lacessit.
Humana sic fert conditio, prius
Vt per laborem ad commoda transigas.
Cui tunc senex. Vt quid libenti
Fas animo mihi vultuoso,
Qui sub tenebris vitio perenniter
Phanetis impos cernere lampadem?
Ast Angelus curas atroces
Pollicitus meliora mulcet.
Nullo tamen lenita leuamine
Mordax inhæret cura, nec Angeli
Verbis retundi quit, sed illum
Pluribus alloquitur Tobias,
Nomenque discit, discit & ordines
Omnes Priorum; rom ter, & amplius
Implorat æternum Dynastem
Cernuus, & lachrymis obortis
Natum senectæ spem, & columen suæ
Passis lacertis poscit in oscula,
Verbisque conceptis precatur,
Nuncupat & pia vota supplex.
Ast interim aptant cuncta domestici
Gerenda, longo mater inæstuat
Labore, queis ludens Ephebus:
Quæ modò nos remoræ retardant?
Eia Tobia ritè iube tuos
Valere, metirique iter incipe,
Nam labitur tempus moratis
Instar aquæ fluuialis omne.
Quare genis largo imbre madentibus
Iucunda imago traditur aduenæ
Mercede pacta, & longè euntes
Prosequitur maleſuada cura.
Absentis ipsa Mater imagine
Noctes, dieſque illuditur anxijs
Turbata curis, pœnitetque
Taliaque illachrymans profatur.
Heu perditam me: Nonne decentius
Fuisset autum mittere, & vnicum
Solamen, & fidum senectæ
Hic columen tenuisse curuæ?
Nos ille pressos pauperie graui
Præsens beabat, ille papauera
Dictis remiscens excitabat
Lætitias, hilaremque risum.
Quid? si nepotem, delicias senum,
Et pondus auri sors fera subtrahat?
Hæc fundit effictim, & flegellat
Pectora suspicione cæca.
Cui cæcus; isthæc cordis ab intimo
Mittas recessu tristia, prouidum
Nimis panomphæus Puello
Rerum opifex comitem parauit.
Nostras ad ædes cælicolum pio
Cessisse iussu, credo equidem, palam
Queis est egestas nostra, quicquid
Et celebri geritur sub orbe.
His mulcet iras coniugis efferas,
Quamquam latenti vulnere pungitur,
Insomnis & noctes silentes
Transigit, illecebrasque damnat.
Sermone verò blanda sodalitas
Fallit viarum tædia: Olympici
Hic mira Regis, lætus ille
Prisca canit monumenta Patrum.

Ode Quarta.

ARGVMENTVM.

Ad Tigrim Fluuium perueniunt, & dum pedes abluunt, ad Tobiam Callyonimus piscis accedit, capitur, fel, & viscera reconduntur in vsus. Pergunt iter tandem ad Raguelem, Iussu Angeli Sarra in vxorem petitur, conceditur.

VT ventum amœni Tigris ad alueum,
Nacti quietis commoda languidæ,
Stetere primùm, mox iniuit
Crura puer Galilæus amnem
Loturus, ad quem prosilientibus
Vndis fluenti grande natantium
Genus propinquauit voraci
Dente minax, patuloq; hiatu.
Ast ille viso prorsus inhorruit
Monstro, relictoq; amne reuertitur,
Sed conscius saperda rerum

Hoc

Hoc iuuenem increpuit profatu.
Vecors quid vndis cedis inanibus,
Paueſq; viſo piſce vorarier?
Iam branchijs,tortoue rictu
Extrahe ſquamigerum prehenſis.
Quo facto apertis corda calentia
Extis, iecurq; & fel tibi condita
Seruabis vſus in futuros,
Quos ſeries pariet dierum.
Firmatus ergo voce crepidinis
Dilapſum ad oras piſcis iners onus
Prenſat Puer, glaucoq; ab amne
Eximit, oppoſitoſq; niſus
Eludit, & durum caput aſpero
Tundit flagello, tum medium ſecat,
Exenterat, ſtrictoq; cædit
Viſcera ſanguinolenta cultro.
Fuſo tepeſcit ſangine florida,
Et purpuraſcit terra, vaporibus
Denſatur æther, puritaſq;
Mucidulo inficitur madore.
At membra fruſtatim æquoreo ſale
Condita condunt, amneq; præpeti
Retrò relicto, qui te Hydapſes
Accipit, & te Arethuſa iindit,
Vrbi propinquant. Tum docilis puer
Contatur vltrò, viſcera commodis
Queis ſint, & atrum fel, quibuſq;
Viribus eminent retruſis.
Cui tunc ſodalis: fontica Dæmonum
Vrgetur vltis citè ferocia
Præcordijs, at fella ocellis
Sublita reſtituunt acumen.
Hac lege ſermonum oſtia Ebactanæ
Iam conſpicantur, lætaq; pabula,
Hircoſq; certantes gregatim,
Et pueros calamis canentes.
Tunchis Tobiam vocibus Aliger
Compellat: Illis (proſpice) in ædibus,
Tectiſq; pernoctabimus, quæ
Noſter habet Raguel, colitq;
Suſcepit hic vir optimus vnicam
Saram, tibi quam fatapotentia
Vouere, tu coram decentem
Poſcere ne trepides maritam.
Coniuncta priſco fœdere ſanguinis
Tibi inuidendis dotibus eminet,
Atque elegans læues adornat
Forma genas, animumque virtus.
Cui ſic Tobias. Men' ſocialia
Saræ ligabunt vincula? Væh mihi
Si aſſentiar, vel mente tantùm
Tale nefas tacitus reuoluam.
Septem maritis addita perdidit
Septem diebus fœmina coniuges
Latèque rumor perpetrati
Inualuit ſceleris per ora.
Ain' Tobia? ficcine deſpicis?
Sodalis inquit, tene ſimillima
Manere ducis terrefactus
Fata ſuis religata cauſis?
Aude, & loquenti nunc penitus vaca;
Septem maritos ipſa libidinum
Vis Aſmodæus, non pudica
Suſtulit è medio Puella.
Quare vt repellas triſte periculum,
Ieiunus ad tres ipſe dieculas,
Tædaſque contemnens iugales
Caſtus ages Superos precando.
Adhæc cremabis fruſtula viſcerum,
Inde vt mephitis, & grauis halitus
Effuſus omnes in latebras
Inficiat thalamos vapore.
Tibi ferino more cupiditas
Explenda non eſt, nec proba ſenſibus
Subdenda libertas petulcis,
Mente priùs cacohetes omne
Eliminandum, & fœda piacula
Luenda primùm, thureque maſculo,
Et ſupplici placanda voce
Ira Deùm metuenda pœnis.
Effatus iſthæc eximius comes;
Quæ verſat imo pectore dogmata
Satus Tobia palpitante
Corde fidem creperam propagans.
Tandem probatis fretus amoribus
Inſit. Nefas eſt conſiliario
Hortante præclaro reniti,
Aut dubia titubare mente.
Ergo patentes introeunt fores,
Manuſque iungunt, oraque mutuò,
Vt cara norunt aduenarum
Nomina, progenienque lectam.
Gratatur illis hoſpes, & oppidò
Lætatur alterna vice colloqui,
Et curioſo quæritare
Ordine res miſeri ſobrini.
Tum admittit intrò, & ſtrata tapetibus
Subſellia actis ſubdit honoribus,
Miratur & natum exprimentem
Effigie genitoris ora.
Menſas parari mox Raguel iubet,
Vti refectis viribus actiùs
Senſus tepeſcant cuncti obortis
Lætitijs, & amator omnis
Soluatur, vt nix algida ſyrio;
Cui ſic Tobias. Hoſpitium, & dapes,
Atque apparatus continenter
Abnuimus, mihi ni petitam
Vxorem amico hoc præſide filiam
Conceſſeris quam mox, & amabile
Pignus Deorum prouidorum
Conſilia obtuleris ſecutus.
Dictis amici talibus obſtupens
Obmutuit vir, atque tenaciùs
Preſſo fit infans ore, rerum
Caſu aliàs monitus nefaſto.
Ad quem ſodalis, ne timeas, ait,
Funebre quicquam, namq; recondito
Huic nata decreto relicta eſt,
Et thalami ſacra iura poſcunt.
Lenitus iſtis ambiguus ſenex
Parere votis annuit, indeque
Digreſſus acciri Puellam
Ad iuuenes iubet, atq; ſocrum.
Cælum interim vir ſuſpiciens bonus
Lætum precatur cælitùs exitum,
Tædaſq; deuotus iugales,

Auſpi-

Auspicijs onerat secundis.

Ode Quinta.

ARGVMENTVM.

Sara coram procedit Parentum placitis applaudit. Nuptiæ celebrantur. Tobias ex Angeli præscripto vnà cum Sara ieiunium celebrat; Thymiamate cubiculum inficit. Asmodæus magno clamore exturbatur. Parentes metuunt. Nihil noxij contigisse lætantur. Angelus cum famulis albegatur ad Gabellum.

VErùm ecce (mirum) candida plectiles
Affert corollas ore columbula,
Et passerum stipata turmis
Sic temerè volitat per aulas.
Volat, nec horret dum penetralia
Peruadere Ales Chaonis, ad pedes
Sed plausitat, mox & mitella
In vacuum posita libratur.
His dum stupendis prodigiis hiant,
Puella præsens fit Babylonica
Ornata palla, cui Deorum
Fata pius patefecit auspex.
Suffusa malas Sara roboribus
Acres ocellos fixit in hospitem
Testata vultu gestuoso
Lætitias, placitumq; fœdus.
Arridet ergo, quodq; Parentibus
Visum est, manipio firmat, & osculo;
Quare fide accepta vicissim
Coniugium geniale vulgant.
Coniuncta nescit dextera dexteræ
Vnquam reuelli, iamque liquescere
Iuuat, voluptatemq; honestam
Murmure dulciloquo fateri.
Repletur omnis lætitiis domus,
Mensæq; luxu regifico nitent,
Et barbitos deses canora
Facta viris animos relaxat.
Inflata turbis buccina nuptias,
Nouosq; fastus nunciat incolis,
Sed perditum vulgus loquaci
Deterius blaterat susurro.
At mens Tobiæ fixa, nec immemor,
Præscripta voluens pectore negligit
Luxus, & effusos odores,
Et precibus Superos reuisit.
Nox atra furuis flatibus æthera
Complexa somnos terricolis graues
Mortalibus suadebat; atq;
Spiritibus requiem citatis.
Ac fessa dudum cuncta animalia
Noctis trahebant commoda pallidæ,
Phœbeq; gemmata resulgens
Luce truces minuebat vmbras.
Deuota quum se vertit ad æthera
Enixè adorans copula plurimam
Insomnis in noctem, & præusto
Inficitur thalamus vapore.
Perculsus atris ipse cupidinum
Recusat auctor flare vaporibus,
Cauere nequicquam potentem
Vim Superùm studet, & reniti.
Quare ex vetusta sede recedere
Coactus horrendùm eiulat, & fremit,
Minatur horrendùm, ac bóatu
Demum abijt sycophanta tristi.
Immensa prorsus concutitur domus,
Ceu magna vis, vel copia spiritus
Telluris in crypta latescens
Succutit, exagitatque molem.
Vicina vasto sylua perhorruit
Fragore, collesq; & iuga florida
Magno lacessita, atq; abacta
Contremuere procul tumultu.
Formido cunctos occupat hospites,
Et decolorat pallor in intima
Cruore collecto, velut cum
Mors iugulo truculenta prostat.
Lugubre damnum quisq; recogitat,
Funditq; luctus, & laceris caput
Fœdat capillis, sed Tonantis
Nuncius intrepidus moratur.
Quare inter atræ fida silentia
Noctis recessit mœstus, & ingemens
Socer paraturus perempto
Cum famulis Genero sepulchrum.
Verùm priùsquam solis Auis canat,
Ancilla in amplum lapsa cubiculum,
Accessit explorans maritum
Sustulerit Libitina, nec ne.
Postquam illa vitæ signa superstitis
Dignouit, altè vociferans iò,
Iò refert læta, & per ampla
Atria læta recantat Echo.
Quibus senum mens excita vocibus
Laxatur anceps, mixta pathematis
Et concipit momenta mollis
Lætitiæ, statuitq; vota.
Vt Phœbus almum prouehat impiger
Diem, rogabat quisque: Lubentia
Miscere melli fella gaudet,
Ambiguasq; agitare mentes.
Aurora postquam lumine luteo
Noctis tenebras depulit horridas,
Accessit vnà pulchriori
Fronte, animoq; Gener sereno.
Præsens amicis gaudia duplicat,
Et iam vicissim pluribus alloqui,
Et per decentes omne tempus
Pendere lætitias volup est.
Dum taxat illa exercet, & opprimit
Mentem Tobiæ cura, quòd effluet
Dictus dies ex lege fixa
Ad timidos reditus Parentes.
Quare inchoatum pergere iter sedet,
Iuratus autem Cælicolas Socer
Cogit morari, cui reniti
Abstinuit generosa proles.
Ergo voluntas stat comitem pium
Legare, necnon omnia credere
Gerenda, quem paucis rubente
Alloquitur pudibundus ore.
Quo te ore coram dotibus ingeni

O ma-

O macte, queis te vocibus obsecrem?
Tam liberè exercere Ciuem
Nę pudor est, benè promerentem.
Cogit tamen me dura necessitas
Longo rogatu iniecta dolentium,
Vt (quando cunctari decorum est)
Supplicibus precer imperatis,
Qui cuncta torquet sydera, negligens
Haud fortè nostri est, antipelargia
Æquabit in me collocata
Officia, & benè gesta pendet.
Cape ergo proles inclyta publici
Chirographi huius iura, subiueris
Vbi & Gabeli tecta, promas,
Et repetas tibi commodatum.
Lectiq; contracta ordine fœdera
Recèns cum amica gente recenseas,
Quantisq; præsentem Gabelum
Augurijs genius requirat.
Vade, & secundent sydera perpetim
Nisus, secundent vota, facillimum
Reddantq; iter, nobisq; lætum
Restituant citò, sospitemq;
Ad quem sodalis pulcher, & anxurus;
Non ipse eures prestiùs omnia
Præsens, tuarum fixit altè
Mnemosyne mihi iura rerum.
Valete cuncti, meq; fauentibus
Votis, (vt est in more) sequamini:
Me ludet absentem superstes
Multimodis speciosa imago.
Hæc fatus, vnà & corripiens viam
Per arua migrat vasta pedestribus
Iunctus quaternis, qui Camelos
Prominulis alimenta dorsis
Binos ferentes, donaq; liberi
Loris agebant: Æquora gressibus
Emetiuntur lata, & vrbi
Consilijs citiùs propinquant.
Inuisa passim mitis Ephębia
Miratur, & stat immemor indidem
Cedendi, & obtutus nouellis
Adjcit ingeniosa rebus,
Cui Flora miris spargit odoribus
Nares, & ampla munera prodigit
Manu colorum curiosis
Myriades oculis profundens.
Vt ventum ad Vrbem, recta Gabelia
Testata lustrans intrat, & hospitem
Salutat ex more, & viatum
Summam homini breuiter recenset.
Stetit Gabelus, & gelidus timor
Statim cucurrit membra per omnia,
Atqui viæ causa, agnitaq;
Gente sibi rediit serenus.
Incensus autem vocibus Angeli,
Vti Tobiæ assistere nuptijs
Decernat, ad dictum amici
Se parat obsequijs fauere.
Omne interim extra sortis, & aleæ
Discrimen acris copula coniugum
Solatijs iustis liquescit,
Iura thori socialis explens.

Ode Sexta.

ARGVMENTVM.

Gabellus cum Æligero accedit ad Nuptias, defert commodatum: gaudio vicissim perfunduntur. Tobias reditum ad Parentes meditatur.

PHœbus quadrigis vectus eburneis
Plures profanis protulerat vices,
Quùm fortè conuiuæ iocoso
Delitijs Bromio litabant.
Verùm iuuentus nuncia iam redux
Tectis propinquat, pondera deferens
Fulgentis argenti Gabelo
Aligerum comitante pulchrum.
Adsunt, & vnà vestibulum occupant,
Cum læta mensis turba decentibus
Laxabat accubens benignis
Colloquiis animos tepentes.
Cunctis Gabelus dissilientibus
Occurrit, vni suauia pangere
Promptus Tobiæ, quem beare
Ominibus studuit secundis.
Ecce, inquit, olim quæ mihi mutuò
Decem talenti pondera præstitit
Pater tuus felix Tobias,
Temporis & pretium peracti.
Cui mollioris symbola pectoris,
Verique amoris impetus imbrium
Vocem cecidit præparanti
Plura sequi, puerumq; fari.
Moris ab actis tunc Herus impiger
Dapes recentes gnauiter exigit,
Et prandium instaurari Iacho,
Et positis Cereris canistris.
Quare recumbunt: Pocula porrigit
Modesta virgo: Psaltria concinit
Toti globo: Angerona nuptis,
Atq; Hymenæus ouans ministrant.
Septem diebus blanda Volupia
Miro coronat stemmate nuptias,
Verùm iuuentam ritè sponsis
Tota cohors hilarem precatur.
Spargunt Puellæ cinnama, & horminum,
Nec non amomi germen olentius,
Nardiq; vires, ozymiq;
Atque genus satyrisconomue.
Verùm interim mens sollicitudine
Patris perenni fracta rogatibus
Expectat aduentum refusis,
Et vario coquitur dolore.
Imbuta vanis suspicionibus
Nunc credit atro funere filium,
Nunc interemptum debitorem
Turpis opinio, pertinaxq;
Causas morarum conqueritur Parens,
Nec non fluentes dinumerat dies,
Fletuque detestans acerbo
Consilium genitoris, infit:
Heu nos iniqua sorte miserrimos,
Cur te leuamen dulce dolentium

Dimi-

Dimisimus longè, futuræ
Vnica spes generosa gentis?
Cur te volentes ire per auia
Mi nate pulcher siuimus, & tibi
Carissimo momenta rerum,
Denaque prætulimus talenta?
Spectansq; ab alto vertice singulis
Diebus ardens mater amoribus,
Se decipi plorat negato
Ad patrios reditu Penates.
At vir Tobias omine dextero
Solatur Annam, nec procul exitum
Vates prophetat lætum abesse,
Et gemitus properare finem.
Intus tamen conuellitur impotens
Senex, & ægro concutitur metu,
Falsisq; spectris impetitum
Phantasus insidiosus vrget.
Quò sæpe spectans sponsus ouantibus
Auctus litatò prosperitatibus
Tristatur, & decernit inde
Cum socijs abitum parare.
Immissa crebrò somnia terricant
Nuptum sagacem schemate lugubri,
Somnos & interpellat instans
Vox volucris fera bubulantis.

Ode Septima.

ARGVMENTVM.

Per somnium monitus Tobias decernit ad parentes redire. Socer, socrusque resistunt, sed incassum, quare dimidium statuerit bonorum, & dimittunt: interim agendorum filiam commonent, qui se se erga Maritum, erga cognatos, & famulos gerere debeat. Vbi ad Vrbem Charam peruenerunt, commissis Gabelo rebus suis, præcedere festinanter Angelus, & Tobias decernunt.

IAm tum rubebat vecta nitentibus
Aurora bigis, & dubius sopor
Tentabat artus, quum Puella
Nobilis, & veneranda, longo,
Et candido circumdata supparo,
Cui puro ocelli lumine syderum
Instar micabant, fusa crines
Triste supercilium mouebat.
Cessare cur non desinis impie,
An fortè curis pectora confici
Nescis Parentum, & constitutum
Præterijsse diem morantiè?
Quam mox relicta sede retorqueas
Vestigia, & ne gaudia differas
Optata. Queis dictis reliquit
Exanimem, thalamumq; pernix.
Hinc cepit hæres inuariabile
Lares videndi consilium, socer
Quod tentat infregisse cautis
In medium expositis morarum.
Quid (inquit) vrget? si vna dolentium
Te cura Patrum torquet, & excoquit
Iam nuncium mittamus ista
Gente salutiferum manente.
Pridem volutat nescioquid mali
Præsaga mens, & iubila gaudia
Confundit horrendo timore,
Ne subeas iter ominosum.
Molita technas tum socrus acriter
Instar, tum obirasci simulat viro,
Adducit & nunc, explicatue
Triste supercilium vicissim.
Conantur incassum. Ergo pijs senex
Votis onustum mittit, & omnium
Pro dote iam tum nuptiali
Dimidium tribuit bonorum.
Gnatam interim, qua lege monentibus
Parere debet grata domesticis,
Multo instruit sermone, quaq;
Lege suo placeat marito.
I lumen, i spes alma penatibus
Ait, relictis, te melior beet
Fortuna, conatusq; cunctos
Omnipotens sator obsecundet.
Id verò agas mi filia sedulò,
Vt culta iustis dotibus ingeni
Nullis deinceps innocentem
Contamines animum lituris.
Verùm colorans ora modestia
Præluceat planè inscia lædere,
Curæq; res sint, & Nepotes
Ne exagites malè saituosa.
Hinc & vicissim basia figere
Delectat Annam, & ritè precariet
Felicitatem, comminusque
Egregios iterare iussus.
Cinxitque oleni tempora baccare,
Concepta verba, & sesquipedalia
Fundens anili more, longè
Prosequiturque oculis euntem.
Orbatus humanas Raguel vices
Incusat altè, gaudia copia
Quæ tanta mutarint dolorum,
Seminaq; intulerint acerba.
Per vasta verò iugera commeant
Taxim iugati, quos famulantium
Stipat cohors armenta ducens,
Et pecudum genus, & camelos.
Vt ventum ad Vrbis limina Charæ,
Vir, & sodalis, coniuge credita,
Et cæteris rebus Gabelo,
Vnanimes statuunt præire.
Planè tolutim cedere sustinent,
Comesque clarus commonet acriter
Posthac agendorum tremendos
In Superos, tremulosque patres.
Præcurrit illos fida Canicula,
Oppletque crebris cuncta latratibus,
Et iam canatim depropinquat
Mœnibus, ac humili ligello.

Ode Octaua.

ARGVMENTVM.

Tandem ad domesticas ædes peruenitur: Parentes lætantur,

tantur, morarum cauſſas quærunt. Euentus narrantur. Seniori Tobiæ lumina folle oblinuntur, viſio rependitur. Angeli magna facinora narrantur, commendatur, in grati animi ſymbolum dona parantur, quæ Angelus reſpuit, ſe cælicolam manifeſtat. Viri exthatico ſtupore cadunt attoniti, tandem redeunt ſibi, Deo gratias agunt. Tobias ſenior vaticinatur.

TAndem Anna Mater proſpicit e iugo
Optata longo tempore pignora,
Viroque velox aduolantem
Ore refert properare pubem.
Tunc vir: Caue ne ludat adultera
Oblata ocellis ſenſus imagine,
Deſideri vis namque veris
Præpoſuit ſimulachra rebus.
Falſique coniux neſcia verticem
Subit deinceps, cui canis obuiam
It blandiens, & iam iuuentam
Præ foribus benè conſpicatur.
Adſunt. Paratus currere in oſcula
Pandit lacertos egregius ſenex,
Atque obuium gnatum Tobiam
Excipit, & violenter arctat.
Adeſtis ô tandem mea lumina
Adeſtis ô clara indole puberes,
Nec me mea, inquit, ſpes, amici
Me neque ſancta fides fefellit.
Quæ tàndiu vos perfida diſtulit
Sors? Iuro cæli per vaga ſydera,
Per ſpem Tobiæ nil me acerbis
Ægrius in tenebris tuliſſe.
Quas ſumme rerum conditor vſpiam
Grates rependam, vel tibi victimas,
Seu thura fundam, prouidenti
Iuſtitiæ paria antidõra?
Sed geſta iam ne tædeat eloqui
Vos. Cui Tobias ordine proſperos
Caſus amico auctore cenſet,
Lætitiaſque ſerit loquendo.
Atqui ſodalis conſilio ſui
Tuliſſe nuptus præbia commonet,
Quæ inducta ocellis peruetuſta
Submoueant vitia, atque ſoluant.
Lætatur ergo, & lumina porrigit
Sananda cæcus, quæ oblita felleo
Panduntur atramento, aperta
Et placidum aſpiciunt olympum.
Vices aperto lumine ſonticas
Stupet, quaterno quas ſubiens libram
Vexit recurſu ſol, perennem
Concilians miſeris tumultum.
At Sara coniux pulchrior interim
Acceſſit vnà cauta fidelibus
Turbis, Gabeloque, & decenti
Ore ſocrum, ſocerumque iuuit.
Teſtatur vxor Anna ſilentio
Solatia, atque augere chariſtijs
Parat voluptates decentes,
Et celebres agitare luces.
Acceſſit iſthuc Achior, & Nabath,
Actiſque feſtis, & genialibus
Ludis, Sabæo thure turbant,
Inficiuntque iubar diei.
At puber ingens in medio virùm
Effertur, & palmaria præcinit
Lauro Puellarum virenti
Turba vagos redimita crines.
Tum quale tantis reddere gratijs
Inquit Tobias, μνησευσον licet?
Me ſoſpitem vobis reduxit,
Faucibus eripuitque piſcis,
Saræ redacto Dæmone in vltimam
Ægyptum amico fœdere nexuit,
Duxitque nobis hùc Gabelum,
Lumina reſtituitque cæco.
Quare peramplis vnanimes parant,
Puſilla grati Xenia gratijs,
Et ſegregata dote Saræ
Dimidium ſtatuunt bonorum.
Sic orſus autem fatidicus ſenex.
Ne crede felix ſtirps Ananiades
Æquare nos molem laborum,
Aut merita æquiparare velle.
Vix rebus, & vix ſanguine pro tua
Virtute fuſo debita deleam,
At pignus haud obliuioſi
Offerimus faciles amoris.
Oblata verò Ciuis olympicus
Fatim recuſat munera, & innuit,
Se numen æternum Tonantis
Sede throno propiore proſtans.
Hæc ſperno (dixit) dona beatior
Cæleſtibus, te cura ſalubrior
In pauperes, cęſoſque humandos
Soſpitat, & meliora quærit.
Non ipſe libis veſcor adoreis,
Sed in Satorem liber amoribus,
Falsòque vobis hic videbar
Prorſus alì dapibus voratis.
Iuſtum eſt Toparchæ condita pandere
Miracla Cæli, ſignaque prouida:
Tu viue ter felix in æuum,
Grata Deo ſoboles Tobia.
Nec plura: Corpus ponit in æthera
Volans. Coruſcant hinc laquearia
Fulgore præclaro, coruſcant,
Æthereoſque imitantur ignes.
Prono ruentes vertice ſinguli
In terram, & alto ſacra ſilentio
Myſteria excelſu fruentes
Eccſthatico venerantur vltrò.
Tandem leuantes lumina ſupplici
Grates rependunt corde Dieſpitri,
Gnatoque præmonſtrat futura
Igne calens ſenior Tobias.
Bono reſurgent alite mœnia,
Atque imperabunt Ieruſalemia,
Vrbem ô colendam, cui ſmaragdus
Inſtruet oſtia perpolita.
Gentem beatam, quæ aurea ſæcula
Probans ſuperbi conſpuet imperi
Cladem procul pulſo hoſte in vmbras
Cimmerias, nebulaſque turpes.
Dilecte fili nos vbi funere
Lux, inquit, atro merſerit vltima
Ritu celebratis, memento,

Exequijs

Exequijs tumulare iuxtim.
Tum rebus aptè compositis procul
Hinc heu nefandam perfuge Niniuem,
Teque abde venturis periclis,
Et scelerum faciem relinque.
Parere dictis Filius accipit,
Ast interim ætas viuitur aurea
Experta nequicquam labores,
Atque iugum Assyrij Tyranni.
Postquam parentum stamina tetricæ
Fregere Parcæ, consilij memor
Vxore cum Sara petiuit
Eximias Raguelis ædes.
Hic pax senectam nutrit, & anxiis
Vacat tepescens suspicionibus
Tranquillitas, iras coercet
Ingeniosa modis honestas.
Pleno dierum denique lumina
Nox clausit atra, & sede beatior
Innoxia manes Parentum
Mens aditura polos reuisit.

θεῶ ΜΟΥῶ ΔΟΞΑ.

Anonymi.

NVnc eat, & cælebs tenebris reddatur Ioseph,
Fraslori & sileat Musa diserta viri:
Posterior tua iura rapit, meritumq; Tobiam
Præponit vates lucidiore modo.

DE CONTAGIONIS CAVTIONE CARMINVM. Liber Secundus.

AD LECTOREM BENEVOLVM Typographus.

ECce tibi in mediis Hygææ, & Thaumantis Filiæ falebris ipse Apollinis genius, qui ioeundiore styli modo pestiferæ contagis cautionem accinit. Siccine, dices, rem seriam, & seueram adeò iocis tractat? At detumescet animus vbi ex Thalete resciuerit, musica fugari pestem, atque ad sanitatem attinere harmoniam, vt constat meliorum sententia. Cape igitur æquo animo Lector non amuse hos modos, quos ad doctæ antiquitatis normam, quæ nihil existimabat eruditum sine musica, grassante Peste Author pepigit ad Illustrissimi, & Reuerendissimi Episcopi ALBERTI BADVARII *omnium scientiarum notitia spectatissimi nutum quodam veluti diuino furore correptus. Ad hoc animum impulit cœli clementia, & soli Cenetensis elegantia, vbi perpetuo virore Flora vernat, formosæ ducunt orgia Nymphæ, Alites garriunt dicaculæ, leporés, ac veneres lasciuiunt, vbi vaticina quædam vis animos mulcet, ac titilat. Fœlices Acedicolæ vestro Pæanico Apolline, quem aluistis, & ad egregios laudis honores æmulatione tabescente euexistis, nec valle otr cumuallari, claudiue passi estis, fœlices, inquam, ni rebellis* Mesulus *(est enim Anaxi soboles antiquissimi cui nuptias apud Cordubium meditanti parere petulanter recusans, & imperium aufugiens, medium vorticibus vapidis fidit parentem, & se se in tartara præcipitauit, vbi in stagnum, laticesque solutus Summani furorem percipiens iterum erupit in Fluuium Mesulum appellatum, quòd medium fugiens prosciderit patrem, & hinc tartareæ vounihil redolet nequitiæ) efflaret illiberalem, & noxiam qualitatem, cui mirabili antepatheia, vt audio,* Ceruana Riuus *resistit, qui vt est pisciculorum feracissimus, ita auram diffundit, dissipatque beniguissimam, quam inspirantes Accolæ humanitatem induunt incredibilem, sed vt est tenuissima, ita inconstantiam parit. Sed me incitatum scribendi desiderium extra cancellos egit veluti enthusiasmo affectum. Redeo ad pensum. Non est amice Lector, vt hic quaras acribiam, aut mulcebre verborum lenocinium, vbi de tam senticosis, & asperis agitur rebus, quas adire licet, non inire* Vati. *Præcepta nihilominus quædam ex rei natura prompta inuenies, quæ si seruaueris penitus, non frustaberis fine. Vale.*

AD ILLVSTRISSIMVM Et Reuerendissimum Episcopum D. ALBERTVM BADVARIVM omnium virtutum genere ornatissimum Pestigeræ contagionis Prophylactice.

IOANNIS STEPHANI.

QVid sit pernicioſa lues, qua ab origine manet,
Colluuie quæ cura immunia corpora reddat,
Et valet procul imbelles arcere timores
Desueta aggredior dudum cantare Camœna,
Atque obiter suprema sequi fastigia rerum.
Tu verò (quoniam sancti es mihi Numinis instar)
Paulisper solidæ linquens speculamina mentis
Aspira facilis conatibus, atque per æstus
Huc oculos, animumq; tuum conuerte sophorũ
BADVARI, Venetũq; decus, cui maxima Roma
Assurgit, meritoſque parat festiua decores.
Fortunata nimis Cremensia Templa, Dynastes
Queis tantus præerit, Diuisq; operabitur ipsis
Plaudite, & immensos penitus sperate nitores.
Actio contages quædam, quam tempore certo
Applicitum persoluit agẽs, dum robora promit
In patiens, viresq; insertas exerit omneis.
Efficiens porrò vapor est viscosus, & vdo
Mucore infectus, validaq; putredine fœdus,

Qui per contactus affecto è corpore manans
Contemnere potest alios serpente perartus
Labe venenata, & gemina * virtute nocere
Visceribus, quæ prima * ferunt fastidia, primos
Insultus, primosque hostis labefacta furores.
Quis tantæ labis fator est; Quæ semina virus
Exitiale ferunt? Hominum sententia pendet.
Principio Superûm Rector viu rebus in vsus
Insevit, numerosque omnes virtutis habentes
Compleuit, statuitq; ad singula munia prõptas;
Attamen ordinibus superis mundana subesse,
Atque regi voluit, nil se se vt singula possint,
Ni Cœli virtute prius promota vigescant,
Lumineque, & motu Cœlum inferiora gubernat.
Atqui diuersos motus dedit orbibus Author:
Mobile pernici, & simili vertigine primum
Fertur in occiduum, celerique volumine secum
Inferiora rapit cœlestia corpora inhærens
Ingenium torquẽs, & quæque suo ordine seruat.
Assiliens verò palantes forma Planetas
Per motus agit oppositos ad littus Eoum
Mobilitate vigens varia, serieque vagante,
Incertasque vias, necnon vestigia signat:
Hinc variãt, faciemque Erronibus acta proteruis
Mutant, multijugæque receptãt subdita formas.
Imperium Phœbe primùm super omnia monstrat
Humida, & oppositis percellit motibus æquor.
At Sol purpureũ cor mundi, oculusq; Tonantis,
Per quem perpetuò cœlestia dona citato
Luminis effluxu in terras, ceu membra vehuntur
* Diuini soboles motus miranda caloris,
Atque Planetarum virtus, & spiritus vnà,
Cuncta fouet, reficitq; potens, elementaq; miscet
In varias species: Aurum, & genus omne metalli,
Et quidquid latet ignotum tellure sub ima,
Fœcunda virtute creat, genus omne ferarum,
Et quęcunque leues volitant subuecta per auras.
Quidni aliquãdo igitur malè cõspirantib. * astris
Recrementa ferat, latèque per æthera fundat
Morbificas * atomos, longaq; propagine cretas,
Quæ fato inspiratæ auido in præcordia lapsu
Languores, lethumq; ferant, vbi marcida * mẽbra
Ipsa situ, & putore madent? Sol ipse peræquè
Est vitæ, * tabisque ferax, alimentaquè profert,
Atq; venena. * Nec absurdum est, sentire latentes
Vsque adeò in venis primùm putrescere succos,
Nequitiæ vt summum, sæui * formamque veneni
Acquirant, latèque lucm diffundere possint,
Corripere atque alios, & sontica semina furtim
Dispositis conferre viris, dum Iuppiter illa
Certa lege fouet. Verùm quodcunque putaris
Hoc vnum supereſt modò, si discrimina tanta,
Et rabidæ tibi labis opus cohibere voluptest,
* Vt vires validi studeas illidere agentis,
Protinus & patiens habile ad contraria vertas,
Et longè amoueas. * Super isto cardine tota
Cautio pestiferi effluuij conuertitur. Ergo
Ipse tibi quid opus sit facto maxime Præsul
Iuuis conde animis. * Corpus reddetur ineptum
Impauidumque furores eluctabitur hostis,
Si excrementa foras pellantur protinus, atque
Omne superuacuum puris, putisque locellis
Trudatur, sanieque humentia membra pientur.
Quid tantas præstabit opes, quod munera tanta
Ingenium, quæue humanæ ceruicis iniquum
Iuratumque hostem virtus prosternet, & anget?
Hoc Asclepiada egregius, Phœbiq; Sacerdos
Pæonias herbas, & pharmaca lecta ministrans
Præstandum accipiet, vitamq; tuebitur arte:
Hunc igitur præsens adeas * oracula Phœbi
Implorans, huiusque libens mandata sequaris.
Temperiem prius ille tuam, tempusque reuoluẽs
Mente, & queis scateãt prauis humoribus artus,
Quàm validæ tenero subsint in corpore vires,
Quæ vitæ, & victus ratio consueta præierit,
Vtile præsidium in præsentes conferet vsus.
Ergo prima dies venam * tranquilla tumentem
Diuidat, ac delibet sanguinis incrementum
(Mitta præcedant autem * verricula ventris)
Sanguine perfuso triduum Serapia summo
Mane exhausta parent humores, atq; meatus
Expediant, ne fortè ferant epota laborem
Pharmaca, siue locis nequicquã agitata morẽtur
Recrementa. Satis puris betonica lymphis
Cocta tibi faciat, si mulsum addatur acetum,
Intyba & * extremùm calido mandẽtur aheno,
*Rumicis & genus oẽ, & *Kermes grana rubẽtis,
Scordia, *& Heptaphillũ, & vis *beneolẽtis amomi
* Quarta dies delecta diu medicamina tradet,
Quæ facilè alliciant succos è ductibus aptos.
* Lota Aloe, Laryciſque æquali pondere tuber,
* Portio Barbarici Rhei subdupla, dichalcos
* Scammonij conflata simul catapotia fingent.
Notamen exagitent succos, rapidumque calorẽ
Concilient membris, gelidũ superingeret hauſtũ,
Atque salutarem præbebit Lujula succum.
Atqui lux tibi quinta dabit, dum vecta quadrigis
Pulchra aurora rubet, * scythicæ sex grana smaragdi
Ductæ in lævorem tenuem, Bromioq; madẽtis.
Cæruleum tibi sexta feret Matuta *Hyacintum.
Tædia pellentem septena crepuscula tradent
Lætitiamq; animo dulcem, membrisq; parantem
Robora *Sapphyrum, & funesta venena fugantẽ;
Nec minùs octaua viridis sub luce Berillus
Profuerit tenui irroratus munere Bacchi.
Hæc solido coitu retinent permixta, vetantq;
Cuncta subire situm, & gracilli marcescere tabo,
Vireſq; ingenitas tacita virtute tuentur,
Præcluduntq; vias properanti ad viscera pesti.
Nona * theriace violis comitata, rosisue
Tabificam pulsura luem se proferet vltrò
Ingenitasq; ciet vires, cassumq; tenorem.
At cunctis * Caphuræ virtus superaddita succo
Conferet excepta, aut tenui madefacta Lyæo.
Præbeat extremùm Ruffus, quas condidit arte
* Sphæras, detergatq; madentia viscera pellens
Quisquilias, & quidquid adest sub pectore prauum.
Hinc * cucumis radice tibi se donet agrestis, Hollerij.
Protogononq; apiũq; virens, coriãdraq; iunctim.
Contusis adhibe redolentia mella, paratis
Subijce in antidotum crepitantia cinnama frugi.
Vtere, ut afficiant ieiunum pharmaca uentrem:
Nescius oblædi medios illapsus in hostes
Euades, frustraq; timens contagia pelles.
* Exactis de more decem præscripta diebus
Ritè resumantur, uacuamq; diem acta resellant.

Aer non eundo pestilens ob suas qualitates manifestas, sed ob formam ex influxu sydetum immissam Argent. Fernel. Merc. Auic. & alij. Quamquam frustra hanc sententiam impugnare conatur. Horat. Augenius lib. de Feb. 6. c. 13.

Interea

Interea exuri ferro candente lacertos
Perpetiare libens, & iugi erumpere fluxu
Materiem pestis facilem lethalis, ichoras.
* Balnea declines contentus nempe Palæstra,
* Et modico fictu, qui perspirabile corpus
* Efficiat; dimitte famem perferre, labores
Immodicos vita, ne effœtæ in corpore vires
Spiritibus penitus diffiatis turpè labascant.
* In primis parcè lauta simul vtere mensa.
* Porphyrio, Perdixque salax, Tetraoq; tenellus,
Attagena, & pennatarum genus omne voluctũ.
Decipulis, viscoue, aut passo casse petantur,
Turricolas, quas laudat Orus saperda, * palũbes
Ipse frequẽs adhibe, & volueres dumeta colẽtes.
Quadrupedũ ne sperne dapes, verucis, & hœdi
Dassypodis, leporiſq; vagi, vituliq; bimensis.
Thymallus, salmoq; tener, mugilq; salarq;
Quas & Acedicolæ calamis, hamoque, * Pyrontę,
Decipiunt, Mesuli soboles iucunda Fluenti,
Per modicos vsus onerabunt sæpè cibillas.
* Despice munitos testa cane peius, & angue,
Cœnosos, vastos, genus illaudabile, pisces.
* Quæ gallina recens excluserit oua petulca,
Absorbere libens crepera sub luce memento.
Hortus delitias facilis quoque porriget, atque
Vsus. Ingredere Anisites sacer, atque tenellam
Lactucam, aut buglossum, siue cacumina Anethi
Carpe manu (nec te magnarum pondere rerum
Tædeat oppressum exiguis incumbere curis,
Nã & Reges coluere hortos, & agrestibus herbis
Dulce aliquod menti perquesiuere leuamen)
* Intyba amara legas, & olentia semina grati
Fœniculi, & croceos flores, ramosq; comasque.
Mitte procul Raphanum, turgentiaq; * allia parcè
Deliba, pimpinellam, suauemq; * melissam
Menthãq; asparagosq; aptos, lætamq; * Lycopsim
Elige, mox oculis Argi viridaria longè
Perlustra, nasoque senis captare Catulli
Halituum * gratas species, & odora virentum
Dilige Plantarum spiramina, denique sertum
Necte rosis compactum, purpureoq; Amarãtho.
Hinc animũ ad * fruges vertas, atq; hordea primũ
Cura, lenticulasq; adhibeq; legaria parcè
Omnia, nam venas tetris humoribus opplent.
Citria * frugifera allicians ex arbore carpta
Te, seu limones, seu punica mala, colurnos
Seu mauis fructus, seu quos fert Phyllidis Arbor.
Dilige laticomas * ficus, prunosq; nucesq;
Vitesque vuiferas, & quos cybeleia pinus
Fert fructus, acidosq; omnes, si prona voluntas,
Ad mensas adhibe. Super omnia plurimus vsus
Acris * aceti intermixtus tua fercula læta
Temperet: Austerum potiùs, quàm dulce Lyæus
Pampineus sapiat, gratumq; exhalet odorem,
Vermiculosque colore oculis tellure sepultos
Expresse referat, niteat ceu purior amnis,
Innatumque priùs deleuerit vnda vigorem.
* Nec minùs ora mero, & roseo madefacta liquore
Firmabunt vires, attractaq; naribus vda
Iuscula de lauro, atq; olea auribus illita pandis
Spicea, odoratæq; calenti semina citri
Profuerint pertrita diu, dein ore vorata.
* Imprimis faciles somnos elide diurnos,
* Curas mitte graues, & per solacia quæras
Lætitias, lepidosq; iocos, quos munera tanti
* Officij perferre queunt, fuge tædia, & iras,
Et quodcunque pathos, quo cor formidine pessum it,
* Et Gnydiæ illecebras Dominæ, ceu triste venenum,
Heu fugę, & integram ducas ex ordine vitam.
* Interea que salubre solum, cœlumque require.
* Iam supereſt auræ bacchãtem arcere furorem,
Insidiasque, dolosque omnes subuertere flãmis:
Ergo pyris positis circum pomæria flammæ
Æthera comburant, liceatque exurere lucos,
* Pinetum, & crepitãs lauretum adolere, situmq;
Delere, & puras rapidis facere ignibus auras.
Sic Acron, Couſq; senex seruauit Athenas. Agrigẽtinos.
Hinc odor assyrius, fragrans huc halitus indus
Spectat, quo imbutæ vestes, & pallia pulchra
Auras inficiant latè spirantia odorem.
* Sedula cura noui crebrò te tangat amictus,
Quem suffitus Achæmenius calefecerit ante,
* Admoueasq; hepati, & cordi periapta tenello,
Polline seu marsupia cardiaco intertexta,
Seu mauis nuce cõclusum sub corde * zenechtõ. Argenti viui pondus nuculi inclusũ.
Prodest & gestare manu beneolentia poma.
At verò niteant ædes, sordesque situsque
Muciduli longè fœdis verrantur abactis,
Sæpeq; thuricremo purgentur caumate sparsim
Iucundis infecta Arabum penetralia fumis.
Imbrifero stent clausa notho, stent clausa furenti
Euro, threicio reserentur & ostia vento.
At tu, qui nosti precibus cœlestia fusis
Numina mulcere, atque iras auertere Diuum
(Vsque adeò pietate præis) mysteria sacris
Ex adytis pandę, & casus auerte futuros
Macte nouo iubare, Vrbani spes altera Diui,
Pande * apotropœa, & Populos solare morantes.
Purpureum decus interea felicibus ausis
Auguror, & tua prostratus pia fata reposco.

EPIGRAMMA INCERTI.

QVænam pestiferæ sit causa potissima tabis,
Tanto quæque malo sit medicina, doces.
Hoc volui; nec enim solita formidine pectus
Palpitat ad nostras sed Libitina fores.
Pandis quod medicæ natura recondidit arti,
Et diram solido conficis ense luem.
Credideram tetigisse malo non esse medelam,
Iam datur in certa viuere posse nece.

CARMINVM VARIORVM.

Liber Tertius.

AD MICHAELEM ANGELVM ROTAM Venetorum Medicorum Coryphæum.

NOn me turpis amor Ditis ad Adriæ
Littus, non rapuit blanda lubentia
Non pulchri studium, nec leuis ambitus,
At desiderium tui
Illexit Michael-Angele me tibi,
Deuinxitque animum grata necessitas
Virtutis soboles, miraque comitas
Trinis iuncta sororibus.
Illexit stabili base recondita
Virtus, quam Boreæ stridor, & impotens
Auster non quatiat, nec violentior
Æui absumat edacitas.
Quid vos sacrilego dente retexere
Fœdus nitimini compositum malo
Afflati genio? Tabida vos prius
Ægros conficiet lues:
Gaudebitque prius stare reciprocus
Extans pro liquidis Mœnibus Adria,
Et Plauis rapido murmure definet
Pinus ferre perarduas,
Quàm discors dirimat vel querimonia,
Aut innexa dolis mens petulantior,
Coniuncta innocuo pectora fœdere,
Insontesque cupidines.
Pallentes, auidoque igne retorridi
Ite, ite o fatui, crimina nil iuuant
Cautis inuidiæ sparsa coloribus
Citro, vltròque meantia.
Nos cogit similis stella, simillimus
Deuincit Genius Palladis ægide
Tectos, & placido Iuppiter æquior
Ambos lumine respicit.

AD REVERENDISSIMVM ABBATEM PERSICINVM.

Deflet Merulam, Eiusque vires enarrans docet, qui volucris rediuiua fieri possit.

CVm pro delitijs vir nobilis merulam haberet miro studio educatam, atque in lucem semel, atque iterum Chironis arte reuocatam, tandem Æ lurus rabida fame, aut potius antipathia Auem vnguibus impetens lacerauit, sauciamque cecidit, quam Dominus quoniam eleganti carmine deflens prosecutus est, quàm multæ extent merularum dotes, quamque admirabiles, graphicè appingere visum est, vt Domino obsequentes solacia afferamus. Merula igitur græcè κοττιφος dicitur.

Latini classici tantùm fœminino genere efferunt. Author Philomelæ, nonnullique alij etiam masculino genere proferunt Merulum.

Merulam dici vult Varrò quasi meram, id est solam volantem. Isidorus verò ethymum Varronis repetens id non videtur reprobare, sed antiquitus Merulam, Medulam dictam fuisse scribit, eo quòd moduletur. Cantu, inquit Ælianus, Merulæ valent, laudat hunc cantum Author Philomelæ.

Et merulus modulans tam pulchris concinit odis
Nocte ruente tamen carmina nulla canit.

Vt verò diutius, & suauius cantent carnibus pascendæ sunt, ait Albertus, Amant sese lauare, & plumas rostro purgare, saliunt frequenter, solæ volant. Quare hominum solitarium significare volentes, merulam depingunt. Sed proximum est, vt ad carmina accedamus.

Quis nos defletat Alitem misellam,
Quam inuidit Domino rapo nefastus,
A Planè viribus ingeni valentem,
B Fringulicit enim canora, laxam
C Aluum comprimit, & cruore multo
D Manant em benè myrtheis corymbis
E Ammixtis cohibet, leuans dolore.
F Longè pestiferam subire cryptas
Tabem, & quidquid obest, abesse curat.
G Bilem atram, & panicos fugat timores,
Indit lætitias, lubentiasque,
Quid quæris? Maculas ab ore pellit
H Ipsum simum acido allitum lyæo.
I At furuæ Merulæ caput resectum
Vnà & cum pedibus lepusculinis
K Innexum haud crepera fide lacertis
Audentes homines facit, gerendis
Exaptosque negotijs, & Aulæ.
L Plorent Rubecula, eleganſq; Turdus
Fidelem comitem, exitumq; tristem.
Verùm Noctua rideat perosa.
M Ast vobis reducem paro volucrem,
Si ex arte accipitis patrare cuncta.
Cum primùm faciem subit Leonis
Surgens Cynthia, saluiam recisam
Indes in uitreum Vrceum sigillo
Hermetis benè vasis ore clauso,
Condes stercore, & obrues equino.
Dum Phœbi soror alma menstrualem
Circum ambit, Merulus resurget omni
Perfectus numero, canorus, ater.

A *Planè viribus ingeni*. Ingenium hic uoco cum Hipp. & Themistio naturam, & uim quamlibet insitam, & innatam, non intellectus naturalem facultatem ad intelligendum, iudicandum, & commemorandum idoneam.

B *Fringulicit enim &c.* Ioannes Antonius Pantheus aptauit hoc uerbum Merulę cantui, apud ueteres uix reperias uerbū, quod hanc uocē exprimat.

C *Laxam aluum comprimit &c.* Merulam aluum constringere, Author est Celsus, quod rationi consonum est, cum calidi, ficcique sit temperamenti.

D *Et cruore multo manantem &c.* Dysentericis mederi, testatur Plinius si vnà cum myrti baccis inassatæ vsurpentur.

E *Leuans dolore &c.* Tormina discutit, inquit Marcellus, quia calfacit ventrem, & expultricem roborat.

F *Longè pestiferam &c.* Alexander Benedictus tutente peste merularum vsum commendat, & ea de caussa fortassis, quia laudatissimum succum generant, & excrementis vacantem, præterea vim habent afficcandi, quod est præcipuum ad præcauendam pestem. Hinc Auic. tradens feb. pestilentium curationem, summa, inquit, curationis earum est exsiccatio &c.

G *Bilem atram &c.* Melancholia morbo tentatis prodesse scribit Rhasius, quem locum Rhasij citans Ioannes Baptista Porta, nos id ab eius colore nigro doceri multorum aliorum animalium nigrorum exemplo, quæ pariter ad melancholiam arcendam conferunt, ostendit. Sed cum color nullam agendi vim possideat, non facilè adduci debemus, vt credamus Portæ. Id potiùs acceptum ferendum crasi, & Auis naturæ delicatulæ, quæ optimum succum procreat.

H *Ipsum simum &c.* Merulæ simum ex aceto mixtum testimonio Haly lentigines delet, & extirpat.

I *Et furuæ Merulæ &c.* Addit hoc amuletum Aldrouandus, si leporis pedes cum Merulæ capite apportentur ad brachium sinistrum, viros reddere audaces, & multis, grauissimisque negotijs peraptos. Qua vi hoc fiat, facilè diuinarit Albertus Magnus Author Myriadum mirabilium. Nos cum Cenetæ ageremus, & multorum simultate premeremur inquilinorum nequitia, ne læderemur, quodam vsi sumus amuleto non innoxio, quod sanè Perduelles infestos obstupescentes, ac torpidos reddebat. Aperta pyxide veneni vis in proximum aerem circumfusa, & subinde vnà cum aere inspirata circunstantes e vestigio veluti catalepticos efficiebat me illæso ob antidotum, benioin scil. manu detentum, & naribus admotum. Quo enim tempore Pestis Cenetæ grassabatur, nos Prouisoris officio fungebamur, absente Toparcha, & iustitiæ munera exercebamus, quæ etsi necessaria, singulis tamen non arridebant. Nos autem ad commune bonum collimantes priuata iura despectui habebamus &c.

K *Haud crepera fide &c.* Quicunque inquit Cornelius Agryppa, experiri vult, credat, oportet, sedulò, credulitas enim principium est multarum rerum mirabilium, propterea ille suæ ceremonialis Magiæ fundamentum credulitatem statuit. Qui non crediderit, ait, non experietur.

L *Plorent Rubecula &c.* Hic sympathiam, quæ inter Merulam, & Turdum intercedit narrare placitum est, præterea antipathiam inter eamdem, & noctuam. Communis verò odij, & amoris consensus ab æstimatrice facultate proficiscitur quæ ex sensu captis elicit non capta sensu, vt dicunt Philosophi, nempe amicitiã, aut inimicitiam. Hoc autem prouenit ex conuenientia, aut dissensu quodam arcano intercedente.

M *Ast vobis reducem paro volucrem.* Quòd eadem numero Merula reuiuiscat, naturæ viribus fieri non potest, quia, vt dicitur à priuatione ad habitum non datur regressus, eaque est ratio, quia generatio est terminus præuiæ alterationis, alteratio autem intercepta non potest esse vna numero, quia ad vnitatem numeralem motus desideratur tempus non interruptum ex v. Phys. tex. xli. Vbi ergo est duplex alteratio præuia, ibi est duplex generatio, vbi duplex generatio, ibi duplex genitum, atque ex consequenti duo compositæ terminantia duas generationes. Si ergo agens naturale idem bis generat, cum non generet nisi per alterationem præcedentem, duas allioses efficeret, atque adeò duas generationes, quas duæ res genitæ excipiunt, atque hoc pacto secundo loco genitum non est idem numero, quod primò &c. Quòd verò Ars possit aliquas generationes conflare naturæ diligentes scrutatores norunt. Narrat amatus Lusitanus Centuria sexta curatione liij. in scholio, se vidisse Puellum chymica arte conflatum omnia membra habentem, & sese mouentem. Plurima huiusmodi narrat Iulius Camilius. Quanta verò profiteatur Theophrastus Paracelsus non est, cur recenseam. Doctissimus Medicus, & Philosophus Corridorius Mutinensis mihi summa necessitudine coniunctus portenta, & mirabilia multa huius generis quotidie prodit. Ex basylicone, seu ozimo inter duos lateres posito oriri Scorpium, nemo est, qui nesciat, plurimaque huiusce farinæ miracula Philosophi experiuntur, quare non erit mirum, si ex saluia certa lege trita sub quibusdam astrorum consensibus, & reposita in vase sub equino fimo, tandem Merula emergat. Scio afferent Philosophi, artem substantiam non efficere, quum circa sola accidentia versetur. Nam cum ars accidens sit, habitus scil. mentis recta cum ratione effectiuus, si substantiam efficeret, effectum vtique substantia sua præstantiorem ederet, quod atopon est. Sed hoc facilè concesserim, cum sola operatur ars, at simul cum natura iuncta ad substantiæ productionem concurrit, & mirabiles gerit effectus. Quare verum est axioma, si ars sumatur præcisè. Nos verò, quia ocia desunt, colophonem nostræ narrationi imponimus.

AD CLARISSIMVM, ET Generosissimum Equitem Nicolaum Rudium Virum omni cultiore literatura perpolitum, & in Foro-Iulio ditionem exercẽtem.

Littore in Adriaco, solers vbi pocula Pubes
Vitrea perflando concinnat, surgit ab vdo
Marmore Planta virens, & acutis sentibus horrens,
Antiqua, & nullis æui concussa ruinis.
Virgulto similis, cubito paulo altior extat.
Aspera non hyemis glacies, non torridus ardor
Percellitue, hebetatue Canis, sed semper eodem
More viret nullis excessibus æthetis apta.

Ver

Ver illi nullum flores apportat olentes,
Nec vagus Autumnus maturis fructibus ornat.
Se contenta manet, charæque propaginis exors.
Cortice detracto radiantis more Pyropi
Perspicuo rubet interior splendore medulla
Sole lacessita, & spectantum lumina mollit.
Nutritur lapidoso alimento, adolescit eodem,
Nec quicquam, nisi dura silex, radicibus hæret.
Nunc age Calliope paucis mihi fuggere causas,
Cur duro è lapide abitruſos contraxerit ortus,
Cur vicibus maneat nullis obnoxia Cœli,
Cur tandem subtus rubeat, ceu Sardius alter.
Principio A* Phœbi fœcundo è vertice lapſa
Corporeis insunt genitalia semina rebus;
(Informi nec enim subsitat B* panspermia matri,
Verùm Sol) hæc ipsa omnem diffusus in orbem
C* Spiritus intus alens sitai munera præstat,
(Si modò promptam icant, tantæq; capacia D* formæ)
Credere fas igitur rationes seminis aptas
Delituisse diu tenero subcortice saxi,
Quæ Iouis impluuio exstitæ, Cœlique figura
Erupere foras, & Cos conabula dura
Præbuit ingentes primùm perpessa labores.
Adfuit interea per cuncta meabilis ipse
Spiritus insinuans sese per membra paratæ
Materiæ, actutum; mentæ qui munia vitæ
Præstitit, & domita stirpem formauit ab Hyle.
E* Hæc eadem vetus innumeros durabit in annos,
Quòd solido concreta modo; & compage tenaci
Effluuium subeat minimum labentibus annis,
Atque intestino sibi mole similima tota
Hoste lacessitur nullo puriſſima Planta
Auri instar; quòd per fibras alimenta Cylindri
Pura trahit cassæ modicam reparantia partis
Iacturam, & seruata procul ventisque, geluque
Aeris vsura semper lætatur amici.
Ac humore viget pingui, æthereoque calore.
F* Denique purpureo Lignum splendore coruscat,
Perspicuum medius quia miscuit ignis opaco.
Hæc tibi, macte animo egregio, & virtute Paterna
Offerimus dilecte RVDI munuscula, grati
Mnemosynonq; animi, vt tua te ciat inclyta Pitho
Rimari meliora, tuaq; bona indole digna:
Nos aliud studium, nos maior cura remordet.

MVriam apud Aureliam Familiam fruticem, qualem graphicè descripsimus, extare, qui à millibus hominum sic visus, non est quod contendamus. Multos transuersos egit mirus nativitatis modus. Nos interim qui vna vidimus lapidigenum, vt cum Scaligero loquar, fruticem excolendi ingenij studio modòs pangere maluimus, quàm multis prodere veritatem.

A* A prima mundi origine rebus corporeis per omnia mundi elementa quasdam occultas seminarias rationes ineſſe, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, & causalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus, conceptis verbis testatur D. Augustinus. Nec reclamant Philosophi, qui primam materiam primo generi analogicos respondere volunt, hoc autem vt primæ, atque adeò omnis repugnantiæ est capax, ita prima materia omnis expers formæ, & pulchritudinis omnem potest formam induere,

Omnia transformans se se in miracula rerum,
Ignemq; horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem

Hæc autem communis materiæ potestas à particulari Agente per antecedentes allioſes ita afficitur, & coercetur, vt certæ suscipiendæ formæ, non cuiuslibet capax, & habilis fiat.

B* Melioris notæ Philosophi panspermiam h. e. formarum seminarium in Sole reponunt, propterea Sol ad omnium rerum generationem conuenire dicitur.

C* Tres spiritus huc influere multi Peripatetici sunt arbitrati, Naturalem, qui sit inanimatis omnibus pro forma, Vitalem, qui viuentium omnium sit forma, vt Plantæ, & Brutorum, & Intellectualem hominum proprium. Spiritum per vniuersum diffusum Auic. Arabico nomine vocat Cholcodeam, formarum datariam dixeris; Platonici animam Mundi appellant. Stoici inter Plantæ, & brutorum spiritum, quem animæ substantiam nuncupant, hoc interesse volùt, quòd ille humentior, hic ficcior est.

D* Quòd generatio est terminus præuiæ allioseos, & ὑποκατάστασις, & aptitudo in omnibus desideratur. Porrò in lapide insuisse aliquod seminium, quod Plantigenæ formæ esset capax, necessum est fateri, quod subinde ab vniuersalibus causis fuit promotum. Nec enim, si credimus Themistio Cleanthum redarguenti, vis generandi lapidibus ineſt. Nec Leuino Lemnio credendum, apud quandam Heroidem repertum Adamãtem pyxide inclusum, qui statis temporibus ex concreto aere Adamantem gigneret. Sola viuentia generandi vi pollent, est enim generatio productio viuentis à viuente in similitudinem speciei.

E* Vitæ longæ causam Philosophi reiciunt in humorem primigenium multum, pinguem, crassum, & lentum. Qui plus habent olei, plus viuunt. Hinc Plantæ præsertim syluestres diutius degunt, argumento sint Taxi, Pinus, Larix, &c. Cicero 1. de legibus meminit Palmæ Deliæ, quam ab Vlisse visam, vt est Odiss. sexto, ad sua vsque tempora durasse scribit.

Marsilius 2. de ortu. sex de causis vitam produci affirmauit. Producitur, inquit, propter homogeneitatem, simplicemq; naturam, quam & Plato durationis præcipuam causam fatetur: Propter medij continentis similitudinẽ, vnde diutiùs in natali solo, quàm alibi viuimus: Propter perfectam commixtionem calidi cum humido, vnde corpus perquam homogenes conflatur: Propter concretionẽ, qua difficulter diuiditur, & robur, & firmitatẽ, qua facilè resistit; Propter latitudinem temperamenti, sub qua res aliqua potest permanere, quò fit, vt lapides valde consistant, homo citò decedat: Deniq; propter bonam proportionem humidi cum calido: Hinc quæ aereo, & oleaginoso humido affluũt longæuæ sunt vitæ. Hæc Marsilius. Quæ conditiones nostro stirpi accommodari possunt.

F* Oenopum colorem h. e. vinosum appellat Aristot. lib. de col. qualem nos plantæ tribuimus. Fieri dicit, si splendor aereus puro, ac minimè diluto nigro, eodemque coruscanti contemperetur. Hæc festinanter, & desolutoriè, dum sub prælo gemeret liber.

De

De Gemmarum viribus ad preclarissimum Medicum, & Philosophum HIERONYMVM COLLE.

De Smaragdo

Irradians excedit cuncta virore Smaragdus,
Herculeum pellit morbum, lentumq; veternum;
Comprimit asoros motus, cohibetque cruorem,
Instauratque aciem, defectaque lumina terget.

De Beryllo

Ecce viret mixto varie pallore Beryllus,
Hic gemitus reprimit, confirmat robore corda,
Iurgia dissoluit, vasidè coniungit Amicos.

De Amethysto

Nunc coccum, violamve, rosamve Amethystus adæquat,
Flauitiem modò, nunc flammas imitatur, & igneis.
E vigiles homines reddit, lætosque coercens
Ebrietatem, quam consueuit ferre lyæus

De Magnete

Est ferrugineo Magnes, fuscoque colore
Præditus, ille trahit ferrum, vitrumque liquatum.

De Iaspide

Ecce virore nitet saturato pulcherrima Iaspis,
Quę vacuum curis animum, & phantasmate reddit,
Vnicam opem fœmellis parturientibus affert,
Igniferamque febrem languenti e corpore pellit,
Et visum recreans oculorum sordida tergit
Excrementa, lacertorum vetera vlcera sanans.

De Chrysolitho

Chrysolitus speciem flammarum auriquę colorem
Luminibus referens miro splendore coruscat,
Nocturnosque metus prohibet, mentisq; furorem.

De Hyacintho

Cœruleo fulget pulcher splendore Hyacinthus,
Dulces conciliat somnos, & toxica prodit,
Phantasiæ errores deliros corrigit, atque
Summam præstat opem fœtus edentibus ægrè:

De Sapphiro

Sapphirus meritò gemmarum gemma vocatur;
Sic adamat castos, vt vires deneget omnes
Polluto, humentemque solet cohibere madorem,
Abscessusque, simulque tumentes soluere, nec non
Particulas phlegmone oppressas, toxica trudit,
Apposita arterijs, venisque micantibus ægri
Extemplo febrile potest extinguere cauma,
Lætitias animo, cordi, cunctisque vigorem
Conciliat membris, discordes vniter arctat

De Carbunculo

Flammiferos vibrat radios Carbunculus instar
Carbonis, flammas qui intermicat optimus atras.

De Anthracite

Anthracea affulget vena præcincta niuali,
Hæc extinctorum carbonum protinus instar
In Validum proiecta focum tabescit, & vltra
Deperit omnis honor, lymphaque affusa valescit
Rursus, & amissas acquirit frigore vires.

De Topazio

Multigenas viridis Topacius ambigit inter
Flammas, diuersoq; nitescere gaudet honore,
Hæc mentem tumidam, & feruores cõprimit æquè,
Irarumque graues motus compescit, & vltra
Tristitiam, & malè sanam mentem corrigit, atqui
Maius robur inest Luna crescente lapillo.

Inter multos colores. Flāma enim apud Platonicos pro colore accipitur.

De Turgote

Cœruleo Turgotis amat splendore videri
Et proprium est huiusce animos mulcere tumentes.

De Achate

Mole quidem exiguus, sed venas albus Achates,
In quo rerum multigenarum splendet imago
Pro vario posicu. Musis, & Apolline sculptum
Schematibusq; suis Rex Pyrrhus habebat Achatē.

De Onyche

Ipse ego perrubri, nigrique coloris Onychen
Vidi alba Zona cinctum, qui tristia prodit.
Mœrores etenim, rixasque propagat, & iras,
Humores agitat, Pueros que molestiùs vrget.

De Sardio

Purpureæ similis terræ rubet obuius vltrò
Sardius, oppositamque tenet vim prorsus onychi.

De Corallio

Hæc Siculo, Rubroq; Mari circa Orchadas ortum
Ducunt, Plena, rotunda, simulque æqualia præstãt,
Præcelluntque alijs virtute sua, atque colore
Mutato super adposita (heu) discrimina morbi
Significant properantis, quod pars mollior ipsa
Corallij morbi efficiatur viribus vltrò.
Grandinis aduentum, tempestatesque coercent,
Fulminaque, erumnasq; omnes super omnia vincũt,
Herculemq; domant morbum, fluxumq; cruentũ.

In duo mala circumquaque Auellanis sentibus infixis obsita cuidam dono missa ab Amasia.

Poma duo morbum manifestauere nefastum
Vnius, & diris vulnera facta modis.
Namque vt Auellanæ dumis retinentur acutis,
Ac pulchrum malum circiter omne tegunt,
Sic ego crudelis miserè compressus amoris
Virginei dumis figor, & angor amans.
Dona fuere quidem nobis gratissima, verùm
Optassem potiùs muneris Artificem.

Ad Doctissimum Medicum D. LIVIVM de Comitibus.

Temporum calamitatem deplorat.

Labentis anni fontica circulum
Manus reuoluit falciferi senis
Iouique lætatur reniti
Sceptrigero, Venerique blandæ.
Differre in æuum lætius expedit,
Quidquid patrandum pectore concoquis,
Mortale quando nil beatum,
Ni cadat auxilio Deorum.
Frustra repugnas dira minantibus
Fatis. Reserua te melioribus,
Atque interim Musis vacare,
Et Puero Semeles memento.
Curas edaces edomat Euhyus
Rugas retardans, nec finit obuiam
Senile frigus, tabidamque

Canitiem properare mento.
Vides ab vndis oppida diui,
Cuesque, mutum cen genus, humidis
Innare monstris, & rebelle
Imperium exitialis Austri.
Vides quot ensis colla det impius
Necii quot Hospes comprimat Hospites?
Vt criminum causas Erynnis
In thalamo serit ominosas?
Tellus ab aluo dum grauida foras
Spirat, potentes vertit in æquora
Vrbes, & insuetis (stupescit
Mens recolens) vicibus renidet.
Stirpes Agellos cultus inutiles
Profert, & humens luxuriat seges
Effœta, frustra horrens aristis
Flaua Ceres colitur colonis:
Torpescit inter pauperiem, & lares
Olim laboris prouidus Artifex,
Et Nauta Mercator Negoti
Impatiens latus vsque ponit.
Europa bello sæuit, & vltimis
Gentes ab oris conuocat, Italum
Vt robur enerues, Leoni
Intrepido & minitatur iras.
Quid ipse speres rebus, & ordine
Ruentibus? Quæ te ratio erigat
Labente mundo? Num supremam
Stare diem Populo timendum?
Tectum profundis nubibus excipit
Deinceps olympum grata serenitas,
Et veris hybernos rigores
Temperies Zephyro remittit.
Pacem creabunt bella, Noualibus
Redibit vdis fertilitas prior.
Versisque cernet lætiora
Posterior vicibus Iuuenta.

BERNARDO COLLE Medico Præstantissimo

IOANNES STEPHANVS.

Exastichon.

Mittimus alpinis Trutilantum pasta corymbis
Corpora, compositis prensaque decipulis.
Rusticulamque humilem, solacia prima laboris,
Quas tibi primitias sacro, dicoque libens.
Persa Sinetta offert alter, ne despice, namque
Mens immensa latet munere in exiguo.

Ioanni Stephano Medico Elegantissimo
Bernardus Colle

Accepi Turdos, melius nil iudice Vate,
Rusticulamque bonam, pignora grata mihi.
Amplector mentemque tuam, quæ prouida vidit
Istis quippe meum guttur egere cibis.
Nam me febris habet duplex à bile proterua.
Ac pectus diris conficit illa modis
Interea Aucupijs, iucunda per ocia Ruris,
Et Musis felix viue, valeque diu.

Mittimus à Venetis Thusca hæc monumẽta Ioãnis
Colle tibi, vt noctis tædia longa adimas.
Fronte hilari accipias, oro te candide lector,
Atque animũ magis, quàm munus Amãtis ama.

Ad Pulcherrimum Asclepiadam MARINONVM

IOANNES STEPHANVS

Graphicè describit Læbaclidum oram, curque frequẽs eò secedat, insinuat.

Quà Cadubreni, citimique versùs
Teutones septem remeant Trionem,
Martyris celsas iacet inter Alpes
Ora Quirici.
Pagulis denis benè septa, & auris,
Et solo mirè fruitur salubri,
Caspius verò Boreas serenum
Æthera perflat.
Dum Canis torret segetes, sitimque
Duplicat Plantis, medio sub æstu
Mulcet excessum placidè secundi
Aura Fauoni.
Alluunt Amnes medium tricornes,
Scilicet Plauis rapido fragore
Horridus, cui dat Cadubrena paruas
Gleba scatebras.
Excipit Plauim rigidus Mahetes
Zaudici Collis violens Alumnus,
Piscibus, nec non nemorum vehendis
Stirpibus aptus.
Tertius vafri Cimoletis oram
Lambit, & magno in vitreum susurro
Labitur Plauim pretiosa secum
Marmora voluens.
Hosce Thimallus fluuios, nicensque
Trocta veloci celebris natatu,
Ac colit Mullus, Gobiusque ponè
Saxa latescens.
Hic Nucum magni reditus quotannis,
Hic ficus gustu meliore mensas
Diuitum exornant, & odora fraga
Apta cibillis.
Hœdus hic nostras onerare quadras
Assolet, dum sol peragrarit vstæ
Virginis vultum, & vituli bimensis
Gratior vsus.
Bacchus huc læto veniens Acedo
Gaudet humanas hilarare mentes.
Et soli, & Cœli bonitate fretus
Perficit haustus.
Caseus ditat sapidis cibillas
Pauperum, & Pulcis sudibus subactæ
Opplet angustos domuum recessus
Halitus vdus.
Nilque Pagani subeunt laboris,
Ni priùs libi teneri, ac calentis
Frusta libarint, nimioque pastu
Turgeat aluus.
Carpinos pasti, tereresque pinus
Alteri cædunt, struit ille molem

Stipi-

Stipitum, & certo coquitur præustus
Caumate Carbo.
Hic trabes vincit, terebratve sectas
Piceas, texit ratiumve magnam
Synthesin, remis regit ille molem
Cratibus arctam.
Ocium damnant Puer, & Puella,
Ille per sakus, salebrasque ducit
Omne lasciuum pecus, hæc virentes
Excolit Agros.
Ille Thymbræ teneros amores
Damnat, hic laudes sequitur lycottæ
Virginis catæ, meritos Puella
Captat honores.
Aucupi verò Marinone meme
Allicit mirus modus, & dolosis
Cantibus gratus, nitidoque visci
Glutine fallax
Siue nocturnis Auibus volandi,
Et quiescendi vice gestuosis,
Aut struas fraudes placido inuolucro
Cassis, & arcu.
Meipse piscatus nitidos inescans
Molliter Troctas iuuat, ipsa Ruris
Grata libertas Dominum timente
Plebe iubentem.

AD GEORGIVM GRATIANVM Gentilitio Stemmate, & omni virtutum genere præclarum.

Se fato Venetias migrasse maiorum suorum Patriam, inuitum Ceneta cessisse eius causa, quòd se & à vulgi calumnijs vindicarit, & optimis instruxerit consilijs, dum grassante Pestis sauitatis magistratum gereret.

Carpentem Cenetæ dona Iubentiæ,
Et dulces ferias magna necessitas
Ad littus strepentis Adriæ
Dextro sydere compulit.
Me manes Patrij, me Genius loci
Obmansere Lares ad proprios diu:
Differri haud poterant fata, nec excipi.
Standum est imperio Iouis.
Horrentem rapido vortice Gurgitem,
Et fasces tetricos cernimus, & vices
Fortunæ dubias, quas Leo Marcipor
Genti diuidit Italæ.
Hic Mundi species enitet vndique,
Maiestasque vetus surgit ab incolis,
Morum & conditio prisca repullulat
Dulci nectare diffluens.
Hic & religio, & iustitiæ tenor,
Splendescitque Rei gloria Publicæ
Impolluta Deum consilio, & fides
Prorsus nescia fallere.
Quidquid Sydonius præcipit Artifex,
Quidquid Phidiacæ ritè struunt manus,
Admirante oculo hac Vrbe coercitum
Se spectantibus obijcit.
Quid tum? Pierij Musa Georgij
Cunctorum instar erat, tollere tædia,
Et curas poterat sola, retorridos
Æstus pectoris eximens.
Tu pressam vigili sollicitudine
Mentem Threicio carmine leniens
Firmabas solido dogmate pectora
Curarum domitor grauis.
Nequicquam stolidum vulgus inanibus
Iactabat studijs perdere publico
Fungentem officio, fœdaque semina
Delentem luis horridæ.
Veri consilii compos inertia
Flexisti medius spicula, & impetus
Insanos Populi blanda furentibus
Nectens vincula iurgiis.
Ingrati facinus Ciuis, & inuidi
Cum primis doleo, *Vallis & æmulæ*,
Atque innexa dolo crimina, & irritos
Ausus Plebis inhospitæ.
Verùm suppliciis plectere vindices
Cœperunt Superi, reddere commodo
Haud passi inuidiam; At lumine dextero
Me Rhamnusia respicit.
Sed cur te afficiam tristibus vlcera
Callo obducta fricans? Me coquit & tui,
Et nostræ Vrbis amor, vernat vbi Venus
Trinis iuncta sororibus.
Euantes videor cernere Libero
Ducentes Cenetos orgia, Naiadum
Nunc lustrare Choros, nunc vel Acanthida
Arrectis capere auribus.
O si dent iterum fata quiescere,
Ædem & Palladiam visere, dapsilis
Non me conditio subtrahat Attali
Grato ex ore Georgij.

MICHAELI ANGELO ROTÆ Medicorum Coryphæo.

Quicunque claris conditionibus
Inter sodales fulgidus eminet,
Se se inuidis exponit instar
Hippolyti Canibus vorandum.
Secura nusquam vel caput exerit,
Floretue virtus. Vndique pullulant
Mores nefasti, qui prementes
Exoriens decus obtenebrant.
Virus malignum serpit, & inclytæ
Virtutis artus conficit, & nihil
Relinquit intactum, per omne
Se insinuans genus it bonorum.
Inuadit Arcem Palladis horrida
Labes, & intus corripit, optimi
Quidquid subest, atroque dente
Præcipuas populatur arteis.
Quid plura? Liuor noxius est sibi,
Tabescit, apti quo vorat amplius,
Et quò magis florescit, aret,
Quòque magis, perit ille, viuit.
Sed quale monstrum protero? præpeti
Volatu in vmbras Cimmerias migret
Nostris ab oris, siue Ditis
Tartarei loca senta quærat.
Beatus extra qui inuidiæ aleam

Sibi, & Camænis viuit, & impotens
Vulgus refellit, nec minacis
Iura fori metuit, nec iras.
Tristis susurrus semina dissidi,
Iactatque causas criminis, at tua
Arctè revincit, nec reuelli
Me patitur generosa virtus.
Quocunque pacto se gerat insolens
Fortuna, seu me diuitijs beet,
Seu me opprimat vili ligello
Te vsque colam reuerenter idem.

BERNARDO COLLE Medico, & Philosopho Bellun. Præstantissimo.

Ænigma ex Auic. lib. de Viribus cordis; Quo significatur à consuetis admirationem non afferri.

Quando per optatum penitus soterion oti
Nonnihil arripui, placidis modò ludere Musis
Collibet, & monstrare tibi mirabile monstrum;
Quò nostri specimen teneas, & pignus amoris:
At, qui magna soles tractare negotia, paulùm
Huc oculos conuerte decus, columenq; Viruni,
Et nostros ne temne iocos, quibus insitus hæret
Sæpè suus lepor, & placidissima gaudia profert:
Aspira Bernarde meis conatibus, atque,
Dum strepit è viridi pendens Erpyllis oliua,
Mecũ animũ recreans cessando lude per vmbras.
Aduena littoribus lapidem portauit ab Indis
Lumine perfusum miro, ac splendore coruscum,
Qui quasi succensus radios per inania iactat,
Et circumfusum tenebrosis æthera spectris
Lustrat, & impatiens terræ in sublime volatu
Sponte sua effertur, spatioque innixus aperto
Libertatis amans cohiberi sedibus arctis
Nescit, & angustos renuit tolerare recessus.
Purus ei, summusque nitor, quem sordida nullis
Colluuies temerat maculis, cui nulla figuræ
Certa subest species; Proteo inconstantior ipso
Ilicet effigiem vertit, fallitque tuentes.
Pulcher is aspectu se se spectantibus offert,
Nec patitur se tractari, seu casta Puella;
Quòd si fortè manus iuxtà temerarius ausit
Inijcere, ille flagris idem malè captus acerbis
Cedit, & incautum damnat perculsus amorem:
Ac nihil eximitur secto (mirabile dictu)
Quin vorat attigũ, molemq; augetur in amplã
Integritate sua gaudens, cunctisque superstes.
Pytagoræ Ionis hic olim custodia dictus,
Cui sacra fecerunt Persæ, Medique litarunt,
Assyriique simul; prisci coluere Quirites
Nomine sub Veste, Stoicisque potissima rerum
Caussa: Idem tandem vindex elementa piabit,
Et mortale genus subter cœlestibus Astris
Protinus omne terens primã reuocabit ad Hylẽ.

Ad Clarissimum Medicum D. LAVRENTIVM SQVADRONVM genere, & Doctrina insignem.

Fœlix, qui potuit vtsere lucidum
Puro ex fonte bonum; qui potuit grauis
Missis illecebris soluere vincula
Terrenasq; cupidines.
Vates Threicius funera coniugis
Plorans, æger vbi flebilibus modis
Syluas vernicomas currere, mobiles
Amnes stare coegerat.
Iunxitq; intrepidum blanda leonibus
Sæuis cerua latus, nec timuit lepus
Iam cantu placidum sollicitus canem,
Dum cor feruor adureret.
Nec qui sæpe modi cuncta subegerant
Mulcerent Dominum: Tum Superos querens
Immites adiit tartara, diraq;
Furuæ regna Proserpinæ.
Illic Bistonius mira sonantibus
Præcentor fidibus carmina temperans,
Quid quid præcipuis fontibus hauserat
Matris, quod dabat impotens
Luctus, quod geminans luctum amor anxius
Demissis oculis trenera commouens
Næ deflet, veniam poscit, & horrida
Flectit numina Tartari.
Flaccet tergeminus carmine ianitor
Captus dulciloquo, quæq; agitant Deæ
Vltrices scelerum corda nocentium
Iam mœstæ lachrymis madent.
Non Ixionium præcipitat rota
Excantata caput, Flumina Tantalus
Spernit, dum satur est, Vultur edacior
Non traxit Titii iecur.
Tandem commiserans heu nimis Arbiter
Vmbrarumq; Pater, vincimur, addidit.
Donemus comitem dulce petentibus
Emptam carmine coniugem.
At lex iuncta viro dona coerceat,
Nedum nostra libens limina liquerit
Absenti liceat lumina flectere.
Quis legem det amantibus?
Maior lex amor est. Heu prope terminos
Noctis respiciens Euridicen suam
Orpheus impatiens exiguæ moræ
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc respiciunt, qui in superum diem
Mentem sollicitè ducere quæritis,
Auctoremq; boni cernere perperim
Optatis benè feruidi.
Quid quid præcipuum possidet intimis
Thesauris animus, quid quid habet boni
Virtutum rutilo sydere fulgidus
Perdit, dum videt inferos.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM ATQ; REVERENDISSIMVM ALBERTVM BADVARIVM CREM. ANTIST.

Quartana febre laborantem.

Qua ratione intercipi Possit Quartanæ accessio.

HVmanas dum sola vices, casusque nefastos
Ipsa animo reputat Venus, & miserabile fatum,
Mortalesq; hominum curas, vigilesque labores,
Insignem Albertū aspiciens; quo pulchrior alter
Adriacis non fertur aquis, neq; moribus anteit,
Aut virtute animi, redimitum tempora mitra,
Sacra Quirinali celebrantemq; orgia ritu,
Lænaq; indutum, demisso lumine fluxa,
Mirabunda diu, & fatuo correpta stupore
Ora premit, fixitq; loco insinuata lacertos.
Tandem oculos tollens roseo suffusa colore
Increpat indignata, & inania verba profundit.
Siccine defecit Flamen, sic nostra reliquit
Castra silens? Tantumne mihi crudelis, & asper,
Tantum optauit onus, tantosq; afferre dolores,
Tu ne decus sine clade fouebis ianthina vestis
Progenitumq; auctumq; mihi? Patiarne misella
Deludi, frustraq; meos proserpere nisus?
Ah scelus indignum; meritas iam sumere pœnas
Iam satago. Petit hinc Saturnū actura querelas,
Deploratq; nefas, præsensq; Ericinia posci
Auxilium. Insueto commotus pondere rerum
Ipse Senex sortem Diuæ miseratus iniquam
Præsentem promittit opem, natamq; sinistro
Omine filiolam cum dicto accersit, acerbis
Informatq; modis. Venerem vides ipsa querentē
Tristis ait, Seniorq; Deus, lachrymisq; madentē?
Ipsa nefas gemit Alberti, qui prouidus Aulæ
Despicit imbellem thalamum, & cōnubia Diuæ.
Tu pete tecta viri, venetoq; infecta colore
Perterre panicis, & tristibus imbue visis,
Quarto quoq; incesse die, modò frigore mēbra
Concute pallenti, & cruciatu obtunde medullas,
Nunc rapido gelidos artus exure calore
Circuitu alterno lædens, atq; horrida monstrans.
Filia Saturni gaudens mandata Parentis
Ritè sequi aggreditur validis instructa ministris,
Triste q; munus obit, Dominumq; infesta lacessit
Quarto quoq; die vires, & robora frangens.
At cuncta e cælo despectans Iuppiter æquus;
Ergò hominum decreta icis plectuntur iniquis?
Non patiar. Subitoq; fidelem accersit Hygeam,
Atq; hæc mandata iniungit. Citò perge per alta
Belluni iuga, perq; nemos, colleq; beatos,
Quære salutiferas herbas, succosq; potentes,
Languentiq; manu propera succurre medendo.
Illa autem dicto citiùs florentis Anaxi
Percurrens ripas, & amœna cacumina Acedi
Euphrasynum, Filicēq; legit, scolopendraq; & Irin
Illyricam, Lupulosq; Alpinaq; Teucria iunctis
Seminibus Viticis, Violasq; & Aizoa, & atram
Capnitim, & genus omne Adiāthi, vdosq; Genistę
Flores, & fructus Thamarisci, & pocula cæsa.
Sennamq; & nigrā Balanū, & Polypodia querna,
Hincq; salutares adiecto sacchare succos
Conficit, atq; laboranti custodit Hygea.
Præterea calathis cerealia munera defert,
(Vt fors ipsa tulit) syluestribus obsita pompis,
Vuas, & ficus nocturno rore madentes,
Aurea mala Pyris permixta rubentibus, escas,
Quas Pinus profert, & plurima Phyllidis Arbor.
Accipe, ait Dea, quæ tibi dona virentia gesto,
Scilicet & spem portendunt, & sumpta salutem
Restituent. Age rumpe moras, & amœna vireta
Quære libens, veterisq; Soli vestigia linque:
Proderit insuetum Cœlum; & puri ætheris vsus,
Quem cātu volucres mulcēt, aut curuus Arator,
Seu labentis aquæ murmur, seu mobilis Aura.
Hic compone animum curarum mole relicta
Delicias inter molles, & gaudia læta.
Offeret interea syluestria munera Faunus,
Phœnicurum, Erithacumque simul, Florumque
Chlorinq;
Sæpicolamq; vagam, Cirlumq; atq; Atricapillam.
Turdosq; Attagenasq; & Porphyriona, salaces
Nec non Perdices, Nais quoq; xenia tradet
Cærula, & Auratā, & Mullum, Percamq; Lupūq;
Et quot quot fluuij sapidos alit vnda Natantes.
Neu graue sit, curtuq; vehi, perq; æquora campi
Exercere breui torpentia membra laconum
Turbam inter, leporesq; sequi, testaq; lutoq;
Hocq; caue, ne sudorem, sed gaudia tantùm
Exprimat ipse labor, curasq; eliminet atras.
Sed cape, ne te longa diu fastidia lædant.
Præbia bina procul pulsant hostilia febris:
Vna bipartitò irritamina segnia reddunt;
Altera concrementa vetant molescere furua.
Ergo dum properat pugnax insultus, & instat,
Tu vehemente animam motu, atque pathemate multo
Imbue, ne mens insidiosæ incommoda caussæ
Percipiat distracta, & ad obuia versa profundo
Excessu, mentemve thoro, somnoq; sepultam
Obrue, ne sensu obtuso noua pugna fatiget.
Congressus febrem interimit semel interceptus.
Sic immane iugum fregit, lustrque Puellam
Intentus luctæ, dum Prodromus ignifer instat,
Fabius eluctans, & acerba percitus ira.
Sic Cous miseris hypnotica pharmaca præbens
Mandragorā, solanūq; stupens, & dulce Papauer,
Immemores, vacuosq; malis per somnia fecit.
Astbilis cohibent nigræ incrementa, vetantque
Victra adolere altrix vis non efficta, vigensque
Insertus calor ipse, & sciramenta decenti
Eucrata sumpta loco, nec non Panacea paratis
Ductibus educens choleræ atramenta tenacis.
Fercula præterea, stomachi quæ magna libido
Optarit, despecta licèt, fonteq; accersere succos
Nata, fugant hostem. Hinc epoto lacte liquente
Conualuere ægri, victo, vel amystide Bāllo,
Ingluuiere graui, bubula seu carne, Nefrendum
Seu perna ingesta, quam olim vapor ater aduffit.
Mille modis fatuis optata pericula faustum
Exhibuere diem, vt traxit sua queniq. voluptas.

Empyricus hic curandæ Quartanæ feb. modus decerpitur à Mercato li. 2. de Recte. Præsid. vit., qui vniuersa quæ huc spectant descripsit à Brudo lusitano, qui lib. 3. de ratione victus graphicè, & philosophicè rem hanc tractat & iubet ab vniuersa corporis totius purgatione hunc modū esse adhibēdum vbi diu tumultate omia molesta est feb. solet enim, inquit Celsus, vbi ratio nō adiuuat temeritas prodesse.

DE

DE THERMIS CENETENSIBVS

AD MICHAELEM-ANGELVM ROTAM ASCLEPIADARVM PRÆCLARISSIMVM.

EST Locus ignotus fama, qui dicitur * ASLAS,
Cliuus Acedicolis Nymphis gratissimus, æquè
Herbarum, Salicumq; frequens, & diues Oliui,
Vrbem Palladiam, Vallemq; interiacet Arctam
Arduus, & patulis spectatus Collibus ASLAS:
Deliciæ Pastorum ASLAS, atque vnica cura.
Hic pascebat oues olim inter amœna vireta
Thirenus placido Lyciæ succénsus amore,
Candida cui Lycia ardenteis æquabat amores
Igne accensa pari. Dum oleas, vmbrasq; sequūtur,
Alternoque modo voces, & lumina miscent,
Exponuntq; ex more focos, teneroq; vicissim
Corde trahunt gemitus oculis per mutua fixis,
Iuppiter extemplo Cœlum caligine densa
Nubilat, & vacuū nymbis circum æthera cōplet;
Sæuit tempestas commixta grandine, tellus
Horribili reboat tonitru percussa, tremitque
Crebrescitq; fragor ventis, cœlumq; lacessit.
Quisq; suam repetit cryptam, & gurgustia læta,
Et Iouis, igniferiq; minas formidat olympi.
Lustra feræ, & volucres patulæ tutamina Syluæ
Impulsæ repetunt, camposq; auraſq; relinquunt.
Cogere tunc Thirenus oues, viridisq; ligelli
Tecta subire celer, Lyciam præuertere gressu
Ingenti fatagens studio: At (mirabile dictu)
Incassum. Miser, heu miser ille repētè momordit
Tactus humum de cœlo, soluunturq; calentes
Artus in cineres violentis ignibus vsti.
At Lycia egregium Iuuenem frondēte sub antro
Expectans, damnansq; moras, & sydera sæua,
Absentem vocat e specula; Vox nulla vocanti
Redditur, & miseræ geminantur corde dolores.
Anxiā quærit oues, Thirenum quærit anhela
Voce vocans, lustratq; vias indagine multa.
Tādem prostratum aspiciens sub tramite curuo
Thirenum amissa melioris imagine formæ
Ter vocat, & mutos Cineres perstringit, & ūbras
Pro socio (infelix), & olentia sulphura captat.
Ex illo lacerata Comas, Pallamq; recisa
Fiere super cineres cœpit noctesq; dieſq;
Imbreq; perpetuo latices formauit olentes,
Sulphureos latices lenta fallugine mixtos;
Quos volucres adstant variæ, cantuq; perenni
Ploranti Nymphæ quærunt solacia Diuūm
Imperio. Illa tamen solari nescia puram
Perpetua ditat lachrymarum lege scatebram.
Hi sacri latices (temerè quos tangere palmis
Grāde nefas) summos pariunt liguentibus vsus.
Ablati diram scabiem, Psoramq; lepramq;
Ritè abigunt; Ventres rigido mucore madentes
Detergent hausti, expediuntq; subinde tenaces
Infarctus, Renesq; luunt, vacuantq; saburram,
Cunctaq; per ventrem illapsi præcordia lustrant,
Atque imbecilles impresso roborē ventres
Firmant, admoti & cachectica mēbra resoluunt;
Extenuantq; pedes pallente œdemate molles,
Et quot quot pituita parit, seu frigoris atri
Vis mala. Acedensis saluete sacerrima Collis
Stagna, salutiferi fontes saluete, cadentis
Naturæ columen, miserandæ sortis imago.
Ipse equidem soluam solemnia vota quotannis
Natales celebrans festos, & thurē Sabæo
Auras inficiens, positoq; ex more Lyæo
Æternos latices cytharis ad sydera tollam.
Tu verò Adriacę Archiatros celeberrimus Vrbis
Pęoniæ Artis honos Michael miseratus acerbum
Fatum, virgineos luctus compesce per vsus,
Qui potes, & famam latè diffunde medendo.

* Salsa.

AD LAVRENTIVM RAGOZIVM Medicum, & Philosophum Præstantissimum.

Laudat Carmina, quæ in laudem ducis Hetruriæ pepigerat, hinc; authorem commendat.

OTIA ducentem nostram tua Musa camœnam
Blando excitauit murmure;
Quin studium, mirumq; canendi inseuit amorem,
Vt nil magis me exerceat;
Atq; voluntatem superante cupidine nostram
Frustrà renitor parcere.
Qualiacunq; igitur dederit, cape carmina Laurens,
Excitus œstro spiritus.
Doctiloquos legi versus, magniq; Maronis
Dignos camœna nobili,
Suspexiq; simul. Grauis emicat vndiq; virtus,
Et sedulò cultus labor.
Hinc Dux egregiæ laudis splendore decenti
Perfulget, hinc Hetruria.
Ast magis elucet rerum mirabilis ordo
Dictus cothurno congruo.
O fœlix, quicunq; tuo celebrabitur arcu,
Dignasq; laudes sentiet
Quid quid habet Veneris, solidiq; Heliconius hortus
In te benignè contulit.
Dædalus ingenij, te Princeps artis Apollo
Donauit amplis munijs.
Per te Pierides cantant, loquiturq; Minerua,
In te renident Gratiæ.
Quis tenui poterit versu perstringere laudes,
Mentisq; præclaram indolem?
Perge decus Phœbi, & præsentis gloria sæcli,
Flos artium pulcherrime.
Grandis surgit honos tacturus sydera, grandis
Rumor per orbem diditur.

AD IOANNEM STEPHANVM Medicum eruditissimum Ragozius.

Otia Musa tua, vt fortis, fœcundaq; surgat
Telluris instar aridæ,
Ducit, quæ hiberna glacie durata quieuit,
Vt vere fundat gramina.
Arcum campestris Scytha sic cauta arte relaxat
Vt tela

Vt tela mittat acriùs.
Nunc stridore tuam excitui, aut clangore camœnã
Velut cicadæ, aut anseris.
Et quanquam cycnus videor tibi, lætor amore
Te decipi magnum virum.
O vtinam, qualem celebras me versibus, essem,
Te gaudium patris canerem,
Et Stephanæ lumen gentis, Suadæque medullam.
Doctæ iuuentæ principem,
Aonio ad Cenetos ducentem vertice Musas,
Apollini carum caput,
Cuius præclaras Veneta exercebis in vrbe
Artes onustus gloria.
Namque tuum nomen Medicos se se efferet inter,
Quantum cupressi inter rubos.
Inter aues quantum gestator fulminis ales,
Et belluas inter leo.
Ast ego præruptis inclusus montibus, alter
Vrgebo saxum Sisyphus.
Prosequar ominibus faustis te curua petentem
Maris superni littora.
In pelagus donec fluctus deuoluet Anaxus,
Polo micabunt sydera.
Squamigeri pisces ponti vada salsa natabunt,
Ero tui semper memor,
Orabo, facilis Deus vt tua vota secundet,
Seruetque amicum te mihi.

AD ILLVSTRISSIMVM ATQ; REVERENDISSIMVM MARCVM IVSTINIANVM olim Antistitem vigilantissimum

Acrostichis.

Mutus hiat QuIcunq; tuum percurrere nomeN,
Ac celebrare Vouet: Manes si Vatis AchæI
Rursus ab Elisijs Surgant, si candidus vnA
Cycnus & Andæi, Timeant attingere plectroN:
Virtus, IustitIæque tenor super astra volatV
Se tollit Diuùm meritis consortia quærenS.

Ἀκροστιχὶς

Pastor amans Superùm afflatu demittitur istuC
Religione nitens hæc ad florentia TempE
Æmula Thessaliæ, placido quæ lumine TitaN
Secreto gaudet lustrans cumulare fauorE.
Vah quàm tuta salus Ouibus, quàm mira resurgeT
Laus, si dogma Ducis, sint & vestigia curÆ.

DE MEDICI OFFICIO.

Ex Amato Lusitano in principio suorum Centonum.

Ad Eruditissimum Medicum ANTONIVM BLANCVM.

SVnt Medico bisquina internoscenda fideli,
Protinus vt pellat grassantem e corpore cacum.
Morb. iners, proprio & symptomata nomine dicta,
Et color, & Regio, tempusq; quod omnia mensu
Comprendit, tempestatumq; viceſq; furorq;
Ars, ætasq; volans, victus, naturaq: solers.

Venenum quatuor modis euincitur ex Mesue, & Conciliatore.

Ad eundem.

Sæua venenatæ labis vis quattuor armis
Sternitur, & protsus sonti demittitur orco.
Si ingenitum primo insultu frangatur acumen,
Siue resoluatur, veluti nix solis ab æstu,
Aut protrusa foras tenues pellatur in auras,
Aut tota specie admota perimatur vt hostis.
Exemplo tibi Castoreum, atq; euphorbia sunto,
Quæ oppugnant opium ratione caloris aperta,
Sicq; Sigillatæ-terræ vis dissipat atram
Perniciem, truditq; foras pretiosa smaragdus,
Theriace verò propriæ tutamine formæ.

Sanguinis mittendi decem conditiones obseruandæ ex Auicena tertia parte Canticorum.

Ad eundem.

1. Ne symptomata malum; 2. sed multa plethora fatiget,
3. Sit media, & florens ætas; 4. consuetus & vsus.
5. Robore consistat virtus. 6. Ver lene, veladsit
Autumnus; 7. Pariterq; locus moderamine cœli,
8. Instantisq; simul lætetur temporis hora.
Prælida, madidaq; vuescant corpora crasi,
Sintq; bonæ euexiæ, siue habitudinis aptæ.

1. Nam v.g. cardiaglia vetatæ. Frustra n. sãguis demittitur, vbi nulla plenitudo molestat: 3. Aetas n. floreus august robustus vires: 4. Consuetudo n. maioris tolerantiæ causa est 5. Virtus n. præ cæteris desideratur ad tãtum ferendũ auxilium: 6. Ver. n. lingua affluit, & Autumno tẽperies moderata est. 7. Locus n. temperatus, bonę sanguis gignitur, quẽadmodũ in intemperatis cacochymus: 8. Hora enim tem-

Quæ medendi methodum frangunt.

Ad eundem.

Quattuor excipiunt methodũ, & præcepta medẽdi,
Ad seq; auxilium, consiliumq; trahunt.
Syncopa sęua, dolor vehemẽs, symptomata magna,
Et quod Summum est, vis languida, thermasia.

De compositi Medicamenti ratione.

Ad eundem.

Compositum medicamen habet Basemq; Iuuansq;
Masty-

peratione pu ta matutina sanguis af fluit: ꝙ. vēper. m. calidu hu midum mul ti sanguinis ferax est. to. Bona in corporis habitu do. nec grā cilis: nec pin guis facilius tolerat sanguinis mis sionem. Paradygma. Ad renes re frigerandos. Rab. Be pul. Alkekengi voc. fl. Fauorin. Rosa rum drac. ij. Vehemens. Li quiritiæ. Dyasens. Tra gacantum drac. ß. m. cum aq. portulacæ & f. trochisci. scrup. j.

Masiygem, & ipsa vehicula viribus apta ferendis,
Ac talis incit rerum, & proportio tanta,
Vt basis morbo penitus virtute repugnet
Æqualis, quam communit mediocre vigorans,
Subduplumq; iuuans: Castigans noxia basis
Exæquet: Ratio est indefinita Vehentis.
Compositis mastix respondeat omnibus æquè
Partibus, & totam molem moderator adæquet.

Luis Venereæ descriptio ex Capiuaceo.

Ad eundem.

Fœda lues Veneris natura protinus omni
Aduersum humano generi viget excrementum,
Multigena pollens homines offendere labe,
Huius ab humana trahitur substantia origo.

Ex Epiphanio Ferdinando.

Indica tetra lues vapor est viscosus, & vdo
Mucore infectus, validaque putredine fœdus,
Qui per contactus affecto è corpore manans
Contemerare potest alios serpente per artus
Labe venenata, & symptomata plura ciere

Singulorum humorum motus descriptio ex Serapione.

Ad eundem.

Senis quisq; horis dominans, & mobilis humor;
A noctis nona sanguis dominatur ad horam
Trinam lucis, ab hac bilem vigesima prima
Excipit vndantem, sequiturq; nigerrimus humor
Segnis, & ad trinam tenebrarum extenditur horam
Postremùm pituita liquens emergit, & vdo
Cursitat illa pede, & reliquis dominatur, at illam
Noctis nona tenu fluitantem continet hora.

Febris acutæ Periphrasis.

Ad eundem.

Febris acuta fluit cum motus ordine certo
Pernici referens sæua pericla pede.
Multiplici stipata ruit symptomate semper
Et medium velox hæc citò tangit iter.
Sternitur hinc veluti genitrix calidissima bilis,
Bis septena dies esse suprema solet
Excipit hanc aliquando tamen vigesima morbi
Læta dies, quæ vltra progreditur, chronica est.
Subijciturq; crebrò naturæ filius almus
Feruidus, aut putrens, subsilit hinc synochus.
Præterea venit huc salsi pituita saporis,
Quæ causum nobis excitat vsq; nothum.

De Ephemera Febre.

Ad eundem.

Est calor exterior, quem spiritus imbibit errans
Cordis, & extremam sparsus aduſq; cutim
Materiesq; subest cœlestis spiritus auræ
Compos, & exteriùs Febris origo venit.

Deniq; (ni fallit me Isaac) à Pisce Diaria fertur,
Cui vna subest ortus, interituſq; dies
Duplex hinc oritur nobis genus Ephemerarum,
Partu vna ingenuo prodit, & vna notho.
Corporeæ causſæ stabulantes corpore in ægro
Efficiunt spurias, aduenæ at ingenuas.
Degenerant illę facilè, humoresq; peraptos
Incendunt, verum hæ membra coacta magis.
Hinc quatuor causſæ porrò numerantur amussim,
Aut animi motus, vt timor, ira, furor.
Corporis aut motus, fluxusq; laboſq; dolorq;
Syncope acuta, fames, arida siue sitis.
Nausea præterea, atque obstructio lenis, & arcta
Strypsis, & abscessus adnumeranda ruunt
Exterius veniunt causæ, velut vstio, frigus,
Balnea, seu potus, siue alimenta mala.

Hunc Pisce Auic. lib 1. 2. de Natura Animal. vocat Gregem.

De Putredine ex Argenterio.

Ad eundem.

Extat apud doctos Homines putredo biformis,
Quarum vna ingenitæ sequitur certissima longum
Naturæ, atq; caloris opus, qui iugis, & acer
Congenitos operatur in humores pedetentim,
Donec vi valida Mixtum dissoluerit omne
Supremumq; in cinerem, cœnumq; redegerit illud.
Quidquid enim natura regit, primordia fato
Interstina sui interitus in corpore condit,
Si modò naturæ putredo legibus extat.
Altera energiam externi, absimiliſq; caloris
Consequitur, natiuum humorem agitatis, & illum
Perdentis (tamen aereo concurrente calore)
Hoc tamen aduertisse iuuat, putrentia tantùm
Humida ferre ἀλλοίωσιν, remanereq; mixti
Formam illibatam (penitus nisi serpserit vda
Colluuies) & consueto sibi munere fungi
Innatum calidum, humores cohibereq; fusos.
Propterea Sophiæ Stagirita recensuit Auctor,
Quædã ex parte modò obputrescere mixta remota
Temperie, sibi quam natura ex lege requirit.
Est porrò morbis obnoxius vsq; nefastis
Infelix, & mancus Homo ratione bimembri,
Tum quia naturis aduersis constat, & vda
Materie, & quoniam, qui nos circumuenit, aer,
Quemq; inspirare hic mortales coginur omnes
Motibus assiduis citrò iactatur, & vltrò,
Hinc morbi obrepunt passim de lege, furitq;
Trux Libitina breuis præciso stamine vitæ.

De affectibus cutaneis ex Fracastorio.

Ad eundem.

Stat cutis affectus animo percurrere nutu
Musarum, quæ me stimulis, vrgentq; premuntq;
Pulcher Apollo faue, qui delectaris vtraq;
Arte, præesq; bonus Pater. * Absq; putredine bilis
In cutis enormi motu spatia ampla redundans
Excitat Erysipelas, verum torrida dirum.
Ast aliis variè succis coeuntibus vnà
Inde trahit nomen: Nigroq; Epinyctida succo
Insita committit: Verùm putris herpeta sæuum,
Crassa autẽ (quod edat carnes) Hestiomenon affert

Phleg-

Phlegmatis admissura oritur serpigo liquentis
Cum cholera instabilis. *Phlegmone à sanguine creta est
E venis truso magnis in inania partis.
Hic pariter bili dominans miscetur vtrique,
Ac pituitæ albæ, diuersaq; nomina poscit,
Præterea gignit Dothienten, phlima, phigethlum,
Ille quidem tenuis complexu bilis amaræ,
Hoc nigræ, & crassæ coitu coalescit, & extat,
Postremum generat sanguis cum phlegmate mixtus.
Putris & ardescens idem bubona reponit
Pestiferum, quòd si tenuis cruor extat, ichorue,
Pustula prorumpit. Verùm exanthemata multo
Ardescens æstu, & feruore rubentia prodit,
Pestiferæ quæ sæpe solent tecmiria febris
Esse, incorrupti nonnunquam sanguinis æstum
Excipiunt citra febrem, aut cum simplice febre;
Hisce subest nomen modò, non substantia morbi.
At putris, & tenui morbillos bile remixtus
Procreat, vt coitu pituitæ sæpè rubentes
Variolas. *Verùm simplex œdemata profert
Phlegmà; calore autem, aut vehementi frigore cretum
Ganglia, verrucas, thymos, sycosq; cordona, thylos
Chœradas, clauos generat, psidracia, ionthos.
Phlictenasq; simul, sed leucen putre, nouumq;
Mentagram, nec non diros lichenas, achores,
Hinc Alopecia informis, pendetq; syphilis.
* At scyrrhos generat simplex aterrimus humor,
Atq; inflammatus cancros, psoramq; lepramq;
Putris, at exardescens, nec non putridus vnà
Morbum elephantis, & anthracem producit olentem.

De signis, quæ Marem vtero latentem significant.

Ad Excellentissimum Medicum, Benzonvm Virum insignem.

Vt tibi fœmellæ Marem secura gerentis
Signa notem, tradamq; probata indagine multa,
Pieridum fœlix soboles, Phœbiq; sacerdos,
Plura simul cogam, quæ conspirantia in vnum
Masculeum signant fœtum, sobolemq; virilem.
Si mulier roseo niteat speciosa colore;
Dextera si tumet, & venis repleta mamilla est;
Si residens humero dextro, dum surgit, inhæret.
Dextera pars vteri premitur si pondere multo;
Si ipsa gerens vtero valuit, belleq; comedit;
Robore si vegeto viguit, nec marcuit, ætas
Interea floret, subrectas fœta papillas
Continet, & crassum lac, quod super æquore læui
Cogitur emulctum in sphæram, velut vnio pulcher;
Si dexter pulsus saliat, si parte moueatur
Dextra fœtus, & in dextro sit Matris ocello
Copia venarum maior. Coguntur in vnum
Lacte, & farina globuli facti, igne coquuntur,
Si sibi consistunt, marem portendere possunt.
Si mica parua salis nitidis apposta papillis
Tota nocte manet, nescitq; liquescere prorsus,
Mares præmonstrat, præsertim si extumet extra
Matrix, nec ventrem versùs prolabitur imum;
Si ruber, haud luet veneto pallore papilla;
Si lac densescit, speculo iniectumq; oitenti
Ad radios solis post horam cogitur vnà
In guttam, vt referat pulcherrima lilia flore;
Vlcera si foueat fœtentia parte sinistra,
Concipiat tamen, hinc maris carpitur omen.
Effossis geminis scrobibus mandare memento
Vni frumenti granum, atq; alij hordea, fœtæ
Vrina madeant, tundantur singula terra.
Si frumenta priùs promittant germina, marem
Expecta. Pariterq; probatur mascula proles,
Si imponatur olens ignaræ, vteroq; gerenti
Arte Apium tacita, primoq; effuderit inter
Effandum ore virum, nec non & mascula verba.

Ventorum descriptio ex D. Thoma.

Comm. super Boetium de Consolatione Philosoph.

Flant Subsolanus, Vulturnus, & Eurus ab ortu
Atq; die medio Nothus, hæret & Affricus Austro,
Circius, occidusq; Fauonius afflat ab oris,
Ast veniunt Aquilo, Boreas, & Chorus ab Arcto:

Terremotuum genera. Ex Aristotele in Meteoris.

Τρομωδης pauidus latè, sed concutit altè
Παλμωδης patulam molem telluris opacæ
Ast σειελιστης agit transuerso turbine terram.
Emergens verò Βρασστης perstringitur, atq;
Per rectos anglos supra subuertit, & infra.
Χασματιας lato compagem molis hiatu
Diuidit, & Ρηκτης scindit, rimasq; facessit.
Vna contentus scissura personat οστις
Sed citra motum reboat per compita Μηκτης.

Prognosis de futura tempestate.

Tempore si pluuio celebrantur Festa Medardi, 8. Die Iunij.
Per triginta dies imbre madebit humus.
Hæc igitur sit cura frequens Messoribus vna,
Vt studio metant hordea sollicito.

Prognosis ex Iride. Ex Aristotele.

Pro vario positu varias res indicat Iris.
Nam si à meridie, pluuias, ventosq; minatur,
At si surgat ab occasu rorabit, & ægrè
Impluet. Ex ortu verò clementia Cœli
Accipitur, lætoq; oppletur lumine mundus.

Dierum quorundam periphrasis, in quibus pharmaco, aut sanguinis missione vti nefas est.

Sanguinis exhaustum suprema fluentis Aprilis,
Luna Decembris item mox coitura vetat.
Augustiq; dies lunæ prior vrget, & æquè
Phlebotomi impatiens Hippocreæq; manus.
His caueas quicquam dictis patrare diebus,
Quandoquidem lethi plura pericla ferunt.

Quòd Tertiana intermittens sex de caussis Perniciosa efficitur. Ex Mercato.

Noxia fit sena ratione Triaria febris,
Primùm si partem eximiam petit obuia bilis.
Tum si eadem tenuissima ichoribus acta feratur
Prorsus ad extrema, actutum exsoluantur vt ægri;
Nec minus exitiosa viget, si febris alumna
Sit praui succi, qualis, vel praffina, siue
Glastea, siue vitellorum, aut æruginis instat;
Huc facit vbertas crudi, tenuisq; liquoris,
Quo calidum innatum premiturq; subitq; laborem;
Huc symptoma itidem spectat lethale, quod instat;
Postremùm exitialis ichor virtute veneni
Imbutus fatum miseris mortalibus affert.

Ossium Articulorum Paraphrasis.

Ad Excellentissimum Virum D. FRANC. BERTOLDVM.

Os rigida, & sicca est pars omni ex parte peræquè
Consimilis, crassi seminis & soboles.
Corporeæ fulchrum moli, & stabilimina præstat,
Motibus, atq; animi subiacet imperio.
Articulus nectit, vel symphisis ossa vicissim,
Hæc stabilis semper, mobilis ille micat.
Articuli porrò nobis duo membra resultant,
Nempe synarthrosis mobilis exiguè;
Atq; Dyarthrosis, quando manifestiùs extat
Motus, vt in sensus incidat egregiè.
Atq; Diarthrosis species est Enarthrosis,
Atq; Arthrodia, queis Gynglimon apto simul.
Torq; Synarthrosis species de mente Galeni
Extant, Sutura gomphosis, Harmonia.
Sed reclamat Auicennas, & iure, quòd illas
Symphisis amplexu copulet vnanimi.
Ecquis enim cranij fanaticus ossa moueri
Dicat futura iuncta simul solida?
Quisue genæ exiguo ducat connexa cieri
Motu ossa, obstrictè quæ ligat Harmonia?
Denique quisnam vsquam dentes, quos gomphosis arctat,
Acciri vidit motibus exiguis?
Symphisis est duplex vna immediata videtur
Cum absq; intermedio iungitur, atq; coit.
Altera sed mediata, vbi per medium coalescit
Cartilago, caro, neruulus esse potest.
Ilia dant tria, dat sternus septena vicissim
Per Synchondrosin oscula iuncta sibi
Perq; synemosim sacri ossis vertebra adhæret
Per syssarcosin temporis osq; coit.

In obitu GREGORII MALVOLTI I.V.D. eximij Elegus.

Attratos cur cerno viros, largoq; madentes
Imbre genas, Vrbemq; graui mœrore sepultam?
Scilicet an Patria cessit Patronus amœna
Stellantis Cœli superas euectus in Arces
Egregius, iustusq; senex, quem Patria iactat
Rite Patrem, multoq; Virum veneratur honore?
Tantum ergo libitina nefas mandare perausa est?
Proh infandus dolor, & Populi iactura relicti
Perdita, quam nunquam ventura resarciat ætas.
Sed quoniam nil flere iuuat, gemitusq; ciere,
Pallentes potiùs violas diffundite circum
Æterno cineri, & celebri persoluite iusta
Carmine Relliquijs, & mecum dicite laudes.
Ille genus clarum meriti benè compos auiti
Rexit, & erexit Patriam, litesq; dolosq;
Adriaca innexos á gente acerrimus vnus
Fregit, & optatos cecinit victo Hoste triumphos.
Religione nitens muniuit pectora Marte
Impauido, nutuq; hostes tremefecit iniquos;
Hic coluit Musas, illum coluere vicissim
Musæ, & Apollinea cinxerunt tempora lauro,
Astræq; super miro flagrauit amore,
Optatumq; tulit Dominæ dilectus amicæ.
Deniq; (quæ supera manant ex Arce Deorum
Imperijs) geminas aluit sub pectore fixas
Iustitiæ, & pietatis opes, quæ rite peracto
Munere vitali traducunt tramite recto
Ad caput, vnde fluit rerum rectissimus ordo.
His ducibus fetri ad Superos Gregorius Axes
Obtinuit, numerumq; beatum sedibus auxit.
I decus, i columen Patriæ; Patronus in Astris
Nunc, velut in terris, causas defende tuorum.

De Virtute.

Pindarus Heroum sociam, matremq; vocauit
Virtutem sine qua nescit consistere rectum,
Nescit nobilitas, aut laus antiqua Atauorum.
Quæ duplex cum sit, moris videlicet, atque
Mentis, & illa bonos faciat nos, ista disertos
Vtramque obstrictis decet amplexarier vlnis,
Vt nobis liceat nobilitate frui.

De Homine.

Vt primùm exiguum mundum speculatus, & vltra
Mentem, aciemque diu fixit Zoroaster in huius
Structura, o audentis opus mirabile dixit
Naturæ, o facinus magnum, & laudabile semper,
In quo non secius diuini industria lucet
Artificis, quàm alio mundo splendescit in amplo.

De eodem.

Quis quis in humanos casus direxerit æquam
Mentem, & consilium, vt sapienter Plinius olim,
Ore exclamabit: Nihil infelicius ipso
Est homine in terris, qui vt primùm in luminis oras
Appulit, ærumnæ, & miserandi prouidus æui
Vagit, & ingentes ducit de pectore questus.

Ad

Ad Leonardvm Marinonvm Medicum Bergomensem.

Artis Appollineæ cultor celeberrime magnum
Musarum iubar, & præsentis gloria sæcli
Viue, valeq; diu super omnia chare sodalis:
Iam mihi tarda dies nituit, qua numine fausto
Ire licet tandem, patriosq; reuisere fines,
Te verò inuitus multis experte periclis
Præsidiumq; decusq; meum Leonarde relinquo,
Attamen haud moritura tuæ virtutis imago
Perpetuò, meritumq; animo versabitur alto.

In abitu Nyllæ Viro nuptæ Adonidis querimonia.

Carminibus celebrant alij lætis Hymenæos,
Iunonem, Bromiumq; vocant, Veneremq; salacem;
Ast ego discessum Nyllæ, tædasq; iugales
Scribere flebilibus paro cantaturus auenis.
Terpsichore, quæ sola potes mihi carmina mœsta
Inspirare, precor, nostros ne despice luctus,
Non etenim te causa latet sæuissima nostri
Angoris, thalamiq; inuisi, abitusq; nefasti.
Virginei lux magna chori, ceu sydera Cœli
Sol inter, radiabat quondam Nyllia pudicum
docta mouere latus, dum luderet inter honestas
Nymphas, nunc abijt splendor Læbactidis oræ
Præfulgens, viduusq; remansit Pagulus omnis
Vos igitur Fauni mœrentes fundite fletus
Fundite Plauicolæ Nymphæ, rigidiq; Maethis.
Iam lepor, & venus, & ludi celeberrima nostri
Gloria decessit, non regressuraq; virtus:
Quid thyasis celebrare choros, quid deide iuuabit?
Quid globus, & choreæ, iactataq; Pila vicissim
Si deeit forma chori, quæ totum comit, & ornat?
Vos igitur Fauni mœrentes fundite fletus,
Fundite Plauicolæ Nymphæ, rigidiq; Maethis.
Denique quæ nostris posthac miserata labores
Ibit subsidio curis, lachrymasue Puella
Absterget strophio Suaui, manibusq; tenellis?
Tu mea Nylla salus, tu sola leuamen honestum
Semper eras verbis, obtutu, atq; ore decenti.
Proh dolor infandus nulla reparabilis arte.
Ergo reijciam cultus, & pannis obsitus atris
Auia lucorum quærens super omnia flebo,
Donec vel redeas, consumptaue corpora tabo
Hospitio excludant animam, tristemq; fauillam.

AD BERNARDVM COLLE Medicum celeberrimum

Gymnade feruet opus, feriis torpescit, & alget,
Vrgeat ergo vigil otia lenta labos.
Quidquid docta sinu condit Polyhymnia pando
Promis, & omnigenas prodigis Artis opes.
O fœlix Bernarde, Pater cui flauus Apollo
Pieridumq; cohors obsequiosa fauet.
Iamq; vnus polyglossus habes, polyhistor & idem,
Quod noua quodq; vetus continet Historia.
Si colis actiuus medicæ gymnasmata partis
Doctam passa manum vix mala stare queunt.
Hincq; salutiferum vatem per compita passim,
Et Phœbi sobolem grata iuuenta canit
Filia Thaumantis miro gratatur honore,
Teq; palam iactat Isidis esse genus,
Quidni. Dulce pathos cum te super æthera tollat,
Dispariliq; locum conditione paret.
Ipse ego venturæ libans præsagia Sortis
Nempè præaniso lætus, & apto chelyn.

De futura tempestate.

Tempore si pluuio celebrantur Festa Medardi, *19. die Iunij.*
Per triginta dies imbre madebit humus.
Hæc igitur sit cura frequens Messoribus vna,
Vt studio metant hordea solficito.

MAGNO GLORIA VIRO,

bellicisq; Rebus Clarissimo

IOANNI BAPTISTÆ GRIMANO

Supremo Naualis Classis Præfecto

Acrostichis.

Plato ad Dionysium. Naturę quidem lege sapientia, potentiaq; excellens in idem tendunt, semperq; ista Duo se inuicē affectant, prosequūtur, cōgrediūtur.

Imperitat Bōna mens sapiens (deitatis imaGo)
Officiis Animata suis, & Regna tuetuR
Auspicio Properans igitur præsagia verI
Nuncia Thelxiope tristem spoliata figuraM
Numinis Instinctu referas: Te principe CretA
Et ditio STabunt. Cedet gens improba crimeN
Serius Agnoscens merito subiecta triumphO.

FRANCISCO ERIZO Venetiarum Principi Serenissimo Longeuitatem auspicatur.

Acrostichis.

Fœlices Populi tanto sub Principe, quippE — Prudentiam
Regnat Apollo Pater: Veteris te sæcula propteR — Sapientiam
Aurea saturni redeunt, & prouida prisci — Copiam
Norma magisterii surgit, quæ viuida posthaC — Aequitatem
Constabit, donec tumidus fluet Adria PontO. — Religionē
Iustitiæ, pacisque memor vestigia DauiD — Pietatem
Sacra sequens Populos recreas, & diuite CultV — Charitatem
Concilias Superis animos absentibus istinC — Sequitur
Omnia sancitī commendans fœdera pacti. — Vita æterna.

SVMMO GLORIA VIRO, bellicisq; rebus Eminētissimo Naualis Classis Venetæ Præfecto Senatori, Equitique amplissimo & optimè merito

Ἀκροστιχὶς.

Iacet diua suum meritò Ieroſolyma DauiD
Annibalem Cartago potens armisque, VirisquE
Cæseris eulogium Roma, aut Scipionis, & instaR
Omnium Alexandrum Macedonia Marte minacI
Bellatrix sæua, Adriaci modò diuite CultV
Omnibus anteferunt Riuam, præclaraque gestA.

AD BENEDICTVM LAVZERVM

Acroſtichis.

Buccina Pieridum celebris fusura liquens meL
Egressa & Patriæ fines, & limina IussV
Numinis ecce canit: Gratatur amica IuuentuS
Egregijs imbuta modis, Populique susurruS
Ducitur in laudem solidæ virtutis, & almI
Ingenij, doctumque caput per compita iactaT
Certatim: Iam quisque studet sua soluere votA
Turgida, promeritum, ad sydera tolleq; nomeN,
Vmbrifera Pubes contexit stemmata quercV
Signatura Caput Sapientum nomine RegiS.

Ad Reu. Presbyterum ANDREAM CLAVENAM,

Acroſtichis.

Alter ab Aonio Phœbus colle appulit istuC
Nectar ab ore sacro fundens, & Cecropium meL:
Dona gerat properè latia, atque Hetrusca PuellA
Romano quæcumque cupit ditescere cantV,
Extorres vocat ille Deas ad Anaxia TempE,
Argutaque beat placitum testudine nomeN
Secretos referans aditus ad amœna viretA.

Admodum Reu. IOSEPH MELSIO.

Acroſtichis.

Inuitam ad pensum nostram tua Musa CamænaM
Omnino pepulit numeris, desiste proindE
Si strepat, irridere, tuumve citare acidum feL.
Egregios valido perlegi Numine versuS
Phœbi perflatos, demisso lumine SensI
Vberiùs dictas laudes, quæ præmia cultV
Suspiciam assiduo grates habiturus in annoS.

Ad insignem, tum genere, tum doctrina Medicum D. IOANNEM DOM. MARESIVM.

Ante tuum aduentum Venetam sæuire per Vrbem
Sæpe videbatur trux libitina mihi,
Cur modò mutatis vicibus bona regnat Hygæa,
Atq; Charon lembis ocia ducit iners?
Vlius accessit meritis Maresius amplis
Doctrina mirus, mirus & ingenio.
Scilicet excellit sophia, pariterque Matheſi,
Queis iungit miris experimenta modis.
Quid mirum, si tuta salus, siquidem alter Apollo
Mensura, numero, pondere tractat opus.

AD GEORGIVM MORALEM Medicum Venetum moribus ingenuis, & doctrina celeberrimū.

Vt pensatur amor vicibus munitus amoris,
Mutuo honoris honor sic viget officio.
Tu quondam e suggestu habuisti verba Georgi
Prorsus honestatis plena, decoris item.
Nunc mea Mnemosyne meritis excita rependit
Antipelurgiam, dum tua gesta colit.
Sed quis re satis extollat, nisi Vatis Achæi
Musa Machaonijs Artibus eximium.
Quis te fatidicum Vatem non iudicet, Arte
Qui tam solerti cuncta futura vides.
Prædicisq; palam (veluti sacra Numina casus
Præmonstrare solent) cuncta stupente globo?
Non igitur mirum est, si te ratione potentem,
Atq; vsu manuum nobilis ordo colit.
Et tua consilia exoptat, qui febribus ardet,
Quot quot & ægrotos triste cubile tenet.
Ipse aueo tibi Crotonis soteria, nec non
Nestoris auspicio fata secunda senis.

In oleres, qui plurimum habent de foliis, minimùm de radice, vt de Galeno dixit Auicennas lib. ix. De Animalium Natura cap. vi. in calce. Ex Ioanne Huarte.

Quis quis ades, perpende animo quæcunq; libenti
Ante aciem mentis nunc paradoxa paro.
Ingenio longè præstat, sermone diserto
Promere conceptus nescius ipse Scio.
Exemplo tibi sit Thomas diuinus Aquinas,
Qui Bouis instarerat Mutus, & Arte solens.
Hippocrates paritèr, cui nunquam copia fandi
Arrisit, parcus, pauciloquusq; fuit.
Quin sapiens Socrates collatus inertibus Arcis
Ipse fuit, quæ intus optima quæq; tenent.
An fileam Diuum Paulum, sapientia cuius
Grandis erat, fandi copia nulla fuit?
Hoc vetus eulogiū est: vbi plurima verba redūdāt,
Mentis pauperies quippe frequenter inest.
Falleris ergo pecus vulgus, dum diuite cultu
Verbosos sequeris, pauciloquosq; fugis.
Zimara quæsiuit scitè Problemate quodam
Cur sapientis erat paucula verba loqui?
Respondit logomachiam esse erroribus aptam,
Pruden-

In Epist. D. Pinquet. nā etsi sermone imperitus sum, non tamen scientia.

Probl. x. Cur Arist. in reb. difficillimis mira vtitur breuitate?

Prudentes scitis verba onerare strophis.
Nunc igitur protsus valeant teretismata fantes
Instar Agyrtarum, qui miseros capiunt.

Illustrissimo, atq; Reuerendissimo ALBERTO BADVARIO Cremens. Antistiti Sapientissimo.

Ergo decus, columenq; meum lux crastina tantis
Votis petitum subtrahet?
I Venetæ lux magna Togæ, & venerabile Numen,
Fatis secundis vtere.
Augurio tibi propitios, facilesq; Viales
More, ac amore deprecor.
Interea Panacea tibi hæc Soteria mittit
Obliuionis nescia.
Dirum quodq; pathos fugias memor Epitzeti.
Nempe Abstine, inquam, & sustine.
Seruus enim Domini ira non est dignus, at idem
Irrisione, aut gratia.
Fercula mixta caue contentus simplice mensa,
Fructus remittens dantibus.
Somnos quære diu, solacia quære fideli
Achate cautus, conditus.
Insidias tibi mœsta Venus, tibi bella parabit
Iniuriarum haud immemor.
Saturnusq; minax ludibria multa reponet,
Quibus resistes acriter.
Quòd si te insidijs fractum videasq; probesq;
Opem ferat Volupia.
Interea vim atræ-bilis iosacchare mixto
Sennæ didrachmis exiges.
(Vix etenim effugies Saturni crimina tristis
Stipatus infausto æthere.)
Cardiacos haustus igitur, quos Iuppiter ipse
Præbebit, audens ebibe.
Ille tibi vinum medicatum frugibus aptis
Parabit, & Citragine.
Hæc Hæc vna tibi instar erit Citrago Nepentes
Crasi, & odore accommoda.

Ad perquam Reuerendum FRANCISCVM GVERRINVM Cenetæ Protomysten.

Vexat incumbens Aquilo superbas
Populos, Syluæq; decus virentis
Laurum, & exæquat penitus reuulsa
Robora terræ
Sæpe sublimes Iouis ira turres
Tangit, & celsas iaculatur Arces
Myrthus intacto, ac humiles Myricæ
Vertice crescunt.
Subdita extollit Deus, & superba
Flectit; Ausi immane nefas Gigantes
Scandere in Cœlum cecidere iusto
Fulmine tacti
Scilicet cautè metuis Sacerdos
Altiùs ferri, Medicum secutus,
Ac iter tutum, docuit quod omneis
Viuida virtus.
Quos tibi blandè meritos honores
Offerunt Musæ; renuis benigna
Mente subiectus, sapienter idem
Pectora tundens.
Quo magis se se veneranda virtus
Subiicit, fertur super astra: duplex
Proinde Guerrini bonitas perenne
Crescet in æuum.

AD BENEDICTVM LAVZERVM Seminarij Cenetensis Rectorem spectatissimæ doctrinæ Virum.

Si bonus vir me celebrat canoris
Versibus, lætor, pinitusq; dignos
Laudibus nisus paro, despuoq;
Vulgus iniquum
Carmini substat velut empyreuma,
Quod mihi pectus calefecit, atq;
Egit ad partum Sophiæ, tuæque
Laudis honorem
Immerens mœret, dolitatq; tolli
Conscius, forsan metuens doloso
Ore perstringi, mala mens honestum
Omne refellit
Nempe Lauzeri mihi pendis instar
Omnium, quidquid reputas fauente
Nuncio linguæ mihi profuturum,
Capto libenter.

Ad eundem.

Cui pathos Heroum fauet, euentura profunda
Hic mente longè prospicit.
Define proin demirari si prouidus Auspex
Veri tulisti semina.
Optata longè fruimur nunc sede Iuuentæ
Rudis beantes indolem.
Hincq; labos procul omnis abest, exculta palestra
Profert quietem gymnade.
Quid plura? Assiduũ, propriumq; opus arte peractũ
Est cuiq; delectatio
His veluti pensare laboribus Enthusiasmum
Arrisit, omenq; amplius
Tu autem perge decus Cenetæ, fœlicibus ausis
Multos in annos vtere
Meq; ortum quarta luna meliora petentem
Blando fauore proueha.

DE DIVA FVSCA

Ad Reuerendissimum Parochum D. Fuscæ D. Hieronymvm Melchiorvm.

Dum paludosæ recolo Rauennæ
Stagna, & antiquum genus, & Puellæ
Candidum Fuscæ decus, & cruenta
Funera cerno.
Fusca tet quinos agitabat annos,
Cum theanthropi studiosa Christi
Rore sacrato madefacta crines
Spreuit Idola.

Sirius

Sirius Diras Pater imprecatus
Effera bacchans rabie Puellam
Distrahi quam mox iubet,& profundo
Carcere claudi.
Scilicèt sperat fore per timorem,
Vt reformatos verecunda cultus
Damnet,& læsi ad veterem recurrat
Numinis aram.
At minis frustra temerare mores
Conditos tentans,socias cohortes
Virginum mittit,iubet & sagaci
Fallere techna.
Fusca promissam recolens corollam
Rider hortatus,fabilisq; vitæ
Ipsa susceptæ genus,& recepta
Dogmata profert.
Hinc Pater curis agitatus atris
Speq; delusus machinatur ense
Funus,at Mater facinus perosa
Fata retardat.
Gesta detestans mala mens Tyranni
Virginem vinclis iterum remittri,
Curat, & cædi teneros Puellæ
Fuste lacertos.
Interim suadet,repetat priorem
Cultum,& inceptum propero refellat
Munus aggressu,nisi Quinctiani
Negligit iras.
Fortis afflatu Superùm Puella
Nescit abducit similisq; cauti
Triste Syrenum teretisma clausa
Despuit aure,
At venenatis truculentus iris
Præses eludi impatiens ab Vrbe
Mandat abreptam procul indecoro
Funere mergi.
Virgo sustollens oculos ad astra
Orat,& iam-iam videt apparatam
Martyri sedem, subit & libenter
Crimina mortis.
Diua ter fœlix numero Dearum
Addita humanos miserare casus
Et sacro Mysiæ Pilij precare
Nestoris annos.
Ille panchæo veneratur aras
Thuite solemnes,numerosq; laudes
Dicit arguto celebres,& astræ
Præmia vitæ.
Ille mortali studio abdicatus
Mente diuinum sapit, ac inanes
Ambitus longè fugitat futuri
Prouidus æui.

Ad D. Rochum.

Vlcera Rochs ouans nobis immania monstrat,
Atq; animos potrò territat ille pios.
Læto nunc fruitur cœlo lætissimus idem
Et scabram nobis monstrat ad astra viam.
Mortales lugete pij,sudoribus ægris
Quæruntur tandem præmia quæq; suis,

Ad D. Rochum apud Cenetenses.

Qui colis vernos apices Acedi
Roche contagis dominor nocentis
Thura fundentes,lachrymasq; blando
Respice vultu
Pelle Diratum,lemurumq; virus,
Et venenatas Erebi Mephites
Sentiat nudus Garamas,vel vbi
Incola Nili.
Ecce florentes cecidere turmæ,
Atq; turritæ viduantur Vrbes
Ciuibus totis; penitusq; flaccet
Itala virtus
Perditum labes satis init atra,
Et tenebrosum pepulit sub orcum
Pubis intonsæ satis, & dolosa
Corda piauit,
Tu potes summi precibus Toparchæ
Vertere irarum stimulos refusis,
Atq; deuotis reparare pacem
Ciuibus aptam
Vate supremum monitore fatum
Niniue elusit Superis dicata,
Sensit orantem Deus,& misertus
Flagra repressit.
Te lui rerum Satpr obsoletæ
Ipse præfecit,statuitque summa
Iura lædendi,mala qui fugasti
Tabida primus.
Ergo sis præsto facilis precanti
Roche Diuorum decus,& Tonantis
Cura,contagem Populis minantem
Dira coercens.

De Salutatione Angelica
AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

En die Summo radiantis Aula
Panditur Cœli imperiò Tonantis,
Et repentino pauidi tumultu
Voce steterunt
Angeli,& plectrum posuere,& hymnos,
Tum Sator rerum Deus, & futuri
Prouidus mandat Gabrieli, ab alto
Deuolet Axe,
Et lares alis properet citatis
MARIÆ ad Sacros,& AVE dicenti
Virgini dicat,docet & secreta
Gaudia prorsus
Nuncius summi volitat per auras
Regis,& diuæ penetrat domorum
Virginis claustrum,soliumq; totum
Lumine complet.
Illa confestim tremit insolenti
Territa,& tanta exanimata luce,
Nec pudens castos oculos mouere,
Ora nec audet.
Fit mora, & Sanctus Gabriel viciſſim
Constitit tollens acies ad astra,

Atsol

At ſolo pulchros pudibunda Virgo
Figit ocellos.
Denique abrumpit poſito timore
Aliger, nec non trepidam Puellam
Voce compellat ſupera repellens
Pectore curas.
GRATIA PLENA, inquit, AVE PVELLA
Ecce pulchrum concipies Puellum,
Qui reget terras, volucremq; olympum
Voce mouebit.
Illa turbatur magis, atq; voluit
Mente ſermonem Gabrielis, exin
Quærit, vt poſſit fieri Puellam
Edere partus.
At Dei miſſus Gabriel ſecreta
Virgini pandit: Bonitate ſancti-
Spiritus dixit fieri mouentis
Omnia nutu.
Virgo tunc flexis oculis quieſcit,
Et voluntatem probat, & latetur,
Se minùs tanti famulam Tonantis
Munere dignam.
Interim carpit ſuperas ad auras
Aliger prudens iter, & relinquit
Virginis ſedem, nebulaſq; ſacris
Verberat alis.
Cœlites ſpectant properantem olympo
Angelum, ſpectant miſeros ab alto
Axe mortales, patet vt volanti
Ianua Cœli.
At preces fundit Veneranda Virgo
Numini ſancto, ſimul ac honore
Geſtit accepto, ſatagitq; promptas
Reddere grates.

In Natiuitatem DOMINI IESV CHRISTI.

Naſcitur humani generis pulcherrimus Author
Virgine ab humana, medio dum nigra potitur
Nox cœlo, medioq; rigor bacchatur in anno.
Interit antiquus ſerpens, innexaq; culpa,
Vitaq; donatur melior mortalibus ægris.
O veneranda Parens certi haud incerta Parentis,
Per te tot nobis veniunt cœleſtia dona,
Fœlices nimium vitalem carpimus auram
Virgineo pariente ſinu, Primiq; Parentis
Perfruimur regnis æterna in pace poſiti.

In Aſſumptione B. MARIÆ VIRGINIS.

Aligerum comitante globo petit alme coruſcum
Virgo Polum, & fuſa ſydera luce micant
Spectat ab æthereo ſolio regnator Olympi
Aſcenſum, ſpectat cœlica tota cohors.
Mortales gaudete pij gaudete frequentes
Iuit ad orandum Virgo beata Deum.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM Peroratio.

Salue Hominum, Diuumq; potens Regina, Supremi
Regis & alma Parens, noſtræq; ſalutis origo
Fons pietatis, & auxilium fugientibus vnum,
Ecce tuos nunc ante pedes proſtratus, & imo
Corde trahens gemitus ſcelerũ memor ipſe meorũ
Pacem imploro tuam, pietatem, præſidiumq;
Tu miſerere mei, Virgo, miſerere precantis,
Et veniam concede mihi, qui pectora tundo,
Quem tædet peccaſſe Deo, peccaſſe Propinquis.
Eia auerte iras, Mater, Natiq; Patriſq;
Me tua conciliet Triadi clementia Vatem.
Temporibus properant cani, iam fata propinquãt,
Vndiq; venturæ circunſtat Mortis imago:
Tu ſuccurre, manum fautricem porrige lapſo.
Erige, & electos inter me ad ſydera tolle,
Pace vbi perpetua fas eſt gaudere, Triunum
Atq; videre Deum, per quem mens ipſa beata eſt.

FINIS.

EPB 49639/C Wellcome Library

4° m 1

c. c. 1946.

trou de vers du début de la pagination à p 22.

C